HISTORIAE
BRITANNICAE
ET ANGLICANAE
SCRIPTORES

T. GALE

TOM. 2.



DITTON PARK.

HISTORIÆ Anglicanæ SCRIPTORES QUINQUE

Ex vetustis Codicibus MSS. *nunc primum in lucem editi.*

VOL. II.

Accessit rerum & verborum INDEX locupletissimus.



OXONIÆ,

E THEATRO SHELDONIANO. *Anno Dom.* 1687.

ORDO SCRIPTORUM.

TESTIMONIA DE HISTORICIS HIS NUNC PRIMUM EDITIS.

T. G.

De Annalibus Marganensibus.

Cambdenus Britannia, in Glamorgan-shire. pag. 498.

HINC littus legenti occurrunt Kinfeage ipsius *Fitz-Haimonis* olim castrum; & Morgan ad mare, quondam cœnobium à *Gulielmo* [*Rob.*] Comite *Glocestriæ* fundatum, nunc sedes claræ & equestris familiæ *Maunsellorum* &c.

Ex Monastici Anglicani *Volumine primo.* pag. 477.

Abbatia de MARGAN *in* Wallia.

Anno MCXLVII fundata est Abbatia de Margan à *Roberto* comite *Gloucestrensi*, qui construxit castrum & turrim & Prioratum sancti *Jacobi Bristoll*: qui comes eodem anno obiit, & sepultus est in dicto Prioratu.

Ex his ipsis Annalibus de Margan. p. 7.

Anno MCXLVII Fundata est Abbatia Nostra, quæ dicitur Margan: & eodem anno Comes *Gloucestriæ Robertus*, qui eam fundavit, apud Bristol obiit, Prid. Kal. Novembris.

De Cœnobio igitur, in quo Annales hi conscripti fuerunt, satis constat; De eorum Scriptore, non item. Unicum hoc, quod nunc possideo, exemplar vidi. Aliud aliquod extare ne fando quidem accepi. Fugerat, opinor, hic libellus oculos curiosos *Gulielmi Cambdeni*; nec illum viderat, (uti mihi ipse confessus est) hujusmodi monumentorum solertissimus indagator, *Gulielmus Dugdallus*. Pauca sunt, quæ tractat Anonymus auctor, sed ea sane collegit, quæ vix reperies apud diffusiores Chronographos; ideo dignus visus est qui lucem publicam aspiceret.

Testimonia de Thoma Wycke.

Johannes Balæus. Cent. 4. Script. 72.

THOMAS WYCKE alias *Vuiccius*, *Oxonii* canonicus de Osneye, ex eorum sodalitio, quos *Augustini* Regulares cognominant, à varia doctrina & morum probitate, famam apud suos non infimam accepit. Porro liberalium disciplinarum notitiam, ab ipsis incunabulis egregie imbiberat, cui rerum insigniter gestarum cognitionem adjungendam esse in animo ducebat. Laudabili ergo in illis omnibus eruditione præditus, ad memorabilium sui temporis actorum conservationem, sua demum contulit studia. Et historiam inde perbrevem, sed luculentam congessit, ac stylo per eam ætatem polito lucu-

bravit,

bravit, de præclarioribus principum & aliorum virorum illuſtrium factis, à *Guilhelmi Nothi* regnorum primordiis, uſque ad poſtremos pene annos ſereniſſimi Regis *Edwardi* primi: hoc eſt, ab anno Domini 1066, ad ſuam uſque ſenectutem. Hanc hiſtoriam, ſeu potius hiſtoriarum annales, inter alia rariſſimorum authorum opuſcula reperi primum in *Gorleſtonenſi Auguſtinianorum* fratrum bibliotheca, affixo illi operi hoc titulo,

Chronica compendioſa,	Lib. 1. Anno incarnationis Domini noſtri.
Abbates de Oſneye,	Lib. 1. Anno Domini 1129, regnante *Henrico* pri.
Commendationes vini,	Lib. 1. Syncerum mihi dede merum, ſi vis.
Increpationem gulæ,	Lib. 1. Prandens in menſa, ventris depo.

Aliaque edidit, tam carmine quam proſa. In Abbatum Catalogo numerat omnes monaſterii ſui præſides, continua ſucceſſione, deſcriptis eorum actis à prima fundatione ejuſdem, ad annum uſque Servatoris noſtri 1290, in quo claruit ſub dicto *Edwardo*.

JOANNES PITSEUS

De illuſtribus Angliæ *ſcriptor. Ætat.* 13. *An.* 1290.

De Thoma Wiccio.

Thomas Wiccius, natione *Anglus*, ordinis S. *Auguſtini* Canonicus regularis in cœnobio Oſneye juxta *Oxonium*. Academiæ vicinitate fretus, & quaſi foro uſus, omnium bonarum artium quandam uberem fecit mercaturam. Nam cum morum probitate ſingularem conjungens eruditionem, celebris in utroque genere evaſit. Ab ipſa enim fere pueritia jugum Domini portare didicit, nec ullo etiam tempore pro captu & ætate bonarum artium exercitia neglexit. Poeta non inelegans, Rhetor diſertus, & in omni literatura humaniore valde politus. Hiſtoriis *Angliæ* legendis non mediocriter delectatus, ad ſcribendum in eo genere animum appulit. Collectis igitur, & in ordinem redactis, principum, magnatum, Regum etiam *Angliæ*, & ſingulorum Abbatum ſui cœnobii celebrioribus rebus geſtis, ab initio regni *Guilhelmi Normannici*, hoc eſt, ab anno Chriſti 1066, ad regnum *Edwardi* primi deduxit hiſtoriam, quod opus ad annos multos aſſervatum fuiſſe ferunt in bibliotheca *Gorleſtonenſi* fratrum ordinis S. *Auguſtini*. Opus autem hoc titulo inſignivit.

Chronica compendioſa, Librum unum. Anno incarnationis Domini.

Catalogus Abbatum *Oſnienſium* Librum unum. Anno Domini 1129, regnante *Henrico*.

Increpationem gulæ, Librum unum. *Prandens in menſa, ventris depo.*

Commen-

Commendationes vini, Librum unum. *Sincerum mihi dede merum, si vis.* Et alia multa tum soluta, tum ligata oratione. Claruit anno postquam Verbum caro factum est 1290, regnante apud *Anglos Edwardo* primo.

GERARDUS VOSSIUS *DE HISTOR.* LATINIS LIB. II. *DE* THO. WICCIO.

THOMAS WICCIUS, *Anglus*, *Oxonii* Canonicus regularis de Osneye, itidem sub *Eduardo* primo, *Angliæ* rege, clarescebat. Reliquit Chronicon, in quo recensetres *Britannicas* à *Gulielmo Notho* sive an. CIↃLXVI, usque ad senectutem suam, sive postremos *Eduardi* regis annos. Item librum composuit de Abbatibus de Osneye, quos à prima monasterii sui fundatione exorditur, ac perducit usque ad annum CIↃCCXCI, quo floruit.

T. G.

Thomas Wiccius propofuit sibi imitandum *Gulielmum Novoburgensem*: Imo hunc videtur voluisse continuare. Vidi aliquando hujus scriptoris aliud exemplar; sed jejunum, & ob rerum inopiam facile contemnendum.

DE ANNALIBUS WAVERLEIENSIBUS. *EX MONASTICI* ANGLICANI Vol. I. p. 703.

Waverleiense *Cœnobium in agro* Surregiensi *Ordinis* CISTERCIENSIS.

Anno MCXXVIII. Hoc anno fundata est abbatia de *Waverleia* à domino *Willielmo* Giffard episcopo *Wintoniæ*, VIII kal. Decembris.

Anno MCXXVIII. Ordo *Cistercienfis* primo venit in *Angliam*. Abbatia de Waverle fundata est, filia domus de *Elemosyna*, hoc est transmissis illuc de *Elemosyna* XII monachis cum abbate. ei subjectionem & obedientiam, sicut filia matri debet. v. p. 703.

T. G.

Adeo multi sunt & diligentes horum annalium consarcinatores in rebus *Waverleiæ* narrandis, ut dubitare nemo possit, quin ipsi fuerint ex eo Conventu. Ut igitur plures fuerunt, qui successu temporis, opus hoc pertexuerunt; ita non obscure colligas, eum qui res primæ partis conscripsit, fuisse hominem genere *Saxonem.* Fatum & calamitatem *Edgari* Aetheling dolens & pene gemens narrat pag. 133. *Gulielmi* Conquæstoris tempore vixit, non dico, floruit: ipse testatur se *vidisse Victorem Normannum*, & *fuisse aliquando in ejus curiâ*, p. 134. Quid quod ipsum exemplar, ex quo hæc nostra transcripsimus, illo seculo exaratum fuit: bona enim literarum pars plane *Saxonica* est. Chara-

* ❧cter

ćter autem *Saxonicus* circa iſta tempora in deſuetudinem abiit. Exemplar, de quo loquor, mihi benigne utendum dedit antiqua familia, literis, & omnibus bonis artibus nobilis *Joannes Cottonus* Baronettus. Habet ille ſane aliud exemplar Annalium *Waverleienſium*, quod tamen, varietate rerum & copia, huic nunc edito, minime comparandum cenſui. Dictio hujus Scriptoris, fateor, plane plebeia eſt: Sed veritatem hiſtoriæ ſimplicitas hominis ſpondet. Et magni æſtimandus eſt, quod ipſi *Ingulpho* de antiquitate vix conceſſurus videatur. Ex hoc ſcriptore ruſtico & impolito, non ſunt dedignati multa multi transferre; Debent ei plurima *Gulielmus Malmesburienſis*, *Robertus Montenſis*, *Henricus Huntindonenſis*, *Rogerii* ambo, *Wendoverius* & *Hovedenus*, ut alios taceam; nunc enim non id ago, ut aut hos Annales, aut alios in hoc volumine ſcriptores pluribus lectori commendem; Poſtulat iſta res & otium majus, & aliud tempus, quod brevi mihi obventurum ſpero.

Teſtimonia de Gualtero de Vino ſalvo, *ex* Joanne Lelando *MS. de Scriptoribus illuſtribus* Angliæ.

Gualterus, al. *Galfridus de Vino ſalvo Anglicus* vir, quantum illa permittebant tempora, ſplendidæ, comptæ, floridæ eloquentiæ, omnes nervos ingenii ſui, quo præditus erat plane acerrimo, in ſolam fere rem literariam intendebat. Itaque non contentus ſcholas tantum patrias frequentare, *Gallicas* quoque celebravit, &, niſi male colligo, *Italicas* etiam. Nam conſtat illum *Innocentio* tertio Pontifici *Romano* notum fuiſſe. Atque adeo hinc eſt quod conjecturam facio hominem aliquando in *Italia* fuiſſe, & *Romæ* vixiſſe; ubi forſan *Innocentium* candidum habere meruit patronum. Utcunque ſit, non admodum laboro. Illud longe certiſſimum eſt, quod *Innocentio* librum, quem proſa & carmine hexametro de arte dicendi, ut illa judicavit ætas, doctum, ornatum, venuſtum fecit, dedicaverit. Quo munere cum domi tum foris gloriam ſui nominis reddidit illuſtriorem, &, quod multo maximum, immortalitatem quodammodo ſibi comparavit, non illam quam pyramides, quam columnæ, quam arcus triumphales, quam ſtatuæ, quam tabulæ marmoreæ, quam denique numiſmata pollicentur, ſed longe aliam, utpote quæ cariem nec ſentiat, nec timeat. Sed ſit meum leve in hac parte Eulogium. Non itidem leve erit *Joannis Frumentarii* teſtimonium, qui in libro ſuo cui titulus eſt Granarium, honorificam de *Gualtero* mentionem fecit. Extat ejus ad Imperatorem *Romanum* breve carmen, quo ſupplex eum hortatur ut *Richardum Leoninum Anglorum* Regem interceptum

ceptum reftitueret. Incidi aliquando in libellum non inelegantem de rebus Ethicis qui bonos informaret mores. Extrema ejus pagella fic infcripta fuit, *Galfridus Vinefave.* Stylus fane *Vinofalvum* fapiebat. Claruit fub *Richardo* & *Joanne* regibus.

Joannes Balæus *Cent.* 3. *Script.* 38.

GALFRIDUS VINESAUF, feu *de Vino falvo*, ex parentibus (ut apparet) *Normannis* in *Anglia* generatus, à *Joanne Lelando* ita depingitur. Vir, quantum illa permittebant tempora, (inquit) fplendidæ, comptæ, & eloquentiæ floridæ, omnes nervos ingenii fui, quo præditus erat plane acerrimo, in folam fere rem literariam intendebat. Itaque non contentus fcholas tantum patrias frequentare, *Gallicas* quoque & *Italicas* celebravit: & in illis commoratus, multis fcientiis profecit. Solebat etiam non raro, viros doctrinæ fama celebres adire, prælegentes ac difputantes audire, & in rebus difficilioribus cum illis conferre fermones. Nam & conftat illum *Innocentio* tertio Rom. Pontifici fuiffe notum, cui dedicavit opus illud, quod profa & carmine Hexametro edidit,

De arte dicendi,	Lib. 1.	*Neuftria* fub clipeo regis defenfa *Ric.*
Ad *Guilhelmum* Cancellarium,	Lib. 1.	Quod Papæ fcripfi munus fpeciale.
De nova poetria,	Lib. 1.	Papa ftupor mundi fi dixero.
De ftatu *Rom.* curiæ,	Lib. 1.	Nuper Apoftolica *Galfridus* fede.
Monodiam in obitum regis.	Lib. 1.	
Ad Cæfarem pro eo liberando,	Lib. 1.	
De rebus ethicis,	Lib. 1.	

Atque alia fcripfit. In carmine ad Cæfarem, *Henricum* hortabatur, ut interceptum Regem *Richardum* regno reftitueret. Claruit *Galfridus* anno gratiæ per Chriftum reftitutæ 1199, fub *Richardo* & *Joanne Anglorum* regibus.

Joannes Pitfeus *de illuftribus* Angliæ *Scriptoribus*.

Ætat. XII. *an.* 1199.

Galfredus, dictus Magifter *Galfredus Vinefalf*, vel *De Vino falvo*, fic cognominatus à vino & vitibus confervandis, ut mihi non levis eft conjectura. Nam *Cantabrigiæ* in Bibliotheca vel Archivis Collegii *Caii* & *Gonvelli* liber quidam MS. haberi dicitur auctore *Galfredo*, de modo inferendi arbores Aromaticas, fructus confervandi, vites & vina cognofcendi, vina inverfa (Gallice *vin mouft*) feu deteriorata reformandi & reftituendi, acetum mutandi, & conditiones cujufcunque vini, & cæterorum precioforum liquorum, ut pigmentorum, faciendi, tam pro fanis quam pro infirmis. Atque hinc cognomen ei inditum *De vino falvo*, mea conjectura eft, quam libenter veriori cenfuræ fubmitto.

Porro

Porro *Galfredus* noſter in *Anglia* natus, & ſtirpe *Normannorum* oriundus creditur. Vir ingenii florentis, ſtyli compti, terſi, nitidi, ſive orationem ſolutam ſpectes ſive conſtructam. His enim fere nominibus eum laudat noſter *Joannes Lelandus.* Avide & inſatiabili plane deſiderio ſcientias appetebat, ad quas adipiſcendas eum natura formaverat aptiſſimum. Non contentus patriis Academiis, in quibus diu feliciterque ſtuduerat, in *Galliam* & *Italiam* ſe contulit, & utrobique celebriores inviſit, & diligenter frequentavit ſcholas, & ubique quantum fieri potuit, cum viris eruditione claris, contubernium habere, ſermones conferre, & de rebus literariis publice privatimque agere ſolebat. *Innocentio* Papæ tertio notus erat: Nam ad eum ſcripſit partim proſa, partim verſu heroico.

De arte dicendi, ſeu de præceptis Dialectices & Rhetorices, Librum unum. MS. in bibliotheca *Cottoniana Cantabrigiæ* in Collegio S. *Benedicti* ſub hoc titulo, *de modo & arte dictandi, verſificandi & transferendi*, Librum unum. Niſi forte duo diſtincta ſint opera. Initium operis ſic habet: *Neuſtria ſub clipeo Regis defenſa Richardi.* Dicitur hoc opus excuſum typis *Viennæ Auſtriæ* apud *Vvolfgangum Lazium.*

De vinis, fructibus &c. conſervandis, Librum unum. MS. *Cantabrigiæ* in Archivis Collegii *Caii* & *Gonvelli.*

Enchiridion, Librum unum. MS. Ibidem.

De poetria nova, Librum unum. *Papa ſtupor mundi, ſi dixero.* MS. *Oxoniæ* in Collegio *Balliolenſi.* [Ut & in *Arundelienſi* & *Cottoniana* Bibliothecis·]

Ad *Guilhelmum* Epiſcopum *Elienſem* & Cancellarium, Librum unum. *Quod Papæ ſcripſi munus ſpeciale.* [In *Col. Ben. Cant.*]

De ſtatu curiæ Romanæ, Librum unum, *Nuper Apoſtolica Galfredus ſede.* Hujus etiam *Galfredi* librum eſſe puto qui inſcriptus eſt De promotionibus & perſecutionibus *Galfredi Eboracenſis* Archiepiſcopi. MS. *Cantabrigiæ* in Collegio S. *Benedicti.*

De rebus Ethicis, Librum unum.

Ad Cæſarem *Henricum* de liberando *Richardo* Rege, carmine, Librum unum.

Monodiam in obitum Regis, Librum unum. Anno ſalutis reparatæ 1199, ſub Rege *Angliæ Richardo* primo jam in *Auſtria* captivo.

Ex Præfatione Joannis Seldeni *ad* X *Scriptores de* Galfrido Vineſauf *p.* XXXIX.

Galfridus de Vino ſalvo Gallis Angliſque ſuis (nam *Anglus* erat, unde etiam ſubinde *Galfridus Anglicus* dicitur) Winſauſe & Vineſalf nominari ſolet. Percelebris is ſui ſeculi Poeta fuit, ſub *Richardo* & *Joanne* Regibus, ſeu ſub annum 1200. Nomen illud

illud fortitum eum esse à libro de Vitibus, Vinis, Fructibus &c. tuto conservandis inter alios ab ipso diligentius conscripto, qui etiamnum extare dicitur *Cantabrigiæ* in Archivis Collegii *Caii*, bene quidem conjectavit *Joannes Pitseus.* Habentur autem hexametri versus illi, non in libro aliquo singulari de *Richardo* Rege, sed in opere penes me aliosque non raro MS. necdum opinor typis edito, cui titulum dedit ipse *De Nova Poetria* (sic enim artem Poeticam vocitabant) id est novo, seu reformato tersioreque poetice scribendi genere, respectu scilicet habito ad rythmicum, & perquam barbarum genus alterum, quod diu ante in usu fuerat. Opus illud, interdum etiam *de loquendi artificio* dictum, dum Romæ agebat, dedicavit *Innocentio* tertio; è quo, ut hominis ingenii Musæque specimina plura cernas, nonnulla huc transcribimus. *Innocentium* ad hunc scilicet modum salutat;

Papa Stupor mundi! si dixero Papa Nocenti
Acephalum nomen tribuam tibi, si caput addam
Hostis erit nomen metri; tibi vult similari.
Nec nomen metro, nec vult tua maxima virtus
Claudi mensura; nihil est quo metiar illam.
Et cætera ibidem.

Dein vero orditur opus ipsum quod velut Poetices etiam & Rhetorices studiosis speculum sed omnino metricum facit, Inventionem, Dispositionem, Compositionemque Musæ suæ exemplis copiosius docens. Et pro carminis exemplo lugubres tantum versus illos de *Richardo* Rege inferit, cum hoc lemmate,

Temporibus luctus his verbis exprime luctum;
Neustria *sub clypeo regis &c.*

Et post horum finem seu verba illa *quam longa est*, (nam sic supplendum nemo non videt) *lacrima mundi*, statim sequitur,

Contra ridiculos si vis insurgere, plene
Surge sub hac specie, sed lauda ridiculose;
Argue, sed lepide; gere te sed in omnibus apte;
Sermo tuus dentes habeat; mordaciter illos
Tange, sed irrisor gestus plus mordeat ore.

Atque ad hunc modum reliqua exhibet de arte loquendi monita. Lugubre autem illud ejus carmen admodum est passim hyperbolicum; & proculdubio eo nomine sugillatur à *Galfredo Chaucero*, in Monialis Presbyteri fabula &c. ibidem.

Vixit eodem tempore cum *Galfrido* noſtro *Gualterus Conſtantienſis*, (qui etiam *Gualterus Oxonienſis* dicitur) idemque rebus *Richardi* Regis adhibitus, præter alia ſcripſit de *Peregrinatione Richardi Regis.* Præter hæc ſunt & alia quæ ſuſpicionem mihi injiciunt, *Galfridum* & *Gualterum* hunc non eſſe diverſos ſcriptores. Idem argumentum cum iſtis tractavit *Richardus* Canonicus, eorundem temporum ſcriptor, ejuſdemque *Richardi* Regis in terram Sanctam comes. *Itinerarium* iſtud Regis *Richardi* huic nonnulli tribuunt; alii idem opus vendicant *Richardo Diviſienſi*; ac ſi eſſent duo Scriptores; utrumque male. Adhuc ſunt quidam, qui aſſerant *Roberto*, vel *Ruperto Monacho*; inter hos *Trithemius*, *Blondus*, & ille qui Geſta Dei per *Francos* typis *Wichelianis* evulgavit. Sed hos omnes minus diſtincte de hoc hiſtorico egiſſe, alias, Deo volente, oſtendam; ſimulque inquiram, quam ob rem in iſta *Geſtorum* editione *Galfridus* noſter ſine nomine & titulo, ſine fine, neglectim & imperfecte prodiit. Interim, quoniam intellexeram eum eſſe ſcriptorem rarum, paucis cognitum, fide dignum, & ad invictiſſimi Regis noſtri *Richardi* gloriam famamque perpetuandam (quam alii obſcurare invide conati ſunt) imprimis utilem, curavi è vetuſto codice MS. Bibliothecæ publicæ *Cantabrigienſis* accurate deſcribi, & luce donari. Hiſtoriam captæ *Damietæ* ſubjeci *Galfrido*, ſicut in eodem MS°. reperi. De auctore non conſtat.

Teſtimonia de Gualtero Hemeingoburgo, *ex* Joanne Lelando *MS. de viris illuſtribus.*

Gualterus Hemeingoburgus Canonicus *Gisburnenſis* Cœnobii, quod eſt prope *Cliviam Eboracenſium* provinciolam, *Theſi* flumini celeberrimo adjacentem, impendio ſtudioſus erat literarum, quo tandem factum eſt, ut in eruditum evaſerit, & non levem apud ſuos gratiam ſibi pepererit. Ejuſmodi enim res literaria virtus eſt, ut autori gratiam, honorem, gloriam etiam facile conciliet. Quare virtutis præmio lætior factus, quanquam ipſa virtus per ſe ſatis illuſtris aliunde emicantibus ſplendoribus non eget, qua cœpit, via, perrexit, magnis ſane paſſibus ad extremam ſacræ Theologiæ metam contendens. In quo cum jam non infeliciter curſum longum continuaſſet, ecce cupido quædam ejus occupavit animum, ut hiſtoriam rerum *Anglicarum* poſteritati dedicaret. Bonis igitur avibus ab *Gulielmo Nortomanno* exordium ſumens, ad tempora *Edouardi* ejus appellationis primi *Anglorum* res geſtas ſumma cura perſcripſit. Hanc ego nuper

per hiſtoriam *Giſoburnæ Clivienſium* ſedulo quæſivi, non tamen inveni. Alias ſemel vidi in *Fontana* ſive *Wellenſi* Bibliotheca. Cætera, quæ ſcripſit, nuſquam comparent. Vixit regnante *Henrico* tertio, & *Edouardo* ejus filio. Obiit *Giſoburnæ*, ubi & ſepultus eſt.

De Gualtero Hemmyngfordo Joan. Balæus *Centur.* 5. *Script.* 71.

GUALTERUS HEMMYNGFORDE, Canonicus *Giſburnenſis* Cœnobii regularis, Ordinis D. *Auguſtini*, quod Cœnobium eſt prope *Cliviam Eboracenſis* patriæ provinciolam, *Theſi* flumini celeberrimo adjacentem: impendio ſtudioſus literarum erat, ut *Lelandus* ipſe colligit. Quo tandem factum eſt, ut in eruditum evaſerit virum, & non levem apud ſuos gratiam ſibi pepererit. In quo ſtudio quum jam non infeliciter curſum longum continuaſſet, ecce cupido quædam ejus occupavit animum, ut hiſtoriam rerum *Anglicarum* poſteritati dedicaret. Bonis igitur avibus ab ipſo *Guilhelmo Normanno* exordium, ad tempora *Edvardi* ejus appellationis ſecundi, hoc eſt, ab anno Chriſti 1066, uſque ad annum ejus 1308, *Anglorum* res geſtas ſumma cura, ac plena oratione perſcripſit: ut & *Guilhelmus Hormannus* in ſuis collectaneis refert, vocabatque ſuum hoc opus,

Hiſtoriam *Anglorum*, Lib. 1.
Chronicon *Edwardi* tertii, Lib. 1. *Edwardus* poſt conquæſtum tertius.
Sermones aliquot, Lib. 1.

Atque alia quædam edidit, ut produnt authores, ſed ea non comparent. Claruit ſub eodem *Edvardo* tertio varia componens: & obiiſſe fertur anno patefactæ gratiæ per Chriſtum 1347, *Gisburnæ* in ſuo Cœnobio, ubi & ſepultus eſt.

DE Gualtero Hemmingfordo Joannes Pitſeus *Ætat.* 14. *An.* 1347.

Gualterus Hemmingfordus natione *Anglus*, Ordinis S. *Auguſtini* Canonicus Regularis in Cœnobio *Gisburnenſi*, quod ædificavit *R. Brus* ad *Theſin* fluvium in *Eboracenſi Clivia*. Vir, ut auctor eſt *Lelandus*, bono ingenio, & ſcientiarum avido. Unde accedente ad indolem naturalem labore, & induſtria, ad ſummam eruditionem pervenit. Cum autem tranſacto ſtudiorum ſuorum curriculo, ſui juris eſſet, ut cui vellet ſcientiæ ſe applicare poſſet; amor patriæ eum impulit, ut hiſtorias *Angliæ* legeret, & ex iis notatu digniora ſeligeret, atque accurata methodo poſteritati traderet. Hiſtoriam igitur à *Normannorum* ingreſſu aggreſſus, à *Guilhelmo* primo uſque ad *Edwardum* ſecundum, hoc eſt ab anno Domini 1066, ad annum 1308 deduxit. Ubi, ut in ſuis collectaneis auctor eſt *Guilhelmus Hormannus*, res ge-

ſtas

ſtas *Anglorum* ſtylo non inelegante, cura magna, & fide pari deſcribit. Quod opus prænotavit.

Hiſtoriam *Anglorum* ſeu chronica de geſtis Regum *Angliæ*, Librum unum. *Ne faſtidioſus.* MS. *Cantabr.* in Collegio S. *Benedicti.*

Chronicon *Edwardi* tertii, Librum unum. *Edwardus poſt conqueſtum tertius.*

Sermonum, librum unum.

Obiit, & ſepulturam accepit *Gisburnæ* in Cœnobio ſuo, anno poſt incarnatum filium Dei 1347, dum in *Anglia* feliciter regnaret, in *Gallia* potenter triumpharet *Edwardus* tertius.

GERARDUS VOSSIUS DE *HISTOR.* LATIN. LIB. II.

GUALTERUS HEMMYNGFORDE, Anglus, regularis Canonicus Cœnobii *Gisburnenſis*, floruit ſub *Eduardo* III. ingenii atque induſtriæ ſuæ monumentum nobis dedit Chronicon *Edvardi* III, itemque hiſtoriam *Anglorum*, ab *Gulielmo Normanno*, hoc eſt anno CIↃLXVI uſque ad tempora *Eduardi* II. hoc eſt anno CIↃCCCVIII. Quod opus MS. *Cantabrigiæ* adſervatur in Collegio S. *Benedicti*. Liber eſt chartaceus, nec valde antiquus. Incipit, *Ne faſtidioſus.* *Gisburnæ* in Cœnobio ſuo defunctus eſt anno CIↃCCCXLVII: Hunc autorem exſcribere ſolet hiſtoricus monaſterii de Abbington: ut obſervat is qui præfatur in *Matthæum Florilegum.*

T. G.

Hujus Hiſtoriæ plura extant exemplaria; Duo ſervantur in Collegio SS. Trinitatis apud *Cantabrigienſes*; tertium habet *Officium Armorum* ſive *Heraldorum*; quartum *Cottoniana* Bibliotheca; quintum penes me eſt; ſed & alia memini me vidiſſe; quorum tamen domicilia nunc non veniunt mihi in mentem.

Atque hæc hactenus de *Gualtero Hemingfordio Gisburnenſi*: Inſtitutum noſtrum hoc in volumine concinnando non eſt paſſum me integrum exhibere *Gualterum*. Cætera alteri, ſecuturo poſt aliquantum temporis, tomo reſervantur. Statui enim proximum intervallum, in Hiſtoricis noſtris edendis, ab *Edwardo* primo exordiri. Tu interim, Lector Candide, hæc in tui gratiam collecta, non ſine ſumptu & labore meo, boni conſule.

Londini
Kal. Maii
Anno Dom. 1687.

ANNALES

ANNALES DE MARGAN;

SIVE

CHRONICA ABBREVIATA

A tempore Sancti *Edwardi*, Regis ultimi de progenie *Anglorum*.

MLXVI. 1066

ANNO ab Incarnatione Domini Cometa apparuit. Obiit Sanctus Rex *Edwardus*, vir ſimplex & rectus, acceptus tam Deo quam hominibus: regnavit autem in ſumma pace & gloria fere XXIV. annis. Monaſterium Sancto *Petro* conſtruxit ad occidentalem plagam urbis **London**, in quo glorioſe requieſcit. Et quia virgo deceſſit, Regia ſtirpe fere tota à *Danis* deleta qui Regnum prius occupaverant, *Alfredo* quoque fratre ſuo à Comite *Godwino* extincto, cum potiorem hæredem non haberet, *Willielmo* Duci *Normannorum* conſobrino ſuo, Regnum *Angliæ* teſtamento tradidit.

Obiit rex Edwardus Weſtmonaſterii ſepultus, Gul. Norman. hærede relicto.

Eodem anno, idem *Willielmus* cum *Normannis* in *Angliam* veniens, victo & occiſo Rege *Haraldo*, gravi prælio apud **Haſtinges** die Sancti *Calixti*, (qui Regnum indebite cum perjurio invaſerat, quique ante paucos dies infelicis pugnæ illius, Regem *Norwagiæ* *Haraldum* & *Toſtium* fratrem ſuum Comitem *Nordanhumbrorum*, contra ſe venientes bello proſtraverat & occiderat) totius inſulæ imperium obtinuit, & ſolemniter die Natalis Domini apud *Weſtmonaſterium* coronatus eſt. Iſte, nobile *Cœnobium* Sancto *Martino* fecit, quod ab eventu belli ibi commiſſi, de *Bello* nominavit.

Willielmus Angliam invadit, & Haraldum vincens regno potitur.

MLXIX. 1069

Fuit bellum in *Bleoduna*, & ædificatum eſt caſtellum *Went*. à Rege *Willielmo* primo.

Pugna apud Bleodunam.

MLXX. 1070

Obiit *Edwinus* Dux *Nordanhumbrorum*.

Edwinus ob.

MLXXV. 1075

Obiit *Editha* Regina. *Rogerus* & *Radulfus* de **Waer**, voluerunt tradere Regem *Willielmum*.

Editha obiit.

MLXXVI. 1076

Weldeofus Dux, *Sywardi* Comitis filius decollatus eſt. Iſte in pugna *Eboracenſi* plures *Normannorum* ſolus obtruncaverat, unos & unos per portam egredientes decapitans.

Weldeofus decollatus.

MLXXX. 1080

Nimius fuit ventus in nocte Natalis Domini.

Temp. grav.

MLXXXI. 1081

In feſtivitate Sanctæ *Helenæ*, magnum incendium fuit *Wintoniæ*. Et ædificata eſt villa *Cardiviæ*, ſub *Willielmo* Rege.

Incendium Wintoniæ.

MLXXXIII. 1083

Obiit *Matildis* Regina.

Obiit Matil.

1084 *Withbertus P.*

MLXXXIV.

Withbertus Papa ſedem accepit.

1085 *Terd. Hib. ob.*

MLXXXV.

Terdalac Rex *Hiberniæ* obiit.

1087 *Willielmus primus obiit, ſecundus ſuccedit.*

MLXXXVII.

Obiit *Willielmus* Rex *Angliæ* ſenior VIII. Idus Septembris, anno Regni ſui XXI. Comitatus LII. Vitæ LIX. corpus ejus ſepultum eſt apud *Cadomenſe* Cœnobium in *Normannia*, quod ipſe ædificaverat. Eodem anno *Willielmus* Rex *Willielmi* filius cæpit regnare.

1088 *Corpus S. Nicolai tranſlat.*

MLXXXVIII.

Corpus Sancti antiſtitis *Nicolai*, de *Miræa* civitate; in locum qui Barum dicitur, IX. die menſis Maii tranſlatum eſt.

1089 *Terræmotus & frugum inopia.*

MLXXXIX.

Factus eſt terræmotus III. Id. Auguſti, unde totam *Angliam* tremor invaſit, cernebantur namque ædificia reſilire eminus, & mox priſtino modo reſidere. Secuta eſt inopia fructuum, tarda maturitas frugum, ita ut ad feſtum Sancti *Andreæ* vix meſſes reconderentur in horreis. Hoc anno obiit *Lanfrancus Cantuarienſis* Archiepiſcopus, & *Alanus* Comes, *Rufus*.

1091 *Fulgurum & turbinum tempeſtas gravis.*

MXCI.

Tumultus fulgurum & motus turbinum erant. Denique Id. Octobris apud Wincheltumbe ictus de cœlo emiſſus, turrim Eccleſiæ tanta vi impulit, ut ad modum groſſitudinis humanæ foramen aperiretur, per quod ingreſſus trabem maximam adeo perculit, ut fragmina per totam ſpargerentur Eccleſiam: quin & Crucifixi caput, cum dextra tibia; & imaginem Sanctæ *Mariæ* dejecit; ſecutus eſt fœtor teterrimus hominum naribus intolerabilis. Hic quoque invicem venti inter ſe diffidentes, quod dictu mirum eſt, tam vehementer XVI. Kal. Novembris flare cæperunt, ut pluſquam ſexcentas London domos effregerint: cumulabantur Eccleſiæ cum domibus, maceriæ cum parietibus. Majus adhuc ſcelus ventorum furor eſt auſus, nam tectum Eccleſiæ Sanctæ *Mariæ* quod dicitur ad *Arcus*, pariter ſublevavit, & duos ibi homines obruit. Ferebantur per inane tigna cum trabibus, è quibus tigna quatuor ſex & XX. pedes longa, cum in ſtrata publica forte cecidiſſent, tanta vi in humum impacta ſunt, ut vix quatuor pedes extarent; & quia nullo modo poterant erui, juſſa ſunt ad planitiem terræ ſuccidi, ne impedimento eſſent tranſeuntibus.

1092 *Oſmund. Sarum & Remig. Lincoln. ob.*

MXCII.

Apud *Salesbiriam*, tectum & turres Eccleſiæ violentia fulminis omnino diſjecit, quinta die poſtquam dedicaverat eam *Oſmundus* Epiſcopus, & *Remigius* Epiſcopus Lincoln obiit.

1093 *Anſelm. Cant. & Robert. Linc. Conſec. Corpora Swithuni & Ethelberti Tranſlata. Malcolm. R. Scotiæ & Marg. regin. obiere.*

MXCIII.

Tantæ fuerunt inundationes pluviarum, tanta tempeſtas imbrium, quanta nulla meminerat ætas. Hieme vero ſuccedente ita fluvii ſunt congelati, ut per vii equitantibus, & plauſtra ducentibus eſſent. Eodem anno *Anſelmus* ad Archiepiſcopatum *Cantuariæ* electus eſt, & *Robertus* ad Epiſcopatum Lincoln, & Monachi Epiſcopatus Winton novum intravere cœnobium, VI. Kal. Aprilis. Eodem quoque anno tranſlata ſunt corpora ſanctorum *Swithuni* & *Ethelwoldi* Epiſcoporum ad præfatum cœnobium, & Id. Novembris occiſus eſt *Malcolmus* Rex *Scotiæ*: & menſe eodem obiit *Margareta* Regina.

1094 *Fames in Anglia. Wallenſes Normannos vincunt.*

MXCIV.

Propter tributa quæ Rex *Rufus* in *Normannia* poſitus, *Anglis* indixerat; agricultura defecerat, quam è veſtigio fames eſt ſubſecuta, famemque mortalitas hominum adeo crebra, ut deeſſet morituris cura, mortuis ſepultura. Tunc etiam *Wallenſes* in *Normannos* efferati, *Ceſtrenſem* pagum, partemque *Scropesberiæ* vaſtaverunt; *Angleſeiam* armis obtinuerunt.

1095 *Wulſtanus obiit.*

MXCV.

Commotio fuit ſtellarum, & obiit *Wulſtanus Wigornienſis* Epiſcopus.

MXCVI.

MXCVI. 1096

Will. Dunel. ob. Urb. P. ad Crucem accipiend. invitat.

Moritur *Willielmus* Epiſcopus *Dunelmenſis*, & fit commotio hominum. Eodem anno *Vrbanus* Papa concilium tenuit, & iter *Hieroſolymitanæ* expeditionis prædicavit.

MXCVII. 1097

Anſelmus Romam petit.

Sexto Non. Octobris ſtella cometes apparuit xv. diebus, majorem crinem emittens ad Orientem, minorem verſus Euro-auſtrum. Apparuerunt & aliæ ſtellæ, quaſi jacula inter ſe emittentes. Ille fuit annus quo beatus *Anſelmus* tempore Regis *Willielmi* ſecundi, Romam primo perrexit, præſidente tunc ſedi Apoſtolicæ Papa *Vrbano*.

MXCVIII. 1098

Norici Angliam invadentes pulſi. Antiochia à Chriſtianis capta.

Rex *Noricorum* nomine *Magnus*, cum *Haraldo* filio *Haraldi* quondam Regis *Angliæ*, Orcades inſulas, & *Mevaneas* aliaſque in oceano poſitas armis cepit, jamque per *Angleſeyam* ad *Angliam* præparabat. Sed occurrerunt ei Comites *Angliæ* duo, *Hugo* ſcil. *Ceſtrenſis*, & *Hugo Scropesburienſis*, & armis eum expulerunt. Corruit ibi *Hugo Scropesburienſis*, eminus haſta perfoſſus. Et *Antiochia* à Chriſtianis capta eſt, & in nocte Sanctorum *Coſmi* & *Damiani* claritas de cœlo refulſit coruſcans ut dies.

MXCIX. 1099

Hier. capta. Urb. P. obiit. Paſch. ſucced.

Fluctus marinus per *Tameſin* flumen aſcendens, villas multas cum hominibus merſit. Eodem anno *Hieruſalem* à Chriſtianis capta eſt, Id. Julii. Et Papa *Vrbanus* obiit, cui ſucceſſit Papa *Paſchalis*.

MC. 1100

Rufus obiit, ſuccedit Henricus, qui Radulfum Dunelm. incarcerat. Anſelm. Roma redit. Thomas Ebor. obiit.

Multa contigerunt adverſa: illud vero maxime horrendum extiterat, quod viſibiliter diabolus hominibus apparuit, in ſaltibus & deviis tranſeuntes allocutus. Præterea in pago **Berkeſhire** in villa *Hamſtede* continuis xv, diebus fons ſanguinis tam ubertim manavit, ut vicinum vadum inficeret. Hoc etiam anno interfectus eſt Rex *Angliæ Willielmus* Junior, Rex *Rufus* vulgo vocatus, Non. Auguſti, anno Regni ſui xiii. cum eſſet annorum plus xl. Sepultus eſt *Wintoniæ*. Suſcepit autem Regnum *Angliæ* poſt *Willielmum* frater ejus *Henricus*, filiamque *Malcolmi* Regis *Scotiæ* accepit uxorem, & *Radulfum* Epiſcopum *Dunelmenſem* mitti fecit in compedibus. Eodem anno beatus *Anſelmus* Archiepiſcopus, qui in tranſmarinis exulaverat violentia Regis *Willielmi*, ad ſedem ſuam eſt reverſus. Et *Thomas* Archiepiſcopus *Eboracenſis* obiit.

MCI. 1101

Radulf. Dun. è cuſtodia egreſſus, armis agrum Hantonienſem. prædatur.

Radulfus Epiſcopus *Dunelmenſis*, de cuſtodia egreſſus eſt iv. Nonas Februar. qui fugiens in *Normanniam* congregavit exercitum cum auxilio *Roberti* Comitis, & in *Angliam* duxit xiv. Kal. Auguſti: quo exercitu **Hanteſchire** valde prædata eſt. Hic etiam ignem ſacratum *Hieroſolymæ* contigit ſolito plus tardare, qui ſolebat annis ſingulis vigiliam *Paſchæ* illuſtrare.

MCII. 1102

Wintonia combuſta eſt. Et etiam Gloceſt. Concil. Londini celebr.

Wintonia combuſta eſt xvi. Kal. Junii, & xiii. Kal. Junii arſit *Gloceſtria* cum Monaſterio: & concilium magnum celebratum eſt apud **London**, v. Kal. Octobris, duobus diebus: in quo depoſiti ſunt quamplurimi Abbates, & *Robertus* Comes de *Beleſmo* ab *Anglia* expulſus eſt, cum fratre ſuo *Arnulfo*. Et *Rogerus* Cancellarius ad Epiſcopatum *Salesbiriæ* electus eſt.

MCIII. 1103

Ad inſtantiam Henrici regis, Anſelmus Romam petit, ut obtineret confirmationem libertatum regiarum.

Sanctus *Anſelmus Cantuarienſis* Archiepiſcopus ad maximam inſtantiam Regis *Henrici* primi, ſecundo ivit *Romam* ad impetrandum à ſede Apoſtolica, confirmationem Regiarum conſuetudinum, quas vocant *avitas leges, & Regias libertates*; ſed impetrare non potuit; nec debuit, nec etiam voluit propter ſuam conſcientiam. Quocunque enim nomine appellentur, nihil aliud ſunt quam tyrannicæ abuſiones, & diabolicæ adinventiones ad ſubvertendam Eccleſiaſticam libertatem. Hæ fuerunt cauſæ diſcordiæ inter Regem *Rufum* " & beatum *Anſelmum*: & exili ejuſdem, & fuerant cauſa diſcordiæ inter eum &

" *Henricum* primum, fuerant etiam cauſa diſcordiæ inter *Henricum* ſecundum & " beatum *Thomam Cantuarienſem* Archiepiſcopum, & ſeptennis fere exilii; " & multorum aliorum malorum, & tandem martyrii ejuſdem ſancti ſicut " legitur in vita ipſius.

1104 *Herv. Landav. ob. Conſecrantur Reg. Saresb. & Will. Winton.*

MCIV.

Apparuit tale ſignum)◎(ab hora ſexta uſque ad horam nonam VII. Id. Junii in Hebdomada Pentecoſtes, multis intuentibus & mirantibus qui tunc erant in curia Regis *Henrici* primi apud London. Luna fuit eadem die X. Eodem anno obiit *Heruualdus Landavenſis* Epiſcopus centum annorum ſenex, eique ſucceſſit *Urbanus* ab *Anſelmo Cantuarienſi* Petropolitano conſecratus, cum quo & alii duo Epiſcopi ſunt conſecrati, ſcil. *Rogerus* Epiſcopus *Salesbiriæ* & *Willielmus Giffardus* Epiſcopus Winton.

1105 *Henricus civitatem Baiocenſem vaſtat.*

MCV.

Kalendas Martii *Henricus* Rex perrexit in *Normanniam*, ibique demoratus eſt uſque ad Paſcha pacifice, poſtea veniente feſtivitate Sancti *Johannis* ante portam Latinam, die Dominico venit mane cum exercitu ſuo ad civitatem *Baiocenſem* eamque combuſſit & Eccleſias & plurimam hominum partem occidit, in ſexta vero feria tradiderunt ſe populi illius civitatis ſuo dominatui atque ipſam civitatem. Poſt hæc VI. Kal. Septembris in feſtivitate Sancti *Rufi* Martyris reverſus eſt in *Angliam*. Facta eſt & eodem anno nimia inundatio fluctuum VIII. Kal. Februarii. Nix quoque magna anno hoc cecidit.

1106 *Cometa apparuit.*

MCVI.

Stella quæ Cometa vocatur apparuit XIV. Kal. Martii in diebus Regis *Henrici* primi *Anglorum*, in eadem nocte quæ tunc præceſſit diem veneris in parte dextra Zephiri qui Affricus nominatur, id eſt inter meridiem & occidentem quæ nimis obſcura & parva intuentibus eſſe videbatur, ſed tam coma ejus, id eſt radius, nimis longa & magna habebatur, Luna erat eodem die XI. & XIV. diebus perduravit.

1107 *Rog. Sar. ord. Hen. Nor. cap.*

MCVII.

Ordinatio *Rogeri* Epiſcopi *Sarisberiæ*. *Henricus Normanniam* accepit, & *Robertus* filius *Hammois* obiit.

1108 *Gir. Ebor. & Gund. ob.*

MCVIII.

Girardus Eboracenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus moritur, & præſul *Gundulfus*.

1109 *Anſelm. ob.*

MCIX.

Obiit piæ memoriæ *Anſelmus* Archiepiſcopus *Cantuarienſis*.

1110 *Honro. P. ob. ſucced. Innocent.*

MCX.

Obiit Papa *Honorius* XVI. Kal. Martii & in craſtino, i. e. XV. Kal. ejuſdem electus eſt *Gregorius* Cardinalis Sancti Angeli in Apoſtolatum qui & *Innocentius* vocatus eſt.

1111 *Dec. Saref. ob.*

MCXI.

Obiit *Robertus* Decanus *Salesberienſis*.

1112 *Samſ. Wig. ob.*

MCXII.

Obiit *Sampſon Wigornienſis* Epiſcopus.

1113 *Henric. Walenſ. oppugnat.*

MCXIII.

Rex *Angliæ Henricus* collecto immenſo exercitu ex diverſis Britanniæ partibus ad *Walliam* præparavit, ut contra *Grifinum Guinedorum* Regem & *Owein Powilorum* Regulum pugnaret.

1114 *Wilfr. Menev. ob. Fames in Hib. Cant. & Ebor Arch. ob. Tam. exſic.*

MCXIV.

Wilfredus Menevenſis Epiſcopus moritur, cui ſucceſſit *Bernardus*. In *Hibernia* autem fames indigenas adeo vehementer afflixit ut ubique per regiones diſperſæ, atque ex maxima parte deletæ ſint. In *Anglia* vero duo Archiepiſcopi efficiuntur, *Cantuarienſis* & *Eboracenſis*; & *Tamiſia* exſiccata eſt VI. Idus Octobris.

1115 *Diſc. R. Ang. & Gall.*

MCXV.

Henricus Rex *Angliæ* transfretavit, & diſcordia commota eſt inter illum & *Lodovicum*

Lodovicum Regem *Francorum*. Cometa apparuit.

MCXVI.

Filius Regis *Henrici* juratur ab omnibus hæres patris fieri, & *Robertus Ceſtrenſis* Epiſcopus moritur. 1116 *Fr. Ang. jur. Rob. Ceſtr. ob.*

MCXVII.

Obiit *Mauricius* **London** Epiſcopus, & *Faricius* Abbas *Abendoniæ*. 1117 *Maur. & Far. ob.*

MCXVIII.

Obiit Papa *Paſchalis*, & *Baldwinus* Rex *Hieruſalem*, & *Matildis* Regina *Angliæ*, & *Robertus* Comes de *Beleſme* Kal. Maii, & *Girardus Eboracenſis* Archiepiſcopus cui ſuccesſit *Thomas*. 1118 *Paſch. P. & alii ob.*

MCXIX.

Terræmotus fuit in *Anglia* in feſtivitate Sancti *Michaelis*, & filius Regis accepit in conjugem filiam Comitis *Andegavenſis*, & obiit Comes *Henricus* de **Warewic**, & *Herbertus* Epiſcopus de **Norwic**, & Abbas Sancti *Albani*. 1119 *Princ. Ang. ux. ducit. Com. War. & al. ob.*

MCXX.

Filius Regis *Henrici Willielmus* nomine, periculo maris periit apud **Barbefleot**, & cum eo omnes qui in eadem navi fuerant, ſcilicet fratres ejus atque ſorores liberi præfati Regis, & quidam Comites, & multi nobiles alii ad numerum centum XL. virorum & mulierum VII. Kal. Decembris nec, corpora eorum inventa ſunt. 1120 *Naufragio perit Will. fil. reg.*

MCXXI.

Glouceſtriæ civitatis maxima pars cum Abbatia Sancti *Petri* quæ in ea eſt iterum igne conſumpta eſt VII. Idus Marcii. Et Papa *Calixtus* cepit *Gregorium* Antepapam. 1121 *Ardet Glouc. Greg. Antip. à Cal. P. capt.*

MCXXII.

Schirburna & **Hortun** juncta ſunt in unam Abbatiam concesſione Regis *Henrici* & *Rogeri* Epiſcopi **Salesbery** & terræmotus fuit media nocte VIII. Kal. Auguſti. Hoc etiam anno *Radulfus* Archiepiſcopus *Cantuarienſis* obiit ante Natale Domini. Et *Robertus* **Lincoln** Epiſcopus infra ipſum Natale coram Rege ſubita morte defungitur. Quibus defunctis Rex Clericum quendam nomine *Willielmum* de **Curberil** in Archiepiſcopum *Cantuarienſem* promovit, & *Alexandrum* nepotem *Rogeri* Epiſcopi in *Lincolnia* conſecrari fecit Epiſcopum. Tunc etiam *Godfridus* cognomine *Rufus* Cancellarius Regis efficitur pro VII. milibus libris argenti. Eodem anno civitas præfata **Lincoln**, tota incendio conſumpta eſt, excepto tamen Monaſterio & Epiſcopio, de quo miſerabili incendio centum XL. homines in una domo combuſti reperti ſunt. 1122 *Uniuntur Shirburn & Horton Rad. Cant. & Rob. Linc. ob. Civit. Linc. ardet.*

MCXXIII.

Rex *Henricus* ultra mare *Normanniam* profectus eſt menſe Junio. Et *Johannes Bathonienſis* Epiſcopus, & *Theodulfus* **Wigorn** nec non *Radulfus Ceſtrenſis* obierunt. 1123 *Hen. R. Norm. traj. Ep. Bath. Wig. & Ceſt. ob.*

MCXXIV.

Obiit *Roſenſis* Eccleſiæ Epiſcopus *Ernulfus*. Et gens *Noricorum* veniens in autumno, hiemavit apud *Briſtollum*. Monetarii autem numero XCIV. juſſu Regis in *Normannia* conſiſtentis III. die Epiphaniæ dextris truncati & genitalibus præciſi ſunt apud *Wintoniam*. Hic etiam captus eſt *Willielmus* de **Pellis**. 1124 *Ob. Ern. Roff. Nor. hiemant Briſt. in falſarios monetæ animad.*

MCXXV.

Imperator *Allemanniæ* qui in matrimonium filiam Regis *Henrici* acceperat obiit. Et Apoſtolicus *Calixtus* libenter obiit ſuccedente ſibi domino Papa *Honorio*. Hoc in tempore *Johannes Cremonenſis* presbyter quidam Cardinalis de *Roma* miſſus venit primum ad Regem *Henricum* in *Normannia*, & ab eo permiſſus omnem perluſtravit *Angliam*. Ad ultimum vero concilium maximum cogens apud *Weſtmonaſterium* omnium Epiſcoporum, Abbatum, Priorum, nec non & Clericorum, Canonicorum, Scholaſticoram etiam & Laicorum potentium in excelſo throno quatuor dies præſedit, ipſis etiam Archiepiſcopis ſibi ſubpedaneis effectis. Hoc etiam anno res accidit valde mirabilis, in territorio enim quod **Gillyc** nominatur tres dies ante Nativitatem Sancti *Johannis* 1125 *Imper. obiit. Calixto P. ſuccedit Hon. Jo. Cremonenſis Cardin. venit in Angliam.*

hannis de quodam fonte ſanguis cœpit emanare, & ſic mirabili modo per totam æſtatem non defecit, niſi quod ſemper in ſabbato ad horam nonam ſanguis ille ceſſavit, & iterum mane, feria ſecunda fluere cœpit per totam ſeptimanam, uſque in aliud ſabbatum. Anno quoque eodem pluviales tempeſtates per totam æſtatem vix uno die ceſſaverunt, unde & fames per totam *Angliam* duriſſima, & eatenus inaudita extitit; in tantum, ut unus frumenti ſextarius xx. ſolidis venderetur.

Fames in Anglia.

1127 *Ymor occiditur.*

MCXXVII.

Rogerus Ymor filius Geſtin Griſud, Garataut, *Glioroni* occiſus eſt, dolo & perjurio erga eum: etiam ſacrilegi effecti ſunt, frangentes duas Eccleſias, ſcilicet *Tidauci* & *Titani*.

1128 *Ep. Wint. & com. Fland. ob.*

MCXXVIII.

Obiit *Willielmus* Giffard Epiſcopus Wintom, & *Willielmus* Comes *Flandriæ*, nepos Regis *Henrici*.

1129 *Henricus R. à Norman. redit. Lond. in concilio de presbyt. uxor. tractatur.*

MCXXIX.

Rex *Henricus* revertitur de *Normannia* in *Angliam*, fitque concilium totius *Angliæ* apud London ad feſtum Sancti *Michaelis*: in quo tamen nihil omnino niſi de uxoribus presbyterorum decernitur. Sed poſt quinque dies nepos Regis, *Henricus* nomine; ex Abbate *Glaſtoniæ*, Rege jubente, Epiſcopus efficitur *Wintoniæ*.

1130 *Honorio P. Innocentius ſuccedit; & conſecratus eſt Petrus Leonis.*

MCXXX.

Hoc anno XVI. Kal. Martii, defunctus eſt Papa *Honorius* apud Sanctum *Gregorium*, & in craſtino, i. e. XV. Kal ejuſdem, electus eſt *Gregorius* diaconus Cardinalis Sancti *Angeli* in Apoſtolatum; qui & *Innocentius* nominatus eſt: & ſexta die, ſcil. ſequenti ſabbato poſt proximum, ordinatur in presbyterum, in die cathedræ Sancti *Petri*; & in craſtino conſecratus eſt in ſummum Pontificem, apud Sanctam *Mariam* novam. Eo die & *Petrus Leonis* conſecratus eſt in Apoſtolicatum, apud Sanctum *Petrum*. Eodem anno conventus in Eccleſia *Nethenſi* conſtitutus eſt.

1131 *Mortalitas pecorum in Anglia. lis inter Menev. & Landav. Epiſcopos.*

MCXXXI.

Mortalitas domeſticorum animalium fuit per totam *Angliam*, quæ & ſequentibus quidem annis duravit, ita ut nulla eſſet omnino villa totius Regni quæ ab hac peſte fuiſſet immunis: vacuabantur ſubito haræ porcorum; integra boum præſepia repente deſtituebantur. Tunc etiam, contentio inter *Bernardum* Epiſcopum *Menevenſem*, & *Vrbanum Landavenſem* de jure Marchiarum, quas idem *Vrbanus* illicite uſurpaverat; morte *Vrbani* apud Romam finem quoque ſortitur.

1132 *Henricus R. in Normanniam tranſit.*

MCXXXII.

Rex *Henricus Normanniam* navigavit, Non. Auguſti, feria quarta. Proſecuta ſunt elementa extremum tanti principis tranſitum, ipſa enim feria IV. qua Rex transfretavit, Sol perpeſſus Eclipſim mentes hominum ex repentina ſui defectione vehementer exterruit: proxima vero ſexta feria, primo mane, tantus fuit terræ motus ut ſubſidere ipſa videretur, horrifico ſono prius ſub terra audito.

1133 *Gauf. Dun. & Herv. Eli. ob.*

MCXXXIII.

Gaufridus Dunelmenſis Epiſcopus obiit, & *Herveius* Epiſcopus *Elienſis*.

1134 *Rob. Com. Nor. Card. moritur.*

MCXXXIV.

Robertus frater Regis *Henrici*, & Comes *Normannorum*, *Cardiviæ* moritur: ſepultus eſt apud Abbatiam *Gloceſtriæ*.

1135 *Henricus R. obiit: Rading. ſepelitur. ſuccedit Stephanus.*

MCXXXV.

Obiit Rex *Henricus* Kal. Decembris apud Liuns, anno Regni ſui XXXVI. Corpus ejus jacet humatum *Radingiæ* in cænobio Sanctæ *Mariæ*, quod Rex ipſe à fundamentis extruxit. Eodem anno coronatus eſt in Regem *Angliæ Stephanus*, nepos *Henrici* IX. Kal. Januarii, die Dominica.

MCXXXVI.

MCXXXVI. 1136

Rex *Stephanus* primo tempore Quadragesimæ transiit mare: Et tota *Wallia* in discordiam commota est, rupta pace inter *Wallenses* & alienigenas; maxime propter *Flandrenses*, eos quasi ex medio affligentes. *Willielmus* Archiepiscopus *Cantuariensis* moritur.

Stephanus in Norman. transit. Wallenses tumultuantur.

MCXXXVII. 1137

Grifidus filius Ris, qui & Rex *Demeticorum* fuit, obiit: & pagus Ros à *Wallensibus* devastatur & comburitur.

Grif. ob. Wall. Ross. comb.

MCXXXVIII. 1138

Intestinis diffidiis *Anglia* quatiebatur.

In Ang. diffid.

MCXL. 1140

In Quadragesima XIII. Kal. Aprilis, hora nona, feria quarta, Eclipsis solis facta est hominibus jam ad mensas sedentibus, & nimio stupore mentis attonitis; sed re cognita progredientes, stellas circa solem intuebantur.

Ecclipsis solaris.

MCXLI. 1141

Stephanus Rex capitur apud Lincoln, IV. Non. Februarii & anno eodem dimittitur à *Roberto* Comite *Glocestriæ*: quo etiam anno Comes ipse *Robertus* à *Willielmo* de *Ypre* captus est in fuga, XVIII. Kal. Octobris; & solutus est pro eo Rex *Stephanus*.

Steph. R. capt. ap. Linc. & pro Rob. Glouc. restit.

MCXLII. 1142

Consecratus est *Jocelinus* Episcopus *Salesbiriæ*.

Jocel. Sar. Ep.

MCXLIV. 1144

Ventus validissimus fuit XIV. Kal. Februarii, domos despolians & quercus prosternens.

Turbo vehemens.

MCXLV. 1145

Richardus primus Abbas de *Neth* moritur.

Ric. Neth. ob.

MCXLVI. 1146

Imperator *Allemanniæ*, & *Lodovicus* Rex *Franciæ*, cum innumerabili exercitu iter ad terram *Jerusalem* perrexerunt.

Imp. & R. Gal. Exped.

MCXLVII. 1147

Fundata est Abbatia nostra quæ dicitur Margan. Et eodem anno Comes *Glocestriæ Robertus* qui eam fundavit, apud Bristoll obiit, pridie Kal. Novembris.

Abb. Marg. fundata est.

MCLI. 1151

Obiit *Adelidis*, Regina secunda *Henrici* Regis.

Adel. R. ob.

MCLIII. 1153

Obiit beatus *Bernardus* Clarevall Abbas primus. Eodem anno discessit de Margan Abbas *Willielmus*.

Bern. ob. & W. ab. Marg.

MCLIV. 1154

Stephanus Rex obiit VIII. Kal. Novembris, & *Henricus* successit in Regnum, coronatus XIV. Kal. Januarii.

Steph. R. ob. suc. Henric.

MCLV. 1155

Obiit dominus *Andreas* Abbas secundus de Margan, II. Kal. Januarii.

And. Marg. ob.

MCLVII. 1157

Facti sunt amici *Henricus* Rex & Oweyn de *Wallia*.

Pacif. Wall.

MCLVIII. 1158

Comes *Glocestriæ Willielmus* in castello *Cardiviæ* captus est à *Wallensibus*, & *Comitissa Hawysia*.

Com. Glouc. Card. capt.

MCLXI. 1161

Combusserunt *Wallenses* horreum nostrum mense Octobr. divina tamen vindicta sequente.

Wall. horr. Marg. comb.

MCLXII. 1162

Facta est fames magna per totum orbem.

Fam. grav.

MCLXIII. 1163

Intravit Rex *Henricus* in *Suthwalliam*, pacificans eam sine aliqua contradictione & sine sanguine. Præterea anni hujus in tempore, fama vulgante, per-

Henr. Southwalliam in potestatem

crebuit

suam redigit. In Galliis fanatica exoritur secta. crebuit quod quidam Pseudoprophetæ surrexerunt, terramque *Petragoricæ* regionis adierunt, qui vitam se Apostolicam ducere moresque imitari mentiebantur. Erant autem hujusmodi sectæ cultores: sine intermissione prædicabant, nudipedes incedebant, septies in die genua flectebant, & toties in nocte, pecuniam à nullo accipiebant, carnem non comedebant, vinum non bibebant, cibos datos sobrie accipiebant, Elemosynam nihil valere dicebant, quia unde fieri possit à nemine debet possideri, communionem sacram accipere renuebant, Missam nihil esse dicebant, parati erant mori & cruciari pro lege sua, prodigia quædam facere videbantur, aquam enim in vinum mutabant, vas vacuum suo vino parumper infuso plenum inveniebatur; coram eis cæci visum, surdi recipiebant auditum, si illiterati ad eos veniebant infra VIII. dies tam prudentes fiebant, ut nec literis nec exemplis superari possent, nullo compedum genere vinciri poterant, duodecim fuere magistri, excepto principe eorum qui *Poncius* vocabatur.

MCLXV.

1165 *H. Wall. int.* Intravit Rex *Henricus* in *Northwalliam*, parumque profecit.

MCLXVI.

1166 *Rob. Bath. & Rob. Glouc. ob.* Obiit *Robertus* Episcopus *Bathoniensis*, & *Robertus* filius *Willielmi* Comitis *Glouceſtriæ*.

MCLXVII.

1167 *Wall. vill. Ken. comb.* Villa de *Kenesey* à *Wallensibus* primo combusta est, in nocte Sancti *Hilarii* Episcopi.

MCLXVIII.

1168 *Eclipsis Lun.* Facta est Eclipsis Lunæ post mediam noctem.

MCLXIX.

1169 *Infantis in utero ploratus* Filia cujusdam *Wallensis*, audita est plorare in utero matris suæ, patre suo id juramento affirmante.

MCLXX.

1170 *Henricus 2. à Rogero Eboracensi coronatur, exulante Becketo.* *Henricus* Regis *Henrici* filius, coronatus est London, adhuc pueri à *Rogero Eboracensi* Archiepiscopo, adhuc vivente patre, & beato *Thoma Cantuariensi* Archiepiscopo exulante in *Francia*. Coronatus autem contra prohibitionem Apostolicam assistentibus & suffragrantibus prædicto *Rogero Londoniensi*, *Saresburiensi*, & *Rofensi* Episcopis, nec jus *Cantuariensis* Ecclesiæ protestantibus, ad quam coronatio regum *Angliæ* ex antiquo pertinere dignoscitur. Quam unctio hæc vere profana, odiosa & inimica fuerit, (si tamen consecratio magis quam execratio dici debeat) utpote benedictione Apostolica destituta, summa in transgressione contra virum Apostolicum, ac proinde contra Deum facta, quæ etiam ex mero adeo ira & indignatione processit, odio patris spiritualis, à patre carnali excogitata, probant lugubres & omnibus post futuris seculis destestandi eventus, qui ex hac consecratione provenerunt, Episcoporum scilicet anathematziatio, Archiepiscopi occisio, semel & iterum inter patrem & filium rebellio, & in fine egregii illius pueri consecrati sic in adolescentia, præmaturæ mortis præventio. Sanctus *Godricus* de Finchale obdormivit in domino XII. Kal. Junii anno Regis *Henrici* secundi XVI. Eodem anno *Richardus* Comes de Strugvil cum exercitu transfretavit in *Hiberniam* ut expugnaret eam. *Richard. de Strugvil, in Hibern. transfretat.*

MCLXXI.

1171 *Tho. Becket Cant. occiditur.* Occisus est beatus *Thomas Cantuariensis* Archiepiscopus, *Angliæ* primas, Apostolicæ sedis legatus, in Ecclesia *Cantuariensi*; pro defensione Ecclesiasticæ libertatis, anno exilii sui septimo, vitæ vero illius LIII. quarto Kal. Januarii, feria tertia, hora quasi XI.

MCLXXII.

1172 *Hen. Hib. pet.* Transfretavit Rex *Henricus* in *Hiberniam* XVII. Kal. Novembris.

MCLXXV.

1175 *Hen. fil. recon.* Rex *Henricus* fecit pacem cum filio, & fames fuit eodem anno.

MCLXXVI.

MCLXXVI. 1176

Mortalitas hominum fuit, & fames magna. *Peſt. & fames.*

MCLXXVII. 1177

Facta eſt in crepuſculo noctis, & diei aurora ſequente, coruſcatio aeris mira, per omnem terram IV. Kal. Decembris. *Coruſcatio mira.*

MCLXXVIII. 1178

Contigit ſolis Eclipſis Id. Septembris poſt VI. horam diei. *Eclipſis Solis.*

MCLXXXI. 1181

Obiit *Alexander* III. Romanæ ſedis Apoſtolicus, menſe Septembri, & ſubſtitutus *Hubaldus Oſtienſis* Epiſcopus, *Lucius* Apoſtolicus poſtea dictus. *Alexand. 3. P. ob. ſuc. Luc.*

MCLXXXIII. 1183

Obiit *Nicolaus Landavenſis* Epiſcopus II. Non. Junii. Eodem menſe obiit *Henricus* ſecundus Rex *Angliæ*. Eodem autem anno *Willielmus* Comes *Glouceſtriæ* IX. Kal. Decembris: & fames valida *Angliam* ſimul & *Walliam* vehementer oppreſſit. Tonitru etiam & terribiles coruſcationes contigerunt XVI. Kal. Auguſti. *Nic. Landav. Ep. Hen. 2. R. Will. com. Glouc. ob. Fames in Angl. & Wall.*

MCLXXXIV. 1184

Quidam ſpiritus nequam in *Devonienſi* provincia locutus eſt hominibus palam quidem, ſed videri non potuit. *Spirit. mal. in Dev. loquit.*

MCLXXXV. 1185

Fuit Eclipſis Kal. Maii circa horam nonam, ſole poſt Eclipſin colore ſanguineo quodam mirabili modo rubente. Hic etiam *Wallenſes* pagum *Glamorganenſem* incendiis atque rapinis hoſtiliter vaſtare cæperunt, tunc ab eis inter alias, & villa *Kerdiviæ* incendio eſt tradita, villaque de Kenefegſam vice ſecunda. Caſtellum quoque de Neth ſecundo obſeſſum, & fortiter aliquandiu oppugnatum, donec ab *Anglia* veniens exercitus *Francigenarum*, fugavit agmen hoſtile *Wallenſium*; machina quam fecerant igne cremata. Non procul à memorato caſtello, res quædam fuit novitate mirabilis ſub eodem contigit anno: circa nativitatem Baptiſtæ *Johannis*; in pago cui Gower eſt vocabulum, in villa Llandridian dicta, feria quinta, lactis unda copioſi pro latice per tres horas, ut fertur, aſſidue de quodam fonte manavit, quem incolæ loci fontem vocant Sancti *Iſtuti*. Atteſtati ſunt autem plures qui aderant, qui cum lacteas undas ſedulo nec ſine admiratione conſpicerent, vidiſſe ſe quoque inter glareas paſſim jacere coagulum, & circa marginem undique fontis quandam fluctuare pinguedinem, qualis ex lacte colligitur, ut fiat inde butryum. Anno autem hoc ipſo, *Johannes* Regis *Henrici* filius, grandi militum ſtipatus exercitu, menſe Aprili verſus *Hiberniam* primo iter arripuit, prius tamen à patre apud *Glouceſtriam* miles effectus; moratus eſt autem in inſula menſibus circiter VIII. Qui licet bellis aliiſque indefinenter adverſis *Hibernienſes* infeſtaret, terram ſibi tamen ſubjugare non potuit. *Eclipſis Solis. Wallenſes Glamorgan. & Kerdiv. vaſtant. Neth oppugnant. Lactis rivus exundat. Johannes in Hiberniam transfretat.*

MCLXXXVII. 1187

Fratres templi & hoſpitalarii, prima die menſis Maii contra *Saladinum* pugnantes, circa Nazareth civitatem cæſi ſunt à paganis, una cum militibus aliis centum fere XXX, peditibus autem mille ducentis. Porro tyrannus cæde peracta tantorum, necdum ſatiatus, collegit multitudinem hoſtium peregrinam, venitque in regionem *Jeroſolymitanam*, congreſſuſque cum Rege eorum, & rediviva potitus victoria, ſtragem rurſus ex noſtris fecit immenſam; interfecti ſunt enim in hoc prælio militum numero Mille ducenti, peditum autem XXX. Millia, exceptis Epiſcopis terræ Jeruſalem, Templariis & Hoſpitalariis, arma quoque bellica & equituræ, & omnes qui erant ad bella fortiſſimi perierunt. In memorato præterea bello capta eſt veneranda crux Domini, captus & ipſe Rex *Jeroſolymitanus*, & Templi magiſter, una cum *Reginaldo* Principe, quem propriis manibus *Saladinus* ipſe peremit. Hæc quarta die menſis Julii acciderant. Poſtquam autem tyrannica rabies Chriſtianorum eſt ſatiata cruore, urbes obſidere munitas aggreditur, cepitque quamplurimas: quarum hæc ſunt nomina, *Tiberias* civitas nobilis, *Acaron*, *Caiphas*, *Cæſarea*, *Arcæ*, *Templarii & Hoſpital. circa Nazareth cæſi. Saladinus Chriſtianos paſſim vincit, & Hieroſolyma potitur.*

 Joppe,

Joppe, Lydda, Ramatha, Hebron, Nazareth, Sebaftes, Neapolis, Bethleem, Sidon, Berytum, Biblium, & civitas munitiffima *Afcalonis,* quæ v. die menfis Septembris capta eft. Quibus civitatibus captis, infinita virorum, mulierum pariter & infantum multitudo captivata eft & interemta. His ita geftis, convocato Tyrannus exercitu fuo *Jerofolymitanam* ad urbem profectus, obfidione circumdedit, quæ non multo poft (ut audivimus) tradita eft illi. Poftquam longe lateque per orbem (fama vulgante) Chriftianis innotuit, quod capta effet à gentilibus crux fancta in bello, innumerabiles populi per loca diverfa terrarum, diverfæ conditionis, dignitatis & ordinis, eodem anno, certatim crucis fufcepere fignaculum. Inter quos Rex *Francorum Philippus,* & *Anglorum* Rex *Henricus,* Comes quoque *Flandriæ Philippus,* cum aliis viris illuftribus; uno die, uno in loco in tranfmarinis, crucem & ipfi in humeris fuis accepere Dominicam. In quo loco fupradicti Reges quandam in honore fanctæ crucis jufferunt fabricari bafilicam. Item hoc anno confecratum eft altare Sanctæ Trinitatis Abbatiæ noftræ de Margan, à domino *Willielmo Landavenfi* Epifcopo, quarto Kal Novembris.

Principes Europæi bellum inftaurant.

1188 MCLXXXVIII.

Per noctem corufcatio infolita, & Maris inundatio.

Tertio decimo Kal. Januarii, feria III. nocte circa galli cantum, lux quædam infolitæ claritatis vifuque terribilis emicuit, quæ penitus difcuffa caligine noctis, noctem fubito reddidit die clariorem. Anno eodem, menfe Martio, fluctus æquorei longius folito afcendentes, inumera diverfi generis animalia per loca diverfa merferunt, homines quoque nonnullos pariter involverunt.

1189 MCLXXXIX.

Henr. 2. obiit, fuccedit Ricard.

Fames valida, & mortalitas hominum fuit. Obiit *Henricus* fecundus Rex *Angliæ.* II. Non. Julii fucceffit *Richardus* filius ejus. Tertio nonarum Septembrium unctus eft in Regem. Judæi contra prohibitionem, coronationi fe ingerentes, Rege indignante ejecti funt, & male tracti. Deinde irruentes Chriftiani in alios, per totam civitatem ædificia eorum incendunt, bona diripiunt, XIX. circitur in eadem urbe neci traditi funt. Per alias quoque civitates *Angliæ* confimilis furor exarfit in Judæos, donec præfumtorum audacia regio juffupuniretur. *Galfridus* filius Regis *Henrici,* electus eft ad Archiepifcopatum *Eboracenfem*; *Godofridus* de Luci ad Epifcopatum Winton, *Hubertus Walteri* ad *Saresberienfem.* XI. Kal. Novembris, à *Baldwino* Archiepifcopo *Cantuarienfi* ambo confecrati funt London. *Willielmus* de *longo campo* in Epifcopum *Elienfem.*

Plures ad Epifcopatus promoventur.

1190 MCXC.

Rich. Angl. R. & Philip. Gall. verfus Hierofol. pergunt. Plures principes viri obeunt.

Richardus Rex *Angliæ* in die Apoftolorum *Petri* & *Pauli* iter arripuit verfus Jerufalem, & *Philippus* Rex *Francorum,* fed non eo pervenerunt hoc anno, pervenerunt autem *Baldwinus* Archiepifcopus *Cantuarienfis,* & *Hubertus Sarifberienfis, Ranulfus* de Glanvil, & alii multi. Obiit *Fredericus* imperator, & *Baldwinus* Archiepifcopus, & *Robertus* Abbas de Ford, & *Robertus* Comes *Leiceftriæ,* & *Willielmus* Comes de *Ferrariis,* & *Ranulfus* de Glanvil. *Hugo Ceftrenfis* Epifcopus, monachos à *Coventreia* expulit, & clericos fubftituit. *Willielmus Elienfis,* factus eft legatus in *Anglia.*

1191 MCXCI.

Clemens P. ob. Celeftinus fuccedit. Acon à Chriftianis capitur.

Obiit *Clemens* Papa, fucceffit *Celeftinus.* Facta eft Eclipfis folis in die Dominica in vigilia Sancti *Johannis* Baptiftæ circa horam VI. Civitas *Acon* à Chriftianis capta eft. *Galfridus Eboracenfis* Archiepifcopus veniens in *Angliam,* captus eft apud *Doroberniam* ab *Willielmo Elienfi* Epifcopo, in Ecclefia Sancti *Martini*; & idem non multo poft cum maximo dedecore ab *Anglia* receffit. *Johannes* Abbas de Bynnadon factus eft Abbas de *Forda.* Obiit *Johannes* Epifcopus Exon, apud Glafton. Inventa funt offa famofiffimi *Arthuri* quondam Regis majoris *Britanniæ,* in quodam vetuftiffimo farcophago recondita, circa quod duæ pyramides ftabant erectæ, in quibus literæ quædam exaratæ erant, fed ob nimiam barbariem & deformitatem legi non poterant: inventa funt

Offa Arthuri, Gueniveri, & Modredi reperta Glaftoniæ.

autem

autem hac occaſione dum inter prædictas pyramides terram quidam effoderant, ut quendam monachum ſepelirent, qui ut ibi ſepeliretur à conventu pretio impetraverat, reperierunt quoddam ſarcophagum, in quo quaſi oſſa muliebria cum capillitio adhuc incorrupto cernebantur, quo amoto reperierunt & aliud priori ſubſtratum, in quo oſſa virilia continebantur, quod etiam amoventes invenerunt & tertium duobus primis ſubterpoſitum, cui crux plumbea ſuperpoſita erat, in qua exaratum fuerat, hic jacet inclytus Rex *Arthurus* ſepultus in inſula *Avellana*; locus enim ille paludibus incluſus inſula *Avallonis* vocatus eſt i. e. inſula pomorum, nam **Aval** Britannice pomum dicitur. Deinde idem ſarcophagum aperientes, invenerunt prædicti principis oſſa robuſta nimis & longa, quod cum decente honore & magno apparatu in marmoreo mauſoleo, intra Eccleſiam ſuam Monachi collocaverunt. Primum tumulum dicunt fuiſſe *Guenhaveræ* Reginæ, uxoris ejuſdem *Arthuri*: ſecundum *Modredi* nepotis ejuſdem: tertium prædicti principis.

MCXCII. 1192

Obiit *Reginaldus* Epiſcopus *Bathonienſis* electus à Monachis *Cantuarienſibus* in Archiepiſcopum. Rex *Angliæ* redire parans captus eſt à Duce *Auſtriæ*, & poſtea Imperatori *Henrico* traditus, cum ſumma diligentia cuſtoditus eſt. *Savaricus* filius *Geldewini* factus eſt Epiſcopus *Bathoniæ*.

Ricard. R. à duce Auſtriæ captus. Savaricus fit Batho. Epiſ.

MCXCIII. 1193

Rex *Richardus* in *Alemannia* detentus eſt, donec pro redemtione ſua centum millia Marcas argenti perſolveret. Ad hanc ſummam pecuniæ colligendam, præter id quod à laicis exhibitum eſt, ſingularum Eccleſiarum reditus decimati ſunt; aurum & argentum, lapides pretioſi Abbatiarum, & aliarum Eccleſiarum diſtricta, cruces & feretra decruſtata; ſacra etiam vaſa altaris direpta ſunt. Interim comes *Johannes* in Regnum inſurgens, poſt plurima mala quæ fecit in *Anglia*, ad Regem *Francorum* ſe contulit. Rex autem *Francorum* cepit *Giſortium*, prodente oppidum *Guiliberto* de **Gauſtul**, & multa alia caſtella capiens, innumera mala *Normanniæ* intulit. *Hubertus* Epiſcopus *Saresberienſis* factus eſt Archiepiſcopus *Cantuarienſis*.

Ricardus R. pretio redimitur.

Joannes Normanniam conturbat.

MCXCIV. 1194

Richardus Rex rediens à peregrinatione, coronatus *Wintoniæ* 11. Kal. Maii. *Herebertus* Archidiaconus *Cantuariæ*, factus eſt Epiſcopus *Sarisberienſis*, & *Henricus Mareſcallus*, *Exoniæ*.

Ric. Wint. coronat. Hereb. fit Ep. Sarum Henr. Exon.

MCXCV. 1195

Nimia abundantia pluviarum pene ſegetes perierunt, Obiit *Hugo Dunelmenſis* Epiſcopus.

Hugo Dunel. obiit.

MCXCVI. 1196

Johanna relicta Regis *Apuliæ*, & ſoror *Richardi* Regis, deſponſata eſt apud *Rothomagum* Comiti Sancti *Egidii*. *Chriſtophoro* Abbati de **Waverley** cedenti, ſucceſſit *Johannes* Monachus, Hoſpitalarius ejuſdem loci. *Reginaldo* **Gereldon**, Abbate, à quodam converſo ſuo, graviter in infirmatorio vulnerato, aliis converſis conſentientibus; juſſum eſt in generali capitulo *Ciſtercii*, omnes converſos ejuſdem loci amoveri.

Joan. R. Ric. ſoror deſponſ. com. S. Egid. Converſi ordin. Ciſtreſ. amoventur.

MCXCVII. 1197

Obiit *Willielmus* de *longo campo*, *Elienſis* Epiſcopus. Magiſter *Euſtacius* factus eſt Cancellarius Regis, & conceſſus eſt ei Epiſcopatus *Elienſis*. Obiit *Willielmus* Comes **Sariſberie**.

Will. Elienſ. Ep. ob. Euſtac. ſucced. Will. Com. Sar. ob.

MCXCVIII. 1198

Obiit *Celeſtinus* Papa, ſucceſſit *Innocentius*. Obiit *Henricus* Imperator, ſucceſſit *Otho* nepos *Richardi* Regis *Angliæ* ex ſorore; *Philippo* duce *Suaviæ* qui frater erat Imperatoris defuncti, retentis munitionibus fortiter reſiſtente. In vigilia Sancti *Bartholomæi*, ventus vehemens meſſes damnoſe excuſſit. Rex *Franciæ Philippus*, circa feſtum Sancti *Michaelis* interceptus à *Richardo* Rege *Anglorum*, verſus *Giſorum* fugam iniit; ubi fracto ponte pene ſubmerſus eſt, capti ſunt de hominibus ejus nominatiſſimis LXXX. & eo amplius. Obiit

Celeſt. P. ob. ſuc. Innocent. Hen. Imp. ob. Otho ſucced. Rex Franciæ Philip. à Ric. Ang. R. interceptus. Hugo. Ceſt. Ep. ob.

Hugo Ceſtrenſis Epiſcopus apud *Beccum* habitu religionis accepto: Monachi de *Coventreia* quos ab Eccleſia ſua idem Epiſcopus expulerat de mandato domini Papæ, per *Cantuarienſem* Archiepiſcopum reſtituuntur.

1199 *Ricardus R. Angl. ex vulnere moritur, Joannes ſuccedit contra jus.*

MCXCIX.

Capella de *Lameheya* juſſu Papæ funditus ſubvertitur. Rex *Richardus* in quadrageſima contra vicecomitem *Lemovicenſem*, pro theſauro quem nuper audierat inventum in terra ipſius; profectus, caſtellum *Calucis* quod ejus erat obſedit, cumque illud jam fere cepiſſet VII. Kal. Aprilis, miles ex obſeſſis, unus *Petrus*, cognomento *Baſilius*, directo in eum ſpiculo, quod vulgo *quadrellum* vocatur, percuſſit in ſcapula ſiniſtra, quo accepto vulnere deceſſit ibidem IV. Id. Aprilis: ſepultus eſt apud *fontem Ebraudi* ad pedes patris ſui, cor autem ejus delatum eſt *Rothomagum*, & in Eccleſia beatæ *Mariæ* majori tumulatum. *Johannes* frater ejus in octavis Paſchæ, ſuſcepto Ducatu *Normanniæ*, veniens in *Angliam* coronatus in Regem, in die Aſcenſionis Dominicæ, ſcil. VI. Kal. Junii apud *Weſtmonaſterium:* contra judicium Archiepiſcoporum, Epiſcoporum Comitum & Baronum & omnium aliorum magnatum *Angliæ*; quod factum fuit apud Notingham præſente Rege *Richardo* fratre ſuo; ubi propter proditionem ejuſdem Regis & Regni quam fecerat cum Rege *Francorum*, abjudicatus & exhæredatus erat, non ſolum de omnibus terris quas habuit in Regno, ſed etiam de omnibus honoribus, quos ſe habiturum ſperavit vel expectavit de corona *Angliæ*. Judicium quoque fuit ut ſummoneretur per tres quadragenas, venire in Curiam Regis *Angliæ* ad reſpondendum & defendendum corpus ſuum ſi poſſet, de guerra & proditione prædicta, quas machinatus fuerat dum Rex frater ſuus fuit in peregrinatione, & carcere Imperatoris *Alemaniæ*; ſed nec venit, nec reſponſalem pro ſe miſit: unde tres Comites pares ſui miſſi fuerant ad Curiam Regis *Franciæ*, ut in ea de ſupradicta proditione eum convincerent; ſed & nec ibi comparuit, nec reſpondit: nec ſe defendit; contra hoc inquam judicium coronatur; *Willielmo* de Breuſe, cum fautoribus ſuis ad ejus coronationem vehementius inſtante. In qua coronatione omnes graviter peccaverunt, tum quia idem *Joannes* nullum jus in Regno habuit vivente *Arthuro* filio ſenioris fratris ſui *Gaufridi* Comitis *Britanniæ*; tum quia licet aliquando hæres regni fuiſſet, propter tamen memoratam proditionem abjudicatus fuit & exhæredatus. Et quia omnes graviſſime Deum offenderant, omnes poſtea per eum tanquam inſtrumento ſuæ offenſionis puniti ſunt & afflicti. Sed *Willielmus* de Breuſa qui in ejus coronatione plus omnibus offendit, juſto dei judicio cum omni domo ſua plus omnibus aliis punitus eſt.

1200 *Joan Iſabellam Engolemenſ. ducit in uxorem. R. Scotiæ homagium facit Regi Ang.*

MCC.

Rex *Johannes* duxit *Iſabellum* filiam Comitis *Engolamenſis* in uxorem. Idem concordatus eſt cum Rege *Francorum* datis illi XX. millibus libris Sterlingorum, cum terris & caſtellis pluribus; deſponſata etiam nepte ſua, ſcil. filia Regis *Hiſpaniæ*, *Lodovico* filio ipſius Regis *Francorum*. Circa feſtum Sancti *Edmundi* concilio congregato apud Lincoln, Rex *Scotiæ* homagium fecit Regi *Angliæ*. Dominus *Hugo* Lincoln Epiſcopus interim deceſſit apud London, ſed delatus inde *Lincolniam*; à Regibus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & optimatibus Regni, & frequentia populi cum magna veneratione ſuſcipitur, & ſepulturæ commendatur. Abbates ordinis *Ciſtercienſis*, concilio domini *Cantuarienſis* illuc advenientes in oculis Regis, non ſine grandi admiratione omnium, gratiam Regis invenerunt; adeo ut ipſe flexis in terram genibus veniam ab eis peteret, pro eo quod eos vexaſſet, Abbatiam ſe ordinis *Ciſtercienſis* facturum promittens, ſeque ibidem ſepeliendum.

1201 *Joannes coronatus Cantuar.*

MCCI.

Rex *Johannes* à Domino *Cantuarienſi* invitatus & exhibitus, ad Paſcha coronatus eſt cum Regina ſua apud *Cantuariam*. Pluviarum inundatio frequens à Pentecoſt. uſque ad Nativitatem Sanctæ *Mariæ* continuata; non ſolum fruges & arborum fructus non ſivit matureſcere, ſed etiam fecit infœcundos.

Subſecuta

Subſecuta eſt mortalitas animalium, ſed & ovium maxime, qualem tunc nullus viventium ſe meminit ante vidiſſe. In die Aſſumtionis ſanctæ *Mariæ* apud *Fordam*, præſentibus dominis Abbatibus, *Johanne* de Waberley & *Johanne* de Forde, & domino *Willielmo* Brewere, eligitur conventus XII. Monachorum; præfecto eis viro induſtrio, *Gregorio* ad conſtruendam Abbatiam de Dunekywill. Obiit *Johannes*, Abbas Waberlie, ſucceſſit *Johannes*, *Cellarius* ejuſdem domus.

Extruitur Abbatia de Dunekewell.

MCCII. 1202

Rex *Johannes* apud Caſtrum Mirabel cepit *Arthurum* nepotem ſuum in feſtum Sancti *Petri* ad vincula, & cum eo *Gaffridum* de Liraman, & *Hugonem* de Brun, & *Andream* de Chabenny, & vicecomitem de caſtro *Haraldi*, & *Reymundum* de Troald, & *Savaricum* de Maulyon, & *Hugonem* de Banchai, & omnes alios inimicos ſuos, *Pictaviæ*; qui ibi erant circiter CC. milites & plures. Ex quibus XXII. nobiliſſimos & ſtrenuiſſimos in armis, fame interfecit in caſtello de Corf; ita quod nec unus ex illis evaſit. Abbas de *Firmitate*, cum quibuſdam Monachis *Ciſtercii* per præceptum Regis veniens in *Angliam*, accepit ſaiſinam de Fererendon ad Abbatiam conſtruendam. Miſſus eſt Conventus à Ford XVI. Kal. Decembris, ad ædificandam Abbatiam de Dunekywill.

Joan. R. Nepotem ſuum Arthurum & alios plurimos occidit.

MCCIII. 1203

Fames valida & ſæva mortalitas multitudinem pauperum extinguit. Rex *Johannes* poſt capturam *Arthuri* & *Pictavenſium*, eſt reverſus in *Angliam*: apud *Cantuariam* natale celebrat. Caſtellum de *Rupe* capitur à Rege *Francorum*.

Joan. redit in Angliam.

MCCIV. 1204

Rege *Johanne* fugiente in *Angliam*, *Philippus* Rex *Francorum* *Normanniam* occupat, & Andegaviam. Miſſo conventu à *Ciſtercio*, & Abbate eis præfecto, Abbatia *belli loci* conſtruitur. *Cornubienſes* primo, deinde *Devonienſes* promiſſa pecunia, graviſſimum jugum foreſtariorum à ſe excutiunt. Obiit *Alienora* Regina. Obiit *Godofridus* Winton Epiſcopus, ſucceſſit *Petrus* de Rupibus Archidiaconus *Pictaviæ*, à domino Papa Romæ poſtea conſecratus. *Guido Præneſtinus*, & quondam Abbas *Ceſtercii*, factus eſt Archiepiſcopus *Remenſis*. Rex *Francorum* cœpit caſtrum de Chynun, & poſtea omnes munitiones *Normanniæ*, *Andegaviæ*, & civitatem *Pictaviæ*, cum aliis caſtellis, oppidis, & civitatibus quas voluit habere: & hac ratione; cum Rex *Johannes* cepiſſet *Arthurum*, eumque aliquamdiu in carcere vivum tenuiſſet, in terra tandem *Rothomagenſi*, feria V. ante Paſcha, poſt prandium, ebrius & dæmonio plenus; propria manu interfecit: & grandi lapide ad corpus ejus alligato, projecit in *Sequanam*; dicitur reti piſcatorio i. e. ſagena inventum eſſe, & ad littus tractum, cognitum; & in Prioratu *Becci*, qui dicitur Sanctæ *Mariæ de prato*, occulte ſepultum, propter metum tyranni. Quod cum fama vulgante audiſſet, prædictus Rex *Francorum*, & pro certo ſciret *Arthurum* eſſe occiſum; fecit ſummoneri interfectorem ejus *Johannem* ut veniret ad curiam *Franciæ* (uti ſolent duces *Normanniæ*) de occiſione tanti viri reſponſurus, & ſe ſi poſſet defenſurus, tanti inquam viri: erat enim legitimus hæres *Angliæ*, Comes *Britanniæ*, & *gener* Regis *Franciæ*. Ille tanti male ſibi conſcius, nunquam auſus eſt comparere, ſed fugit in *Angliam*, & in ea ſuper homines ſuos graviſſimam tyrannidem exercuit, uſque ad mortem ſuam. Poſtquam autem nunquam venit ad reſpondendum de morte *Arthuri*, & ſe defendendum; per judicium curiæ Regis & principum *Francorum*, abjudicatus eſt, & exhæredatus eſt cum omnibus hæredibus ſuis de univerſis terris & honoribus quos tenuit de corona *Franciæ*, & fixum & juſtum judicium hoc. Hiems horrida gelu & nivibus fere à Natali uſque in medium Martii, oves & animalia magna extinxit, cum fœtibus eorum: frumentum vero purius provenire fecit, avenas & hordea pene annihilavit.

Philippus Rex Franc. Normanniam occupat. De morte Arthuri rerum peragit Joan.

MCCV. 1205

Rex *Johannes* collecta apud Portesmuth copioſa navium multitudine, parat transfretare; ſed ab optimatibus *Angliæ* & maxime Archiepiſcopo *Cantuarienſi* cæpta differre compellitur. Obiit *Hubertus* *Cantuarienſis* Archiepiſcopus,

Joann. tranſfretare parans ab optimat. detinetur. Hubert.

Cant. ob. & Sav. Bath. ob.

pus III. Id. Julii. Obiit *Savaricus Bathonienſis* Epiſcopus. *Petrus* de Rupe electus *Wintonienſis*, Romæ conſecratus eſt.

1206 MCCVI.

Joan. in Pictav. tranſfretat. Will. Linc. Ep. ob. Joan. in Parliam. Oxon. conceditur 13. pars Catellorum Ang.

Rex *Johannes* congregato exercitu in *Pictaviam* transfretat. *Jocelinus Troteman* conſecratur in Epiſcopum *Bathonienſem*. Obiit *Willielmus* Lincoln Epiſcopus. Obiit *Henricus Mareſcallus* Exon Epiſcopus. Rex *Johannes* rediens de *Pictavia* coadunatis magnatibus terræ apud Oxenford, de aſſenſu eorum cepit XIII. partem omnium catellorum hominum totius *Angliæ*. Pontifices vero & viri religioſi cujuſcunque profeſſionis eſſent, omnes indiſcrete cum Rege & ſuis, pro ſe & hominibus ſuis pacem fecerunt ut melius potuerunt.

1207 MCCVII.

Steph. Langton fit Archiep. Cant.

Electus eſt magiſter *Stephanus* de *Langton* ad Archiepiſcopum *Cantuarienſem*, cum eſſet Cardinalis *Romanæ* Eccleſiæ, & *Bitreni* conſecratus. Pro cujus electione quia facta fuit contra profanas illas conſuetudines, quas vocant *avitas leges*, & *Regias libertates*, orta eſt ſtatim diſcordia inter Papam *Innocentium* & *Johannem* tyrannum *Angliæ*, faventibus ei & conſentientibus omnibus laicis & Clericis fere univerſis; ſed & viris cujuſlibet profeſſionis multis, ſicut plenius habetur in quodam libello qui inſcribitur de *Symonia*. Secuta eſt proſcriptio & ejectio Prioris & Conventus *Cantuarienſis*, & exilium Archiepiſcopi, interdictum Regni, perſecutio Cleri, & multa alia mala. Eodem anno natus eſt *Henricus* filius Regis *Johannis*, apud Winton die Sancti *Remigii*.

1208 MCCVIII.

Anglia interdicitur, plures in exilium acti.

Interdicta eſt *Anglia* ab omni officio & ſacramento Eccleſiaſtico, præter baptiſma parvulorum, & pœnitentias morientium; quia Rex noluit recipere Archiepiſcopum. Factum eſt autem interdictum Dominica qua cantatur *Iſti ſunt dies*. Epiſcopi executores interdicti, viz. *Willielmus* London, & *Euſtachius Elienſis*, & *Maugerus* Wigorn exulaverunt; exulavit etiam *Egidius Herefordenſis* Epiſcopus. Rex *Johannes* egit in exilium *Willielmum* de Breuſa cum uxore ſua & filiis, & totam ſubſtantiam ſuam & terram occupavit. *Philippus Dunelmenſis*, & *Coventrienſis* Epiſcopi obierunt. Menſe Januarii peperit Regina Iſabel apud Winton filium, qui vocatus eſt *Richardus*.

1209 MCCIX.

Hugo fit Ep. Linc. Joan. R. exerc. in Scotiam ducit. Ipſi allegiant juratur.

Hugo Archidiaconus *Wellenſis* eligitur in Epiſcopum Lincoln. Rex *Angliæ* collecto grandi exercitu proficiſcitur verſus *Scotiam* contra Regem *Scotiæ*, qui dicebatur fœdus iniiſſe cum inimicis ſuis, ſed cito revertitur pace inter eos reformata & firmata. Liberi homines per totam *Angliam* Regi Ligeantiam faciunt.

1210 MCCX.

Joannes Judæos vexat. in Hiberniam transfretat. Ciſtercienſes vexat.

Variis infirmitatibus homines per *Angliam* vexantur & quamplures moriuntur. Rex *Johannes* Judæos totius *Angliæ* capi fecit, & male tractatis omnia fere bona eorum ipſis abſtulit. Idem menſe Junio transfretavit in *Hiberniam*, ubi hoſtibus ad votum ſubactis, menſe Septembri; nimis infeſtus omnibus viris *Ciſtercienſis* ordinis rediit. Convenerat enim eos priuſquam transfretaret de auxilio præſtando contra inimicos ſuos; & quia iidem *Ciſtercienſes* pecuniam ei ad libitum ſuum, contra libertatem ordinis ſui, dare noluerunt; in immenſum eos affixit; & à ſingulis domibus, breviſſimo temporis ſpatio indulto, multum valde cenſum, ita ut ſummam XXVII. Millia Marcarum, æquaret collectio illa, vel excederet, violenter extorſit. Duæ tamen domus ejuſdem ordinis ab hac exactione tunc immunes fuere, de Margan ſcil. in *Wallia*, eo quod hoſpitatus ibi fuiſſet Rex cum exercitu eodem anno iens in *Hiberniam*, & inde rediens: & *de Bello loco* in *Anglia*, eo quod ipſa eſſet de Eleemoſina ejuſdem Regis. Rege vero cum exercitu in *Hibernia* commorante, actus eſt in fugam *Hugo* de Lacy Comes *Vltoniæ*, captus *Willielmus* de Breuſa Junior, cum uxore, & pluribus filiis, & matre Matilda de Sancto *Wallarico*; & arctiſſime cuſtoditi, primo per maritima uſque *Briſtollum*, poſtea uſque *Windleſhore* caſtellum ſunt deducti, impoſita redemtione quinquaginta millia Marcarum. *Willielmus* ſenior

nior quasi pro pecunia perquirenda liber egreditur, qui deinde fugit in *Franciam*: quo comperto, confeſtim Rex uxorem ejus & filium fame necavit in carcere, & *Walterum* de Lacy generum ejus egit in exilium, fecitque confiſcari omnia bona proſcriptorum Principum, quæ multa fuerunt in *Anglia*, in *Wallia* & in *Hibernia*.

MCCXI.

Quidam ex capellanis Domini Papæ legatus venit in *Angliam*, & à regiis 1211 *Rex à Papæ*
cuſtoditus, legationem ſuam eſt executus. Denique coacto concilio apud *legato Nor-*
Northamton, præſente Rege *Johanne* & proceribus *Angliæ*, cum idem Rex Ec- *thamptoniæ*
cleſiæ ſatisfacere nollet, coram omni concilio & in faciem ſuam, à legato vi- *excommuni-*
ro virtutis, conſtanter excommunicatus denunciatur. Plures etiam minæ ex *catus. Walli*
ore Domini Papæ per legatum intentantur, quæ omnia Rex pro nihilo dux- *vincuntur.*
it. Legatus *Romam* revertitur, cum quo & Regis Clerici cum literis regiis diriguntur. Obiit *Willielmus* de Breusa ſenior, exul in *Francia*, & honorifice ſepultus eſt à magiſtro *Stephano Cantuarienſi* Archiepiſcopo, tunc ſimiliter exulante. *Johannes* Rex exercitum duxit in *Northwalliam* contra *Lewelinum* generum ſuum, & ejuſdem terræ Principem, & approximans monti qui Snowdon dicitur, *Lewelino* cum ſuo exercitu deſuper conſiſtente, videnſque eum; trepide quidem, ſed fortaſſis provide Rex diſceſſit, collectoque ampliori exercitu iterum præfatum Principem in prænominato monte obſedit, & ad deditionem coegit, à quo etiam XXXII. obſides, quos omnes poſtea apud Notingham fecit ſuſpendi, & tertiam ſive quartam partem *Norwalliæ*, & multam pecudum ſive jumentorum ſummam, loco muneris extorſit. Eodem anno firmatur caſtellum ex præcepto Regis contra principes *Southwalliæ*. ſcil. Hailgum, & Reſum Babhan in eorum terra dominica. Quo ſtatim poſt deſceſſum exercitus *Anglorum*, ab iiſdem principibus capto & combuſto, eorum obſides duo, ſcil. filii Mailgum diffaciuntur, & præ dolore moriuntur: duo etiam filii Cadwallan ab Pvor diffaciuntur; hinc cædes & incendia, multaque mala à *Wallenſibus* exercentur.

MCCXII.

Rex *Morochiæ* nomine *Miramomelinus*, cum Rege *Valentio* patruo ſuo, & mul- 1212 *Mauri Hiſ-*
to nimis exercitu *Arabum* & *Maurorum*, *Hiſpanias* ingreſſus; eas cæde & incendio *paniam inva-*
cœpit devaſtare: contra quem directi ſunt à domino Papa Archiepiſcopi vel E- *dunt, & à Chriſtianis*
piſcopi decem, quatuor tranſmontani, & ſex ciſmontani, cum exercitu copioſo: *vincuntur.*
in quorum comitatu fuere nonnulli Comites & Barones, qui per *Gaſconiam* incedentes, plures hæreticorum qui *Albigei* dicebantur & eam repleverant, occiderunt; Comitem de ſancto *Egidio* bello campali victum, qui eis favere dicebatur, exulaverunt; & *Toloſam* Metropolim *Gaſconiæ* diu obſeſſam, vi tandem ceperunt. Circa octavas vero Pentecoſtes *Toletum* Hiſpaniarum Metropolim advenerunt, & eis ibidem aſſociati ſunt tres Reges *Hiſpaniarum*, ſcil. Rex *Andegaviæ*, Rex *Navarriæ*, Rex *Caſtellæ*, cum exercitibus ſuis. Circa feſtum ſanctæ *Mariæ Magdalenæ*, congreſſi ſunt tribus vicibus cum *Saracenis* bello campali, & ex eis proſtraverunt uſque ad LX. Millia virorum, cum pauci ruerent ex Chriſtianis, ſicut ſcribit *Narbonenſis* Archiepiſcopus (qui ipſe bello interfuit) in Epiſtola quadam ad Capitulum *Ciſtercienſe* directa. *Saraceni* qui evaſerant cum Regibus ſuis, domum cum dececore ſunt reverſi. *Lewelinus* Princeps *Lewelinus*
Northwalliæ omnem terram ſuam anno præterito perditam, viriliter pugnando *terras anno præterito a-*
hoc anno recuperavit. Reſus Babhan, Sweineſham comburit. Obiit *Gaufridus* *miſſas recu-*
Eboracenſis Archiepiſcopus, & Mauger Wigorn Epiſcopus, exules in *Francia*. *perat. Gau-*
Rex *Anglorum* proditionem formidans, infra Caſtellum de *Notingham* per XV. *frid. Ebor. Arch. obiit.*
dies ſe clauſum tenuit.

MCCXIII.

Recolendæ memoriæ *Gillebertus* Abbas de Margan, ceſſit in viſitatione fa- 1213 *Gilleb. abbas*
cta de mandato Abbatis *Clarvallenſis* XV. Kal. Julii: & eadem die ſucceſſit ei *de Margan*
Johannes Monachus ejuſdem domus. *obiit.*

MCCXIV.

1214 *Ordini Cisterciensium concessum ut terræ eorum decimas non solverent.*

Obiit idem *Gillebertus* apud Kerkested, ubi Monchus fuit, quarto Id. Maii. Hoc anno celebrata fuit Synodus *Romæ* in Ecclesia Salvatoris quæ dicitur *Constantiniana*, mense Novembris, præsidente domino Papa *Innocentio* III. in qua concessit ordini *Cistercienſi*, quod de possessionibus habitis ante Concilium, & de novalibus ante & post acquisitis, nulli decimas dare tenerentur.

MCCXVI.

1216 *Joann. R. ob. ſucced. Hen. 3.*

Obiit *Johannes* Rex Angliæ apud Newerk: cui successit *Henricus* tertius filius suus, coronatus *Glouceſtriæ* per *Walonem* legatum sedis Apostolicæ.

MCCXVII.

1217 *Gilb. de Clare, terras in duobus Comit. conf. Ciſterſ.*

Suscepit *Gillebertus* de *Clare* duos comitatus quorum hæres fuit, scil. de Gloucester & de Hereford, & tunc confirmavit nobis omnes terras & libertates quas habuimus ab antecessoribus suis, ut ab hominibus suis.

MCCXVIII.

1218 *Hen. Land. & Clem. Abb. de Neth. obiere.*

Obiit *Henricus Landavenſis* Episcopus, II. Id. Novembris, & *Clemens* Abbas de Neth, cui successit *Gervaſius* Prior ejusdem domus.

MCCXIX.

1219 *Will. fit Land. Hugo. Heref. Epiſc.*

Electus est ad *Landavenſem* Episcopatum *Willielmus* Prior de Goldeclive, & consecratus *Cantuariæ* cum *Hugone* electo *Herefordenſi.*

MCCXX.

1220 *Tran. Tho. Can.*

Facta est translatio beati *Thomæ* martyris, Non. Julii.

MCCXXII.

1222 *Turbo & terræmotus.*

Fuit maximus ventus proxima nocte post festum Sanctæ *Luciæ* virginis, qui etiam domos multas fregit, pomaria, quercus cæteraque ligna silvarum multa radicitus de terra evulsit: fuitque eodem anno terræmotus magnus multis in locis in transmarinis partibus, ex quo urbes aliquæ subrutæ sunt funditus, cum hominibus in illis degentibus, inter quas erat quædam urbs in *Longobardia* nomine Brisa, ex qua pars maxima in Nocte Natalis domini subversa est cum Ecclesiis, ubi quoque periere fere duo millia hominum.

MCCXXIII.

1223 *Greges Marg. occiſ.*

Concremaverunt perversi homines oves nostras plusquam mille, cum duabus domibus, in una septimana.

MCCXXIV.

1224 *Cœnobio Margenſi damna à Wallenſibus illata. Quidam merſi reſuſcitantur.*

Occiderunt *Wallenſes* famulos nostros, in operibus manuum suarum occupatos duos in una die, & cito postea puerum quendam pastorem ovium occiderunt. Eodem anno *Morganus* filius *Oeni* combussit domum Monachorum de Neth cum ovibus CCCC. vel eo amplius: insuper & famulos ipsorum numero IV. occidit: Monachum quoque unum de domo illa, nec non & conversum graviter vulneravit. Circa hoc etiam tempus in aqua quæ dicitur Medewepa juxta *Rouceſtriam* tres viri submersi sunt, qui post tres dies inventi sunt exanimes, ac inde ad Ecclesiam beatæ Mariæ virginis de Haveresham delati, ibique meritis ejusdem virginis resuscitati.

MCCXXV.

1225 *In Hiſpania Chriſtiani Saracenos vincunt.*

Fuit magna mortalitas ovium. Hoc etiam anno in *Hiſpania* congregati sunt plusquam XL. Reges *Saracenorum* cum exercitu magno contra populum Christianum ibi degentem: contra quos venerunt quatuor Reges populi Christiani cum tribus Episcopis & duobus ducibus, ducentes secum omnem exercitum quem colligere poterant in prælium: qui cum venissent ad locum ubi pugnaturi erant, videntes adversariorum multitudinem, timuerunt valde; quapropter Episcopi duo, & Dux unus cum suis hominibus antequam pugna fieret latenter recesserunt: quod cum adverterent socii eorum qui remanserant dicebant ad invicem; quomodo nos qui sumus tam pauci numero poterimus pugnare contra tam magnam multitudinem? quibus autem Rex *Hiſpaniæ*, tam facile possumus gratia dei in paucis liberari quam in multis; asserebat se nunquam fugiturum de bello quamdiu pugnare valeret: talibus sermonibus cæteri Reges confirmati, & super omnia in misericordia Dei confisi, tandem con-

gressi sunt. Mox cum in primo solis ortu cœpissent pugnare, subito advenerunt iis in auxilium beatus *Jacobus* Apostolus, Sanctusque *Georgius* martyr, armati sicut milites & super equos sedentes; vestimentum Sancti *Jacobi* opertum erat totum à capite usque ad pedes talibus signis, qualia peregrini ab ejusdem Apostoli liminibus nuper revertentes solent in vestimentis habere: igitur sanctus *Georgius* impetum fecit in *Saracenos* ex una parte, & beatus *Jacobus* ex altera, magnamque ex illis multitudinem subito interimunt, quod cum vidissent *Saraceni* mox cœperunt fugere, quos Christiani cum prædictis Sanctis tota die usque ad occasum solis insequuntur, & quosdam vivos capiunt, & quosdam omnino extingunt; postera die iterum Christiani arreptis armis suis hostes prosequuntur, & non cessant xv. diebus cædere terga fugientium.

Sic gens sanctorum, Reges de plebe reorum
Tunc captivavit, multos hominesque necavit.

MCCXXVI.

Quidam Abbas cujusdam cœnobii ordinis *Cistercienfis*, quod in provincia *Suevorum* fundatur, ad generale capitulum venit, cui à domino data est gratia sanitatum immensa. Combusserunt *Wallenses* tres villas de *Glamorgan*, villam scil. de sancto *Nicolao*, villam de *novo castello*, & villam de Lageleftune, nonnullosque homines occiderunt. 1226 *Wallenses tres villas comburunt.*

MCCXXVII.

Hic cruce signati festinant pergere multi, 1227 *Plures crucem suscipiunt.*
Illuc quo Dominus Jesus *fuerat crucifixus.*

Hoc anno combusserunt *Wallenses* grangiam nostram de Penmuth funditus, cum animalibus multis, pluresque boves ibi occiderunt, postea grangiam de Rossaulin depopulati sunt, ibique oves multas cremaverunt, vaccas nonnullas abduxerunt, & quendam de famulis nostris illic occiderunt. Iterum animalia grangiæ *Theodori* ceperunt, ex quibus multa in itinere occiderunt, cæteraque secum duxerunt. Rursum diversis in locis domos nostras succenderunt, in quibus igne greges ovium magni perierunt. *Wallenses cænobii de Margan terras vastant.*

MCCXXVIII.

In nocte beati *Georgii* Martyris tellus contremuit, *Christoque* volente quievit. Hoc anno *Howelus* filius Meredith cepit *Morganum* filium *Cadwalani* avunculi sui, vinxitque eum crudeliter, cujus oculos tandem eruit, ejusque membra genitalia turpiter amputari fecit. Eodem anno *Georgius* Comes *Gloucestriæ* cepit *Morganum* Cam, quem compedibus vinctum misit in *Angliam*, illumque ibi in custodia firma servari præcepit. Hoc anno horreum Monachorum de Wacell fulmine combustum est, in quo, ut fertur, ignis inextinguibilis duobus mensibus duravit. Hoc etiam anno in villa de Kennefeg domus cujusdam hominis funditus fulmine combusta est. Hoc etiam anno quidam ex fratribus domus nostræ, tam Monachi quam laici, missi sunt in *Hiberniam* ad reformandum ordines, quia ibi valde emarcuit disciplina. Eodem anno obiit *Stephanus Cantuariensis* Ecclesiæ Archiepiscopus, vir prudens & literatus, cui successit *Richardus* Lincoln Ecclesiæ Cancellarius. Hoc anno Imperator *Alemanniæ Fredericus*, nondum tamen Domino Papæ reconciliatus, circa Nativitatem Sanctæ *Mariæ* galeis transvectus ad *Tyrum* applicuit: quo audito fratres Templi & Hospitalis, cum populo civitatis Acon ei obviam venerunt, à quibus gaudenter in prædictam civitatem deductus est. Post hæc cito venerunt nuntii cum muneribus eximiis à Soldano missi, scil. equis dextrariis, Dromedariis, sellis aureis, & aliis rebus quampluribus ut darent Imperatori, ex quibus nisi prius habito concilio cum Patriarcha & Episcopis, militibus templi & Hospitalis qui ibi fuerunt, noluit accipere; quibus tandem consultis munera recepit. Postea missus est *Willielmus* Episcopus *Exoniensis* cum aliis nonnullis, ad Soldanum qui in *Damasco* morabatur, ad reformandam pacem 1228 *Howelus Wallus Morganum cepit.* *Stephanus Langton ob.* *Fridericus imper. cum Saracenis pacem init.*

inter *Christianos* & *Saracenos*, & sic demum elaboratum est, ut in quinto mense, scil. in cathedra Sancti *Petri*, terra *Jerosolymitana* Christianis sit restituta, ac inter Christianos & Paganos decem annis totidemque diebus pax confirmata.

MCCXXIX.

1229 *Christianis Hierosolyma restituitur.*

Fredericus Imperator *Alemanniæ*, & patriarcha *Jerosolymitanus*, *Petrus* Episcopus *Wintoniensis*, *Willielmus* Episcopus **Exon**, & cæteri qui ibi aderant fratres Hospitalis & milites templi, Principes multi cum populo terræ, & peregrinis qui jam longo tempore ibi expectaverant, venerunt *Jerosolymam*, anno XLII. postquam pagani eam quondam ceperant, in Dominica palmarum cum gaudio civitatem intraverunt, devoteque ibi solennia ejusdem diei egerunt. Postea viriliter muros jam à paganis dirutos incipiunt reparare, ecclesias ædificare, & in eis divina officia Patriarcha & Episcopi student celebrare. Attestati nobis etiam sunt qui ibi fuerant peregrini, quod ante sepulcrum Domini more solito descendit in vigilia Paschæ ignis de cœlo. Hoc anno *Morganus* **Cam** datis obsidibus *Gilberto* Comiti de *Glouceſtria* solutus est à vinculis. Eodem anno combusserunt *Wallenses* homines, viz. *Howeli* filii **Meredith**, villam de Sancto *Nicolao*, villamque de sancto *Hilario*. Hoc anno fuit nimis aspera hyems, in tantum etiam aquæ congelatæ sunt, quod super glaciem equitantes transire possent, nix quoque magna postea extitit quæ pluribus diebus terram operuit. Hoc anno obiit *Willielmus Landavensis* Episcopus v. Kal. Februarii.

MCCXXX.

1230 *Henricus Pictaviam transfretat. Lewelinus Gul. de Breusa capit & suspendio necat.*

Henricus tertius Rex *Angliæ* cum magno exercitu transfretavit in *Pictaviam*, ad repetendas terras quas *Philipus* Rex *Franciæ* abstulit patri suo; ubi multos de hominibus suis amisit, multam pecuniam expendit, & parum vel nihil de terris illis acquisivit. Eodem anno *Lewelinus* proditorie (ut dicebatur) nocte cepit *Willielmum* de **Breusa** juniorem in domo sua, cum esset Paschalis festivitas, eo quod haberet eum suspectum de uxore sua secundum quosdam, re autem vera secundum alios, ex veteri odio progenitorum suorum, scil. *Willielmi* **Breusa** senioris, & *Matildis* de sancto *Walerico* uxoris suæ, qui multos *Wallenses*, tam nobiles & potentes, quam alios fecerant occidi. Cumque eundem *Willielmum* & milites qui cum eo venerant, & familiam suam aliquanto tempore vinctos in carcere tenuisset, illum quidem fecit suspendi. Garciones abire permisit, & quosdam alios redemtos pecunia liberos dimisit. Cujus suspendio divulgato, insultantes *Wallenses* exclamaverunt, nunc vindicatus est sanguis quem *Willielmus* de **Breusa** & sui effuderunt super terram. Obiit *Gilbertus* de *Clare* Comes *Glouceſtriæ* & *Hereford*. *Elias* thesaurarius **Hereford**, electus est ad Episcopatum *Landavensem* & consecratus.

MCCXXXI.

1231 *Gul. Mareſch. junior obiit. Lewelinus plures urbes vastat.*

Obiit *Willielmus* junior *Mareſcallus*, cui successit *Richardus* frater suus. Eodem anno *Richardus* filius Regis *Johannis* Comes *Cornubiæ*, duxit uxorem relictam Comitis *Gilliberti*, sororem *Richardi Mareſcalli*. Et *Lewelinus* cum magno exercitu venit in terram de **Brehheniaude**, villamque de **Aberothenp** combussit, sed castellum non cepit, deinde per fines *Southwalliæ* transiens, omnes fere principes *Wallensium* præter *Morganum* filium *Howeli* sibi subdidit, veniens autem ad villam de **Kaerliun** combussit eam & Ecclesiam; sed castellum capere non potuit, resistente ei prædicto *Morgano* cum paucis adjutoribus suis. In illa die amisit idem **Lewelin** plures hominum suorum, alios captos, alios in *Osea* submersos, quosdam vero interfectos, unde confusus & dolens nimis, per montana venit ad castellum de **Meth** & obsedit illud, quod ei cito redditum fuit, tunc cepit *Lewelinus* per suos illud confringere, & *Morganus* **Cam** non solum subvertit illud, sed etiam destructa villa habitatores exterminavit. *Richardus Cantuariensis* Archiepiscopus à *Roma* rediens obiit, & plures sui cum eo mortui sunt, unde plures suspicati sunt eos extinctos esse veneno.

MCCXXXII.

MCCXXXII. 1232

In quadragesima multi ex nobilioribus principibus *Wallensium*, jussu *Lewelini* cum exercitu magno venerunt ad villam de Kenefeg ut illam deprædarent & delerent, unde habitatores loci præmoniti pecora sua ad alia loca miserunt, & partem ejusdem villæ intra portas succenderunt. *Wallenses* postea superveniertes reliquam partem extra portas combusserunt, deinde cum clamore & assultu magno irruerunt, ut turrem quæ fossa & sepe tantum adhuc cincta & munita fuit caperent; sed viri qui intus erant fortiter se defendentes plures graviter vulnerarunt & alios occiderunt, unde omnes alii post primum assultum cito discedentes, ad montana ascenderunt. Unum vero utcunque in eis laudabile fuit & mirabile, quod cum valde egerent victualibus, Ecclesiæ & cæmiterio & omnibus qui in eis erant pepercerunt. *Lewelinus villam de Kensey deprædatur.*

Cum *Hubertus* de *Burgo* esset justiciarius *Angliæ*, Comes *Cantiæ*, & consiliarius intimi concilii, & quasi cor Regis; essetque spiritus ejus obfirmatus ad superbiam, amor ejusdem Regis repente versus est in odium atrocissimum, unde omni potestate & possessione quam habuit privatus est, & omnium amicorum suorum non tantum consilio & auxilio, sed etiam colloquio & solatio destitutus, & tantæ persecutioni & confusioni expositus, ut in vehementi tentatione sua videretur à Domino omnino derelictus, cumque satellites Regii persequerentur eum ut comprehenderent, & traderent ---------- *Hugo de Burgo gratia excidit apud regem.*

Deesse videtur unum folium.

CHRONICON
THOMÆ WIKES.
ALITER,
Chronicon *Saliſburienſis* Monaſterii, ab adventu *Conqueſtoris ad Annum* MCCCIIII.

MLXVI.

ANNO Incarnationis Domini noſtri *Jeſu Chriſti* MLXVI. *Willielmus* dictus le 𝔅𝔞𝔰𝔱𝔞𝔯𝔡 dux Normanniæ innumerabili claſſe parata, & exercitu copioſo congregato, vendicans ſibi jus in Regno Angliæ, regnante tunc in Anglia Rege *Haraldo*, applicuit in Angliam in portu qui dicitur 𝔋𝔞𝔰𝔱𝔦𝔫𝔤𝔢𝔰; tempore quo applicuit, Rex *Haraldus* fuit in partibus *Eboraci*, ubi prælium commiſit cum *Scotis* & *Norwegis*, in loco qui nunc dicitur *Pons belli*, qui partes Aquilonares depopulaverant, de quibus fere omnes in prælio interfecit, reliquos profligavit: ſed audito quod dux *Normanniæ* cum ſuo exercitu applicuerat, relicta provincia *Eboracenſi*, ocius quaſi tranſvolando provincias, partes adiit meridionales, ut Duci applicato prælium vel inferret vel exciperet. Interim autem Dux ſuum poſt maris naufragia fatigatum irrefragabiliter [a] recreavit exercitum, & ad motus bellicos quos ſibi non deeſſe præſciverat, totis viribus præparavit. Rex itaque *Haraldus* cum paucis ſibi occurrit, credens *Londoniarum* copias, prout ſibi ſpoponderant; è veſtigio ſecuturas, & ſibi ſubſidium præſtituras; cujus adventu præcognito, Dux acies contra Regem inſtruxit, & in loco ubi nunc conſtitutum eſt illud nobile monaſterium de *Bello*, audaciter bellum intulit. In primo conflictu totum pondus prælii converſum eſt in Regem, qui coxa prope nates pene præciſa, lætaliter vulneratus poſt modicum tempus interiit. Comperta Regis morte dilapſus eſt ejus exercitus, fere omnibus qui fugere non poterant interfectis. Aſſecuto tam felici triumpho, Dux cum ſuis pompatice procedens, primo civitatem *Wintonienſem*, dein civitatem *Londonenſem* breviſſimo labore, nullo ſibi reſiſtente peſſundedit. Et quia *Stigandus* tunc Cantuarienſis Archiepiſcopus, viro tam cruento & alieni juris invaſori, manus imponere recuſavit, ab *Aldredo* tunc *Eboracenſi* Archiepiſcopo, aſſiſtentibus cæteris regni, cooperantibus, & aſſenſum præbentibus, magnifice coronatus, Regni diadema ſuſcepit.

1066 *Gulielmus Angliam invadit.*

Haraldum vincit.

Stigando Archiep. Cant. victorem Coronare, recuſante; Aldredus Eboracenſis diadema ipſi imponit.

Et licet venerabilis *Beda*, *Willielmus* de 𝔑𝔢𝔴𝔟𝔲𝔯𝔤. *Mat. de* 𝔓𝔞𝔯𝔶𝔰, & plerique prædeceſſores noſtri hiſtoriographi famoſiſſimi, geſta Anglorum ſufficienter conſcripſerunt, nil memorabile relinquentes; tamen propter minores quibus non ſuppetit copia librorum, quid juris *Willielmus* le 𝔅𝔞𝔰𝔱𝔞𝔯𝔡 habuit in Regnum *Angliæ*, & quam injurioſe Rex *Haraldus* Regnum occupaverat, ad poſterorum memoriam ſuccincto ſermone traſmittere dignum duxi.

Quid juris in regnum habuit Gulielmus, quid Haraldus.

Fuit itaque prædictus *Haraldus* nec de Regum *Anglorum*, nec *Dacorum* qui Regnum violenter occupaverant ſtirpe generoſa ſecundum carnem progenitus; ſed filius ſceleſtiſſimi proditoris *Godwini* Comitis *Cantiæ*; cujus filiam *Eadgitham* nomine, beatiſſimus Rex & confeſſor *Edwardus* de conſilio procerum Regni ſui, matrimoniali ſibi lege copulaverat, quam tamen carnali nunquam conjunctione cognovit; virginitatem quippe ſuam

[a] Nullo reſiſtente.

Deo voverat, quam uſque ad mortem illibatam conſervavit. Prævidens itaque dum adhuc viveret, Regnum *Angliæ* poſt mortem ſuam periculis & turbationibus exponendum, nobiliſſimum ducem *Normanniæ Willielmum* le 𝔅𝔞𝔰𝔱𝔞𝔯𝔡 hæredem ſuum conſtituit, & Regni ſui ſucceſſorem, tanquam ex teſtamento, dum adhuc viveret, aſſignavit ipſum; & *Haraldum* uxoris ſuæ fratrem germanum & alumnum ſuum, miſit ad ducem in *Normanniam*, ut aſſignationis ſupradictæ nuncium ſibi deferret; ubi tactis ſacroſanctis [Evangeliis] jurejurando corporali præſtito, homagium ſibi fecit & fidelitatem; promittens eidem ſub debito ſacramenti, quod mortuo Rege *Edwardo*, ei ſicut Regi fideliter adhæreret. Decedente vero dicto Rege *Edwardo*, idem *Haraldus* juramenti prædicti, quod præſtiterat, prævaricator effectus, Regnum nequiter occupavit, & auctoritate propria in Regem ſe fecit coronari; unde dictum eſt, ut dux ipſe frequenter eum moneret ut Regnum cui injuſte incubuit, ſibi reſtitueret; alioquin fortuita belli diſcrimina ſciret ſibi minime defutura. Hac ratione Dux ipſe motus, Regem ipſum, ut puta proditorem, invadere non formidabat, & contra perjurum prælium non inſtruere duxit inglorium; erat enim miles ſtrenuiſſimus, miræ probitatis & audaciæ, & bellator robuſtiſſimus, cognatus ſanctiſſimi Regis *Edwardi*, & hæres quaſi ex teſtamento, ſicut prætactum eſt, legitime deſignatus; natus ex nobiliſſima muliere *Matilde* quæ fuit filia ſtrenuiſſimi militis *Richardi* dicti 𝔖𝔞𝔫𝔷-𝔭𝔢𝔲𝔯, filii *Willielmus* 𝔏𝔲𝔫𝔤𝔢𝔰𝔭𝔢𝔶𝔢, filii *Rolandi*, qui fuit primus dux *Normannorum*. Idem dux *Willielmus*, ut prætactum eſt, interfecto *Haraldo*, in Regno quod militariter adquiſierat, tantis ſucceſſibus animatus, & proficiens de die in diem, faventes ſibi muneribus & amore pellexit, reſiſtentes quoſque viribus pariter & timore perdomuit. Anno quo applicuit in Angliam cometa apparuit.

MLXVII.

1067 *Feſto nativitatis Gul.. coronatus.* *Willielmus* le 𝔅𝔞𝔰𝔱𝔞𝔯𝔡, interfecto, ut prædictum eſt, Rege *Haraldo*, ſtrenua potitus victoria: fortuna ſibi gratius arridente, in feſto nativitatis Dominicæ coronatus eſt apud *Weſtmonaſterium*, ab *Aldredo* tunc *Eboracenſi* Archiepiſcopo ut ſuperius tactum eſt.

MLXVIII.

1068 *Daci & Norwegi Gulielmum adorientes vincuntur.* *Dacorum* & *Norwegiorum* innumerabilis exercitus applicuit in *Angliam* in plaga Aquilonari, ut invaderent *Normannos*, & vendicarent jus antiquum quod habere ſe dicebant in Regno *Angliæ*; quibus occurrerunt *Normanni* numero & viribus impares, & inierunt prælium *Daci* cum *Normannis* in partibus *Eboraci* & de exercitu *Normannorum* tria millia interfecerunt.

MLXIX.

1069 *Aldredus obiit.* Obiit *Aldredus Eboracenſis* Archiepiſcopus. Defectus frugum & fames valida in *Anglia*.

MLXX.

1070 *Stigandus degradatus.* Celebratum eſt concilium *Wintonienſe*, in quo *Stigandus Cantuarienſis* Archiepiſcopus degradatus eſt.

MLXXI.

1071 *Succed. Tho. & Lanf.* Conſecrati ſunt *Lanfrancus Cantuarienſis*, & *Thomas Eboracenſis* Archiepiſcopi.

MLXXII.

1072 *Will. Scotos vincit.* Rex *Willielmus* invadens Regem *Scotiæ*, Regem & Regnum *Scotiæ* ſibi ſubjugavit.

MLXXIII.

1073 *Cenomanum capit.* Rex *Willielmus* civitatem *Cenomanum* ſibi rebellantem, militariter adquiſivit.

MLXXIV.

1074 *Hildebr. fit P.* *Hildebrandus* electus eſt in Papam.

MLXXV.

1075 *Eccl. S. Georg. fundata.* Fundata eſt Eccleſia Sancti *Georgii* in caſtro *Oxoniæ*.

Factus

MLXXVI. 1076

Factus est terræmotus in *Anglia* decimo Kal. Maii. *Terræ motus*

MLXXVII. 1077

Obiit *Hermannus* Episcopus **Schireburn.** qui primus transtulit sedem E- *Hermannus*
piscopalem **Schireburn.** in castrum veteris *Saresberiæ*. *obiit.*

M. LXXVIII. 1078

Robertus **Curtehose** primogenitus Regis *Willielmi* le **Bastard**, quem in *Robertus Gu-*
ducatu *Normanniæ* progenuerat, priusquam Regnum *Angliæ* adquisisset, miles *lielmi filius in*
strenuissimus & bellator ferocissimus, patre tunc in *Anglia* commorante, con- *Normannia*
fidens in potentia virtutis suæ, genitori suo factus indevotus, cæpit turbare *patrem op-*
Normanniam, castra, civitates & oppida Ducatus suo subjugare dominio, grati- *pugnat.*
am & dilectionem patriam sibi penitus eximendo.

MLXXIX. 1079

Malcolmus Rex *Scotorum*, depopulavit & vastavit totam **Northumber-** *Scoti Angli-*
land. *am invadunt.*

MLXXX. 1080

MLXXXI. 1081

Henricus imperator, vi Romam ingressus est, & *Wibertum* in sede Apostolica *Imperator Ro-*
collocavit, & vocatus est *Gregorius*. *mam capit.*

MLXXXII. 1082

MLXXXIII. 1083

Obiit *Matilda* Regina *Anglorum*, uxor Regis *Willielmi*, mater Regis *Henrici* *Matilda obi-*
Regis primi. *it.*

MLXXXIV. 1084

MLXXXV. 1085

Obiit *Gregorius* Papa, cui successit *Victorius* & dictus est *Vrbanus*. *Gregor. obiit.*

MLXXXVI. 1086

Rex *Willielmus* totum Regnum *Angliæ* describi fecit, & ab incolis innume- *Gul. Angliam*
rabilem pecuniæ summam extorquens ipsos intolerabiliter oppressit. *describit.*

MLXXXVII. 1087

Obiit *Willielmus* le **Bastard** Rex *Angliæ*, & sepultus est in civitate *Cadomensi* *Gulielmus*
in Provincia *Normanniæ*, in Monasterio Sancti *Stephani* protomartyris, quod à *moritur.*
fundamentis construxerat. Successit ei *Willielmus Rufus* filius ejus in Regno, quem primum genuit postquam Regnum adquisivit; decumbens enim in extremo mortis examine, tres filios suos hæredes designavit: *Robertum* **Curtehose** primogenitum suum Ducatu *Normanniæ* voluit esse contentum, *Willielmum Rufum* secundo genitum, Regni Angliæ quod militariter adquisierat successorem sibi prærogavit; *Henricum* postremum filiorum suorum, quem vulgariter *Clericum* nuncupabat, thesauri sui non modica pecunia quam congregaverat, dotandum esse decrevit, ceterisque fratribus felicius acturum fore, quasi quodam præsagio præcinebat, quod & postea contigit. Obiit autem strenuissimus ipse Rex *Willielmus* IV. Idus Sept. An. Regni sui XXI. & coronationis suæ anno XX.

MLXXXVIII. 1088

Cæpit regnare Rex *Willielmus* coronatus à *Lanfranco Cantuariensi* Archie- *Ruf. à Lanf.*
piscopo. *coron.*

MLXXXIX. 1089

Obiit *Lanfrancus Cantuariensis* Archiepiscopus; successit ei *Anselmus* Abbas. *Lanfranc. ob.*

MXC. 1090

MXCI. 1091

Sexto decimo Kal. Novembris [vehementissimus ventus] percussit civi- *Urbs turbine*
tatem **London.** *vastatur.*

MXCII. 1092

Osmundus Episcopus dedicavit Ecclesiam castri veteris **Saresbery.** & sic re- *Osm. Eccles.*
mansit ibi sedes Episcopalis, quam transtulit de **Schireburn** usque **Sarum.** *Sarum transf.*

MXCIII. 1093

Obiit *Remigius Lincolniensis* Episcopus, successit ei *Robertus* **Bloeth.** *Rem. Linc. ob.*

MXCIV.

MXCIV.

1094 *Wulstan. Wig. obiit.* Obiit Sanctus *Wulstanus Wigorniensis* Episcopus.

MXCV.

1095 *Bellum crucigerorum adversus Turcas.* Prædicante Papa *Vrbano* in celsitudine dignitatis Apostolicæ, facta est per universos Christianorum fines generalis prædicatio de cruce: unde factum est, ut multi Reges & Principes catholici, zelo fidei Christianæ vehementius inflammati, & plebeiæ multitudinis turba, quam dinumerare nemo poterit, sacrosanctæ crucis charactere suos humeros adornabant; & numerosa stipati militia, profecti sunt in terram sanctam, ad debellandum *Turcas* & *Saracenos*, qui civitatem sanctam **Jerusalem** & urbes amplissimas totius *Syriæ* violentis ausibus occupaverant, & omnia loca sacra in quibus nostræ redemtionis mysterium operatum est, suis profanarant immundiciis, duce capitaneo totius exercitus *Godefrido*, de **Buylon** clarissimæ militiæ titulis præsignito. Sane *Robertus* **Curthose** Dux *Normanniæ*, inter cæteros orbis potentissimos, nulli secundus, cum cæteris non procedere duxit inglorium, veruntamen cum ad expensas amplissimas in expeditionis itinere faciendas pecuniam sufficientem non haberet, à fratre suo postumo *Henrico* non modicam pecuniæ summam, quam sibi pater suus in testamento reliquerat, mutuo recepit, & totum *Normanniæ* Ducatum sibi loco pignoris obligavit, & tradidit possidendum, quousque de mutuata sibi pecunia plena fieret satisfactio. Proficiscentes igitur in terram sanctam Christiani, civitatem **Jerusalem**, & omnes civitates, & oppida finitima, Domino cooperante, expulsis *Saracenis* in deditionem receperunt.

MXCVI.

1096 *Scoti debellati.* Commissum est prælium grave inter *Malcolmum* Regem *Scotorum*, & Proceres Aquilonis, in quo Rex ipse, qui diu furiose debacchando partes Aquilonares fere usque ad internecionem depopulaverat, una cum primogenito filio & hærede suo interfectus est.

MXCVII.

1097 *Cometa app.* Cometa apparuit.

MXCVIII.

1098 *Hierosolyma à Godefredo capta.* Capta est **Jerusalem** civitas à Christianis; probitate ducis *Godefridi* & complicium suorum, profligatis *Saracenis*. Fundatum est nobile monasterium *Cisterſi*; & cœpit pullulare & proficere ordo *Cistercienſis*.

MXCIX.

1099 *Urbanus P. ob.* Obiit *Vrbanus* Papa, successit ei *Paschalis*.

MC.

1100 *Guil. Rufus sagitta vulneratus interiit.* Rex *Willielmus Angliæ*, dictus *Rufus*, qui pro eo quod accipitrum & canum ludicris quasi se totum dederat, totum fere Regnum Angliæ in multorum perniciem & omnium regnicolarum dispendium primus afforestavit; propellentibus eum ad interitum peccatis suis, à quodam milite suo *Waltero* **Tyrel**, in nova foresta, tanquam pro fera, confossus sagitta quadam, vulneratus interiit, & nullorum lacrimis deploratus, delatus est **Winton** & ibi sepultus. Hic Dei timore postposito, venerabilem *Anselmum Cantuariensem* Archiepiscopum absque ulla rationis consideratione, de Regno *Angliæ* profligaverat, bonis omnibus spoliatum. Successit eidem *Henricus* frater suus ultimogenitus, solenniter coronatus in festo assumtionis beatæ *Mariæ*. Iste *Henricus* duxit uxorem *Matildam* filiam Regis *Scotiæ*; & Sanctæ *Margaretæ* Reginæ *Scotiæ*, quæ *Matildis* dicta est, *Matildis* bona Regina, de qua genuit unicum filium, nomine *Willielmum*, & unicam filiam nomine *Matildis*, quam postea nubilem fecit desponsari Romano Imperatori *Henrico*. Hic Rex *Henricus Anselmum* Archiepiscopum diutius relegatum, de exilio revocavit, & ad propria restituit. *Henricus succedit.*

MCI.

1101 *Hen. Mat. dux.* Rex *Henricus*, ut prætactum est, *Matildam* filiam Regis *Scotiæ* desponsavit.

MCII.

1102 *Anſel. rev.* *Anſelmus* Archiepiscopus revocatus de exilio, plures Abbates *Angliæ* deposuit.

MCIII.

MCIII. 1103

Orta eſt diſcordia inter Regem *Henricum* & *Anſelmum* Archiepiſcopum *Cantuarienſem*. *R. & Anſ. diſc.*

MCIV. 1104

Inventum eſt corpus Sancti *Cuthberti* incorruptum. *Cuth. rel. inv.*

MCV. 1105

Duæ plenæ lunæ viſæ ſunt in firmamento. *Duæ Lun. viſ.*

MCVI. 1106

Robertus Curthoſe rediens, de terra ſancta confidens de viribus ſuis & ſtrenuitate militiæ ſuæ, Ducatum *Normanniæ* quem fratri ſuo Regi *Henrico*, ſicut ſuperius dictum eſt, impignoraverat, pecunia non ſoluta, contra pactionem inter eos initam, occupare non erubuit: & civitatibus, caſtris & oppidis in deditionem reſumtis, miniſtros fratris ſui Regis *Angliæ* violenter expulit & abjecit, proventibus ejuſdem Ducatus totus incumbens. Quo audito Rex *Henricus*, invitatus à nonnullis *Normannorum* magnatibus, quibus Dux *Robertus* formidabilis fuerat & odioſus, congregato exercitu copioſo ab *Anglia* transfretavit in *Normanniam*, ſibique in adjutorium innumerabilem ſtipendiariorum cœpit adjungere comitivam, de pecunia quæ ſibi copioſius abundavit ſufficienter ſtipendia ſubminiſtrans, fratri ſuo prævaricatori inſido, bellum iniens ad diem certum & locum, ipſumque in prælio apud Tenerchebray cepit, & captum erutis oculis (minus fraterne quam decuerat) captivavit, & compedibus oneravit: & uſque ad diem mortis ſuæ vitam miſerrimam actitare coegit. Eodem anno iterum Cometa apparuit. *Robertus rediens de terra ſancta, Norman. invadit, & vincitur.*

MCVII. 1107

Conſecrati ſunt *Willielmus* Winton. *Rogerus* Saresburie, *Willielmus* Exon. *Emelinus* Hereford. Urbanus *Landavenſis*, Epiſcopi. *Ep. plur. conſ c.*

MCVIII. 1108

Obiit *Gerardus Eboracenſis* Archiepiſcopus, ſucceſſit ei *Thomas*. *Ger. Eb. ob.*

MCIX. 1109

Obiit *Anſelmus Cantuarienſis* Archiepiſcopus, ſucceſſit ei *Radulphus Sagienſis*. *Anſ. Cant. ob.*

MCX. 1110

Henricus Rex deſpondi fecit *Matildam* filiam ſuam, quam unicam de uxore ſua *Matildi bona Regina* progenuerat: quam diu tandem mortuo Imperatore ſine hæredibus ab eo progenitis, *Gaufridus* comes *Andegavenſis* duxit in uxorem: de qua poſtea, multo tempore prius elapſo, genuit filium & vocari fecit *Henricum*. *Matild. Gauf. Andeg. ducit in ux.*

MCXI. 1111

Henricus Imperator cepit Papam *Paſchalem*, cum quo poſtea pacem fecit. *Paſch. P. capt.*

MCXII. 1112

Obiit *Sampſon Wigornienſis* Epiſcopus. Mortalitas hominum maxima in *Anglia*. *Sampſ. Wig. ob.*

MCXIII. 1113

MCXIV. 1114

Obiit *Thomas* junior *Eboracenſis* Archiepiſcopus, cui ſucceſſit *Turſtanus*. Tamiſia exſiccata, & mare ſe retraxit per decem milliaria duobus diebus. Conſecratus eſt *Radulphus Cantuarienſis* Archiepiſcopus. *Tho. Ep. ob. Rad. Cant. conſec.*

MCXV. 1115

Hyems aſperrima in *Anglia*. *Hyems aſp.*

MCXVI. 1116

MCXVII. 1117

MCXVIII. 1118

Obiit *Paſchalis* Papa, cui ſucceſſit *Gelaſius*. *Paſch. P. ob.*

MCXIX. 1119

Obiit *Matilda* Regina *Anglorum*, quæ dicta eſt bona Regina. *Matil. ob.*

MCXX. 1120

Redeunte Rege *Henrico* de *Normannia* in *Angliam*, *Willielmus* filius ejus cum

Williel. princeps submerg. electa multitudine virorum submersus est in mare, in portu qui dicitur Barbesflet, & cum eo *Richardus* dictus le Bastard frater ejus, Comes *Cestriæ*, & quam plures alii nobiles.

1121 MCXXI.

1122 MCXXII.

Hen. Ath. duc. Rex *Henricus* primus duxit in uxorem *Athelisam* filiam Ducis *Lotharingiæ*.

1123 MCXXIII.

Ep. Cant. & Linc. obiere. Obiit *Radulphus Cantuariensis* Archiepiscopus, successit ei *Willielmus* Corbol. Obiit *Robertus Lincolniensis* Episcopus, successit ei *Alexander* frater *Rogeri* Sarum Episcopi. Hic *Rogerus* pauper capellanus de partibus transmarinis adhæsit Regi *Henrico* adhuc minoris ætatis, & factus est capellanus, quo in Regem sublimato factus est Regis Cancellarius, & quasi totius Regni administrator: deinde, volente Rege, factus est Episcopus Sarum; præ nimio superbiæ fastu ædificavit duo munitissima non ignobilia castra; Shireburn. scil. & *Devisas*. Evectus postmodum in sublime, fratrem suum *Alexandrum* ex *Gallia* evocavit in *Angliam*, quique, fratre procurante, factus est Episcopus Lincoln, & fraternæ superbiæ non tepidus æmulator; construxit castra de Newerk, Stafford, Banbury.

1124 MCXXIV.

Calixt. P. obit. Obiit *Kalixtus* Papa, cui successit *Honorius*. Eclipsis solis, adeo ut sol videretur esse similis novæ lunæ.

1125 MCXXV.

Fames in Anglia. Fames maxima per defectum frugum in *Anglia*. Rex *Henricus* gravissimam justitiam fecit de monetariis & falsariis monetæ; nam omnibus qui de falsatione monetæ convinci poterant, abscidit dextras, & ablatis testiculis regnum suum abjurare, & exulare coegit.

1126 MCXXVI.

1127 MCXXVII.

Matilda imp. hæres Regni Angl. declaratur. Rex *Henricus* convocatis totius Regni proceribus, prospiciens quod ejus status præ sua teneritudine pendule vacillabat, eo quod non habebat hæredem masculum de corpore suo legitime procreatum, qui sibi possit jure hæreditario in Regno succedere, fecit eos jurare fidelitatem filiæ suæ *Matildi* Imperatrici, & hæredibus ex ea procreandis, quæ nondum de corpore suo sobolem procreaverat; inter eos qui juraverant primus & præcipuus extitit *Stephanus* Comes *Bononiæ* & *Blesensiæ*, Regis *Henrici* ex sorore sua nepos, qui non solum in persona propria sacramentum fidelitatis emisit, sed & aliis Regni proceribus jurisjurandi formam præstruxit. Siquidem idem *Stephanus* majoris *Stephani* Comitis *Bononiæ* primogenitus & hæres, promovente ipsum avunculo suo Rege *Henrico*, unicam filiam & hæredem Comitis *Blesensiæ* duxerat in uxorem: unde factum est, ut ex successione paterna Comitatum *Bononiæ*, & per uxorem suam Comitatum *Blesensiæ* pariter possideret.

1128 MCXXVIII.

Ric. Lond. ob. Obiit *Richardus Londonensis* Episcopus, cui successit *Gilebertus*.

1129 MCXXIX.

Honorius P. obiit. Obiit *Honorius* Papa, successit ei *Innocentius*. *Robertus* de Oyli fundavit monasterium Oseneye.

1130 MCXXX.

Hen. Eccl. Cant. dedic. Rex *Henricus* fecit dedicari Ecclesiam cathedralem monachorum monasterii Sanctæ Trinitatis *Cantuariensis*.

1131 MCXXXI.

1132 MCXXXII.

1133 MCXXXIII.

Rob. Dux Norman. obiit. Obiit in carcere *Robertus* Curtehose Dux *Normanniæ*, quem frater suus Rex *Henricus*, sicut superius annotatum, cepit in bello, & usque hactenus tenuit captivatum. Eodem anno facta est Eclipsis solis, adeo ut sol videretur similis tertiæ lunæ.

1134 MCXXXIV.

MCXXXV.

MCXXXV.

Obiit sereniſſimus Rex *Henricus* primus IV. Nonas Decembris; corpus ejus à *Normannis* in *Angliam* delatum, ſepultum eſt apud Radinges in monaſterio monachorum quod fundavit, & copioſis ditavit poſſeſſionibus. Succeſſit eidem in Regno *Stephanus* Comes *Bononiæ*, ejus,ut prætactum eſt, ex ſorore nepos; præter ſacramentum quod *Matildi* filiæ Regis de obſervanda fidelitate præſtiterat, annuentibus præſulibus & proceribus Regni,conſiliis perjurii crimine irretitis. Sane Proceres & Pontifices Regni, quia *Matildis* Imperatrix quæ Comiti *Andegavenſi Gaufrido* nupſerat, nullam adhuc de corpore ſuo prolem procreaverat, ut Regni profectibus providerent, ne Regnum ſine Rege periclitaretur, ipſum *Stephanum* tanquam propinquiorem hæredem in Regem ſublimarunt. Conſecratus eſt autem à *Willielmo* tunc *Cantuarienſi* Archiepiſcopo IV. Feb. Anno eodem, coronationis primo, idem Rex *Stephanus* obſedit Caſtrum Oxon, & cepit. 1135 *Henr. obiit, Stephanus ſuccedit.*

MCXXXVI.

Rex *Stephanus* confidens in potentia virtutis ſuæ transfretavit in *Galliam*, & congregato exercitu copioſo, procedens in *Andegaviam* propoſuit debellare *Galfridum Andegaviæ* Comitem, qui *Matildem* imperatricem duxerat in uxorem; proſpexerat enim, quod ſi Imperatrix prolem de corpore ſuo generaret, bella ſibi minime defutura. At Comes neceſſitatem vertens in alacritatem, Regi terram ſuam invadenti potenter occurrit, ipſumque militari virtute repulſans, infecto propoſito eum *Angliam* repatriare non ſine [dedecore] compellebat. Imperatrix quoque, jam gravida, peperit filium ab eodem Comite procreatum, quem avito nomine nuncupavit *Henricum*; cui, ſicut prætactum eſt, Regnum *Angliæ* jure hæreditario competebat. 1136 *Stephanus Galfrid. Andegav. oppugnat.*

MCXXXVII.

Commiſſum eſt grave prælium inter *Normannos* & *Wallenſes* apud Kardigan in quo pluribus interfectis *Normannis*. . . . . 1137 *Wall. Norm. vinc.*

MCXXXVIII.

Obiit *Willielmus Cantuarienſis* Archiepiſcopus,ſucceſſit ei vir venerabilis *Theobaldus*. Eodem anno Imperatrix Comitiſſa *Andegaviæ*, editæ jam maſculæ ſobolis fœcunditate gaviſa, muliebrem animum exuens & virilem induens, de via pelagi pericula non formidans, aſſumto ſecum filio ſuo adhuc impubere, ut puta in cunabilis vagiente, conſentiente marito ſuo Comite *Andegavenſi*, qui ne terras ſuas relinqueret indefenſas,cum ea transfretare tutum fore non decrevit; claſſe parata cum militaribus copiis naves aſcendit, & aura gratius arridente,ſecundis flatibus navigando,applicuit in *Angliam*,ut jus quod filio ſuo ſuper Regno *Angliæ* proavorum ſucceſſione,& avunculi ſui aſſignatione,radice rectiſſima, vendicaret. Proceres quoque Regni quorum animus jurisjurandi tranſgreſſio vacillabat, provida deliberatione ſibi conciliabat, effecturum denuncians Regi *Stephano* alieni juris invaſori, ſeu potius intruſori, ut vel Regno cederet, aut ad motus bellicos præpararet. Evocavit in adjutorium ſuum Imperatrix virum nominatiſſimum & potentem, ac militari ſtrenuitate præclarum, fratrem ſuum *Robertum* Comitem *Glouceſtrenſem*, quem pater ſuus Rex *Henricus* de non legitimo concubitu progenuerat, in quo ſibi uſque adeo complacebat, ut filiam unicam & hæredem cujuſdam Comitis *Glouceſtrenſis*, conjugali ſibi matrimonio copularet: caſtra quoque munitiſſima Briſtoll & Marleberg & alias terras ampliſſimas aſſignaret. Is congregata militum & bellatorum caterva non modica, ſororis ſuæ non mediocriter auxit exercitum, eique totis viribus aſſiſtebat: initia dolorum hoc malum; it per totum Regnum guerra deteſtabilis, nam Imperatrix cum fautoribus ſuis Regem viriliter impetebat. Rex multos de proceribus regni, qui pejerare non erubuerant, ſibi conjunxerat, & quamplures alienigenas in ſuum adjutorium accerſivit, quorum fultus auxilio, partis adverſæ conatus militariter propulſabat. Hinc factum eſt ut inter partes mutuo concertantes, diverſimodis caſibus alternaretur fortuna; Rex interdum Imperatricis conatibus & ſuorum refiſtere non 1138 *Imperatrix Matilda, contra Stephanum bellum movet.*

 prævalens,

prævalens, verecunde ſuccubuit: aliquotiens Imperatrix inſtabilis fortunæ volubilitatem experta, Regi non ſine ſuorum diſpendio tergum dedit. Eodem anno commiſſum eſt grave prælium inter *Anglos* & *Scotos* apud **Albertone**, ubi erectum & eductum eſt **Standardum**, cujus uſque hodie memoria non ſopitur.

1139 MCXXXIX.

Stephan. R. incarcerat. Sar. & Linc. Epiſc.

Rex *Stephanus* minus ſano ductus conſilio cepit & incarceravit duos fratres *Rogerum* **Sarum** & *Alexandrum* **Lincoln** Epiſcopos, & abſtulit ab eis omnia caſtra quæ ſuis ſumtibus ædificaverant, de quibus ſupra fit mentio, ut in eis ſibi & ſuis refugium præpararet.

1140 MCXL.

1141 MCXLI.

Steph. R. ap. Linc. victus, capitur. Apud Wilt. fautores imper. male gugnant, & Rob. Glouc. Com. capitur.

Rex *Stephanus* caſu devenit **Lincoln**. ubi occurrerunt ei proceres qui favebant Imperatrici, & irruentes in Regios inopinate, Regi prælium intulerant: & captus eſt Rex in prælio, fautoribus ſuis quam pluribus interfectis, reliquis ægre evadentibus, Rege per Proceres captivato. Dum hæc *Lincolniæ* agerentur comiſſum eſt & aliud prælium inter Regios & fautores Imperatricis apud **Wilton**, in quo captus eſt *Robertus* Comes *Glouceſtrencis*, & carcerali cuſtodia mancipatus, cæteris ignominioſe propulſatis. Doluit Imperatrix de fratris ſui & aliorum fautorum ſuorum captivatione, habito tandem de captivorum liberatione inter partes tractatu, pro Comite *Roberto* redditus eſt Rex *Stephanus*: quibus libertati priſtinæ reſtitutis, redivivus guerræ furor vehementius ſolito cœpit inter partes excandeſcere. Deſtructa eſt **Winton.**

1142 MCXLII.

Impr. obſeſſa Oxoniæ, nocte elabitur.

Rex *Stephanus* comperto quod Imperatrix cauſa refugii in caſtro **Oxon** ſe repoſuerat, obſedit caſtrum, & incluſam ſic arctavit, ut mediæ noctis intempeſtæ ſilentio, cogeretur induta veſtibus linteis, quia nix vehemens ingruebat, cum quatuor tantum militibus, ſimili amictu, ne viderentur, indutis, fluvium *Tameſiæ* ſuper glaciem clanculo pertranſire; ſicque manus Regis evaſit, & in tutiora ſe loca recepit.

1143 MCXLIII.

Innoc. P. ob.

Obiit *Innocentius* Papa; ſucceſſit ei *Celeſtinus*, pauco tempore poſt victurus.

1144 MCCXLIV.

Celeſt. P. ob.

Obiit *Celeſtinus*; ſucceſſit ei *Lucius*, in brevi poſt ſimiliter moriturus. Aſperrima fames in *Anglia* pro defectu frugum, unde factum eſt ut Anglia duplici incommodo famis ſimul & guerræ totaliter attenuata contabeſceret. Puer quidam Chriſtianus crucifixus eſt à *Judæis*, in civitate **Norwic.**

1145 MCXLV.

Lucius P. ob.

Obiit *Lucius* Papa, ſucceſſit ei *Eugenius*.

1146 MCXLVI.

1147 MCXLVII.

Secund. tranſfret. Chriſtianorum ad Terram S.

Secunda transfretatio Chriſtianorum in terram ſanctam, ut invaderent *Saracenos*; in qua *Conradus* Rex *Alemanniæ* & *Lodowicus* Rex *Franciæ* cum turba plurima bellatorum, viam mediterranei maris relinquentes, profecti ſunt per terram, quouſque perveniſſent in *Græciam*, in regionem *Conſtantinopolitanam*: juxta, nobilem illam civitatem *Antiochiam*, quæ à perfidis *Saracenis* per dolum fuerat occupata, ſuis conatibus liberarent. Fundata eſt Abbatia **Bruern** ordinis *Ciſterciencis*.

1148 MCXLVIII.

Alex. Linc. & Rob. Heref. Ep. ob. Eugen. P. celeb. concil. Remenſ.

Obiit *Alexander Lincolnienſis* Epiſcopus, cui ſucceſſit *Robertus* de **Chefny.** Obiit *Robertus* **Hereford** Epiſcopus, cui ſucceſſit *Robertus Foliot*, poſtea per poſtulationem **London** Epiſcopus. Eodem anno *Eugenius* Papa veniens citra montes, celebravit generale concilium in civitate *Remenſi*. Hic *Eugenius* & beatus *Bernardus Clarevallenſis*, dudum fuerunt ſocii ſpirituales in ſcholis.

1149 MCXLIX.

MCL.

MCL.

Obiit *Simon* Wigorn Episcopus, successit ei *Johannes* de Pageham. 1150 *Sim. Wig. ob.*

MCLI.

Obiit *Galfridus* Comes *Andegaviæ*; pater *Henrici* qui postea fuit Rex *Angliæ*. Hic Comes *Galfridus* præpotens in robore militari dum vixit, dum conjux ipsius cum filio suo morabatur in *Anglia*, ne in tempore otii foret otiosus, finitimum sibi ducatum *Normanniæ*, & omnes alias terras transmarinas, quæ filio suo jure hæreditario competebant, militari probitate subnixus sibi subjugavit, civitates & castra sufficientibus undecunque præsidiis muniendo. Imperatrix quoque filium suum adhuc impuberem, dum Regem *Stephanum* forte bellica fatigaret, clarissimo principi *David* Regi *Scotorum* tradiderat nutriendum. Cum igitur idem *Henricus* sextum decimum annum ætatis suæ attigisset, Rex ipse *Scotorum* prospiciens ipsum jam aptum armorum & præliorum exercitiis, eum apud Carleol militis cingulo decoravit. Hic audita morte patris, cum omni celeritate ad partes se transtulit *Gallicanas*, & *Andegaviam* ex successione paterna, *Normanniam* & *Cenomaniam*, ceterasque terras avito sibi jure competentes, nullo prorsus resistente in deditionem accepit: & spreto nomine Comitis, induit nomen Ducis, & se Ducem *Normanniæ* publice proclamabat. Eodem anno obiit *Matildis* Regina *Anglorum*, uxor Regis, & *Eustachius* ejusdem Regis primogenitus, qui futurus successor regni sperabatur. Idem *Eustachius* filiam *Lodowici* Regis *Francorum* duxerat in uxorem. Rex itaque jam senex effectus, sentiens se per mortem uxoris & fratris sui, & primogeniti sui à Domino flagellatum, cœpit cogitare potius cogitationes pacis quam belli.

1151 *Galf. com. Andeg. ob. Filius ejus H. ditiones ejus recipit.*

MCLII.

Agitata diutius lite inter *Alienoram* Reginam *Francorum*, & virum suum Regem, ipsa Regina acriter petente divortium ratione consanguinitatis, quam proposuit inter se & virum suum: Auctoritate Apostolica celebratum est divortium inter eos; instantius autem laborabat ad divortium, eo quod ad nuptias *Henrici* Ducis *Normanniæ*, & futuri Regis *Angliæ*, ferventius aspirabat. Erat & ipsa filia unica & hæres Ducis *Aquitaniæ*, quam nos *Vasconiam* nuncupamus. Soluto quoque matrimonio inter ipsam & Regem, ad nuptias Ducis quas concupierat illico convolavit, unde factum est ut Dux *Henricus* jus hæreditarium uxoris suæ, Ducatum *Aquitaniæ* etiam invito Rege *Francorum* exigente, cum justicia in deditionem acciperet, & Ducatui *Normanniæ* & Comitatibus *Andegaviæ* & *Cenomaniæ* sociaret, & cœpit inter primos orbis proceres tanquam famosissimus reputari. Hæc secundum historiæ veritatem huic opusculo dignum inserenda judicavi. Possessiones istas amplissimas tenuit & possedit idem Dux & posteri ejus usque usque ad tempus Regis *Johannis*, qui malis innumeris crebrescentibus circa eum, eas sua mollitie perdidit.

1152 *Alienora Henrico nub. thalamis R. Franc. relict.*

MCLIII.

Mediatoribus multis efficacissime laborantibus facta est pax inter Regem *Stephanum*, & *Henricum* Ducem, ita ut *Stephanus* quamdiu vivet pacifice Regnum *Angliæ* possideret, quo mortuo *Henricus* Dux *Normanniæ* tanquam hæres legitimus eidem in Regno succederet, quem Rex adoptavit in filium, & hæredem sibi successurum publice designavit, & sic cessavit guerra quæ Regnum *Anglcæ* per xv. fere annos conquassaverat. Eodem anno obiit *Eugenius* Papa, successit ei *Anastasius*. Obiit etiam sanctus *Bernardus* Abbas *Clarevallensis*.

1153 *Pax inter Steph. & Henr. facta. Eugen. P. ob. & S. Bern.*

MCLIV.

Obiit Rex *Stephanus* VIII. Kal. Novembris, Sepultus est in Monasterio de Faversham in *Cantia* quod à fundamentis extruxerat, & sufficientibus possessionibus ampliavit. Obiit *Henricus Eboracensis* Archiepiscopus, successit ei *Willielmus* qui cito obiit, cui successit *Rogerus*.

1154 *Stephan. R. ob. nec non. Hen. & Will. Arch. Eb.*

MCLV.

Dux *Henricus* audita morte Regis *Stephani* statim de *Normannia* venit in *Angliam*, & honorifice susceptus à Clero & populo, solenniter coronatus est apud

1155 *Henr. Rex Ang. coron.*

Anast. P. ob. apud *Westmonasterium*, à *Theobaldo* tunc *Cantuariensi* Archiepiscopo XIV. Kal. Julii. Eodem anno obiit *Anastasius* Papa, cui successit *Nicolaus* natione *Anglicus* natus apud sanctum *Albanum*.

MLVI.

1156 *Henr. Rex Flandrenses Angl. pellit.* Mense Octobris apparuit signum crucis in luna. Rex *Henricus* transfretavit; & civitates & castra quæ ad se desciverant, & ab ejus se fidelitate subtraxerant, strenuissima probitate resumsit, rediensque in *Angliam* omnes alienigenas, præcipue *Flandrenses*, qui regi *Stephano* adhæserant omnibus possessionibus suis, quas in *Anglia* possederant, spoliatos profligavit; & repatriare coegit: castra & munitiones, quas tempore hostilitatis construxerant, solo tenus complanavit.

MCLVII.

1157 *Henr. Rex contra Scotos, & etiam Wallenses prospere pug.* Rex *Henricus* fortuna sibi gratius arridente, Regem *Scotorum* sic arctavit, ut omnes terras Aquilonares scil. **Northumberland**, **Cumberland**, & **Westmerland**, quas tempore hostilitatis injuste occupaverat, resignaret. Quo facto, congregato exercitu processit ad partes *Walliæ*, ut Principes & provinciales suo dominio subjugaret. Quippe *Wallenses* in primo conflictu in saltibus inviis, ut moris eorum est, latitarunt: exercitum Regis de latibulis egredientes viriliter impetentes, fugere compulerunt, pluribus tam nobilibus quam plebeis inhumaniter interfectis; Rege vix excidium evadente. Rex itaque suorum exercituum & suam verecundiam ægre ferens, eosdem cautius solito cœpit impetere, & classe non modica ex uno latere, & exercitu cautius instructo ex altero circumcingens, invitos compulit suppliciter veniam petere, & se suis beneplacitis coaptare: & ut majorem de fidelitate servanda sibi facerent securitatem, *Howellum* inter *Wallenses* potentissimum, & alios plures; Regi nomine obsidum tradiderunt.

MCLVIII.

1158 *Jo. Wig. ob.* Obiit *Johannes* **Wigorn** Episcopus, cui successit *Aluredus*.

MCLIX.

1159 *Henr. R. fratrem suum novis rebus studentem vincit.* Rex *Henricus*, audito quod *Gaufridus* frater suus secundo genitus, cui pater eorum Comitatum *Andegavensem*, licet injuste in testamento moriturus assignavit, ita tamen quod tribus castris munitissimis **Chinone**. **Lendone**, & **Mirebelle**, contentus esset, quousque frater suus primogenitus *Henricus* Regnum *Angliæ* fuisset adeptus, & pacifice possideret; Comitatum *Andegaviæ* potenter invaderet, & ex testamento jus sibi perfunctorium vendicaret: copiosum exercitum maris devia peragrando duxit ad *Tholosam*, fratremque suum tam viriliter coarctavit, ut supradicta tria castra sibi reddere cogeretur; cui tamen res, & terras quasdam planas, ad victum gratiose concessit.

MCLX.

1160 *Henricus Lincolnia denuo Coronatus:* Rex *Henricus* iterum se fecit solenniter coronari apud **Lincoln**, non infra civitatem, sed in suburbio. Eodem anno obiit *Adrianus* Papa; quo defuncto, cardinalibus in electione discordantibus, electi sunt duo, *Rollandus* qui & *Alexander* dictus, à majori & saniori parte cardinalium canonice electus & consecratus est. Hujus partem fovebat Regnum *Apuliæ*, *Siciliæ* & *Calabriæ*, & tandem Reges *Franciæ* & *Angliæ*, imo etiam universales ecclesiæ *Latinorum*, exceptis tamen *Lombardis* & *Teutonicis* qui ditioni Imperatoris *Frederici* fuerant subjugati. A minoribus & paucioribus minus canonice electus est *Octavianus*, qui & *Victor* nuncupatus est, hujus partem solus fovebat Imperator & provinciæ suo dominio subjugatæ; & factum est schisma magnum in universali Ecclesia Catholica.

Duo simul papatum invadunt.

MCLXI.

1161 *Theobald. obiit.* Obiit *Theobaldus Cantuariensis* Archiepiscopus, qui beatum *Thomam*, dictum de **London**, sincerissime diligebat; cui dudum Archidiaconatum *Cantuariensem* contulerat: insuper & eum Regis fecit esse Cancellarium, quique defuncto *Theobaldo*, electus est in Archiepiscopum Cantuariensem.

MCLXII.

1162 *Thomas succedit.* Beatus *Thomas Cantuariensis* Archiepiscopus, consecratus est III. Nonas Junii.

MCLXIII.

MCLXIII.

Alexander Papa per maris devia navigando, ut insidias *Octaviani* & *Frederici* Imperatoris fautoris sui declinaret, valedicens *Apuliæ* devenit in *Gallias*, & occurrentibus & applaudentibus sibi Regibus *Angliæ* & *Franciæ*, gratumque sibi favorem præstantibus, convocatis universis occidentalis Ecclesiæ prælatis, generale concilium in civitate *Turonensi* magnifice celebravit. Interfuit autem eidem concilio venerabilis *Thomas Cantuariensis* Archiepiscopus. Eodem anno nondum plene emenso, orta est dissentio inter Regem *Angliæ* & sanctum *Thomam Cantuariensem* Archiepiscopum. 1163 *Alex. P. in Galliam fugit.*

MCLXIV.

Beatus *Thomas* ingravescente discordia inter ipsum & Regem, prout in vita ejusdem sancti plenius exponitur, & malis circa eum crebrescentibus, elegit exilium, & ne deterius sibi contingeret, partes adiit *Gallicanas*. Eodem anno XIV. Kal. Octobris circa horam nonam visi sunt in firmamento tres circuli varii quatuor colorum ad modum iridis, postea illis disparentibus, quasi duo soles apparuerunt. 1164 *Discordant Rex Angl. & Archiep. Duo soles apparent.*

MCLXV.

MCLXVI. 1165

MCLXVII. 1166

Obiit *Robertus Lincolniensis* Episcopus, post cujus obitum vacavit sedes Lincoln feres XVII annis: ita ut quia fratre quodam converso de *Thame* ordinis Cistercienfis, qui quasi propheta habebatur à laicis, afferente, quod nunquam in Lincoln futurus esset Episcopus, fides ei credula adhiberetur. 1167 *Rob. Linc. obiit.*

MCLXVIII.

Obiit *Matildis* Imperatrix mater Regis *Henrici*. 1168 *Matilda ob.*

MCLXIX.

MCLXX. 1169

Henricus Rex *Angliæ* quatuor habens filios, scil. *Henricum* primogenitum, *Richardum* secundo genitum, postea Regem *Angliæ*, militem strenuissimum, *Galfridum Plantagenet* tertio genitum, *Johannem* dictum sine terra, quarto genitum, postea Regem *Angliæ*. *Henricum* filium suum primogenitum exulante Sancto *Thoma* solenniter fecit coronari in Regem à *Rogero* tunc *Eboracensi* Archiepiscopo in præjudicium Cantuariensis Archiepiscopi, assistentibus sibi & cooperantibus universis Regni *Angliæ* Episcopis, ex quo orta est dissentio inter dominum *Cantuariensem* & suffraganeos suos, quæ fuit causa martyrizationis beati *Thomæ*. 1170 *Henricus filium ejusdem nominis, coronandum curat.*

MCLXXI.

Passus est beatus *Thomas* iu Ecclesia *Cantuariensi*. Eodem anno Rex *Henricus* primo adiit *Hiberniam*. 1171 *Tho. Becket occiditur.*

MCLXXII.

Henricus Rex junior, sic enim vulgo vocatur, iterum cum Regina juniore uxore sua coronatus est apud *Westmonasterium*. 1172 *Henricus cum Regina coron.*

MCLXXIII.

Rex *Henricus* junior ambitione regnandi, ut rem cum nomine possideret, in inhumanam præsumtionem degeneris *Absalonis* mutari non erubuit, cum potius ut patris Regnum & regnandi potestatem adimeret, ad partes se transtulit *Gallicanas*; Regis *Francorum*, qui patri suo adversarius semper extitit & infestus, consilio totaliter se committens; cujus vallatus adjutorio, terras omnes transmarinas, nullo sibi resistente, tempore sibi modico subjugavit. Confluebant ad filium, relicto patre, nonnulli de proceribus *Anglicorum*, quorum præcipui fuerunt *Robertus* Comes *Leycestriæ*, & *Hugo Bigotus* Comes *Norfolciæ*. Evocabat etiam ad se tres fratres suos licet adhuc impuberes; *Richardum*, *Galfridum*, & *Johannem*. Dum hæc agerentur, Rex *Scotorum* partes Aquilonares crudelissima depopulatione vastavit. Rex igitur senior undequaque coarctatus, explicatis thesauris Regiis quorum sibi copia suppetebat, providens quod *Anglia* fere omnis à se desciverat, evocatis XX. Mille stipendiariis robustis- 1173 *Henricus 2. contra patrem consilia init.*

robustissimis, & doctis ad prælium, *Brabantoribus*, *Rutariis*, & *Avallensibus*, stipendiis abundantissime ministratis, transfretavit in *Galliam*, filiumque suum sibi rebellantem, Regem fautorem suum & eorum exercitus repulsatos, non sine confusione maxima in *Franciam* repedare coegit: castra, civitates & oppida, quæ occupaverant, reassumens. Interim *Richardus* de *Lucy*, cui absente Rege Regni cura commissa fuit, obsedit *Leycestriam* & cepit, muros prostravit, & solo tenus complanavit, indeque progrediens ad partes Aquilonares ad Regem *Scotorum*, cum maximo dedecore repatriare coegit. Comes *Leycestriæ* in ultionem destructionis *Leycestriæ*, favente sibi *Hugone*, x. Mille *Flandrenses* navigio transvexit in *Angliam*, qui omnes dum è **Suffolk** procedere cogitarent ad partes *Leycestriæ*, comprehensi per Regios, ad duo milliaria prope sanctum *Edmundum* in vico qui dicitur **Fourham**, à minimo usque ad maximum interfecti sunt; sicque Regnum *Angliæ* tranquilla pace gaudebat, sed non diu. Nempe Rex *Scotorum* ad detergendam ignominiam præcedentem, iterum Aquilonarem provinciam cœpit invadere; quo comperto *Randulphus* de **Glanvill**, *Bernardus* de **Baliol** cum pauco exercitu occurrerunt, habito quoque congressu cum Scotis prope castrum de **Alnewick**, Regem ceperunt, totumque exercitum ejus vel ceperunt vel interfecerunt. Commissum est hoc prælium ann MCLXXIV. tertio Id. Julii, Rege *Scotorum* in castro **Richmond**, carcerali custodiæ mancipato. Captus est ibidem cum Rege *Scotorum* adjutor ejus præcipuus *Robertus* comes *Leycestriæ*, missusque est captivus ad Regem.

MCLXXIV.

1174 *Plures Episcop. consecrati. Henricus cum filio reconciliatur.*

Richardus Prior **Dover**, consecratus est Archiepiscopus *Cantuariensis*, & cum eo *Galfridus Eliensis*, *Johannes Norwicensis*, *Petrus Wintoniensis*, *Johannes Cicestrensis*, *Reginaldus Bathoniensis*, *Robertus Foliot*, *Herefordensis* Episcopi. Eodem anno mediatoribus plurimis potissime laborantibus, facta est concordia inter Regem *Henricum* & filium sub hac forma. Filius qui patrem offenderat humiliter ad patrem veniens reatum suum, quem inficiari non poterat, publice recognovit; veniam suppliciter petiit & obtinuit, satisfactionem spopondit & adimplevit. Quippe quod ulterius patrem non inquietaret, trifariam præstitit cautionem; Juratoriam, dum corporale præstitit sacramentum de fidelitate servanda, in terra tanquam Domino, hominium fecit: Fidejussoriam, dum multi potentes & nobiles gratis pro eo fidejubent: Pignoratívam, obsides ingenuos in patris custodiam deputando. Tres quoque fratres minores, pater facile & impune admisit ad gratiam, quos ætatis immaturitas excusabat, ipsi quoque cum patre remanserunt: senior in provinciis *Andegaviæ* & *Aquitaniæ*, quas pater sibi concesserat, continue morabatur. Eodem anno *Galfridus* frater Regis *Henrici* de non legitimo concubitu progenitus, electus est in Episcopum **Lincoln**: qui tunc ad digniorem aspirans celsitudinem, munus consecrationis suscipere recusavit, temporalibus commodis ejusdem Episcopatus nomine electi totus incumbens, usque ad annum Domini sequentem.

MCLXXV.

1175 *Galfridus Henr. filius, filiæ Comitis Britanniæ despondetur.*

Rex *Scotorum* & *Robertus* Comes, sicut superius tactum est, quia series historiæ sic poscebat, capti sunt prope **Alnewyk**. Rex *Henricus* rebus in *Normannia* ad votum dispositis, processit in *Britanniam* minorem, & filiam unicam & hæredem Comitis *Britanniæ Galfrido* filio suo cognomento **Plantagenest**, despondit; de qua processu temporis genuit *Arthurum* & *Alienoram*, de quibus suo loco dicetur. Anno eodem facta est pax inter *Henricum* Regem *Angliæ* seniorem, & *Lodovicum* Regem *Franciæ*, qui partem *Henrici* junioris diu foverat contra patrem.

1176 MCLXXVI.

1177 MCLXXVII.

Schisma antipaparum cessat.

Fredericus Imperator venit in *Angliam*, & relicto Papa *Victore* schismatico, cui longo tempore tam potenter adhæserat, saniori ductus consilio, *Alexan-*

dro

dro Papæ cœpit propenſius adhærere, & ſic ceſſante ſchiſmate, quod Eccleſiam diu ſciderat, factum eſt gaudium magnum in univerſali Eccleſia Catholica.

MCLXXVIII. 1178

MCLXXIX. 1179

Lodowicus Rex auditis miraculis quæ dominus operabatur per beatum *Thomam*, quem toto exilii ſui tempore tam honorifice exhibuit, venit in *Angliam* pro veneratione Martyris ſupradicti.

Ludo. tumulum Tho. Becket inviſit.

MCLXXX. 1180

Henricus Rex mutavit monetam ſuam. Tranſlatæ ſunt reliquiæ *Frithefwithæ* Oxon, & loculo honorifice repoſitæ.

S. Frideſ. reliquiæ Ox. tran.

MCLXXXI. 1181

Obiit *Lodowicus* Rex *Francorum*, ſucceſſit ei *Philippus* filius ejus, in puerili ætate coronatus. Obiit *Alexander* Papa, cui ſucceſſit *Lucius*.

Ludov. ob. ut & Alex. P.

MCLXXXII. 1182

MCLXXXIII. 1183

Obiit Rex *Henricus* minor in partibus tranſmarinis. Conſecrati ſunt *Gualterus* de *Conſtantia* Lincoln Epiſcopus, & *Gerardus Ceſtrenſis* Epiſcopus.

Henricus minor obiit.

MCLXXXIV. 1184

Obiit *Richardus Cantuarienſis* Archiepiſcopus, ſucceſſit ei *Baldwinus*. Obiit & *Gerardus Ceſtrenſis* Epiſcopus, cui ſucceſſit *Hugo*. Obiit & *Joſelinus* Sarum Epiſcopus, recepto prius habitu Monachorum *Ciſtercienſium*. Anno eodem XVII. Kal. Februarii factus eſt terræmotus in pluribus locis per *Angliam*, circa mediam noctem, & audita ſunt tonitrua valde terribilia.

Epiſcopi plures obiere.

MCLXXXV. 1185

Conſecratus eſt *Baldwinus Cantuarienſis* Archiepiſcopus, *Gualterus* Lincoln; poſtulatione de ſe facta relicto Epiſcopatu Lincoln, factus eſt *Rotomagienſis* Archiepiſcopus. Obiit *Lucius* Papa, cui ſucceſſit *Urbanus*. Venit *Heraclius* patriarcha in *Angliam* pro negotio terræ ſanctæ. *Johannes* filius Regis *Henrici* ultimo genitus, cognomento ſine terra, copioſum exercitum duxit in Hiberniam.

Baldwinus fit Archiep. Cant. Obiit Lucius P. ſuccedit Urbanus.

MCLXXXVI. 1186

Sanctus *Hugo* Monachus, ordinis *Carthuſienſis*, conſecratus eſt in Epiſcopum Lincoln. Conſecrati ſunt & *Willielmus* Wigorn, *Johannes* Exon, & *Reynerus* Sancti *Aſaph* Epiſcopi.

Plures Epiſcopi conſecrantur.

MCLXXXVII. 1187

Obiit *Gilbertus* London Epiſcopus. Commiſſo prælio inter Chriſtianos & paganos in terra ſancta apparuit ſancta crux in cœlo. *Saladinus* cepit civitatem ſanctam Jeruſalem.

Gilb. Lond. ob. Saladinus Hier ſ. capit.

MCLXXXVIII. 1188

Rex *Henricus* & Rex *Francorum Lodowicus* ſimul acceperunt crucem, ut venirent in terram Sanctam, quorum exemplo animati Dux *Burgundiæ*, Comes *Flandriæ*, & Comes *Campaniæ*, & utriuſque Regni nobilium & plebeiorum innumerabilis multitudo, crucem ſimiliter acceperunt, & conceſſit Dominus Papa Regibus ſupradictis, decimam partem omnium bonorum mobilium regnorum ſuorum percipiendam de regnicolis ſuis, non ſolum de laicis ſed & de Clericis, tam ſecularibus quam religioſis, ſicque decimata eſt tota *Anglia*. Obiit *Richardus* Winton Epiſcopus.

Reges Angliæ & Franciæ, aliique crucem acceperunt.

MCLXXXIX. 1189

Obiit ſereniſſimus Rex *Angliæ* II. Nonas Julii, ſcil. in octavis Apoſtolorum *Petri* & *Pauli*: cujus tempore paſſus eſt beatus *Thomas*, & ſepultus eſt Rex in partibus tranſmarinis, in illo nobili monaſterio Monialium fontis *Ebrandi*. Quo defuncto filius ejus Rex Regum nominatiſſimus, de partibus Galliæ citius veniens in *Angliam* ſolenniter coronatus eſt apud *Weſtmonaſterium*, à *Baldwino* tunc *Cantuarienſi* Archiepiſcopo, III. Nonas Septembris. Eodem die dum Dominus Rex, expleto coronationis ſuæ ſolennio, cum proceribus

Henricus primus obiit.

Tumultus Londini adverſus Judæos.

sederet in convivio, orta est contentio inter Christianos & Judæos ante fores palatii, ibique interfectus est quidam *Judæus Eboracensis* famosissimus, nomine *Josias*, alter nomine *Benedictus* graviter vulneratus confugit ad ecclesiam, & à Christianis baptizatus est: nec mora, incenduntur domus Judæorum in civitate **London**: & innumerabilis Judæorum interfectus est numerus, quidam vero flammis exusti, & bonis omnibus spoliati descenderunt ad inferos in momento. Judæus ille qui baptizatus fuerat ductus est ante Regem, & interrogatus an vellet esse Christianus, respondit quod non, asserens quod invitus coactus est baptizari, quique Rege jubente redditus est Judæis, sed invalescente angustia vulnerum, vix per triduum supervixit, pejor factus, ut non solum Judæus sed & Apostata moreretur.

MCXC.

1190 *Richardus Angliæ & Philippus Galliæ Henr. Alem. crucem accepe-runt.*

Rex *Anglorum Richardus* transfretavit in *Galliam*, & fœdere inito inter ipsum & *Philippum* Regem *Francorum*, sacræ devotionis instinctu simul acceperunt crucem, firmiter statuentes simul procedere in terram sanctam. *Henricus* filius *Frederici* Romanorum, similiter cum proceribus *Alemanniæ* & *Italiæ* crucem accepit. Interim *Anglicorum* juventus ingenua quam dinumerare nemo poterat, vexillo crucis similiter insignita, in Judæos *Eboraci* **Lincoln**, **Stanford**, cæterarumque civitatum & oppidorum Regni *Angliæ* proclivius irruentes, inæstimabilem multitudinem trucidantes, bonis omnibus spoliarunt, arbitrantes obsequium se præstare Deo, dum inimicos crucis *Christi* suis viribus exterminarent, & de thesauris eorum ad proficiscendum in terram sanctam expensas sibi necessarias præparent.

MCXCI.

1191 *Discordia in Sicilia inter Reges Angliæ & Franciæ.*

Duo Reges supradicti mare mediterraneum transnavigantes, cœperunt iter arripere quod voverunt. Eodem anno *Hugo Coventrensis* Episcopus, ejectis Monachis Monasterii *Coventrensis*, Canonicos regulares ibidem instituit: sed Monachi procedentes ad curiam *Romanam*, exponentes querimoniam auctoritate Apostolica Canonicos ejecerunt, & in statum pristinum, brevi temporis labente curriculo, restituti sunt. Eodem anno Reges, supradicti processerunt in *Siciliam*, processit quoque Rex *Francorum*, & applicuit ad urbem *Messanam* ut hyemaret ibidem, & receptus à civibus, hospitia præparavit. Rex itaque *Anglorum* proponens in eadem civitate pariter hyemare, cum appropinquaret civitati, repulsus est à Rege & à civibus. Verum Rex *Anglorum* moleste repulsionem suam ferens, contra Regem & cives in portu prælium instruxit, & invitis repulsoribus, violentis ausibus aditum civitatis obtinuit. Veruntamen ne negotium crucis contingeret impediri, gratis cessit Regi *Francorum*, & extra civitatis mænia castra figens, diversoria sibi & exercitui suo sufficientia præparavit. Sopita est ad tempus discordia, suis tandem temporibus excitanda. Succedente verno tempore, aura flante leniori, Rex uterque naves ascendit, Rege *Francorum* paululum præcedente, Rex *Anglorum* è vestigio navigavit. Rex *Francorum* applicuit *Tholomaidam* quæ nunc *Acon* dicitur, Rex *Anglorum* casu applicuit in insulam *Cyprum*, cui occurrit Princeps ipsius insulæ tyrannus impiissimus, qui eam vi & dolo occupaverat, Regem & exercitum volentem applicare non permisit, invito tamen Principe insulam occupavit, tyrannum captivavit & compedibus oneravit, navesque suas auro & argento quod ibidem abundanter invenerat, & victualibus oneravit, & profectus est *Tholomaidam*; sane Rex qui præcessit nihil famosum gessit, obsidendo quoque *Richardus* infra paucos dies civitatem cepit, *Turcas* interfecit, qui civitatem occupaverant, & non immerito tota sibi victoria ascribebatur, ex quo Rex *Francorum* indignatione contabuit. Anno eodem contigit eclipsis Solis. In pago **Dunestable** à nonnullis visum est signum crucis in firmamento, & in eo figura crucifixi, quæ tandem infra dimidiæ horæ spatium, interlabente quasi quadam nubecula, à cruce disparuit.

Ptolemais capta.

MCXCII.

1192 *Rex. Francorum redit in*

Rediit Rex *Francorum* prior de *Syria* in *Franciam*, invitato Domino *Papa* ut

ut Regem *Anglorum* de prævaricatione attrectaret initæ confœderationis, cui *Franciam. Rex*
fidem *Papa* non adhibens, vacuum & inanem fine honore demifit. Rex *An-* *Ang. in Au-*
gliæ ut declinaret infidias Regis *Francorum*, quas liquido fibi comperiit nocitu- *ftria capitur.*
ras, fecreto per latibula tranfire volens per *Alemanniam*, prodentibus eum
Teutonicis, captus eft à *Leopoldo* Ducæ *Auftriæ*.

MCXCIII. 1193

Johannes frater Regis audita captivitate fratris fui Regis *Richardi*, autumans *Johannes*
ipfum de captivatione ifta nunquam poffe evadere, protinus afpirabat ad *Regnum An-*
Regnum *Angliæ*, unde civitates & oppida totius Regni occupavit, fuoque Do- *gliæ invadit.*
minio fubjugavit, ftatimque transfretavit in *Normanniam*, & facta confœdera-
tione cum Rege *Franciæ*, qui Regis *Richardi* capitalis fuit inimicus, illo coo-
perante & fubfidium impendente, totam nullo obfiftente in deditionem acce-
pit. Obfeffa eft **Wallingford** per ipfum & complices fuos.

MCXCIV. 1194

Romanorum Imperator *Henricus* indignum judicans tam infignem capti- *Rex Angliæ*
vum in alterius quam Imperatoris cuftodia detineri, Regem *Richardum* de *pretio redi-*
manibus Ducis *Auftriæ* pro quadam fumma pecuniæ fibi commiffa extorfit, *mitur.*
& in carcere compedibus oneratum tutiffime confervavit. *Angli* vero fui
Regis captivationem non ferentes, pacti funt Imperatori folvere centum mil-
lia librarum argenti, quarum tertia pars ceffit Duci *Auftriæ*, qui eum primi-
tus captivavit, unde factum eft ut per contributionem ad redemtionem Re-
gis impofitam, Regnum *Angliæ* fic oppreffum fuerat & exhauftum, ut etiam
Ecclefiarum calices venderentur. Anno eodem, foluta pecunia, Rex libera-
tus à carcere venit in *Angliam*, & ftatim caftra & civitates quæ frater fuus *Jo-*
hannes occupaverat in *Anglia*, refumfit, & in fuam poteftatem redegit, nec
diftulit transfretare in *Normanniam*, fratris indevoti conatus tam viriliter re-
primendo, ut veniam humiliter peteret & gratis occupata reftitueret.

MCXCV. 1195

Obiit *Hugo* Epifcopus, & *Henricus* **Wigorn** Epifcopus. Loco *Henrici* *Hugo & Hen.*
electus eft *Johannes* in Epifcopum **Wigorn**. *Wig. ob.*

MCXCVI. 1196

Confecratus eft *Johannes* **Wigorn** Epifcopus. Defectus frugum in *Anglia*, *Joan. Wig.*
adeo ut fema[a] frumenti venderetur pro 1 Marca. *confec.*

MCXCVII. 1197

Iterum tanta fterilitas in *Anglia*, ut fema frumenti venderetur pro XVIII. *Sterilitas in*
folidis & VIII. d. *Ang.*

MCXCVIII. 1198

Galfridus filius *Petri* factus eft jufticarius *Angliæ*. *Gal. fit J. An.*

MCXCIX. 1199

Rex *Richardus* fingularis militiæ decus in orbe, fubjugata fibi *Normannia*, *Obiit Ricar-*
cum proceffiffet in *Aquitaniam*, rediens inde, obfedit caftrum de **Chaluz** in *dus Rex, fuc-*
Normannia, quod Rex *Francorum* dolo occupaverat, ibique à quodam fagitta- *cedit Joan.*
rio telo toxicato percuffus VII. Kal. Aprilis, heu proh dolor! interiit. Corpus
ejus delatum apud fontem *Ebrandi*, fepultum eft ibidem ad pedes patris fui
Regis *Henrici*. Anno eodem fucceffit in Regno *Angliæ* *Johannes* frater ejus,
coronatus apud *Weftmonafterium*, VI. Kal. Junii ab *Huberto* tunc *Cantuarienfi*
Archiepifcopo.

MCC. 1200

Obiit venerabilis antiftes fanctus *Hugo Lincolnienfis* Epifcopus XV. Kal. *Hugo obiit.*
Decembris.

MCCI. 1201

Inundationes aquarum vehementiffimæ menfe Augufti. *Inund. vehem.*

MCCII. 1202

Rex *Johannes* ut terris fuis tranfmarinis falubrius provideret; transfretavit, *Johannes ne-*
proceffitque in *Britanniam* minorem, ibique dolo (ficut dicebatur) cepit *Ar-* *potem Arth.*
thurum nepotem fuum, filium *Galfridi* fratris fui fenioris, ad quem fecundum *occidit.*

[a] Menfura quatuor modiorum.

leges *Anglicanas* Regni *Angliæ* fucceffio pertinebat, & ut quidam æftimabant, ipfum inhumaniter juffit interfici, & cadaver ipfius in mare demergi: fororem que fuam *Alienoram* dictam **la Brett** fecum traduxit in *Angliam*, & in caftris munitiffimis tutiffime cuftodire fecit fub cuftodia quatuor militum, qui eam continue confervarent, ne forte fobolem procrearet, quæ jus in Regno *Angliæ* pofteris temporibus poffet hæreditatis titulo vendicare.

MCCIII.

1203 *Gulielmus fit Lincoln. Ep.* Succeffit fancto *Hugoni* in Epifcopatu **Lincoln** *Willielmus* de **Bleys**, confecratus in Epifcopum IX. Kal. Septembris.

1204

MCCIV.

1205

MCCV.

Hubert. Cant. obiit. Obiit *Hubertus Cantuarienfis* Archiepifcopus, III. Id. Julii, electus eft loco ejus vir venerabilis *Stephanus* de **Langeton**, fed quia Rex *Johannes* ipfum præcife recufavit admittere, præponens in eadem dignitate, quem vellet præficere, idem *Stephanus* fedem Apoftolicam adiit, & à Papa confirmationis & confecrationis gratiam obtinuit.

MCCVI.

1206 *Hug. de Wells fit Linc. Ep.* Obiit *Willielmus* de **Bleys** *Lincolnienfis* Epifcopus, II. Kal. Maii, fucceffit ei *Hugo* de **Welles**.

MCCVII.

1207 *Joan. decimam tert. Regni extorq.* Rex *Johannes* extorfit tertiam decimam partem omnium bonorum mobilium totius Regni fui, tam de clericis religiofis & fecularibus, quam de laicis; folo ordine *Ciftercienfi* excepto.

MCCVIII.

1208 *Anglia interdicta eft.* Interdicta eft *Anglia* per Dominum Papam, & cœpit generale interdictum fub Rege *Johanne* decimo Kal. Aprilis. Caufa quidem præcipua interdicti fuit ifta. Rex ficut fuperius tactum eft, venerabilem *Stephanum* de **Langeton** *Cantuarienfem* Archiepifcopum, à Domino Papa confirmatum non permifit ingredi Regnum fuum, licet per Dominum Papam, tum per literas, tum per nuncios ad hoc fpecialiter deftinatos, monitus fuiffet ut ipfum non impediret, fed liberam adminiftrationem tam fpiritualium quam temporalium, (quibus, in contemtum fedis Apoftolicæ & Ecclefiafticæ libertatis præjudicium, totaliter incumbebat) fibi reftitueret; quia ergo præceptum Apoftolicum adimplere contemfit, Papa totum regnum *Angliæ* generali fuppofuit interdicto. Huic articulo ad confufionem aliud acceffit incommodum, proponentibus contra eum fere omnibus Regni proceribus, quibus nimium odiofus effet, eo quod eos intolerabilibus opprimebat angariis, & extorfionibus indebitis, quinetiam quod nobilium Regni fui filias, & confanguineas rapuit, & concubitu polluit adulterino; (erat enim carne lubricus, æquiparans vel excedens petulantiam *Solomonis*,) quod injufte, contra jus fcil. naturale & civile, Regnum occupaverat, legitimum hæredem nepotem fuum *Arthurum* non folum exhæredando, fed & inhumaniter perimendo. Anno eodem Rex *Franciæ* cepit comites *Bononiæ*, & *Flandriæ* & **Sarum**.

MCCIX.

1209 *Hugo Lincoln. confec.* Confecratus eft *Hugo* de **Welles Lincoln** Epifcopus, XIV. Id. Januarii.

MCCX.

1210 *Joan. Rex in Hiberniam tranfit.* Rex *Johannes* transfretavit in *Hiberniam*, & cepit ibi caftrum **Crakefergas**, uxore *Willielmi* de **Brehuse Matilde**, quæ fibi reftitit, una cum filio fuo fame peremtis. Eodem anno Rex *Johannes* deftruxit Judæos, & grave tallagium impofuit religiofis.

MCCXI.

1211 *Joan. Wallenfes vincit.* Rex *Johannes*, audito quod *Wallenfes* egredientes de finibus fuis terras Regis & Marchienfum fibi finitimas depopulare & vaftare cœpiffent, congregato magno exercitu proceffit in *Walliam*, & Provinciam de **Snowdone** militariter occupavit, tandem habito tractatu inter Regem & *Wallenfes*, Rex acceptis ob-

fidibus

fidibus in *Angliam* repedavit cum pace. *Pandulfus* & *Durandus* Nuncii Papæ venerunt in *Angliam.*

MCCXII.

Rex *Johannes* iterum propoſuit ire in *Walliam*, metuens vero proditionem 1212
ſuorum qui ei pendule cordibus adhærebant, & circa eum proditioſis mentibus fluitabant, diſtulit illo ire, remanſit autem *, ubi quoſdam de proditoribus & ſuſpectis incarceravit, quoſdam exilio relegavit. *Pandulphus* Domini Papæ ſubdiaconus, & frater *Durandus* de ordine Hoſpitaliorum Nuncii Domini Papæ, de quibus breviter ſupra tetigimus, venientes in *Angliam* ut pacem Eccleſiæ reformarent, frequenter habuerunt cum Rege de pacis redintegratione tractatum, populis de eorum adventu gaudentibus, ac veriſſime credentibus, pacem per eos poſſe protinus reformari, ſed hoc fruſtra, nondum enim ſtatim finis, invaleſcente quidem proterva Regis obſtinatia, via pacis non poterat inveniri.

Pandulphus & Durandus nuncii Papæ de pacis redintegratione tractant.

MCCXIII.

Rex *Johannes* in arcto poſitus, vexatione dante intellectum, conſenſit in 1213
formam pacis in hunc modum, Rex coram præfatis nunciis *Pandulpho* & *Durando*, præſentibus nonnullis Regni magnatibus, habito ſolenni colloquio ſuper **Berhamdon**, inter *Cantuariam* & **Dover** de pacis forma, tandem tradidit & ſubmiſit ſe & Regnum *Angliæ* Domino & ſedi Apoſtolicæ, & Papæ *Innocentio* tunc Papatus celſitudine præſidenti, & ſucceſſoribus ſuis in perpetuum; conficiens ſibi inde chartam ſuam ſigillo aureo conſignatam, ipſeque pro ſe & pro hæredibus ſuis corporali præſtito ſacramento, homagium & fidelitatem fecit Eccleſiæ Romanæ, ad tenendum de ea Regnum, reddendo ſingulis annis Domino Papæ mille marcas, viz. pro *Anglia* ſeptingentas, & pro *Hibernia* & *Wallia* trecentas; charta ipſa poſt recitata in domo Templariorum **Dover**; poſtea in Eccleſia Sancti *Pauli* **London**, in præſentia *Nicolai* Cardinalis *Tuſculanenſis* Apoſtolicæ ſedis legati (qui *Stephanum* de **Langton** *Cantuarienſem* Archiepiſcopum, & plures de ſuffraganeis ſuis Epiſcopis *Angliæ*, quos Rex relegaverat, adduxit in *Angliam*) coram innumerabili procerum & plebeiorum multitudine in audientia lecta fuit & à Rege conceſſa. Eiſdem temporibus erat quidem laicus in *Anglia* nomine *Petrus* de **Punfret**, quem vulgo *Petrum* ſapientem anglice nuncupabant, cui laicorum ruſticaria ſimplicitas, pro eo quod multa prædixerat quæ poſtea rei exitus approbavit, prophetiæ ſpiritum afferebat ineſſe, tribuens ei præſcientiam futurorum, quæ ſecundum fidem Catholicam ſoli Deo creditur aſcribenda: diu autem prædixerat poſt annum quartum decimum Regni Regis, regnandi poteſtatem Regi finaliter eximendam, quod quidem contigit, ſed alio modo quam putabat. Alludebat etiam huic præſagio revelatio facta cuidam monacho viro ſancto tranſmarino in ſomnis: quod ultra annos XIV. non regnaret. Et quidem anno Regni ſui quarto decimo (ut prætactum eſt) ſe & Regnum ſuum ſedi Apoſtolicæ ſubjugavit. Requiſitus inſuper à Rege idem *Petrus* pridie antequam ſedi Apoſtolicæ ſe ſubmiſit, per quantum tempus foret regnaturus, reſpondit uſque diei craſtinæ horam tertiam & non diutius; quo audito Rex furore commotus ipſum capi fecit, & in caſtro de **Corf** diriſſime compeditum tutiſſime cuſtodiri præcepit, quouſque de eo graviſſimam faceret ultionem.

Joannes Regnum Angliæ Papæ ſubmittit.

MCCXIV.

Ceſſavit generale interdictum *Angliæ* relaxatione ipſius facta VI. Nonas 1214
Julii, & factum eſt gaudium magnum in univerſa Eccleſia *Anglicana*. Facta eſt iterato generalis prædicatio de cruce pro ſubſidio terræ ſanctæ. Obiit *Galfridus* filius *Petri* juſticiarius *Angliæ*. *Petrus* de **Punfret** de quo ſuperius fit mentio, de præcepto Regis per villam de **Corf** diſtractus eſt ab equis, poſtea in patibulo ſuſpenſus eſt.

Interdictum Angliæ relaxatur.

MCCXV.

Johannes Rex IV. Nonas Martii, & cum eo plures de magnatibus *Angliæ* 1215
crucem

Joannes crucem accipit.

crucem acceperunt; fimiliter in aliis Regnis & Provinciis, Reges, Comites, & inumerabilis nobilium multitudo certatim crucem fufceperunt.

MCCXVI.

1216 *Ludovicus Angliam invadit.* *Ludowicus* filius *Philippi* Regis *Franciæ* evocatus à multis magnatibus *Angliæ*, quibus Rex *Johannes* formidabilis extitit & odiofus, propter varias angarias quibus regnicolas injufte oppreffit; præcipue quia chartam fuam de libertatibus quas dudum eis concefferat nitebatur infringere, venit in *Angliam*, adducens fecum bellatorum multitudinem, & ab his qui eum evocaverant honorifice fufceptus, plagam *Cantiæ* & *Surriæ* nullo fibi refiftente peffundedit. Cives quoque London ipfum gratanter admiferunt, civitatem London fibi pro refugio concedentes, homagium fibi & fidelitatem fimul cum Baronibus faciendo, auxilium fuum favorabiliter impendendo, ut expulfo *Johanne* fublimarent in Regem, & credebatur à nonnullis profperum negotium in manibus *Lodowici*. *Moritur Joannes, & Inno. Papa.* Obiit *Innocentius* Papa XVII. Kal Augufti, cui fucceffit *Honorius*. Anno eodem Rex *Johannes* in monafterio quodam *Ciftercienfis* ordinis quod dicitur Swyneshed in Provincia *Hollandæ* intoxicatus, ut dicebatur, continuo cœpit ex violentia veneni contabefcere, indeque progrediens ufque Newerk ibidem poft dies paucos expiravit. Obiit autem XIV. Kal. Novembris, corpus ejus inde delatum ufque Wigorn in Ecclefia conventuali Monachorum honorifice tumulatum eft inter feretra Sancti *Wulftani* & Sancti *Ofwaldi*; quamobrem vere bruti *Britones* fabulantur ridicule, fabellas vanas *Merlini*, quas falfo tamen prophetias effe arbitrantur, in eo fuiffe completas, dicentes, quod inter fanctos collocabitur. *Joan. R. fuccedit Henricus.* Defuncto & fepulto rege *Johanne*, ftatim Proceres Aquilonares & Marchienfes cum ceteris regni fidelibus, partem *Lodowici* deteftantibus, pacem & regni tranquillitatem affectantibus, *Henricum* filium regis *Johannis* primogenitum, & hæredem legitimum novennem affumentes, adduxerunt *Glouceftriam*, ibique Barones fupradicti (non expectata præfentia *Cantuarienfis* Archiepifcopi) fertum quoddam eidem, loco Diadematis imponentes, præfentibus & cooperantibus *Henrico Dublienfi* Archiepifcopo, & *Gwala* Apoftolicæ fedis Legato, nec tum manum imponentibus, ne forte fieret præjudicium Sedi *Cantuarienfi*, folennitate, qua poterant, fublimarunt in regem; & edicto publico proclamari fecerunt per totam *Angliam*, quod nullus laicus, nec mafculus, nec fœmina domum fuam per menfem unum egrederetur, nifi fertulum portaret in capite, ut fic innotefceret toti regno Coronatio novi regis. Facta eft hæc ordinatio quinto Kal. Novembris, à quo die quamdiu vixit, defcripta eft data in Brevibus regis *Henrici*.

MCCXVII.

1217 *Ludovicus apud Lincoln. victus, in Galliam redit.* *Lodowicus* Coronationem novi Regis propter ætatis teneritudinem habens contemtui, æftimans ipfum propter impubertatem conatibus fuis non poffe refiftere, aliquod arduum attentare præfumfit, & confidens de univerfitate Complicium fibi cohærentium, relicta civitate London, procedenfque ufque Aquilonem, irruit improvife fuper illam nobiliffimam Civitatem Lincoln, ut & ipfam ficut London fuo dominio fubjugaret, verum in contrarium res lapfa eft, veniente fiquidem *Lodowico* cum innumerabili bellatorum caterva ut oppugnaret civitatem ex parte meridionali per quam afcenditur, occurrerunt eidem ex parte Aquilonari Proceres Angligenæ novi Regis Complices & fautores, viribus & numero non impares, ftatimque adverfus Gallicos prælium inftruentes, omnes fere ceperunt vel peremerunt in ore gladii. Captus eft ibidem nobiliffimus vir Comes de Perth, de cujus probitate Gallici potiffimum confidebant. *Lodowicus* utique fugæ fe committens, præfidioque noctis vix evadens, rediit *Londonias*. Fugit etiam de prælio *Fulco* de Breaut præcipuus ejus confiliarius & adjutor. *Lodowico* cum fibi adhærentibus fic confufo, cœpit fieri inter partes tractatus de pace. Facta eft autem pax inter ipfum & regem de confenfu Baronum Id. Aprilis, & repatriavit *Lodowicus* in *Galliam* vacuus, & delufus, fraudatufque propofito.

MCCVIII.

MCCXVIII.

Tranſlatus eſt beatus *Wolſtanus* VII. Id. Junii.

1218 *Wolſt. tran:*

MCCXIX.

Obiit *Willielmus* ſenex *Mareſcallus* Comes *Pembrokiæ*, miles ſtrenuiſſimus, & per univerſum orbem nominatiſſimus. Anno eodem tranſlatus eſt beatiſſimus *Hugo* quondam Lincoln Epiſcopus.

1219 *Will. Mareſchallus obiit, & Hug. Linc. tranſlat.*

MCCXX.

Fundata eſt Eccleſia novæ *Sarisburiæ* VII. Kal. Maii. *Henricus* Rex jam decimum tertium ætatis ſuæ agens annum, cum magna veneratione coronatus eſt apud *Weſtmonaſterium* à venerabili patre *Stephano Cantuarienſi* Archiepiſcopo, à quo ſicut decuit ſacro unctionis Chriſmate delibutus, regio diademate venuſtatus, inter regni Proceres glorioſus effulſit. Sane quia propter ætatis ſuæ teneritudinem nondum ſufficiens fuit ad regni gubernaculum, totius regni Proceres providebant ſibi tutorem & cuſtodem, virum ſummæ diſcretionis & probitatis Dominum *Hubertum* de *Burgo*, qui motus regis voluntarios refænaret, ne forte per immoderantiam laſciviret, factuſque eſt juſticiarius totius *Angliæ*, ut ſua prudentia, qua cæteris præpollebat, Regis & regni negotia diſpenſaret. Celebrata eſt Regis coronatio in feſto Pentecoſtes, viz. XVI. Junii. Anno eodem, cooperante *Stephano Cantuarienſi* Archiepiſcopo, cum ſolennitate prius inaudita, tranſlatus eſt glorioſus Martyr *Thomas Cantuarienſis* Archiepiſcopus. Celebratum eſt etiam Concilium *Lateranenſe* ſub Papa *Innocentio*.

1220 *Eccleſ. ad nov. Sariſ. tranſ. Hen. R. coronatur. Hugo de Burgo fit R. protect. Concil. Later. celebr.*

MCCXXI.

Natus eſt *Thomas* in vigilia Sancti *Gregorii*.

1221 *Thom. naſcit.*

MCCXXII.

Stephanus Cantuarienſis Archiepiſcopus Prælatis omnibus *Angliæ* ſuæ Diocæſi ſubjectis, apud *Oxoniam* congregatis, ſcil. in quindena Paſchæ, qua legitur, *Ego ſum paſtor bonus*, in Monaſterio Oſeny Canonicorum ſolenne Concilium celebravit. In eodem Concilio præſentatus eſt quidam Diaconus qui pro amore cujuſdam mulieris Judææ diutius apoſtataverat, & ſe ritu Judæorum fecit circumcidi, ſuper quo convictus, primo degradatur, & ſeculari judicio condemnatus, igne combuſtus eſt. Dicebatur quod idem Apoſtata in contemtum Redemtoris noſtri & fidei Catholicæ, corpus dominicum de Eccleſia furtive ſublatum in loco ignobili projicere non abhorruit, quod poſtea prædivite quodam Judæo ad corroborationem fidei Chriſtianæ, inventum eſt impollutum & incorruptum, in vaſe quodam mundiſſimo, Angelicis manibus (ut ſane credi poterit) præparato. Oblatus eſt etiam eidem Concilio, ruſticus quidam laicus, qui in tantam devenit inſaniam, ut in ignominiam crucifixi ſe faceret crucifigi, aſſerens ſe filium Dei & redemtorem mundi, quique judicio Concilii immuratus, totum vitæ ſuæ reſiduum; recluſus, duro pane & aqua refectus, in carcere terminavit.

1222 *Concil. Oxonienſe.*

MCCXXIII.

Obiit *Philippus* Rex *Francorum*, ſucceſſit ei filius ejus *Lodowicus*.

1223 *Phil. Fran. ob.*

MCCXXIV.

Henricus Rex *Angliæ*, congregata nobilium & plebeiorum turba non modica, caſtrum de Bedford, quod *Falco* de Brente cum ſibi cohærentibus, in multo præſidio, & victualibus neceſſariis præmunierat, admotis machinis obſidione concluſit. Quippe *Falco* dimiſſis in eo defenſoribus, aliunde ſe tranſtulit, promittens quod eis in brevi adjutorium mitteret opportunum. Inchoata eſt obſidio & oppugnatio Caſtri circa feſtum Sancti *Albani*, obſeſſi quoque quamdiu victualia ſuppetebant munitionem propugnaverunt; deficientibus tandem alimentis cum promiſſum quod ſperabatur non adveniret, ad victorem Caſtrum dedere ſunt coacti. Quo capto in vigilia Aſſumtionis & ſolo tenus complanato, omnes fere inventi in Caſtro ſuſpenſi ſunt in patibulis, paucis duntaxat per preces Magnatum (licet ægre) ſuſpendii periculum evadentibus: veruntamen ex decreto Regis regnum *Angliæ* abjurarunt,

1224 *Henr. R. caſtrum Bedf. capit. Lewelinus Marchiam Walliæ deprædatur. Caſtra à R. Joan. dimiſſa Henr. reſign. plures Ep. ob.*

fufpenfi funt XIV. milites, inter quos præcipuus fuit *Willielmus* de Brente frater *Falconis*; non multo poft captus eft ipfe *Falco*, & traditus Epifcopo *Londoienfi* cuftodiendus, poftea abjurans regnum *Angliæ* transfretavit, poffeffionibus quas habebat in *Anglia* (nec immerito) fpoliatus. Anno eodem *Lewelinus* princeps *Walliæ* partes Marchienfes cœpit per frequentes excurfus, rapinis & incendiis devaftare, præcipue terras regis, & *Willielmi Marefcalli*. Quo audito Rex copiofum congregavit exercitum, & occurrit eidem, potenter eum repulfando; in patriam fuam non fine dedecore & fuo difpendio repedare coegit. Comes *Ceftriæ*, & quidam alii Magnates nitebantur amovere *Hubertum* de *Burgo*, de Juftitiaria, & de Confilio Regis, fed non prævaluerunt. *Honorius* Papa decrevit *Henricum* Regem *Angliæ* legitimæ ætatis. Anno ipfo in Natali Domini, omnes Magnates regni apud Northampton, caftra & munitiones Regias quas tenebant ex commendatione Regis *Johannis*, & cæteras fuas ballivas, Regi refignabant. *Willielmus Marefcallus* fororem Regis duxit in uxorem; quæ viro fuo defuncto aliquamdiu permanens in viduitate, in præfentia Sancti *Edmundi Cantuarienfis* Archiepifcopi, & Sancti *Richardi Chiceftrenfis* Epifcopi folenne votum caftitatis emifit, cujus poftea prævaricatrix effecta, nupfit *Simoni* de *Monteforti* Comiti *Leyceftriæ*. Confecrati funt in Epifcopos *Radulphus* de Nevill *Chicheftrenfis*, *Willielmus* Bruer *Exonienfis*, *Alexander Coventrentrienfis*. Rex *Angliæ* in odium *Lewelini* firmavit Caftrum de Montgumery.

MCCXXV.

1225 *Quinta decima bon. mob. Regi concef. Jo. El. ob.*

Omnes magnates regni, tam religiofi quam feculares, concefferunt regi quintam-decimam partem omnium bonorum mobilium per totum regnum *Angliæ*, & rex conceffit eis & confirmavit Magnam Chartam de libertatibus, quas pater fuus *Johannes* Rex dudum concefferat, ipfamque chartam fecit innovari & publice promulgari, & per totum regnum inviolabiliter obfervari præcepit. Obiit *Johannes Elienfis* Epifcopus quondam Abbas de *Fontibus*, fucceffit eidem *Galfridus* prius Archidiaconus *Norwicenfis*.

MCCXXVI.

1226 *Concil. Londin. clerus R. decim. fext. concef. Will. Longefp. W. Bruer. Lud. R Fran. Ric. Dunel. Pand. Wig. ob. Pictavia fruftra tentata.*

Stephanus Cantuarienfis Archiepifcopus jam celebravit folenne Concilium apud London, in craftino Dominicæ qua cantatur *Mifericordia*, in qua Papa *Honorius* petiit, quod in qualibet Ecclefia Cathedrali & Conventuali Religioforum ubi bona Conventus & Prælatorum funt feperata, nec non in qualibet Ecclefia Præbendali, poffet conferre unum beneficium cui vellet. Refponfum fuit præcife, quod nullatenus hoc concedere poterant abfque confenfu patronorum & Fundatorum fuorum, & etiam nifi univerfa Ecclefia totius mundi illud eidem duceret concedendum. Eodem anno de confenfu Papæ, Clerus *Angliæ* conceffit Regi XVI. partem beneficiorum Ecclefiafticorum fub antiqua taxatione: item obiit *Willielmus* Longefpey Comes *Sarisburienfis*, *Willielmus* Brewer Epifcopus Exon, *Lodowicus* Rex *Francorum*, cui fucceffit *Carolus* filius ejus. Obiit *Richardus* de *Marifco Dunelmenfis* Epifcopus, fucceffit ei *Willielmus Scotus* Archidiaconus Wygorn. Obiit *Pandulphus Norwicenfis* Epifcopus, fucceffit ei *Thomas* de Blunnel. Obiit *Benedictus Roffenfis* Epifcopus, fucceffit ei *Henricus* de Sandford Archidiaconus *Cantuarienfis*. Dominus Rex mifit exercitum magnum in *Pictaviam* cum *Roberto* fratre fuo, cui contulerat Comitatum *Pictaviæ* quem Rex *Franciæ* injufte occupaverat, qui ftatim rediit infecto negotio, Rege *Francorum* fuis viribus obfiftente.

MCCXXVII.

1227 *Hon. P. ob.*

Obiit *Honorius* Papa, fucceffit ei *Gregorius*.

MCCXXVIII.

1228 *Steph. Langton Cant. Euftac. Lond. Galf. Elienf. Henr. Dubl obiere.*

Obiit *Stephanus* de Langeton *Cantuarienfis* Archiepifcopus, electus eft loco ejus Magifter *Walterus* de Evefham monachus *Cantuarienfis*, Caffata electione ejus, Papa contulit Archiepifcopatum magiftro *Richardo* le Grant Cancellario *Lincolnienfi*. Caffata electione *Willielmi* le Scot *Dunelmenfis* epifcopi, tranflatus eft auctoritate Domini Papæ, *Richardus* Sarum Epifcopus ad Epifcopatum *Dunelmenfem*, loco ejus electus eft & confecratus magifter *Robertus* de Kingham in Epifcopum

Rex ſcutag. cepit per tot. Ang.

Epiſcopum Sarum. Obiit *Euſtachius Londonienſis* Epiſcopus, ſucceſſit ei magiſter *Rogerus Niger*. Obiit *Gaffridus* Epiſcopus *Elienſis*, ſucceſſit ei *Hugo* Abbas Sancti *Edmundi*. Obiit *Henricus Dublienſis* Archiepiſcopus, ſucceſſit ei *Lucas* Decanus Sancti *Martini* & Theſaurarius *garde robe* Domini Regis. Eodem anno rex duxit exercitum apud Kery, quo redeunte cepit Scutagium per totam *Angliam*, & dederunt ad Scutum duas Marcas.

MCCXXIX. 1229

Ric. Cant. conſec. Decim. P. reddit.

Conſecratus eſt *Richardus* le Grant *Cantuarienſis* Archiepiſcopus IV. Junii. Omnes beneficiati in *Anglia*, *Hibernia*, & *Scotia* dederunt Domino Papæ decimam partem redituum ſuorum, nec non & omnes religioſi.

MCCXXX. 1230

Henr. R. male pugnat in Britan. plures ex magnat. ob. ſcutag. R. ſolut.

Dominus *Henricus* Rex primo vice cum exercitu magno nobilium & mediocrium *Angliæ*, aſcenſis navibus primo die Maii transfretavit in *Britanniam*, & cum in partibus tranſinarinis aliquamdiu moram traxiſſet habitus eſt conflictus inter *Anglos* & *Gallicos* apud Deyntes, in quo *Angli* repulſi ſunt, & plures interfecti, & rediit rex in *Angliam* infecto negotio, & applicuit circa feſtum omnium Sanctorum. De Magnatibus autem qui cum eo erant, plures ante Regis reditum, nonnulli vero poſt reditum ipſius in partibus *Angliæ* non ſine multorum admiratione ex hac vita migraverunt, inter quos memoratiſſimus fuit *Gilibertus* de Clare Comes *Glouceſtriæ*, qui etiam obiit in partibus marinis. Rex iterum cepit Scutagium per totum regnum, & dederunt ad Scutum XL. Solidos.

MCCXXXI. 1231

Ric. Cant. Will. Mareſh. jun. ob. Hen. R. in Marchiam profect. caſtr. Matild. extruit.

Orta contentione inter *Richardum* Archiepiſcopum ex parte una, & Dominum Regem, *Hubertum* de *Burgo* & Monachos *Cantuarienſes* ex altera, Archiepiſcopus adiit ſedem Apoſtolicam, ibique defunctus eſt, electus eſt loco ejus magiſter *Johannes Blundus*, poſtulatus eſt ad eandem ſedem *Radulphus* de Nevill tunc *Ciceſtrenſis* Epiſcopus, & Domini Regis Cancellarius, caſſata eſt poſtulatio de eo facta. Veniens *Willielmus Mareſcallus* junior de *Britannia* in *Angliam*, *Iſabellam* ſororem ſuam Comitiſſam *Glouceſtriæ*, Relictam *Gilberti* de *Clara* admirandæ pulcritudinis mulierem nobili viro *Richardo* Comiti *Cornubienſi* in matrimonio copulavit. Idem quoque *Willielmus* infra quindenam poſt contractum matrimonium deceſſit in fata viz. VIII Id. April. Venit in *Angliam* frater ejus circa feſtum Sancti *Jacobi* & ſucceſſit ei in hæreditate. Rex *Angliæ* profectus in Marchienſes, contra *Lewlinum* cœpit conſtruere caſtrum *Matildis*.

MCCXXXII. 1232

Quadrageſ. R. ſolvitur. Hub. de Burg. ad R. accuſat. incarcerat. Rad. Com. Ceſt. ob.

Rex *Henricus* cepit quadrageſimam partem omnium bonorum totius Regni ſui. Eodem anno *Hubertus* de *Burgo* Comes *Cantiæ* accuſatus apud Regem per æmulos ſuos, quorum præcipuus fuit *Petrus* de *rupibus* tunc *Wintonienſis* Epiſcopus, ut *Petrum* de Rivall nepotem ſuum ad Regis obſequium promoveret, prævalente delatorum malitia, captus eſt apud *Roſcum* arſum, & primo poſitus eſt in turre London graviter compeditus, deinde ductus eſt uſque *Deviſas*, & incarceratus ibidem in Caſtro ſub arctiſſima cuſtodia tenebatur. Obiit vir nobiliſſimus *Radulphus* Comes *Ceſtriæ* apud Walingford. Rex *Henricus* cepit quadrageſimum denarium tam de religioſis quam de ſecularibus per totam *Angliam*.

MCCXXXIII. 1233

Edm. Arch. Cant. elect. Ric. Mareſc. à R. proſcript. cum fautor. ſuis. Hugo de Burg. è carcer. elab.

Caſſatis Electionibus omnium qui ad ſedem *Cantuarienſem* electi fuerant, nec non Priore Sanctæ Civitatis *Cantuarienſis* electionem de ſe factam in præſentia Domini Papæ ſponte reſignante, Monachi *Cantuariæ* iterum eligendi poteſtatem obtinentes, ſummæ ſanctitatis virum magiſtrum *Edmundum* tunc Sarum Eccleſiæ Theſaurarium in Patrem & paſtorem concorditer elegerunt. Orta eſt gravis diſſenſio inter Dominum Regem & *Richardum Mareſchallum*, adeo ut invaleſcente contentione Rex proſcripſit ipſum, & præcipuos ſuos fautores *Gilbertum* Baſſet, & *Richardum* Siward, de omnibus terris eorum &

 commiſit

commiſit eas *Petro* de Kivall, & fecit profternere domos, parcos & gardinos, nemora ſuccidi, vivaria terra injectâ repleri, prata arari. In eadem perturbatione *Hubertus* de *Burgo* ignaris cuſtodibus ejus & Caſtellanis, nocturno tempore evaſit de Caſtro de *Deviſis*, dimiſſus per cancellos cum mappis & manutergiis agente quodam Armigero ſuo qui ſolus de familia ſua ei miniſtravit, & repoſuit ſe in quandam Eccleſiam parochialem contiguam foſſato caſtri, quo mature comperto cuſtodes & caſtellani violenter extrahentes eum de Eccleſia repoſuerunt in Caſtrum ſolito gravius compeditum cautius cuſtodientes, ſed per Dominum *Robertum* tunc Sarum Epiſcopum, annuentibus cæteris Epiſcopis Regni immunitatem Eccleſiæ zelantibus, per cenſuram Eccleſiaſticam iterum repoſitus eſt in eandem Eccleſiam, ubi à militibus & toto comitatu circumvallatus arctiſſime cuſtodiebatur, cum vero ibidem aliquamdiu moraretur, quodam die ſummo mane venerunt illuc *Gilbertus* Baſſet, & *Richardus* Siward, cum armatorum multitudine copioſa, miſſi à *Richardo Mareſcallo*, invitis cuſtodibus nec contradicere valentibus, ſed nec mutire audentibus ipſum *Hubertum* in Eccleſia armaverunt, & equum loricatum aſcendere fecerunt, & eo nolente eductum de Eccleſia in manu potenti adduxerunt uſ-uſque Auſticlive, & præparatis ibi navibus, brachium maris quod ibi adjacet tranſnavigantes ipſum *Hubertum* in Caſtrum de Strugoyl, quod ex alia parte ipſius fluminis ſitum eſt in tuto depoſuerunt, cuſtodibus qui eos cum toto Comitatu clamore valido uſque ad ripam proſequebantur, cum dedecore & confuſione nimia redeuntibus. Mirabilis inundatio aquæ pluvialis æſtivo tempore facta eſt per totam *Angliam*. Anno eodem circa Natale *Richardus* Siward ut Domini ſui *Richardi Mareſcalli* vindicaret injurias & complicium ſuorum aliquid putans audendum, adjuncta ſibi veſpilionum turba non modica, multa de Maneriis Comitis *Richardi* & Epiſcopi Winton, igne combuſta redegit in cineres, nulli alii præterquam ipſis moleſtiam inferens vel gravamen.

In Eccleſiam ſe recipiens vi extrahitur.

MCCXXXIV.

1234 Rex *Henricus* fecit talliari omnes civitates & Burgos, & maneria ſua propria per totam *Angliam*. Anno eodem III. Nonas Aprilis conſecratus eſt *Edmundus Cantuarienſis* Archiepiſcopus. *Richardus Mareſcallus* commiſſis omnibus terris ſuis quas habebat in *Anglia Huberto* de *Burgo*, *Gilberto* Baſſet, & *Richardo* Siward ad defendendum contra infeſtationem Regis transfretavit in *Hiberniam*, & cum eſſet in caſtro ſuo de Kildare, credens ſe ibidem in tuto poſſe conſiſtere, ecce *Mauncius* filius *Geroldi*, *Hugo* de Lacy caſtrum ipſum obſidionte concluſerant: idem quoque *Richardus* cum eſſet miles robuſtiſſimus verecundum fore decernens obſidione concludi, prævalente audacia egrediens de caſtro contra obſeſſores cum adhærente ſibi militia potenter inſtructus. Porro *Mauricius* filius *Geroldi* juſticiarius Hiberniæ, cum nobilibus ſupradictis innumerabili bellatorum multitudine congregata de præcepto Regis, ut dicebatur, ut eum vivum caperet, exiit ei obviam, fortuitis eventibus ſe committens, tandem totum pondus prælii in *Richardum Mareſcallum* directum eſt, in quo poſt ſtrenuiſſimam dimicationem obrutus multitudine lethaliter vulneratus, primo duntaxat die Aprilis ſemivivus relictus, XV. die à die belli morte nimium deploranda deceſſit. Cito poſt mortem ejus *Gilbertus* frater ejus Domini Regis ſe beneplacitis coaptavit, & regi reconciliatus ſucceſſit fratri in hæreditate & factus eſt miles & comes die Pentecoſtes. Reconciliati ſunt cum eo *Hubertus* de *Burgo*, *Gilbertus* Baſſet, *Richardus* Siward, & reſtituit ei Dominus rex omnes terras & poſſeſſiones eorum, & admiſit eos in concilium ſuum. Amotis de concilio Regis *Petro* de *Rupibus* Epiſcopo *Wintonienſi*, *Petro* de Kivall, *Roberto* Paſſelewe, & *Stephano* de Segrave tunc Juſtitiario. *Richardus* quoque Siward, quia nullo modo potuit reconciliari Comiti *Richardo* propter damna que ei intulerat; ut ejus ad tempus impetus declinaret, tranſtulit ſe ad partes *Scotiæ* ſereniora tempora præſtolaturus. Obiit *Hugo Herefordenſis* Epiſcopus, ſucceſſit ei *Radulphus* de Madeſtone.

Tallagium civit. Regiarum per Ang. Ric. Mareſch. in Hibernia vulnerat. ob.

Hugo. Heref. Ep. ob.

MCCXXXV.

MCCXXXV. 1235

Obiit *Hugo* de **Welles Lincoln** Epiſcopus, electus eſt loco ejus magiſter *Robertus* **Groſſeteſte** conſecratus xv. Kal. Julii. *Fredericus* Imperator *Iſabellam* ſororem Domini Regis *Angliæ* duxit uxorem, & facta eſt Imperatrix. *Henricus* Rex *Angliæ* *Alienoram* filiam Comitis ſolenniter ſibi matrimonio copulavit, & factæ ſunt nuptiæ in feſto Sanctorum *Fabiani* & *Sebaſtiani* tum ſolennitate inaudita apud *Weſtmonaſterium*, ſtatim & inde diſcedens circa purificationem venit **Oxon**, ubi regina occurrentibus ſibi certatim Magiſtris & Clericis totius Univerſitatis cum cereis & lampadibus, ſumma cum honorificentia ſuſcepta eſt.

Hugo Linc. Ep. ob. Fred. Imp. ſoror R. duxit. Hen. R. Elean. ducit.

MCCXXXVI. 1236

Obiit venerabilis *Willielmus* de **Bleys** *Wigornienſis* Epiſcopus, electus eſt loco ipſius magiſter *Walterus* de *Cantilupo*, ſtatimque adiit ſedem Apoſtolicam in qua à Domino Papa conſecratus eſt. Obiit *Thomas* de **Blunuill** *Norwicenſis* Epiſcopus, ſucceſſit ei *Willielmus* de *Raleia*, ſed nondum conſecratus.

Will. Wig. Thom. Norwic. Ep. ob.

MCCXXXVII. 1237

Beatus *Edmundus* *Cantuarienſis*, orta quadam diſcordia inter ipſum & Regem profectus eſt ad curiam Romanam. Anno eodem *Otto* Sancti *Nicolai* in carcere *Tulliano* Diaconus Cardinalis, Apoſtolicæ ſedis Legatus venit in *Angliam*, & cum eo *Walterus* de **Cantal** *Wigornienſis* Epiſcopus. Conceſſa eſt Domino Regi tam à Clero quam à populo triceſima totius regni pro confirmatione Magnæ Chartæ libertatum quæ hactenus male fuerant obſervatæ, & lata eſt ſententia generalis ſuper omnes qui libertates ipſas poſtmodo infringerent in Aula *Weſtmonaſterienſi* à Legato & omnibus Prælatis *Angliæ*. Obiit *Richardus* *Dunelmenſis* Epiſcopus. Legatus celebravit concilium apud **London**, in Eccleſia Sancti *Martini*.

Otto Legatus P. in Angl. venit, & celeb. Concil. Londin. Triceſima R. ſolvitur.

MCCXXXVIII. 1238

Cum *Otto* Legatus veniſſet *Oxonium*, & hoſpitaretur in Monaſterio **Oſeny**, die Sancti *Gregorii* orta eſt gravis diſcordia inter familiares Legati & Clericos Univerſitatis **Oxon**, eo quod ipſi familiares Clericos ingredientes turpiter & inhoneſte repellebant, & brodium calidum de calidariis bullientibus ſuper veſtimenta Clericorum projecerunt, & ipſos cum facibus ardentibus graviſſime percuſſerunt, Clerici quoque violentiam inferentibus talionem expenderunt, & ſic ventum eſt ad pugnam, ſtatimque facto clamore per totam villam ſe armaverunt Clerici properantes **Oſeny**, ut tam enormem ulciſcerentur injuriam. Interim quoque januis obſeratis aditum Clericis præcluſerunt, Clerici quoque jactato igne januas incendere nitebantur. Quo comperto Legatus timens pelli ſuæ aſcendit campanarium Eccleſiæ; Clerici qui furia invecti, quorum exterius innumerabilis coacervata fuerat multitudo, cœperunt ſagittare cum arcubus & baliſtis campanarium viriliter impugnantes, unus autem Clericorum projecta ſagitta per quoddam foramen quod invenit in valvis portæ, percuſſit magiſtrum Cocorum conſanguineum Legati inter inguinem & umbilicum, qui ſtatim defunctus eſt, pro cujus morte plures de Clericis capti ſunt & incarcerati, ſed tandem ex præcepto Regis & aſſenſu Legati liberati ſunt. Rex autem qui tunc fuerat *Abbendoniæ* miſit milites & alios quamplures armatos, qui Legatum nocturno tempore de Monaſterio educentes tranſita Tameſia deduxerunt *Abbendoniam* ad Regem, & ſic ægre tamen evaſit impetum Clericorum. Anno eodem venit quidam *Ribardus* ad Curiam Regis, qui tunc morabatur apud **Wodeſtock**, & fingens ſe ſtultum aliquantis diebus in Aula Regis inter domeſticos jocabatur ad modum morionis, tandem una nocte cum rex paratus cubile ſuum vellet aſcendere, inventus eſt ille ſub lecto Regis latitans in ſtramine, cultello longiſſimo volens interficere Regem, captus eſt & de **Wodeſtock** uſque ad **Oxon** ad caudas equorum tractus ibidem in patibulo ſuſpenſus eſt; deinde compertum eſt quod miſſus fuerat à *Willielmo* de **Mareys**, qui utlagatus erat propter iniquitatem ſuam, & inſula quadam inter *Walliam* & *Cornubiam* quæ **Lunday** di-

Otto Oxoniæ male habitus à ſcholar.

Rex in vitæ diſcrimen à percuſſore ſe morionem ſimulante adducitur. Pet. Wint. Ep. Alex. Covent. ob.

citur tunc temporis morabatur, & de præda & rapinis sibi victum propagabat. Anno eodem rediit Beatus *Edmundus Cantuariensis* Archiepiscopus de Curia *Romana* in *Angliam*. Obiit *Petrus Wintoniensis* Episcopus, Rex itaque quantum potuit impedivit ne aliquis loco ipsius eligeretur, ut proventus temporalium ipsius Episcopatus sede vacante sibi devolveret. Obiit *Alexander Coventrensis* Episcopus, successit ei *Hugo* de Pottefhull, vir prudens & discretus, diu tamen postea consecratus ut patebit inferius.

1239 *Alienora R. Edv. peper. Inter Frider. Imp. & P. discord.*

MCCXXXIX.

Alienora Regina peperit *Edwardum* filium suum primogenitum apud *Westmonasterium* xv. Kal. Julii, scil. in festo Sancti *Botolphi*. Orta est detestabilis discordia inter *Fredericum* Imperatorem & Dominum *Papam*, eo quod non permisit Papæ uti sua proprietate & jurisdictione infra Imperium suum sicut in aliis regnis, propter quod Papa & Cardinales decreverunt eum schismaticum & hæreticum, Imperator siquidem sic eos arctavit ut vix auderent susurrare. Dominus *Edmundus Cantuariensis* Archiepiscopus, electionem factam de *Willielmo* de Baleya ad Episcopatum Norwick confirmavit, ipsumque *Londoniæ* Kal. Octobris solenniter consecravit.

1240 *R. Comes Corn. crucem sumsit. & in terra sancta captivis redemt. & urbibus instauratis domum redit. Otto Legat. à Frider. milit. capt.*

MCCXL.

Richardus Comes *Cornubiæ* die Pentecostes apud Walingford arripuit iter in terram Sanctam, adducens secum pecuniam innumerabilem, & transfretavit cum eo *Baldwinus* comes insulæ, & aliorum Nobilium, & mediocrium regni *Angliæ* turba non modica, veniensque ad *Acon* quæ quondam *Ptolemais* vocabatur, & aliquamdiu commoratus in *Syria*, omnes captivos Christianos de universis mundi partibus quos *Saraceni* diuturno tempore tenuerant captivatos data pecunia redemit restituens pristinæ libertati; tandem treugis initis cum *Soldano* reædificavit *Aschalonem* & alia castra non pauca, quæ per *Saracenos* solo tenus fuerant complanata. Quibus actis reversurus in *Angliam*, transiens per *Apuliam*, *Siciliam*, & *Calabriam*, ab Imperatore *Frederico* summo cum honore susceptus est, indeque progrediens ad curiam Domini *Papæ* devenit: sane Dominus *Papa* volens sibi gratiam facere specialem, totam pecuniam provenientem de cruce signatam per totam *Angliam* sibi concessit. Anno eodem repatriavit *Otto* Legatus, & quantum potuit per abdita diverticula pertransiens ut Imperatoris *Frederici* declinaret insidias, captus est ab Imperatore, & omni pecunia quam per fas aut nefas adquisierat spoliatus, & carcere mancipatus. Beatus *Edmundus Cantuariensis* Archiepiscopus, circa festum omnium Sanctorum transfretavit in *Galliam*, & veniens *Pontiniacum* coepit ægrotare, progrediens tamen inde usque Seyly xvi. Kal. Novembris pretiosam resolutus in mortem Deo spiritum reddidit, corpus ejus inde delatum usque *Pontiniacum* honorifice, ut decuit, traditum est sepulturæ. *Hugo* de Pattefhall consecratus est in Episcopum *Coventrensem* in octabis Sancti *Johannis* Baptistæ à Sancto *Edmundo* diu antequam transfretaverat. *Petrus* de Egeblank consecratus est in Episcopum *Herefordensem* x. Kal. Januarii.

1241 *Nicol. fit Ep. Dun. Greg. P. & Rog. Lond. Hug. Covent. Gilb. Maresc. ob.*

MCCXLI.

Magister *Nicolaus* de *Fauiham* consecratus est in Episcopum *Dunelmensem* à *Waltero* de Grey *Eboracensi* Archiepiscopo, Id. Junii apud *Glouceſtriam*. Obiit Papa *Gregorius*, cui successit *Celestinus*. Obiit Sanctus *Rogerus* dictus *Niger* Episcopus London, successit ei *Fulco* Basset. Obiit *Hugo* de Pateshull *Coventrensis* Episcopus, successit ei *Rogerus* de Weseham Decanus *Lincolniensis*. Obiit *Gillebertus Mareschallus* apud Ware v. Kal. Julii, successit ei in hæreditatibus *Walterus Marescallus* frater ejus. Eclipsis solis die Sanctæ *Fidis* virginis.

1242 *Ric. com. corn. red. de terra S. Hen. A. Walliam subjug. in Vascon. transfret.*

MCCXLII.

Rediit *Richardus* Comes *Cornubiensis* de terra sancta circa festum Purificationis mense Januarii. Rex *Henricus Walliam* sibi subjugavit, sed facta pace inter ipsum & *David* Principem *Walliæ*, quæ modico tempore duravit, rediit in *Angliam*. Anno eodem Rex *Henricus* cum Regina, adducens secum

Richardum

Richardum fratrem suum Comitem *Cornubiensem*, arripuit iter in *Vasconiam* cito post Pentecosten & die translationis Sancti *Nicolai* posuit se in mari apud Portismuth, & transiens adiit Regem *Francorum*, & petiit ab eo ut restitueret sibi *Pictaviam* & *Andegaviam*, & alias terras ultramarinas sibi jure hæreditario competentes, quas injuste detinuit occupatas: sed nihil profecit. Neque enim Ducatum *Nomanniæ* in quo jus sibi maturius competebat, reddere dignabatur; processit igitur Rex in *Vasconiam* non modica stipatus comitiva, ibique Regina peperit ei filiam quam vocari fecit *Margareta*. Obiit *Joselinus Bathoniensis* Episcopus.

MCCXLIII. 1243

Rex *Henricus* facta treuga inter ipsum & regem *Francorum*, consumta, ut assolet, innumerabili pecunia reversus est in *Angliam*, & applicuit apud Portesmuth circa festum Sancti *Michaelis*, viz. VII. Kal. Octobris. Obiit Papa *Celestinus*, electus est loco ejus *Senebaldus* Cardinalis, & vocatus est *Innocentius* IV. *Richardus* Comes *Cornubiæ* Duxit uxorem *Seuchiam* filiam Comitis *Provinciæ*, sororem Reginæ *Angliæ*. *Willielmus* de Baleya *Norwicensis* Episcopus postulatus est ad sedem Winton, cui Rex totis viribus se opposuit, ipse vero quia exulatus, adiit Dominum Papam. Factæ sunt nuptiæ solennes Domini Comitis *Cornubiensis* & *Seuchiæ* Comitissæ apud Walingford, in festo Sanctæ *Ceciliæ*. *Bonefacius* amiculus Reginæ, frater Domini *Petri* de *Sabaudia* electus est in Archiepiscopum *Cantuariensem*, & statim adiit Dominum Papam confirmandus. Rex pro itinere in *Vasconiam* cepit scutagium, scil. XL. solidos ad scutum.

Treuga R. An. cum R. Fran. Celest. P. ob. R. Com. Corn. Seuchiam ducit Ux. Bonif. fit. Arch. Cant.

MCCXLIV. 1244

Die Annunciationis Beatæ *Mariæ*, anno MCCXLIV. incipiente, orta contentione inter Clericos Universitatis & Judæos Oxon. Clerici fregerunt domos Judæorum, & bona eorum innumerabilia asportaverunt, propter quæ plures eorum incarcerati sunt: sed per Dominum *Robertum Lincolniensem* Episcopum liberati sunt, quia nullus apparuit qui eos directe convincere posset de crimine feloniæ. Rediit *Willielmus* de Baleye de curia, confirmatus à Papa, & non obstante regis rebellione assecutus est Episcopatum Winton, & reversus solvit interdictum civitatis quod promulgaverat in Cives & Monachos qui prius sibi denegaverant civitatis ingressum. Idem *Willielmus* Winton Episcopus anno eodem consecravit *Rogerum* Præcentorem Sarum in Episcopum *Bathoniensem* apud Redinges III. Id. Septembris. Consecravit etiam *Fulconem* Basset in Episcopum London apud London in festo Sancti *Dionysii*. Regina peperit *Edmundum* XVII. Kal. Februarii filium suum secundo genitum. Anno eodem *Innocentius* Papa, metuens sibi ne opprimeretur à *Frederico* Imperatore sicut prædecessores sui, adductis secum Cardinalibus transferens se de finibus Imperii, montes Alpium transgrediens venit *Lugdunum* super *Rodanum*, ibique diutius morabatur in tuto consistens. *Bonifacius Cantuariensis* adiit Dominum Papam pro gratia confirmationis quam facile obtinuit. Rex *Henricus* arripuit iter usque *Scotiam* ut invaderet Regem *Scotorum*, sed facta per amicos intermedios pace inter eos statim rediit. Cito post Pascha Gwerra *Walliæ* incæpit inter Regem *Angliæ* & *David* Principem *Walliæ*.

Scholar. Oxon Judæos vexant. Rob. de Baleya fit. Ep. Wint. invito R. per P. Roger. fit Ep. Bath. Fulc. Ep. Lond. Edmund. Prin. nascitur. Innoc. P. cum Cardin. in Gall. transeunt. Bon. Cant. adit P. Hen. R. invad. Scot. Bellum cum Wallis.

MCCXLV. 1245

David Princeps *Walliæ* nitebatur impetrare à Domino Papa, ut *Wallia* & Principes ejus in perpetuum à Domino Rege *Angliæ* eximerentur, sed nihil profecit. Quo comperto Rex adiit partes *Walliæ*, & Principem sic arctavit, ut necessitate compulsus fugeret in *Snoudonam*. Successit Regi in adjutorium tanta siccitas æstivalis, ut & paludes & memora montuosa sine impedimento & obice pertransiret. *Robertus* Grossetesse adiit Curiam *Romanam* Domino Papæ contra Canonicos *Lincolnienses*, & Canonici contra eum, pro visitatione Præbendarum. Fratres juniores Oxon, prius in arcto constituti cœperunt dilatare terminos suos, & nova ædificia construere. *Innocentius* Papa, convocatis universis Ecclesiæ Prælatis, celebravit generale Concilium

Rob. Groß. Ep. Linc. adit curiam Rom. Innoc. P. Lugdun. concil. celeb. ubi Frid. Imp. excom. & Henric. substituitur.

apud *Lugdunum*, in quo ſententialiter degradavit Imperatorem *Fredericum*, decernens ipſum finaliter amovendum ab Imperio; ipſumque & omnes fautores ejus excommunicavit, aſſerens ipſum hæreticum & rebellem Eccleſiæ Romanæ, præcepitque *Colonienſi*, *Treverenſi*, *Moguntienſi*, Archiepiſcopis, ut *Henricum* dictum *Langravium Vthuringum*, virum potentiſſimum & militem ſtrenuiſſimum eligerent in regem Teutonicorum, quod & factum eſt. Veruntamen nec ingreſſum civitatis *Aquiſgranenſis*, in qua Reges coronari conſueverunt, & in throno *Caroli* Magni conſiſtentes ibidem ex conſuetudine collocari, nec Coronationis gratiam potuit obtinere. *Fredericus* itaque dominium Regni perpendens, qui etiam decretum Concilii nulli pendens, invito Papa & Cardinalibus, proventibus imperii potenter incubuit, viz. *Italiæ*, *Tuſciæ*, urbis Romanæ, majoris *Campaniæ* & Provinciarum adjacentium: inſuper patrimonium ſuum *Appuliam*, *Siciliam*, *Calabriam* & totam *Africam* nullo ſibi reſiſtente poſſedit in pace quoad vixit. Anno eodem caſſata electione *Willielmi* de Monte *Poſſulano* Monachi *Coventrenſis*, Magiſter *Rogerus* de **Weſham** conſecratus eſt in Epiſcopum *Coventrenſem*. Circa Aſſumtionem Beatæ *Mariæ* Rex *Angliæ* profectus eſt verſus partes finitimas *Walliæ*, ad invadendum Principem *Walliæ* prævaricatorem pactionum inter eos initarum, & cœpit ædificare Caſtrum de **Gannak** & redire circa feſtum Sancti *Michaelis*, & cepit ſcutagium per totam *Angliam*, ſcil. XL. Sol. ad ſcutum. Rediit *Robertus* **Lincoln** Epiſcopus, obtenta pro eo ſententia in Curia *Romana* contra Canonicos **Lincoln**, in parte ut dicebatur, & cœpit viſitare Canonicos & eorum Præbendas. Fratres prædicatores **Exon**, relicta manſiuncula quam habuerant infra Judaiſmum **Oxon**, in feſto omnium Sanctorum. [in ſuburbia juxta **Grandpont** ſe tranſtulerunt] *Innocentius* Papa extorſit VI. Mill. Marc. de viris religioſis & Clericis *Angliæ* beneficiatis, exceptis tantummodo *Cluniacenſibus*, & de Ordine de *Sempnigh*, *Templariorum*, & *Hoſpitaliariorum*. Obiit *David* Princeps *Walliæ*.

1246 MCCXLVI.

Eccl. Monach. de Bello loco, dedicat. Walt. Carleol. fit Monach. ord. præd. Oxoniæ Innoc. P. benef. Ang. pecun. emung. Gul. com. Holl. à P. loco Henr. factus, Aquiſgran. obſid. & capit. Rob. Sar. Ep. ob. Edm. canoniz.

Dedicata eſt Eccleſia Monachorum *Belli Loci* XV. Kal. Julii à *Willielmo* de **Raleya** *Wintonienſi* Epiſcopo. *Walterus* **Mandeik Carleol** Epiſcopus aſſumſit habitum fratrum prædicatorum apud **Oxon**, in feſto nativitatis Sancti *Johannis* Baptiſtæ. *Innocentius* Papa nitebatur extorquere de Clericis *Angliæ* beneficiatis non reſidentibus medietatem beneficiorum ſuorum, de ſtudentibus & Dominis ſuis ſervientibus tertiam partem; de vendentibus, viceſimam Silveſtrium de **Everdon**, quæ aliquando fuit Domini Regis. Domini Regis Cancellarius electus eſt, & conſecratus in Epiſcopum **Carleol**. Obiit *Henricus Landgravius Vthuringus* qui fuit electus in Regem *Romanum*, non tamen aſſecutus munus Coronationis. Quo audito Dominus Papa injunxit tribus Archiepiſcopis, ut *Willielmum* Comitem **Holland**, militem ſtrenuum, eligerent in Regem, & ut ei totis viribus adhærerent, quod factum eſt. Et quia Cives *Aquiſgranenſes* non permiſerunt eum ingredi Civitatem *Aquiſgranenſem* ut Coronationis beneficium obtineret; eoque quod feciſſent homagium & fidelitatem Imperatori *Frederico*, à cujus fidelitate nullo modo vellent recedere ipſo ſuperſtite: Papa in odium Imperatoris miſſo quodam Cardinali *Petro Capthia*, Civitatem ſuppoſuit interdicto, mittens in adjutorium electi omnes cruce ſignatos qui profecturi fuerant in terram ſanctam. Quorum fretus adjutorio, *Willielmus* in Regem electus, & Archiepiſcopi ſupradicti cum his qui electo adhærebant civitatem ipſam obſidione concluſerunt, protractaque eſt obſidio per unum annum integrum & viginti dies, & quanquam impeterentur innumeris obſidentium ad C. Millia hominum, obſeſſi tamen ſe & Civitatem potentiſſime defendebant, donec elapſo obſeſſionis termino ſupradicto, certus ad eos devenit rumor, quod Imperator in fata deceſſerat, unde tenentes ſe ab ejus hominio abſolutos, Regi *Willielmo* ſub honeſtis conditionibus ſalvis ſibi vita & membris, & omnibus bonis & poſſeſſionibus ſuis, civitatis aditum conceſſerunt. Rex civitatem ingreſſus ſtatim ſe fecit cum ſolemnitate qua potuit coronari. Fratres prædicatores primo

mo celebraverunt divina in nova Ecclesia sua Oxon, die Assumtionis Beatæ *Mariæ*. Obiit venerabilis Sarum Episcopus *Robertus*, *Willielmus* de *Eboraco* loco ejus electus est. Sanctus *Edmundus* Canonizatus est. Circa medium Adventum factus est terræmotus per totam *Angliam*. x. Kal. Martii Obiit *Robertus* de Wykes. x. Kal. Januarii, Caristia bladi ita, ut Sema frumenti venderetur pro xvi. Solidis.

MCCXLVII.

Facta est generalis congregatio omnium magnatum *Angliæ*, Episcoporum, Comitum, Baronum coram Domino Rege apud Oxon, quindena Paschæ; quorum consilio & assensu Dominus Rex mutavit monetam suam, quia vetus sic fuit retonsa quod nullius fuit valoris. Rex ibidem fecit celebrari solennem Missam de beato *Edmundo* nuper ante canonizato. Item Caristia magna bladi in *Anglia*, adeo ut Sama frumenti venderetur 1 Marc. & amplius. Translatus est beatus *Edmundus* apud Pountniac v. Id Junii. Consecratus est *Willielmus* de *Eboraco* in Episcopum Sarum, ii. Id. Julii a *Fulcone* London Episcopo. Obiit *Rogerus Bathoniensis* Episcopus. Prohibitio capiendi monetam retonsam.

1247 *Parliam. ap. Oxon. ad rem monetariam reformand. Rog. Bath. Ep. ob.*

MCCXLVIII.

Permittente Domino qui pascit homines & jumenta, facta est ubertas & copia frugum in *Anglia*, adeo ut anni præcedentis incommodum quasi quadam oblivione sepeliretur. Rex prospiciens regnum suum per egestatem pecuniæ desolatum, à fratre suo Comite *Richardo* mutuo accepit non modicam pecuniæ quantitatem, & non solum in majoribus Civitatibus ut assolet, sed & in universis oppidis per regnum fecit cudere & fabricare monetam, & Cambium constituit; unde infra tempus modicum, facta est copia monetæ per totam *Angliam*, concessitque fratri suo Comiti *Richardo* pro beneficio mutui, ut de proventibus Cambii pecunia quam commodavit integraliter solveretur, non solum per pondus sed per numerum; & ut postremum perciperet medietatem Cambii proventuum quam vindicaret; unde non mediocriter ejusdem Comitis accrevit ærarium. Obiit nobilissimus *Willielmus* Comes *Ferrariensis*. Rex *Franciæ* cum militia copiosa, in die Parasceuæ arripuit iter in terram sanctam, & transito mari Mediterraneo, hiemavit in insula *Cypro*. Magister *Thomas* le Waleys Archidiaconus Lincoln, electus est in Episcopum *Meneveņsem*, consecratus apud *Cantuariam* vii. Kal. Augusti.

1248 *Will. com. Ferrar. ob. Franciæ R. petit terram sanct.*

MCCXLIX.

In hyeme facta est tanta temperies aeris & auræ suavitas, ut vulgariter diceretur hyemem in æstatem esse conversam; neque enim nix aut gelu per totam hiemem videbatur ingruere, unde factum est ut in *Anglia* per hyemem abjectis vestibus penulatis; indumentis tenuissimis & æstivalibus se induerent; sed in fine Martii & mense Aprili, & usque ad medium mensis *Maii* tantum frigus inhorruit, ut rejectis sindonibus, vestes duplices resumere cogerentur. *Bonifacius Cantuariensis* Archiepiscopus consecratus à Papa, venit in *Angliam*, installatus in festo omnium Sanctorum. Rex *Franciæ* relicta insula *Cypro*, verno tempore naves ascendens aura sibi feliciter arridente, die veneris proxima post festum Sanctæ Trinitatis applicuit ad *Damiatam* civitatem opulentissimam, & dominica sequente cepit eam, & expulsis *Saracenis* qui eam occupaverant, obtinuit eam in pace. *Nicolaus* de Farnham Episcopus *Dunelmensis* cessit dignitati, resignans Episcopatum; *Walterus* de Kirkham Decanus *Eboracensis* ad eandem dignitatem est electus circa Pascha; consecratus in festo Sancti *Nicolai* proximo sequente. Frater *Gilbertus* Romanus *Prior* Eton, assumsit habitum prædicatorum in crastino Sanctæ Trinitatis apud Oxon. Obiit Rex *Scotiæ* circa nativitatem Sancti *Johannis*. Anno eodem, circa mediam Quadragesimam inventum est quoddam corpus hominis extra muros Sanctæ Frideswyd Oxon mirabiliter detruncatum, nam abscisso capite, brachiis & cruribus cum tibiis quam artificialiter per juncturas dissociatis à corpore, truncus solus inventus est; membra quidem ipsa cum

1249 *Damiata capitur. Nicol. Dun. Ep. se abdicat. Walt succed. Scotiæ R. ob.*

cum diligentia quæſita tandem inventa ſunt quodam funiculo colligata in loco ſecreto, ſemota à trunco corporis, caput autem nuſquam potuit inveniri.

MCCL.

1250 *Rex Franciæ à Saracenis vincitur, & cum dedecore domum redit.*

Rex *Franciæ* pro triumpho captionis *Damiatæ* evectus in ſublime, inſtigante eum præſumtione & ſuperbia quæ Gallos indefeſſe conſequitur, relicta civitate in qua tutiſſime morabatur, aliquid quod tum ad effectum producere non potuit putans audendum, cum audiſſet *Saracenos* in confinio cujuſdam caſtri quod *Manſora* dicitur non procul à *Damiata* fixiſſe tentoria, paucitatem exercitus eorum,qui ab exploratoribus videri poterant,habens contemtui, cum paucis qui cum eo erant irruit ſupra eos, inſtructo ſtatim prælio exhibitus eſt de latibulis *Saracenorum* numerus infinitus, & interfectis Chriſtianis captus eſt à *Saracenis* Rex *Francorum* die Martis proxima poſt octabas Paſchæ. In ipſo prælio morte pretioſa occubuit miles robuſtiſſimus, pugil invictiſſimus *Willielmus* **Longeſpey** qui pugnando uſque ad mortem, vivum ſe captivari non permiſit; præeligens mortem pro Chriſto amplecti, quam ſe dedere *Saracenis*. Tandem Rex reddita *Saracenis Damiata* & ſolutis pro redemtione ſua & nobilium de regno *Francorum* qui cum eo dederunt ſe *Saracenis* octo millibus biſannorum *Saracenorum*; terminis ſtatutis liberatus de captivitate, venit **Acon** die veneris proxima ante Pentecoſten, populus autem reliquus à maximo uſque ad minimum fuerat interfectus in prælio. Rex cum dedecore & confuſione & vituperio Chriſtianitatis, regreſſus eſt in terram ſuam. Anno eodem congregatus eſt & in *Francia* ribaldorum numerus infinitus qui ſe paſtores nuncupabant, & confluebat ad eos de diverſis mundi regionibus multitudo quam dinumerare nemo poterat, qui ſe omnes cruce ſignari fecerunt ad proficiſcendum in terram ſanctam, dicentes quod uni ribaldorum qui profanæ multitudinis illius dux & Magiſter effectus eſt, divinitus fuit revelatum quod terra ſancta per eos fuerat adquirenda; quod nimirum in *Gallicorum* confuſionem & ignominiam potiſſime redundabat. Tandem orta inter eos & ſcolares *Pariſienſes* & *Aurleanenſes* gravi contentione, interfecta eſt ribaldorum multitudo non modica: comperto per confeſſionem magiſtri eorum & aliorum de comitatu quod erant *Britici*; reliqui diſperſi fugiendo vix mortis periculum evaſerunt; & ſic tota ipſa veſania redacta in nihilum tempore modico conquievit. Frater *Gilbertus Romanus* quondam **Eton**, profeſſus eſt ordinem prædicatorum apud **Oxon** in feſtum Sancti *Barnabæ*. Obiit *Willielmus* de **Baleya** **Winton** Epiſcopus circa feſtum Sancti *Ægidii*: Dominus *Adimarus* de le frater Domini *Rogeri* ad eandem ſedem electus eſt. Obiit *Fredericus* Imperator circa feſtum Sanctæ *Luciæ* virginis.

Hen. de Bathon. proditionis accuſatur. Innocent. P. in Ital. red. Ric. Roff. Ep. ob.

Dominus *Philippus* de **Acty** miles quidam appellavit Dominum *Henricum* de **Bathon** Juſtitiarium Domini Regis de proditione & felonia, & de falſo judicio contra eum prolato per ipſum & Collegas ſuas, *Apello* propoſito coram Rege & concilio ſuo, præfixus eſt dies coram Rege in Parliamento apud **Windeſhores** die Jovis ante cathedram Sancti *Petri*, in quo dictus *Henricus* qui ſapientiſſimus fuerat in legibus *Anglicanis* Reſpondens in perſona propria caſſavit Appellationem, quia nec recte nec ſecundum legem Regni propoſita fuerat, nec formata; Rex depoſuit eum de officio Juſticiariæ, volens eum de poteſtate ſua detrudere, ad miſſionem: tandem amicorum interveniente ſubſidio fecit pacem cum Rege pro habenda benevolentia ſua, & ne procederet ad inquiſitionem, dans ei ccc. Marcas argenti. Circa feſtum omnium Sanctorum *Innocentius* Papa receſſit de *Lugduno*, transferens ſe ad partes Tranſalpinas. Obiit *Richardus Roffenſis* Epiſcopus, ſucceſſit ei *Laurentius* de Sancto *Martyrio*. Anno eodem orta eſt gravis diſſenſio inter *Bonifacium Cantuarienſem* Archiepiſcopum & Canonicos Sancti *Pauli* **London**, eo quod Archiepiſcopus vendicabat ſibi jus viſitandi dictos Canonicos, cumque Archiepiſcopus violenter voluiſſet intrare Eccleſiam Sancti *Pauli* ratione viſitationis faciendæ, repulſus eſt per Canonicos; unde contigit, quod habito conflictu inter partes ante foras Eccleſiæ, quidam de familia

familia Archiepiſcopi interfecti ſunt, nonnulli quoque graviſſime vulnerati.

MCCLI.

1251 *Alex R. Scot. Angl. invad. nuptiis cum Marg. filia Regis Angl. pax coaleſcit. Monaſt. de Hales fundat.*

Circa Hokeday[a] ſedata eſt graviſſima diſcordia quæ diu duraverat inter Dominum *Willielmum* de *Cantalupo* Wigorn Epiſcopum, & Dominum *Willielmum* de *bello campo* de Cleidlye, pro ſecta Curiæ quam alternatim uterque ab altero exigebat. Circa idem tempus *Alexander* Rex *Scotorum* cœpit occupare terras Regis *Angliæ* regno ſuo finitimas. Quo comperto Rex *Angliæ* innumerabili exercitu congregato ad partes ſe tranſtulit Boreales, præmittens *Johannem* Manſell tractare de pace; quo mediatore, contracta ſunt ſponſalia inter Regem *Scotorum* & *Margaretam* filiam Regis *Anglorum*, ſtatimque pace ſolidata, rediit Rex in *Angliam* & totus exercitus. Monachi de Heyles in feſto Aſſumtionis beatæ *Mariæ* primo intraverunt novam Eccleſiam ſuam, quam Comes *Richardus*, una cum omnibus ædificiis Monaſterii, ſuis ſumtibus à fundamentis extruxerat, & in eadem divina celebrare cœperunt. In feſto Nativitatis Beatæ *Mariæ* venit Rex *Scotorum* apud Wodeſtoke, ibique initiata prius ſponſalia confirmavit. Nonas Novembris dedicata eſt Eccleſia de Heyles cum magna ſolennitate, præſentibus ibidem Rege *Angliæ* & Regina, Comite *Richardo* ejuſdem Monaſterii Fundatore, & univerſis regni Comitibus & Baronibus; militum & plebeiorum multitudine numeroſa, XIII. Epiſcopis ipſam Eccleſiam dedicantibus. Taceo de convivio, cujus apparatum vix lingua vel calamus ſufficeret explicare. In craſtino Natalis Domini *Alexander* Rex *Scotorum* *Margaretam* filiam regis *Angliæ* quam prius ſubarraverant, ut prædictum eſt, in facie Eccleſiæ ſolenniter deſponſavit, præſentibus apud *Eboracum* celebrationi nuptiarum, totius *Angliæ* & *Scotiæ* magnatibus, quos dinumerare nemo potuit.

MCCLII.

1252 *Fames in Angl.*

Invaluit calor maximus, & ſiccitas inaudita per totam *Angliam*, adeo ut à Paſcha uſque ad autumnum non plueret omnino, ſed nec per totum tempus ſupradictum tenuiſſima roris conſolatio ſuperficiem terræ vel modice madefecit, unde factum eſt ut vix per agros, prata, ſeu paſcua herba quælibet creſcere videretur. Hoc etiam incommodo prævalente ſecuta fames valida, mortalitas hominum & jumentorum, & cariſtia Bladi, penuria frugum, & fructuum.

MCCLIII.

1253 *Ric. Ciceſt. Rob. Groſſteſt. Linc. Silv. Caerl. Ep. obiere. R cum exercit. in Vaſcon. tranſfret. Simon de Montefort. rebus nov. ſtud.*

Obiit Sanctus *Richardus Ciceſtrenſis* Epiſcopus, cito poſt Paſcha, ſucceſſit ei *Johannes* vir miræ ſimplicitatis & innocentiæ. Obiit venerabilis *Robertus* Groſſeteſte Lincoln Epiſcopus, in catalogo Sanctorum merito numerandus, ſucceſſit ei *Henricus* de Lexinton. Obiit *Silveſter* Karleol Epiſcopus, ſucceſſit *Thomas* de *veteri ponte*. Orta eſt gravis diſſentio inter Dominum *Ademarum* Winton Electum & Monachos Sancti *Swithuni* Winton, unde factum eſt ut idem Electus, multos de Monachis capi fecerat & incarcerari; veterem Priorem depoſuit & novum ſubſtituit. Clerus *Angliæ* facta quadam contributione dederunt Papæ *Innocentio* Mille Marcas, ut procurationes Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, Archidiaconorum, quas extorquebant, & ſubditos taxarent ad certam pecuniæ quantitatem. Idemque Papa decrevit ut Archiepiſcopi pro procuratione ſua perciperent tantummodo quatuor Marcas, Epiſcopi XXX. Solidos, Archidiaconi VII. Solidos VI. denarios. Anno eodem circa feſtum Aſſumtionis Beatæ *Mariæ* Rex *Henricus* cum exercitu copioſo transfretavit in *Vaſconiam*, & communi conſilio regni ſui commiſit cuſtodiam totius regni ſui *Angliæ* fratri ſuo *Richardo* Comiti *Cornubienſi*, & *Waltero* de Grey Archiepiſcopo *Eboracenſi*. Cauſa vero transfretationis Domini Regis hæc fuit. Venerant ad Regem in *Angliam* Majores Ducatus *Vaſconiæ* conquerentes & Regi denunciantes, quod *Simon* de *Monteforti* Comes *Leyceſtriæ* qui fuerat Seneſcallus *Vaſconiæ*, Proceres & populum ipſius provinciæ per indebitas extorſiones intolerabiliter opprimebat, & proventus ſeu commoda fiſco regio

[a] Statim poſt feſtum Paſchatis.

G

regio competentia, non Regis sui usibus applicavit. Rex interim super hoc vehementer iratus, deposuit Comitem de administratione Ducatus. Comes itaque amotionis suæ causa tria famosissima & munitissima Castra *Vasconiæ* (in quibus totum robur provinciæ consistere manifestum est) capitalibus inimicis Domini Regis in ultionem depositionis suæ tradidit possidenda, viz. Castrum de Frunsak, Castrum de Renauges, & Castrum quod dicitur *Regula* cum adjacentibus oppidis & Burgis, sola duntaxat civitate Burdegal Regi, tepide tamen, adhærente. Castrorum occupatores, infidi Proceres, & populum solito gravius oppresserunt misso præsidio castra munientes, seque pro tuendis munitionibus ad conflictus bellicos præparabant; nec permittebant quenquam, quem Rex præficiebat, gerere ducatus administrationem. Unde Rex in portu qui dicitur Portesmuth navibus ascensis pelago se committens, prospere velificando devenit Burdegal, evocatisque in adjutorium suum de indigenis, & de his quos secum adduxerat bellatorum catervis, castra nequiter occupata obsidione concludens, admotis machinis militariter impugnavit, cepit & obtinuit; infinitam pecuniam coadjutoribus suis ut oportuit dividendo, omnia per totam Provinciam solidavit, strenuissimumque virum Dominum *Stephanum* Longespey substituit totius *Vasconiæ* Senescallum. Comes quidem *Leycestriæ* animo saucius, odium quod in Regem pro amotione sua conceperat per tempus dissimulando, in regno *Franciæ* morabatur, expectans temporis opportunitatem, quo præmeditata calliditate, depositoribus suis solveret talionem. Dum hæc agerentur in *Vasconia*, Dominus *Edwardus* Regis *Angliæ* Primogenitus, qui cum Regina matre sua & Domino *Bonifacio Cantuariensi* Archiepiscopo venerat in *Vasconiam*; processit in *Hispaniam*, & filiam Regis *Hispanici* matrimonio sibi copulavit, & ab eodem Rege cingulum militare suscepit; consummatisque negotiis rediit in *Vasconiam*.

1254 *R. in Angl. redit. Innocent. P. Hug. El. Ep. ob.*

MCCLIV.

Rex *Angliæ* cum Regina & filio suo supradicto, regrediens per *Franciam* ut in *Angliam* repedaret, applicuit *Doroberniam* tertio die Natalis Domini, viz. in festo Sancti *Johannis* Evangelistæ, occurrentibus sibi ibidem totius regni Magnatibus, ipsumque cum summo gaudio suscipientibus. Obiit *Innocentius* Papa III. successit ei *Alexander* Papa IV. Obiit venerabilis *Hugo Eliensis* Episcopus, quondam Abbas Sancti *Edmundi*; successit ei Magister *Willielmus* de Kilkenny Domini Regis Cancellarius. *Alexander* Papa concessit Domino Regi *Angliæ* decimas Ecclesiarum totius *Angliæ* per quinquennium.

1255 *Walt. de Grey Arch. Ebor. ob. Sewal. succed.*

MCCLV.

Circa Pascha obiit piissimæ recordationis *Walterus* de Grey *Eboracensis* Archiepiscopus. Electus est loco ejus vir magnificæ prudentiæ Magister *Sewallus* de Banill, cujus admissioni Rex assensum suum denegavit; proponens, si quo modo possit, Dominum *Ademarum* fratrem suum Winton Electum, ad Archiepiscopatus celsitudinem promovere: sed hoc frustra, quippe Electus *Eboracensis*, missis statim ad Curiam Romanam nunciis, gratiam Domini Papæ sic adeptus est, ut à propriis suffraganeis posset in *Anglia* consecrari, insuper & pallium sibi misit; obtenta hujus gratia consecratus est apud *Eboracum*, Dominica proxima post festum Sanctæ *Mariæ Magdalenæ*, circa festum conversionis Sancti *Pauli*. Obiit *Willielmus Eboracensis* Episcopus Sarisbery, successit eidem magister *Ægidius* Rudeport.

1256 *Roger. Covent. Ep. Thom. Carleol. Will. Elienf. ob. Wallenses terras in Com. Cest. vastant. Ric. Com. Cornub. Elig. in Reg. Roman.*

MCCLVI.

Obiit *Rogerus* de Weseham *Coventrensis* Episcopus, loco ipsius electus est Dominus *Rogerus* de Menlent. Obiit *Willielmus* de Kilkenny *Eliensis* Episcopus, successit ei *Hugo* Prior *Eliensis* Ecclesiæ. Obiit *Thomas* Karleol Episcopus, successit ei *Robertus* de Chamy Thesaurarius Reginæ. *Wallenses* egredientes terminos suos, terras Domini *Edwardi* filii Regis sibi finitimas, in Comitatu *Cestriæ* crudelissima depopulatione vastabant; terris Comitis *Glocestriæ* nullam omnino molestiam inferentes. Eodem anno, edicto generali prohibitum est, ne viri religiosi quocunque titulo de cætero intrarent terras

de feodo Regis fine licentia Regis. Anno eodem in feſto Sancti *Hilarii* electus eſt *Richardus* Comes *Cornubiæ* in Regem Romanorum, & ut ad poſterum memoria traducatur qualiter electus fuit, & qui ſunt electores, inutile non eſſe decrevimus, ſed opportunum rei geſtæ ſeriem interſerere. Interfecto Rege *Willielmo*, quem Papa præfici fecit Regno *Alemanniæ* in odium *Frederici* de quo ſupra anno MCCXLVI. fecimus mentionem, à Friſonibus quos ſuo propoſuerat ſubjugare Dominio, vacante aliquamdiu regno, miſſus eſt ad prædictum Comitem *Richardum* ex parte quorundam de electoribus, vir nobilis & prudens *Johannes* de *Attenicis*, dicens quod ſi negotium *Alemanniæ* voluiſſet aſſumere, & electoribus ſuper certam pecuniæ ſummam quam petebant ſatisfacere, in Regem eligerent, & ei ſicut Domino totis viribus adhærerent, cujus perſuaſioni Comes fidem adhibuit & aſſenſum, & miſit cum eo in *Alemanniam* nobilem virum *Richardum* Comitem *Glouceſtriæ*, & Dominum *Joannem* Manſell, tribuens eis plenam poteſtatem componendi cum Electoribus; recepta de eis ſecuritate quod eum eligerent. Sunt autem ſeptem Principes *Alemanniæ* ad quos poteſtas eligendi Regem ſpecialiter pertinere dignoſcitur, viz. tres Eccleſiaſtici & quatuor ſeculares; primus Eccleſiaſticorum Archiepiſcopus *Maguntii*, ſecundus Archiepiſcopus *Coloniæ*, tertius Archiepiſcopus *Treverii*; primus ſecularium dux *Bavariæ*, ſecundus Dux *Saxoniæ*, tertius Dux *Auſtriæ*, quartus Marchio *Brandenburgiæ*. Pepigerunt igitur nuncii ſupradicti cum Principibus, primo cum *Maguntii* Archiepiſcopo, ad cujus præeminentiam pertinet prima vox in electione, quique tunc temporis vinctus detinebatur in carcere cujuſdam potentis illius provinciæ qui eum paulo ante in bello ceperat, cum quo pro liberatione ſua pacem fecerat pro quinque millibus Marcarum *Colonienſium*, viz. quod Comes daret ei VIII. Mil. Marc. *Colonienſes*, de quibus V. Millia cederent Captivatori pro liberatione ſua, tria Millia reſidua cederent uſibus captivati. Deinde pepigerunt cum *Colonienſi* pro XII. Mill. Marcis *Colonienſibus*, cum Duce *Bavariæ* pro XVIII. Mill. Marcis Sterlingis, XII. Solidos pro Marca qualibet computando, cuilibet cæterorum Principum obtulerunt tantummodo VIII. Mill. Marcas *Colonienſes*, nec tamen aliquis ipſorum tam modicum dignabatur admittere, petentes ſinguli XII. Mill. prout Archiepiſcopus *Colonienſis* accepit, quia ſe viliores non reputabant. Præfixo autem die electionem faciendi in feſto Sancti *Hilarii* apud Frankford, loco ſcil. electionem faciendi deputato, convenerunt Dux *Bavariæ*, Archiepiſcopus *Coloniæ* perſonaliter, Archiepiſcopus *Moguntiæ* per procuratorem habentem ſufficiens mandatum, & eligendi plenariam poteſtatem, votis itaque concorditer adunatis Dominum *Richardum* Comitem *Cornubiæ* ſolenniter elegerunt in Regem reliquis quatuor non conſentientibus, nec tamen impedire valentibus. Proceſſu quoque temporis Archiepiſcopus *Treverenſis* ſolus ſine cæterorum conſenſu, ut electionis negotium impediret, eoque quod XII. Mille Marcas non potuit obtinere ſicut Archiepiſcopus *Colonenſis*, Regem *Hiſpanienſem* elegit in Regem Romanum, promittens ex parte Regis *Hiſpaniæ* cuilibet trium principum XX. Mille Marcas, qui cum nullo modo volebant in ejus electionem conſentire, donec de promiſſa pecunia feciſſet eis plenariam ſatisfactionem. Rex autem *Hiſpaniæ* in tam frivola electione ſpem ponens & fiduciam, miſit ſolemnes nuncios ad Curiam Domini Papæ pro negotio prætaxato, qui diutinam in Curia ſed inutilem moram facientes, & innumerabilem pecuniam conſumentes, in nullo penitus profecerunt, qui etiam domum confuſi & vacui receſſerunt.

MCCLVII.

Richardus Comes *Cornubienſis* in Regem Romanorum electus, Domino Archiepiſcopo *Colonienſi*, Domino *Leodienſi* Epiſcopo, Domino *Trajectenſi* Epiſcopo, Domino *Florentio* Comite Holland, & aliis quamplurimis *Alemanniæ* magnatibus ipſum quærere & *Alemanniam* deducere venientibus, aſcenſis navibus apud Pernemuth penultimo die Aprilis, præpropere velificando quinto die Maii cum XLVIII. magnis navibus & duabus naviculis applicuit in *Hol-*

1257 *Ricardus Comes Cornub. in Reg. Rom. electus in Alemanniam deducitur, & coronatur.*

 landiam

landiam ad oppidum quod dicitur Dordrecht, infra Regnum *Alemanniæ*, & in feſto aſcenſionis Dominicæ, quod eo anno contigit XVI. Kal. Junii, cum ſumma ſolennitate coronatus eſt, *Conrado* Archiepiſcopo *Colonienſi* ſibi manus imponente, quippe *Geraldus* Archiepiſcopus *Maguntiæ*, qui ex præeminentiæ ſuæ debito primam ſibi manum imponere tenebatur, auctoritate ſummi Pontificis excommunicationis vinculo fuerat innodatus, veruntamen in civitate quæ dicitur *Aquiſgranum*, ubi ex antiquo more univerſi Reges coronari conſueverunt, præſentialiter interfuit. Completo ſolenniter Coronationis officio, Rex regio venuſtatus Diademate glorioſus effulgens, in throno *Caroli* magni honorifice collocatus, Dominum *Henricum* filium ſuum militiæ cingulo decoravit. Coronata eſt cum eo ſereniſſima conjux ſua *Senchia*, cujus inæſtimabilis pulcritudo ſolennitatem ipſam non mediocriter illuſtravit; ſequebatur tam ſolenne convivium, quod judicio principum & procerum qui perſonaliter interfuerunt, modernis temporibus comparationem recipere dedignabatur. Circa idem tempus Obiit *Sewallus Eboracenſis* Archiepiſcopus, ſucceſſit ei Magiſter Godfrey de Ludham. Obiit etiam *Walterus Norwicenſis* Epiſcopus, ſucceſſit ei Magiſter *Simon* de Walton. Obiit etiam *Willielmus* Exon Epiſcopus, ſucceſſiit ei Magiſter *Walterus* Archidiaconus *Surriæ*. Eodem anno miſſi ſunt à Domino Rege milites multi cum maxima multitudine bellatorum ad partes Kennerden ad propulſandos *Wallenſes*, qui terras Comitis *Glouceſtriæ* vaſtaverunt, qu minus diſcrete progredientes ut terras *Wallenſium* invaderent, & prædas abducerent, à *Wallenſium* multitudine qui de latibulis ſilvarum & paludibus inopinate proſiluerunt circumſepti, habito conflictu quamplures interfecti, paucis eorum evadentibus, occubuerunt. Interfectus eſt ibidem miles ſtrenuiſſimus Dominus *Stephanus* Ranzan. Circa feſtum Sancti *Petri* ad vincula, Rex audito quod *Wallenſes* Caſtrum ſuum de Gannok obſediſſent cum exercitu copioſo, proceſſit ibidem, quinque Portuenſibus per mare venientibus in adjutorium, obſidionem amovit; caſtrum victualibus munivit, præſidium ſufficiens intromiſit, & rediit in *Angliam* circa feſtum ſancti *Michaelis*. Decimo die Martii in quo cantatur lœtare *Jeruſalem*, ſimul conſecrati ſunt apud *Cantuariam* à *Bonifacio* Archiepiſcopo *Cantuarienſi*, *Rogerus Coventrenſis*, *Simon Norwicenſis*, *Walterus* Exon Epiſcopi.

Wallenſes tumultuantur.

MCCLVIII.

1258

Fames in Anglia.

Invaluit in *Anglia* fames inaudita per defectum frugum, ita quod & homines & jumenta paſſim proſpiceres etiam in via morientes, & intolerabilis cariſtia bladi. Magnates *Angliæ* proſpicientes *Richardum* Regem *Alemanniæ* ab *Anglia* receſſiſſe, qui dum eſſet in *Anglia* Regem & Regni moderamina gubernaverat, ad cujus nutum univerſa Regni negotia dependebant, credentes ipſum in *Angliam* reverſurum, decernentes Regem *Angliæ* Regni ſui negotiis diſponendis inutilem & inſufficientem, circa feſtum Sancti *Barnabæ* congregati ſunt Oxon, convenientes in unum adverſus Dominum & Regem ſuum, unctum utique Dominum, & inito concilio imprimis poteſtatem ſibi regiminis penitus adimebant, ſtatuentes ut de cætero de majoribus potentioribuſque Regni eligerentur XXIV. qui Regem & Regnum ſolito melius gubernarent, ſicque mutaretur perperam ordo juris naturalis, ut Rex qui ſubditos regere tenebatur à ſubditis regeretur, & è converſo. Et ne poſteris lateat forma jurisjurandi quam ſubditi Regem ſuum emittere compulerant, quinque articulos continebat. Jurabant quod proviſiones *Oxoniæ* factas per XXIV. inviolabiliter obſervarent ad honorem Dei, ad honorem Sanctæ matris Eccleſiæ, ad commodum Regis, ad utilitatem totius Regni. Iſti quatuor articuli ſi obſervati fuiſſent liciti plurimum & tolerandi fuerunt. Quintus Articulus omnino illicitus fuit & præcipue deteſtandus, viz. quod ſi quis dictis proviſionibus contraire præſumſerit, vel obſervare recuſaverit, hoſtis publicus haberetur, & ut modicum fermentum totam maſſam corrumpit, ſic iſte Articulus totum confudit negotium, cujus occaſione totius guerræ & diſſenſionis materia ſumſit initium ſeu fomentum ſuum. Omnibus enim articulis haud cohibenti-

Barones adverſus. Regem conſilia ineunt: & ad Proviſiones Oxoniæ adſtringunt.

cohibentibus, ficut ex poft facto patebit, in contrarium res lapfa eft, ftatimque fratres Regis, electus **Wintton**, *Willielmus* de *Valencia*, *Galfridus* & *Guido* de **Lezignan**, *Petrus* de *Sabaudia* avunculus Reginæ, nec non & omnes ultra mare exulare coacti funt Barones, & omnes & fingulos de familia Regis à maximo ufque ad minimum recedere compulerunt, cuftodes caftrorum & civitatum, & quofcunque regis miniftros cedere coegerunt, & alios loco eorum fubftituerunt. Dominum *Hugonem* **Bigot** conftituerunt totius *Angliæ* Jufticiarium, Abbatem de *Burgo* qui fuit *Normannus*, Thefaurarium Scaccarii, magiftrum *Nicolaum* de **Bely** Cancellarium. Anno eodem intoxicatus eft *Richardus* Comes *Glouceftriæ* & *Willielmus* de **Clare** frater ejus per quendam de militibus Comitis *Walteri* de **Scoteny** ficut vulgo dicebatur, qui poftea apud **Wintton**, equis diftractus eft, & in patibulo fufpenfus. Ante feftum Purificationis beatæ *Mariæ*, *Richardus* Rex *Romanorum* rediens de *Alemannia* in *Angliam* remeare difpofuit, cum veniffet apud fanctum *Andomarum*, occurrebant ei ex parte Baronum ibidem *Rogerus de* **Quenci** Comes **Wintton**, *Walterus* **Wigorn** Epifcopus, Abbas Sancti *Edmundi*, Abbas Sancti *Auguftini Cantuariæ*, *Johannes* **Mansell** & alii quamplures, inhibentes eidem ne quo modo in *Angliam* transfretare præfumeret, nifi præftito prius juramento quod provifiones **Oxon** obfervaret, quibus ille refpondit, quod extra regnum *Angliæ* ad hoc *homagium* compelli non debuiffe, adjicienfque quam cito veniffet in *Angliam* fi Dominus Rex *Angliæ* frater fuus præciperet ei hujus facramentum emittere, coram complicibus & comparibus fuis faceret quicquid de jure facere debuiffet. Nuntii autem tali fponfione non contenti refponderunt quod ipfum in *Angliam* applicare non permitterent, nifi fupradictum prius emitteret jusjurandum. Inhibuerant etiam quod nullus eum fine licentia & confenfu Baronum navigio tranfduceret, comminatifque nautis in portubus, quod omnes qui eum tranfnavigarent capitis detruncatione punirentur. Habito igitur ibidem fuper hoc tractatu continue per XI. dies, tandem ad hoc devenit, quod Rex corporale præftiterat juramentum, quod quam cito veniffet in *Angliam* Rege fibi injungente in præfentia parium fuorum facramentum ipfum emitteret in forma quam petebant, ficque transfretare permiffus eft. Cumque veniffet *Cantuariam* antequam pranderet, coram Rege & Regni magnatibus qui pene omnes fibi occurrerant facramentum ipfum publice & folenniter adimplevit. Quinto Kal. Februarii applicuit, & primo die Februarii fcil. in vigil. Purificationis intravit **London**, cum gaudio magno, civitate ipfa propter adventum ipfius inæftimabiliter adornata. Anno eodem circa feftum Sancti *Clementis* obiit *Johannes* filius *Galfridi* Domini Regis Jufticiarii.

MCCLIX.

Obiit *Fulco* **Basset London** Epifcopus circa feftum fancti *Barnabæ*, electus eft loco ipfius *Henricus* de **Wengham**, confecratus apud fanctam *Mariam* de **Suneck** à Domino *Bonifacio Cantuarienfi* Archiepifcopo XV. die Februarii. Die veneris proxima poft feftum fancti *Martini*, Rex *Henricus* & Regina tranffretaverunt in *Franciam*, & Dominus *Richardus* de **Gravesend Lincoln** Epifcopus ad tractandum de pace inter Regem *Angliæ* & Regem *Franciæ* de terris *Normanniæ*, *Pictaviæ*, *Andegaviæ*, quas ipfe & prædeceffores fui injufte occupaverant & detinuerant in præjudicium Regis *Anglorum*. Demum conventum eft, quod Rex *Franciæ* daret Regi *Angliæ* XXV. Millia librarum *Parifienfium* per annum, dum tamen Rex conficeret fibi chartam fuam de quieta clamatione omnium terrarum quas vendicaverat, & etiam exhiberet ei chartas Domini *Edwardi* filii fui, Domini *Richardi* Regis *Alemanniæ*, *Simonis* de *Montiforte* & hæredum fuorum. Comes autem *Leyceftriæ* huic paci oppofuit, proponens quod proceffu temporis contingere poffet quod eædem terræ fimul cum Regno *Angliæ* ad filios fuos vel hæredes jure hæreditario defcendere poffent. Ejus rei caufa pax ipfa non fumfit effectum, unde contigit ut occafione hujus impedimenti, Rex & Regina in partibus illis inutilem moram trahere co-

1259 — *Southwerk.* *Fulco Lond. Ep. ob.* *De pace cum Rege Galliæ fruftra tractatur.*

gerentur usque Pascha proximum sequens, & pecuniam innumerabilem per tantum tempus frustratorie consumebant. Anno eodem *Richardus* Rex *Alemanniæ* fuit in *Cornubia* in festo Nativitatis Domini.

Rex *Angliæ* circa Pascha, pace inter ipsum & Regem *Francorum* diutius pertractata, nec tamen (ut ex post facto patebit) plenissime solidata, proponens redire in *Angliam* simul cum Regina venit apud sanctum *Andomarum*, ibique suggestum est ei, quod Dominus *Edwardus* primogenitus suus de consilio Baronum & Procerum *Angliæ* (de quibus complures sibi confœderaverant) ambitione regnandi ad patris sui depositionem cæperat aspirare, ita duntaxat ut si veniret in *Angliam* ipsum faceret captivari, & quamdiu viveret in custodia detineri, sibique patre adhuc superstite imponeret Regni Diadema, quod falsissimum fuit. Timuit tamen Rex & distulit in *Angliam* remeare. Quo audito, frater suus Rex *Alemanniæ* congregatis apud London, universis Regni Magnatibus fecit fieri Literas suas, quibus una cum sigillo suo sigillum Domini *Edwardi* & omnium Magnatum supradictorum fecit appendi, misitque Regi assecurans eum quod audacter & confidenter nihil sibi metuens veniret in Regnum suum. Quibus acceptis Rex mari se credidit, & circa festum sancti *Georgii* in Regnum suum securus applicuit. Rex *Alemanniæ* reversurus in *Alemanniam* XIV. Kal. Julii transfretavit, & regno suo visitato iterum nono Kal. Novembris applicuit in *Angliam*. Anno eodem in quindena Sancti *Michaelis*, scil. in festo Sancti *Edwardi*, Dominus Rex *Angliæ* *Johannem* filium & hæredem Comitis *Britanniæ* (totius *Angliæ* magnatibus apud London convocatis) militiæ cingulo solenniter insignivit. Idemque *Johannes* eodem die Dominam *Beatriciam* filiam Regis in uxorem accepit, factæque sunt nuptiæ celeberrimæ apud *Westmonasterium* circa festum Nativitatis Dominicæ. Obiit Dominus *Ademarus* Winton Episcopus apud *Parisios* in veniendo de Curia consecratus à Papa, quo defuncto electi sunt ad eandem dignitatem duo schismatici, per discordiam eligentium, viz. Prior sancti *Swithuni* Winton, & Abbas de Tylecheye. Obiit & *Walterus* de Kyrkam *Dunelmensis* Episcopus, successit ei quidam monachus. Post Pascha factum est Parliamentum Baronum apud London. Rex itaque perpendens Barones grandia moliri, & aliquid velle machinari contra eum, ingressus est Civitatem London, & fecit custodiri portas civitatis, resumsitque turrim London, expulso *Hugone* Despensar, qui factus fuit justiciarius per ordinationem Baronum; & fecit venire scaccarium suum de *Westmonasterio* ad sanctum *Paulum* in domibus Episcopi London in quibus hospitabatur, & cœpit proponere plures articulos contra Barones, & rationes prout sibi videbatur satis efficaces, quod non tenebatur observare promissiones Oxon. Unde ortum est schisma inter ipsum & proceres, tandem post multas altercationes compromiserunt in arbitrario.

1260

MCCLX.

Petrus Heref. Episc. contrahit cum Papa pro Regnis Siciliæ Apuliæ & Calabriæ; pro Edmund. fil. R. Ang. secund. Nat.

Hic quia se præbet occasio, non inutile decrevimus annectendum qualiter & qua occasione *Petrus* de Egeblank *Herefordensis* Episcopus, adiens Curiam Romanam obligavit Regem & Regnum *Angliæ* ad solvendum Domino Papæ centum quinquaginta millia, quingentas & quadraginta Marc. argenti. Hæc itaque fuit causa; mortuo *Frederico* Imperatore quem Dominus Papa in Concilio *Lugdunensi* uti supradictum est, decrevit ab Imperio amovendum, Papa afferens Regnum *Siciliæ*, *Apuliæ*, & *Calabriæ*, utpote patrimonium *Petri*, ad sanctam sedem Apostolicam pertinere; pro quo tuendo & conservando totam prædictæ pecuniæ quantitatem apposuerat ut dicebat. Obtulit autem ipsum Comiti *Richardo* priusquam Regni *Alemanniæ* negotium assumsisset, si prædictam pecuniam sibi solvere voluisset. Comes utique præmetiens negotii difficultatem, Regnum ipsum sub ipsis conditionibus admittere recusavit. Papa igitur contulit illud Domino Regi *Angliæ* ad opus Domini *Edmundi* filii sui secundo geniti. Rex autem minus provide negotio se immiscuit, mittens ad Curiam supradictum Episcopum *Herefordensem* pro negotio confirmando, qui Regem & Regnum ad solutionem ipsius pecuniæ

obligavit.

obligavit. Imminente postmodum Regni turbatione, Papa prævidens quod nec Regem nec regnicolas ad solutionem ipsam potuit compellere, Rege procurante Clerum sibi contradicere, non valentem proposuit arctare ad ipsius pecuniæ solutionem, petens decimas omnium bonorum Ecclesiasticorum in *Anglia* per quinquennium secundum novam taxationem, non deductis expensis. Item petiit medietatem beneficiorum ecclesiasticorum non residentium. Item petiit de prævilegiatis per dispensationes Apostolicas fructus omnium beneficiorum suorum, unico duntaxat excepto, quod quilibet duceret eligendum. Item petiit de bonis defunctorum per totum Regnum, omnia indistincte Legata. Petiit etiam ex abundanti, quod totus Clerus *Angliæ* tam religiosi quam seculares, ad solutionem supradictæ pecuniæ sedi Apostolicæ se suis literis obligaret, sed cum in omnibus petitionibus proficere non potuisset, monasteria Regni compulit ut ad ipsam pecuniæ quantitatem solvendam obligarent firmiter se suis literis.

MCCLXI.

1261

Rex Castrum Dorub. refumit. à Papa absolvitur à juramento Baronibus præstito, de provisionibus Oxoniæ observandis. deposuit Hug. le Spencer à munere Justic. & Nic. de Ely à custodia Sigilli.

Rex *Angliæ* post Pascha resumsit castrum suum Dover, expellendo Dominum *Hugonem* le Bigot, cui commissa fuit custodia per Barones, & recedens à prædicto arbitrio, volebat parliamentare post Pascha, sed recessit de London, & profectus est Winton. Obiit *Alexander* Papa quartus apud Wyrtberg, circa quindenam Paschæ. Rex *Angliæ* in festo Pentecost. apud Winton, detulit literas Domini Papæ, & publice ostendit eas Baronibus, quod absolutus fuit à juramento quod præstiterat de providentiis Baronum observandis, tanquam ab illicito, ut puta quod sine consensu & voluntate Domini Papæ & Cardinalium Ecclesiæ Romanæ, cujus vassallus Rex *Angliæ* fore dignoscitur, hujus momenti Sacramentum præstare non potuit, & quia invitus ut dicebat, Sacramentum præstitit, & ut veraciter asserere potuit. Et deposuit Dominum *Hugonem* Despensar, de officio justiciarii, & fecit Dominum Basset Justiciarium, & amovit omnes de familia sua quos Barones apposuerant; & abstulit sigillum suum de Magistro *Nicholao* de Ely, & commisit illud Domino *Waltero* de Morton. Post multas altercationes circa festum sancti *Michaelis* secreto intravit in Civitatem London, timens seditionem Baronum, quod recusabant cum eo parliamentare, tandem circa festum sancti *Nicolai* major pars Baronum convenerunt cum Rege, & consenserunt quidam eorum in forma pacis, quibusdam tamen se absentantibus. Consecratus est *Urbanus* Papa quartus circa decollationem sancti *Johannis*, prius Patriarcha *Jerosolymitanus*. Obiit Domina *Senchia* Romanorum Regina sereníssima v. Id. Novembris. Iterum circa festum Purificationis *Mariæ* factum est Parliamentum apud London, & posuerunt se Rex & Barones supra determinationem Regis *Franciæ* & Regis *Alemanniæ*.

MCCLXII.

1262

Tractatur cum Baronibus Londini.

In quindena Paschæ convenerunt Barones apud London, tractaturi cum Rege; & post multos tractatus concesserunt quod à pluribus articulis resilirent si quosdam eorum eis confirmaret. Ibique provisum fuit quod de quolibet Comitatu eligerentur ab universitate Comitatus quatuor milites quos scirent, & vellent esse vicecomites, & mitterentur ad Regem *Alemanniæ*, & ipse quem de eis vellet faceret vicecomitem usque festum Sancti *Michaelis*, & quod exinde Rex faceret vicecomitem quem vellet. Item post Pentecosten convenerunt ad innovationem hujus conventionis, sed Comes *Leycestriæ* non consentiens transtulit se ad partes transmarinas. Eodem Anno XI. Kal. Julii Dominus Rex *Alemanniæ* recessit de London ad transfretandum tertia vice in *Alemanniam*, & tertia die sequente transfretavit.

Circa medium Augusti transfretavit Rex *Angliæ* in *Franciam* & Regina, & fuerunt in partibus *Franciæ* usque fere Natale, & proxima septimana ante Natale applicuerunt in *Angliam*. Eodem Anno circa festum Sanctæ *Margaretæ*. Obiit *Henricus* de Wengham Episcopus London, & statim XV. Kal. Septembris electus est Magister *Richardus* Talebot, & obiit tertio vel quarto die ante festum

festum Sancti *Michaelis* non confirmatus, & iterum Id. Novembris electus est Magister *Hugo* de Sandwych in Episcopum London. Circa quindenam Sancti *Michaelis* rediit Magister *Johannes* de Exon consecratus à Papa in Episcopum Winton. Circa festum Sancti *Swithuni* in Julio cassata electione Abbatis de Tilecepe & *Andreæ* Prioris Winton, quem dictus Dominus Winton deposuit de Prioratu, cepit, & captivavit circa Natale.

Rex Alem. redit in Ang. Rediit Dominus *Alemanniæ* tertio in *Angliam*, & applicuit in *Angliam* IV. Id. Februarii. Eodem anno obiit *Johannes Cicestrensis* Episcopus, electus est Magister *Stephanus*, & consecratus dominica proxima ante festum Sancti *Michaelis*. Eodem anno post Natale obiit magister *Ægidius* de Brideport Episcopus *Sarisburiensis*, & electus est in Episcopum *Sarisburiensem* Dominus *Walterus* de Lavile.

MCCLXIII.

1263 *Princeps Edv. in Walliam pergit adversus Leweliium.* Dominus *Edwardus* Regis *Angliæ* primogenitus arripuit iter versus partes Marchiæ contra *Lewelinum*, ad invadendum ipsum ante festum Pentecostes, & facta treuga statim rediit.

Capitulum generale fratrum prædicatorum apud London, in festo Pentecostes ubi multi nobiles *Angliæ* convenerant, & die Sanctæ Trinitatis consecrati sunt *Hugo* de Sandwych London, & Dominus *Walterus* de Lawile Sarum Episcopus apud *Cantuariam*. Comes *Leycestriæ* accersitus à Baronibus clanculo de *Gallia* rediit in *Angliam*.

Rex à Baronibus perjurii arguitur. In ipsa congregatione magnatum quæ facta est London, in festo Pentecostes, Comes *Leycestriæ* & multi alii murmuraverunt adversus Regem *Angliæ*, Dominam Reginam, & Dominum *Edwardum*, dicentes eos perjurium incurrisse, nisi providentias Oxon observarent, & quia omnis caro prona ad malum, juniores *Angliæ* primis scilicet *Angliæ* nobilibus, viz. *H.* de Hastings, *Joanni* filio *Joannis*, *Johannes* de Westi, *Guido* Lucy, & *Franciscum* de Segrave, *A.* de veteri ponte, *W.* de Munchanesy quos vere & autonomatice primos nominare possumus, qui tanquam cera liquescens ductiles ad quamlibet formam cum quibusdam Baronibus, qui non zelo Justiciæ, sed aviditate lucri temporalis commovebantur, convenerunt in unum adversus Dominum & adversus Christum ejus, scil. adversus Regem *Angliæ*, convocantes omnes Regni Nobiles in adjutorium suum, ut vel venirent degeneres Incolæ Regem proprium in ultimis vitæ suæ temporibus depressuri, vel juxta detestabilia statuta Oxon, quasi capitales inimici eorum corporum & possessionum discrimine punirentur. Itaque cunctis fere Regni Nobilibus de improviso undequaque confluentibus, quibusdam pro simplicitate conjicientibus pium esse negotium, alii pro timore subeundi periculum rerum & corporum, nonnulli vero causa lucri detestabilis, ut vacuos & insatiabiles cupiditatis suæ loculos nefandis deprædationibus cumularent, congregaverunt exercitum copiosum, initia præliorum suorum perpetuo maculantes opprobrio, nempe venerabilem patrem *Petrum Herefordensem* Episcopum, spreta reverentia ordinis & personæ, captivatum vinculis manciparunt, contemnentes illud propheticæ prohibitionis elogium, Nolite tangere Christos meos. Quanquam enim Dominus gerendo negotium Domini *Edmundi* filii Regis *Angliæ*, cui Dominus Papa contulerat Regnum *Apuliæ* & *Siciliæ* damnosus extiterat toti Regno, præsertim cum prætextu ipsius negotii universi Regni ipsius Incolæ tam seculares quam Ecclesiasticæ personæ, intolerabili contributione super eos imposita exhaurirentur; non tamen licuit eis mittere manum in dictum Dominum. Statimque in tantam proterviam furor inanis exarsit; ut castra, Civitates, & oppida totius Regni, quæ Regis dominio jure vetustissimo, nec non hæreditario censebantur, suo prorsus dominio subjicerent, abjudicantes non solum Alienigenas, sed & alios quamplures tam innocentes quam reos à Regno; & eorum detestabile decretum executioni quamcitius demandantes, diripientes bona & possessiones exulum & rebellium, vastantes prædia, passim mobilia vili pretio venundantes præcipue bona dominæ Reginæ

quam

quam videbant manifeftis indiciis à ftatutis Oxon, feu provifionibus animo refilire. Et quia *Simoni* de Walton, tunc Norwick Epifcopo, & *Joanni* Manfell tunc fummo Regis Cancellario commiffa fuerat per Dominum Papam, ut prætactum eft, poteftas abfolvendi Regem & omnes alios ab illicito juramento quod fecerant Oxon, quod quidem Dominus Papa tanquam illegitimum reprobavit penitus & caffavit; nec non ut omnes rebelles & volentes abfolvi excommunicationis vinculo innodarent, omnia mobilia eorum bona ubicunque inveniri poterant, aufu nefario diripiebant; intenta eis morte, fi ulterius commiffam fibi poteftatem præfumerent exercere.

Comes igitur *Leyceftriæ*; qui per Barones de partibus *Galliæ* fuerat accerfitus congregavit copiofum exercitum, augmentando vires fuas ut Dominum Regem, *Edwardum*, & fautores ejus arctaret ad fupradictas providentias obfervandas; & cubabat in caftris, in parco Iftlewith ufque ad affumtionem beatæ virginis, tandem Dominum Regem & filium fuum ufque adeo coarctavit quod ceperunt Parliamentum apud London in Nativitate beatæ Virginis per tres dies tantummodo duraturum.

Simon de monte forti. Comes Leiceftriæ exercitu Regem coarctat.

Interim Domina Regina in turri London commorante, cum quodam die nefcio quid actura ufque *Weftmonafterium* navigio cuperet fe transferre, cum remigando appropinquaret ponti London, ecce infinitus numerus London, nefcio quibus inftigationibus animati conviciantes eidem, & fecus quam tantæ nobilitatis Dominæ congrueret procacia, convitiis mentiendo mifcebant; non erubefcentes Dominam fuam meretricem & adulteram multoties repetitis vocibus nuncupare, quinetiam, quod auditu horribile fuit, ipfam cœperunt lapidibus obruere, cœno fordido, fractis ovis, & omnium genere quod excogitare poterant vilipendere. *Johannes* quoque Mantel bonis omnibus fpoliatus nocturno tempore clam recedens ad partes fe tranftulit tranfmarinas, *Anglicum* folum ulterius non vifurus. Regina difponente quam cito poffet ad mortificationem tantæ ignominiæ partes vifere *Gallicanas*, adveniente igitur tempore Parliamenti convenit London innumerabilis populi multitudo, & Rex modica vel pene nulla ftipatus militia, cum cæteris venit ibidem. Credebatur ibidem confummatura totius negotii decifio, fed hoc fruftra, nondum enim finis, Comes quippe *Leiceftriæ* omni pene nobilium Regni caterva obnixius erexit fibi cornua fuperbiæ, moliendo grandia, cogitando fublimia, nec permifit ejus improbitas ut aliquatenus flecteretur ad pacem. Rupto quidem tanquam per difcordiam Parliamento, Rex cum Regina nefcio cujus rei caufa, ad partes fe tranftulit *Gallicanas* circa Octabas Nativitatis beatæ Virginis fupradictæ, & relicta ibidem Regina cum forore fua illuftriffima *Francorum* Regina, repatriavit in *Angliam* ftatim poft feftum beati *Michaelis* Archangeli, ut folemnitatem beati *Edmundi*, quem præcipue venerebatur poft *Chriftum*, prout fingulis annis confueverat, devotiffime celebraret, quod & factum eft.

Regin: à plebe Londinenf. peffime habetur.

In ipfo tunc Parliamento, quod expleta tanta folemnitate Rex tenuit cum Magnatibus, pertractare curabat, ut honeftis conditionibus utrobique conceffis, per pacem & concordiam Regni nobilibus indiffolubili fœdere necteretur. Dominus *Edwardus* videns quod Comes Complicium fuorum veritate fubnixus, ad amplectendam pacem inflexibilis permaneret, caute profpiciens & præcavens in futurum, ne quod patri fuo factum fuerat eo mortuo trahetur in Confequentiam, callidis allectionibus adjunxit fibi Dominum *Johannem* Baffet & omnes Marchienfes, Comitem Marefcall, & quamplures de nobilibus Regni, convocans eos in adjutorium fuum, ut impetus Comitis quos contra ipfum moliebatur fua virtute reprimerent, vel faltem frenarent audacem. Habito igitur concilio, Rex cum fratre fuo Romanorum Rege fereniffimo, Comite Marefcall, & cum omnibus quos *Edwardus* fibi conjunxerat, arripuit iter ufque *Doroverniam*, ut caftrum *Dovofiæ*, quod non immerito clavis dicitur, repeteret ab his quibus per Comitem & Barones fuerat commendatum, æftimans fibi potentiæ fuæ plurimum deprimere, nifi munitionem illam tutiffimam

Princeps quofdam ex Baronibus in partes fuas pertrahit.

mam rehaberet, veruntamen hi qui caftri cuftodiam obtinebant id Regi reftituere præcifis vocibus recufabant. Rex itaque cum fuis corde faucius ftatim ufque partes London vacuus repedabat.

Interim fautoribus fuis undequaque convocatis, Comes *Leyceftriæ* Civitatem London, faventibus fibi quibufdam licet paucis civibus, quorum præcipui fuerant *Thomas* filius *Richardi* Major urbis, *Thomas* de Pynlefdon, *Mattheus* Bukerel, & *Michael* Tony, quibus annexa fuerat innumera multitudo Ribaldorum quos bachilarios vocitabant, impediens occupavit, fenioribus urbis & fapientibus reclamantibus & contradicentibus, fed impedire non valentibus, quod poftea toti communitati ceffit in damnum. Ex hac igitur protervia per univerfum Regnum *Angliæ* confuetudo deteftabilis inolevit, quod in omnibus pene civitatibus & burgis fieret conjuratio, Ribaldorum qui fe bachilarios publice proclamabant, & majores urbium & burgorum violentis aufibus opprimebant; quamobrem per totum Regnum elanguit rigor legis, fas quoque & nefas paribus paffibus ambulabant, unde Regno noftro convenienter competebat, ut terræ cujus Rex puer eft, & cujus Principes mane comedent. Cum igitur Rex rediret de Dovor, & appropinquavit London Comes & cives fibi & filio fuo petitum ultra Civitatis London denegabant ingreffum.

Ex compromiffo Rex Franciæ arbiter factus, ad lites inter Regem & Barones finiendas.

Habitis quoque frequenter tractatibus inter partes, circa feftum Nativitatis Dominicæ, Rex & univerfi complices fui & fautores, Comes cum univerfis fibi cohærentibus, Rex *Romanorum*, Dominus *Edwardus*, Comites, Barones, Milites, Archiepifcopi, Epifcopi, univerfi Ecclefiarum prælati, imo generaliter Clerus & populus unanimi affenfu compromittebant in Regem *Franciæ* fupra omnibus contentionibus ortis inter Regem & Proceres fuos occafione provifionum Oxon, quod quicquid fupra dictis provifionibus & ftatutis feu contentionibus ordinaret & ftatueret, de uno & altero nulla prorfus exceptione facta, utraque pars inviolabiliter obfervaret. Et ut nullus effet liber à crimine perjurii vel prævaricatione promifforum, omnes & finguli compromiffum fupradictum figillorum fuorum munimine roborabant. nec non tactis facrofanctis evangeliis perfonaliter juraverunt, quod ab ordinatione vel arbitrio prætextato nullatenus refilirent, dum tamen Rex fuper hoc circa Pafcha diceret dictum fuum. Rex autem tertio die Nativitatis tranftulit fe ufque *Franciam*, ut arbitrio fupradicto perfonaliter intereffet. Barones quoque Dominum Ad. de *Novo Mercato*, & Dominum *Willielmum* de Blund, & paucos alios loco omnium pro eodem negotio in *Galliam* tranfmittebant. Porro Rex *Francorum* impiger ad prolationem arbitrii, ut partes celeriter remitteret expeditas, vicefimo die Natalis forte minus fapienter & inutiliter quam deceret, eructatione fiquidem improvifa fuum præcipitavit arbitrium, ipfumque autoritate Apoftolica roboravit, Regemque *Angliæ* judicialiter priftinæ poteftati reftituit, provifiones Oxon, feu ftatuta abrogavit penitus & caffavit, decernens quod Rex Juftitiarium, Cancellarium, Thefaurarium, vicecomites, Balivos, Conciliarios, & miniftros fibi eligeret quofcunqce vellet. Rex quoque reverfus ad propria, quanta ad hoc fuerat lætitia circumfufus, tanto Barones mœftiores reddidit & confufos, quique & prævaricatores præftiti juramenti non folum erubefcebant ab arbitrio memorato recedere, verum etiam Regem iterato impetere, & confueto debacchationis genere conglobatis viribus depopulare provincias, & adverfarios fuos folito frequentius infeftare.

Parliamentum rocerum Oxoniæ.

Rex vero circa principium Quadragefimæ feceffit Oxon, convocatis Magnatibus quibus inhoneftum videbatur ab ejus fidelitate recedere, tractabat cum eis qualiter poffet ab adverfariis fe defendere, vel condignam de prævaricatoribus capere ultionem. Regii vero Proceres combuftoribus domorum fuarum quibus poterant nitebantur rependere talionem.

Interim Comes London totus incubans adjunxit fibi quotquot poterat, & *Gilbertum* Comitem *Glouceftriæ* novitium, inftigante matre fua, blanditiis allectum, qui prius Regi devotus extiterat refilire coegit, & de fideli reddit infidelem.

Nec

Nec tamen prætermittendum esse censeo quod ad notitiam sive beneficium posterorum potest transmitti, qualiter *Londonenses* temere vesaniæ suæ principiis agitati prima die Lunæ Quadragesimæ anni supradicti, serenissimum *Romanum* Regem, qui Communitatis ejusdem præcipuus consuevit esse protector, & contra Domini Regis *Angliæ* motus involuntarios pro eis præponeret gerere clypeum defensionis, contra documentum Evangelicum, mali retributione beneficia compensantes, cœperunt impetere. Quippe duce *Henrico Dispensario* quem Barones Justiciarium vocitabant, eique custodiam turris **London**, propria voluntate commiserant, furiosæ catervæ **London**, quas dinumerare nemo poterat exeuntes diluculo ex paucis vexillis usque **Istelwyth** manerium Domini Romanorum Regis recto tramite procedebant, ipsumque manerium quod fossato & palo circumcinxerat cum suis ædificiis succendebant, universa mobilia quæ ibidem inveniri poterant sceleratis ausibus diripientes suis usibus applicabant. Stagnum quoddam quod Rex præsumtuoso opere fecerat præparari, confracto capite quod aquæ meatum potissime retardabat, non solum aqua sed piscibus vacuabant, & reversi **London**, cum gaudio sicut qui lætantur cum malefaciunt & exultant in rebus pessimis. Tanto scelere non contenti mansionem ejusdem Regis quæ in Suburbio **London**, prope *Westmonasterium* sita fuerat, solo tenus diruebant, non relinquentes lapidem super lapidem quem sibi necessarium decrevissent, eradicantes virgulta, lateres seu tegulas & lapides universos qui prodesse poterant turribus abducentes, & furore simili debacchantes universorum maneria, qui Domino Regi fideliter adhærebant, seu quolibet officii genere ministrabant, funditus concremabant, præcipue terras Domini *Willielmi* de *Valentia* germani Domini Regis, quem sine ratione inter Alienigenas computabant. In quo rem memorabilem contigisse recordor, quam silentio præterire non possum, porro enim manerium Domini *Walteri* de **Morton** prope **London**, quod ad Præbendam suam Sancti *Pauli* **London**, jure vetustissimo competebat, pro eo quod Cancellarii fungebatur officio, deripere intenderent, inter cætera ædificia quæ nitebantur effringere, quandam capellam in honorem Sancti *Cuthberti* pontificis vetustissime fabricatam prostraverunt, veruntamen trabes maxima ultione divina ex improviso corruens quatuor ex dirutoribus interfecit. *Londinenses Tumultuantur.*

Inter cætera sane silendum non arbitror excidium Judæorum, quod eo tempore fuerat **London** perpetratum. Porro cum hi qui **London** morabantur necessariis indigerent expensis, præsertim cum eis ad sustentationem tantæ familiæ propria sufficere non valerent, alienis opibus penuriam suam gloriosum redimere duxerunt. Irruentes igitur in Judæos motibus improvisis, quorum maxima multitudo civitati **London** fiducialiter incubabat, credens sibi dispendia minime proventura, non zelo legis sed cupiditate commodi temporalis allecti, quotquot in urbe poterant inveniri, humanitatis quidem & pietatis immemores, crudelissime trucidabant, ætati vel sexui non parcentes; inaudita prorsus homicidia perpetrantes, nempe juvenes cum senioribus, lactantem cum homine sene, pueros vagientes pendentes ad ubera matrum nondum ablactatos à lacte, nec avulsos ab uberibus inhumaniter jugulabant, quadringentis ferme Judæis utriusque conditionis & sexus nequiter interfectis. Et licet fidei nostræ charactere insigniti non essent, inhumanum videbatur & impium eos interficere sine causa, cum Sacros Canones contingat eos pro sola humanitate fovere; & etiam quod ad imaginem Dei creati sunt, & quia, ut inquit Propheta, Reliquiæ eorum in fine seculi salvabuntur; nec aliquis eorum poterat evitare periculum, nisi qui vitam suam pecunia redimeret infinita, vel hi qui ficte sacri baptismatis finctionem recipere voluerunt, qui pene omnes postea cessante vesania ad pristinam redierunt incredulitatem, abnegando Christianitatem, eo ipso pejores effecti, ut & in peccatis viverent, & Apostatæ morerentur. Inter ipsos impietatis autores præcipuus extitit *Johannes* filius *Johannis*, qui famosissimum civitatis *In Judæos grassantur.*

 Judæum

Judæum Kok filium *Abraham* propriis manibus interfecit, opesque ipsius (quibus omnes Judæos *Angliæ* videbatur excedere, & fere etiam omnes alios) thesauris propriis applicabat; de quibus postea Comiti *Leycestriæ*, licet invitus, non modicam tribuit portionem, ut neuter eorum à scelere rapinæ & homicidii foret immunis. Nec quatenus æstimari poterit, quantum occasione tanti sceleris deperiit, præsertim cum Judæi non tantum tallagiis, sed & placitis, donariis, eschaetis, & exeniis ærarium Domini Regis consueverunt multipliciter augmentare. Expositis igitur casibus prælibatis annum Domini LXIII. percurrimus; & ad quartum, prout possumus, stilum convertamus.

MCCLXIV.

1264 *Rex Northamptoniæ Barones profligat; & oppidum diripit.*

Anno Regni Regis *Henrici* XLVIII. Non. Aprilis, viz. die Sab. in vigil. passionis, eo scil. die quo universa per orbem Ecclesia incipit canere vexilla Regis, prodeunt Rex *Angliæ* cum fratre suo Rege *Alemanniæ*, cum Domino *Edwardo* filio suo, & militia copiosa veniens de Parliamento Oxon in quo primus ille Rex *Anglorum* à multis retroactis temporibus civitatem Oxon, audacter intraverat, spreta illa veteri superstitione quæ vulgariter dicebatur, quod beata virgo Fredeswytha suis precibus obtinuerat, adeo quod nullus unquam Rex oppidum supradictum sine discrimine corporis posset intrare. Audito quod maxima pars Baronum quæ à Rege desciverat oppidum Northampton cum castro adjacente violentis ausibus occupasset, ut vel ibidem contra Dominum Regem & fautores suos quos perpaucissimos reputabant possent aliquamdiu se tueri, vel oportunitatem temporis expectare, quo viribus suis undicunque coactis ad Capitaneum suum Comitem *Leycestriæ*, qui *Londoniis* quam scelesti præsumtionis genere prius occupaverat, totus incubuit; se transferrent. Rex Domini *Edwardi* primogeniti sui strenua fretus audacia, ac aliorum sibi cohærentium probitate subnixus, audacter irruit super oppidum Northampton, quam Proceres supradicti primo, frustra tamen defendere sunt conati, quorum dux præcipuus erat Symon de *Monte forti* dictus, junior filius Comitis *Leycestriæ* jam recenter novo militiæ cingulo decoratus, pristinæ tamen præsumtionis non tepidus æmulator.

Cumque Proceres Regii satis mane, qui orto jam sole oppidum supradictum cœpissent viriliter impugnare, partem muri quam cingebant solo tenus præcipitassent, ut sic sibi denegatum suis viribus aperirent ingressum. Dictus Symon equo spumifero loricatus incedens, ut volentes ingredi potenter repelleret minus sapienter prosiliit ad aperturam muri, veruntamen equus cui insedebat immemor salutis Domini sui, freni retinacula parvi pendens stimulis vehementer agitatus invitum sessorem portans ad fracturam in foveam præcipitari coegit, at exercitus non desides insignem captivum fere illæsum extrahentes de fovea, Domino *Edwardo* qui interfectioni ipsius potenter se opposuit non sine lætitia reddiderunt. Quo facto cæteri obsessi de defensione sua vel oppidi nihil amplius cogitantes, animo consternati sic facti sunt immobiles, ut post hoc contra insultantes resistere non curarent. Rex vero cum civitatem pompatice intravit, & omnes nobiles quos in ea invenit, justissimæ captivationis loris astrinxit. Sed Dominus *Petrus* de *Monteforti* cum paucis castrum ingressus est, frustra credens in eo contra tantam multitudinem se tueri; quippe Regia comitiva inclusos ita potenter cœpit urgere, quod statim secundo die voluntati Regiæ cedere sunt coacti. Ibidem ea vice usque ad centum milites & amplius capiuntur, de quibus captus est famosissimus Dominus *Ad.* de *Novo mercato*, *Willielmus* de Furnevall, nobilium quoque qui nondum militis cingulo fuerant insigniti captus est numerus infinitus. Regii quoque proceres supradicta potiti victoria, præda onusti & spoliis captivorum locupletati, ut cupiditatis suæ marsupia satiarent ad plenum, nec locis sacris nec ordinibus differentes, quicquid in civitate vel in Ecclesiis vel extra poterat inveniri, nefariis ausibus abradentes, suis usibus applicarunt, initia præliorum suorum inexpiabili nævo sacrilegii maculantes, id ipsum brevissimo interlabente tempore fortuna retrogradienda perdituri; nec

nec immerito, quippe de villa florentissima miserrimam reliquerunt, & bonis omnibus vacuatam.

Rex itaque prosperis successibus animatus fecessit inde *Leycestriam*, quam Reges temporibus retroactis respicere non audebant, cum veteris derisione superstitionis ipse intravit, processurus usque Notingham ad repetendum munitionem illam tutissimam, quæ nec minus naturæ quam artis benificio solidata in Regno *Angliæ* parem nescit. *Willielmus* quoque Bardulf vir strenuus & fidelis, cui Barones castrum illud inconsulte commiserant, id sano ductus concilio advenienti Regi protinus resignavit.

Rex Leicestriam & Notinghamum recipit & Castrum Roffense obsidione liberat.

Cum vero Rex apud Notingham cum nobilibus qui ab eo recedere recusabant festa Paschalia celebraret, nunciatum est ei quod Comes *Leycestriæ* iracundia vehementer accensus, in ultionem captivationis filii & complicium suorum, quam non vindicare vel impunitam relinquere duxit inglorium, adjuncta sibi civium *Londoniensium* turba non modica in septimana, quæ vulgo pænosa dicitur pro eo quod universalis Ecclesia in memoriam passionis Dominicæ solito ferventius sacris operibus insudare, & peccata commissa pænis corporalibus expiare consueverunt; spreta sacri temporis reverentia, nobilissimum virum Comitem *Waremiæ* in castro *Roucestriæ* (quod Dominus Rex sibi custodiendum commiserat) obsidione concluserat, & obsessos in festo parasceues & sabbato sancto, admotis machinis & balistarum jaculis viriliter insultarat, adeo ut obtento per potentiam vallo exteriori ipsos in turris angustia coarctaret. At conclusi necessitatem vertentes in alacritatem, obsessores pro viribus propulsabant, & turris se beneficio, quæ inexpugnabilis fuerat, muniebant; Domini Regis citissimum præstolantes adventum. Quo audito Dominus Rex impiger ad eorum liberationem celeriter faciendam transvolando provincias, noctes fere ducens insomnes, cum exercitu copioso infra quinque dies de Notingham usque *Roffam* pervenit. Cujus adventu prius cognito, Comes cum suis turmis intempestæ noctis silentio latenter recedens, in civitatem London iterum se recepit, paucis peditibus in *Roffa* relictis ad victimam, quos obsessi comperta obsessorum fuga exeuntes diluculo manibus & pedibus mutilarunt.

Fugientibus itaque *Londoniarium* turmis, Rex quasi glorians de triumpho, meridionales *Angliæ* partes maritimas (quæ vulgo quinque portus appellantur) nescio quorum ductus consilio visitavit, ut Portuenses amore allicere, vel timore compelleret ad invadendum *Londonienses* classe piratica, vel ut saltem suis viribus interdicerent commeatum, ne congregatæ multitudini victualia necessaria navigio veherentur. Veruntamen provincias *Surriæ* & *Cantiæ* montuosas libere transire exercitus Regius non poterat, dum *Wallenses* sagittarii jactis eminus jaculis in maris angustiis ipsos fortiter impedirent, sed inermes sagittarii dum frustra loricatos invaderent, ultione condigna Regiis viribus comprehensi amputatione capitum sunt puniti. Cum igitur Rex cum innumerabili exercitu in provincia illa sterili moraretur, deficientibus victualibus, multitudo non modica famis inedia tabescebant; rugiebant jumenta, & passim per defectum pabuli defecerunt. Quo comperto Comes *Leycestriæ* glorians in virtute sua, congregata Baronum multitudine copiosa, *Londoniensium* innumerabili agmine circumcinctus, quia legitur stultorum infinitus est numerus, aliquid putans audendum, Regem & suos non minus arte quam viribus duxerat impetendos, & se cum suis copiis versus *Lewense* Cœnobium (ubi Rex eo tempore morabatur) festinatis gressibus transferebat, & prope Regis exercitum, qui VII. vel octo milliaria distabat, castra fixit; terribili comminatione Regi denuncians, ut vel providentias faceret observari, vel statim ei occurreret fortuita belli discrimina subiturus. Taceo quod serenissimum Regem *Alemanniæ* nuntiis intermediis implorabat, quod Regem *Angliæ* fratrem suum efficaciter curaret inducere, ut quandam pacis formam quam sibi ipse formaverat dignaretur amplecti; promittens eidem marcarum Millia quinquaginta, si ea pro suæ voluntatis libito faceret confirmari.

Rex portus Regni orientales invisit.

confirmari. Sane Rex memoratus profpiciens & perpendens Regis *Angliæ*, fratris fui, & hæredum fuorum manifeftam exhæredationem, & potentiæ fuæ depreffionem efficaciter imminere, ipfam ultro admittere recufavit.

Rex apud Lewis in agro Suffexiæ, male pugnat: & cum fratre & filio capitur.

Rex quidem *Angliæ* confidens in multitudine complicium fuorum, & paucitatem partis adverfæ habens contemtui, æftimans eos adverfus ipfum nihil aufuros, univerfos & fingulos minus fano fretus confilio, ejus & fratris fui Regis *Alemanniæ* homagiis diffidavit, unde Comes & fui complices indignati, Domino Regi fidelitatem qua fibi tenebantur abnegarunt, nec fua profus homagia reddiderunt. Et pridie Id. Maii xiv. die, viz. ejufdem menfis, die Mercurii ejufdem menfis proxima ante feftum Sancti *Dunftani*, contra Regem proprium, degeneres incolæ inaudito iniquitatis genere ad motus fe bellicos præparabant, fummoque mane turmis difpofitis, aciebus ad prælium ordinatis, ignorantibus cæteris ac fi eos comprehendere proponerent in grabatis, opaca filvarum tegmina tranfineantes erectis vexillis in declivitatem cujufdam montis quæ oppidum *Lewenfe* (ubi Rex tunc temporis fibi metuens incubabat) finitima à civitate difterminat, duce Comite defcendebant. Dum quidam de Regiis excubantes notatis vexillis Regem & totum exercitum in lectulis dormientem excitabant. At illi ftupefacti perpropere furgentes, prout melius poterant, armis fe bellicis munire, exeuntes in occurfum multitudinis tam profanæ. Et ftatim tubis terribiliter clangentibus adverfi hinc inde exercitus torvis fe vultibus profpectantibus invicem irruerunt. Verum induftria Comitis hoc docente, totum pondus prælii verfum eft in Regem *Angliæ* & *Alemanniæ*, capitaneos totius multitudinis conglobatæ. Dominus autem *Edwardus* cui flos totius exercitus intendebat, relicto patre & patruo ad turmas **London**, quas nimirum præcipiis odiis infectabat, fe cum tota favente fibi militia transferebat, ut non tantum fuas, fed & patris & matris injurias vindicaret. Porro *Londonienfium* innumera multitudo bellorum ignara, præeunte *Henrico* de **Haftings**, qui pene primus audaciæ formidinem anteponens fugit è prælio, fugæ potius beneficio fe credere tutum duxit quam belli cafus fortuitos expectare. Relinquentes igitur quadrigam Comitis *Leyceftriæ*, cui vexillum (fuum fi fas fit dicere) minus honefte infixerat, ut putaretur in eo quiefcere tanquam impotens vel ægrotus, impofitis in ea quibufdam civibus **London**, viz. *Auguftino* de **Harheftok**, *Richardo* **Pytard**, *Stephano* de **Chelmareford**, qui ne viderentur infidi contra Dominum Regem loricas induere recufabant, ut eos tanquam formidolofos vel infidos exponeret ad victimam, cum vidiffent Dominum *Edwardum* cum fuis turmis quibus impares fe cernebant viriliter eos evaginatis gladiis impetentem, ftatim terga vertentes laxatis habenis fupradictum *Henricum* fequentes, è veftigio fugæ remedio fe falvare credebant. Verum Dominus *Edwardus* eis qui in curru impofiti fuerant crudeliffime jugulatis, reliquos fugientes feftinatis greffibus perfequi non timebat. Omnefque quos evectionum velocitate fubvectus poterat attingere in ore gladii interfecit, & mucrone vix fanguine fatiato reverfus ad prælium tam ipfe quam hi qui eum fequebantur, etiam cum fuis equis immoderato labore fuerunt fic fatigati, quod vix potuerunt refpirare. Interim Reges *Angliæ* & *Alemanniæ* quos pene folos reliquerat, infinita multitudine circumcincti, poft ftrenuam dimicationem circumfufæ multitudinis impetus non valentes diutius fuftinere, fugientibus cunctis in Ecclefiam Conventualem, quos credebant fine fictione debita fibi fubfidia præftituros ut mortis pericula declinarent; proh dolor! ipfis prævaricatoribus fe dedere funt coacti. Quibus captivatis omnes qui fugerunt in oppidum projectis armis ut Regum ignominiæ communicarent, nulla prorfus rebellatione facta fupradictis fe captivatoribus fpontanee reddiderunt. Dominus autem *Edwardus* cum Domino *Henrico* Romanorum Regis Primogenito cognato fuo fupradicta laffitudine fic quaffatus, quod ulterius dimicare non poterat, videns quod nullus fuperfuit coadjutor, paterno periculo communicare non erubuit.

Comes

Comes autem *Waremiæ*, *Willielmus* de *Valentia*, *Hugo Bigotus*, de quibus potiffime confidebat, infelicitate Regia consternati fugientes è prælio usque castrum *Penevense*, classe parata, sine moræ dispendio in Galliam transfretabant, ibique cum illustri *Anglorum* Regina aliquamdiu morabantur fœliciora tempora præstolantes. Dicebatur itaque, quod in prælio prætaxato & fuga **London**, fere quinque millia interfecti sunt, quorum plura, æmulatores Regni, talionem captivationis vel potius depopulationis **Northampton**, justo Dei judicio sunt consecuti, non habentes jus querelæ, fortunæ volubilitatem experti, victores victis colla dedentes, imis summa, summis ima commutantes, in manus hostiles, proh dolor! inciderunt; & inimicos suos quos prius spoliaverant, suis reddiderunt spoliis locupletes. In crastino convenerunt victores tractaturi quid fieret de captivis. Comes itaque, Domino permittente, cujus occulta sunt judicia, strenua potitus victoria; quia tunc nullo renitente quicquid voluit poterat ordinare, extorto à Rege & Domino *Edwardo* quodam Sacramento, quod & ipse Comes etiam cum suis præstitit. Statutum quoddam quod Misam *Lewensem* inusitato nomine nuncupabat, eique Domini Regis & Domini *Edwardi* sigilla simul cum suo & suorum complicium appendebat. In quo continebatur quod Dominus *Edwardus*, & Dominus *Henricus Romanorum* Regis primogenitus, pro Marchiensibus & aliis qui in ipso bello captivati non fuerant, tanquam obsides tenerentur, quousque v. nobiles de Regno *Franciæ* nominatim expressos, & per eos quos sibi duxissent associandos, ordinaretur status Regni nostri. Credentibus cunctis negotium agi fideliter sine dolo; at hoc frustra, siquidem ex postulatione liquebat, quod non sine scrupulo fiebat ordinatio prælibata. Quid multis moror, statim inditos obsides tradidit Domino *Hugoni* de *Monteforti* primogenito suo custodiendos, quos non more obsidum, sed more captivorum aliquoties in castro **Dovor**, aliquoties alibi, minus honeste quam decebat fecerat custodiri. Regem Romanorum cum filio suo *Edmundo* adhuc impuberi captivatum, in munitionibus tutissimis ignominiose tractavit. Pene omnes nobiles Regni qui Regi prius adhæserant captivavit, & inclusos in castris compedibus oneravit; castra, civitates, & oppida totius Regni, terras & prædia captivorum suo prorsus Dominio subjugavit, coadjutoribus suis (quorum post Comitem *Gloucestrensem* præcipui fuerant *Henricus Dispensarius* & *Johannes* filius *Johannis*) exilissimas dividens partes; quod & postea sibi cessit in damnum.

Comes Warem. Gul. de Valentia, & Hugo Bigot, in Gallias dilabuntur.

Salve Comes faustis successibus animatus, evectus in sublime, supra modum glorians in virtute sua sibi & filiis suis, quos tenerrime diligebat, adeo ut zelo promotionis eorum, tam inauditos ausus assumere non erubesceret; terras captivorum & dominicorum Domini Regis divisit tanquam in funiculo distributionis, exceptis terris Domini Regis *Alemanniæ* quas tenebat, XVIII. Baronias propriis usibus applicabat, & sicut tutor pupillum ducere consuevit, sic Regem per omnes Regni provincias ignobiliter circumduxit, & tam naturæ quam juris ordine transmutato Regem, suum regere non erubuit, à quo Regi rectissime tenebatur, & se sic supra se extulit, ut nomen Comitis celsitudinem Regiam funditus obumbraret. O protervia sceleris inauditi, quæ superbiam Luciferi sic excessit arrogantis! ut non solum contentus esset ponere sedem ad Aquilonem, & esse similis altissimo, ut saltem inter se & Regem Regnum dimidiando dividere dignaretur, vel Regiæ majestati tanquam socius corregnare; sed & potentiam suam ultra Regis solium elevabat. Regina quidem cum *Edmundo* filio suo degens in *Gallia*, audita quæ acciderant, infaustis nimirum sauciata successibus, accepta à creditoribus mutuo pecunia non modica, ex omnibus provinciis transmarinis stipendiarios lucri avidos accersivit *Teutonicos*, *Rutarios*, *Avellenses*, *Brabantinos*, *Flandrenses*, *Normannos*, *Pictavenses*, *Wallonenses*, *Gallicos*, & *Burgundos*, & innumeram illam multitudinem portu quodam *Flandriæ* qui **Dam** vulgariter appellatur, datis affluenter stipendiis conglobavit; innumerabili quoque classe parata, proponens nacta temporis opportunitatem cum eisdem militaribus copiis in *Angli-*

Regina mercenario milite conscripto, Regem & Principem liberare nititur, sed frustra.

am transfretare, Dominumque ſuum de manu Comitis & Baronum ſi poſſet eripere, & priſtinæ poteſtati reſtituere, illataſque ſibi injurias vindicare.

Portus maritimos muniunt Barones.

Quo audito Comes de univerſis *Angliæ* provinciis innumerabilem populum convocavit, ipſeque tanta multitudine circumcinctus portus *Cantiæ* diligentiſſime cuſtodivit, miſitque *Henricum Diſpenſarium* in *Suffolciam* & *Norfolciam*, & præpoſitis tribunis totam illam provinciam convocavit, & vicos maritimos, viz. Jernemuth Douewych & Gyppwyc, tutiſſime cuſtodiri præcepit. Itaque Comes ut applicare volentes favente ſibi virtute repelleret; quinque Portuenſes, quoſdam timore compulit, quoſdam amore pellexit, quod innumeras ſibi claſſes piraticas conſtruebant, convagantes in pelago ut exciperent, & congrederentur cum eis in ſalo. Et ut portuenſibus qui in littoribus excubabant ſtipendia neceſſaria non deeſſent, exceptis laicorum contributionibus, de omnibus viris eccleſiaſticis ſine perſonarum diſtinctione, decimam partem bonorum ſuorum extorſit, ſacrilegæ pecuniæ partem cuſtodibus portuum diſtribuit, & ærarium ſuum de reſiduo non mediocriter augmentavit.

Mercenarii, ſtipendiis non ſolutis, reginam deſerunt.

Stipendiarii quoque tranſmarini, ut honeſtis conditionibus fortuita belli diſcrimina declinarent, videntes Reginæ ſacculos funditus exhauriri, & ſibi parcius ſolito ſtipendia miniſtrari, ſentientes pecuniæ defectum regreſſi ſunt unuſquiſque in domum ſuam, Regina quoque mente lugubri non ſine confuſione maxima in *Gallias* remeabat.

Urbanus P. Regem cum Baronibus reconciliare tentat, ſed fruſtra.

Sane venerabilis Pontifex *Vrbanus*,qui tunc ſedi Apoſtolicæ præſidebat compatiens ignominiæ Regis *Anglorum*, Legatum quendam *Guidonem Sabin.* Epiſcopum ad partes occiduas deſtinavit, ut veniens in *Angliam* turbationes quibus Regnum ipſum miſerabiliter fuerat conquaſſatum pacificare curaret, & captivos inſignes honeſtis conditionibus liberatos conſtitueret, ſtatum Regis redintegraret, ipſumque cum Baronibus pacificatione congrua colligaret. Hoc enim decuit Angelum pacis, & viro tam induſtrio congruentiſſime congruebat. Erat enim vir ſapiens & eloquentiſſimus, & omni virtutum genere perornatus. Comes autem & complices ſui ingreſſum Regni ſibi conſtantiſſime denegarunt, intentata ſibe morte ſi forte veniret, & de ſtatu Regni ſe quomodolibet intermitteret. At ille Pontifices & prælatos *Angliæ*, juncto ſibi Domino *Cantuarienſi*, qui tunc timens pelli ſuæ præ timore Baronum in *Galliis* exulabat, citare fecit peremtorie, præcipue Wigorn, London, Winton, & Cyceſter, qui Comitum & Baronum præcipui fautores extiterant, ut coram eo *Boloniæ* quæ ſupra littus maris quæ *Angliam Galliamque* diſterminat ſita dignoſcitur, perſonaliter compareant; ſed ipſis, ut dicebatur, procurantibus Epiſcopis, furioſa Baronum inſania univerſis & ſingulis navium prorſus vehicula denegabat. Porro Legatus fraude comperta, in contumaces Pontifices vehementuis excandeſcens, ipſos ultione Canonica puniebat. At illi minus ſapienter autoritatem ſummi Pontificis declinare volentes, miſſis excuſatoribus (quos ſi vellent procuratores mittere, potuiſſent) contra dictum Legatum appellabant, appellationis interpoſitæ rationes legitimas prætendebant, tandem ſaniora meditantes Wigorn, London, Winton, Epiſcopi ſimul cum Juſticiario & paucis aliis Regni Proceribus, transfretabant, circa nativitatem Beatæ Virginis dicti Legati ſe conſpectibus præſentantes: Legatus autoritate ſubnixus Apoſtolica eis cum virtute obedientiæ firmiter injungendo præcepit, ut ſtatim venientes in *Angliam*, Comitem *Leyceſtriæ*, filios & fautores ſuos univerſos & ſingulos nominatim expreſſos excommunicationis vinculo innodarent, civitatem London, omnes terras Comitis *Glouceſtrenſis*, omnes vicos maritimos quinque portuum ſubponerent interdicto, ipſoſque jurare coegit, quod applicantes in *Angliam* univerſa prædicta executioni protinus demandarent. Obtento ſupra hoc quidem reſcripto Apoſtolico, pelago ſe credentes, ſponte neſcio vel invite, comprehenſi ſunt in mari à quinque Portuenſibus, qui ſcripta eorum authentica dilaniata minuatim vel conciſa projecerunt in mare

mare, adjectis minis quod capite plecterentur si quid ex injunctis publicare præsumerent, & sic eorum præceps vesania indevotos Pontifices & primores mutos reddidit & elingues. Statimque Legatus tanquam vacuus & delusus, reflexis habenis usque beati *Petri limina* repedabat.

Cæterum circa festum beati *Michaelis* priusquam Legatus venisset ad Curiam, venerabilis Papa *Vrbanus* diem clausit extremum, Regno cœlesti Pontificium temporale commutans. Cardinales itaque supradictum Legatum in summum Pontificem unanimiter elegerunt, quique solenniter consecratus de *Guidone* vocatus est *Clemens* IV. Non. Februarii in festo Sanctæ *Agathæ* virginis consecratus, pro ignominia sibi ab *Anglis* illata Apostolicæ celsitudinis dignitatem disponente Domino reportavit, assecutus tam potentiam puniendi reprobos, & remunerandi devotos. *Urbanus P. obiit.*

Sed ut ad *Anglicanæ* seriem historiæ recurramus, improbitatem seu potius vesaniam quinque Portuensium, & incommoda quæ per eos Regno *Angliæ* multipliciter pervenerunt, dissimulato non debemus silentio præterire. Sane navium piraticarum copiosam sibi multitudinem præparantes, per pelagi devia continue vagabantur ut commeatum in *Angliam* suis viribus interdicerent, & omnes quos in pelago navigantes comprehendere poterant, non solum alienigenas, sed & indigenas inhumaniter jugulabant, & cadaveribus in mari projectis, naves & quicquid in eis continebatur suis usibus applicabant; *Scyllæ*, voraginibus seu *Charybdis* naufragiis crudeliores effecti, dum mercatores, qui nobis necessaria deferre consueverant, bonis omnibus spoliatos sine personarum differentia trucidabant. Quamobrem venalium, quibus *Anglia* præ cæteris regionibus abundare consueverat, copia sic defecit, ut vina quæ per XL. Solidos antea vendebantur, per X. Marcas libentissime venderentur, cera quæ similiter XL. excedere non solebat, VIII. Marc. & amplius tunc valebat. Libra piperis quæ sex denarios vix valebat, pro tribus solidis vendebatur. Quid plura? salis, ferri, Chalybis, pannorum, nec non omnium venalium tanta fuit penuria, quod populus ægestate laborabat, & Mercatores passim mendicare sunt coacti, nec enim poterant Incolæ Regni nostri sua venalia extra Regnum transvehere, quapropter nisi divina misericordia necessitatibus Regni citius providisset, simul cum venalibus pecuniæ copia deperisset. Et Comes aures plebeias frivolis demulcere oblectamentis condixerat, & per totum Regnum divulgari fecerat, quod sine commeatu extraneorum possent indigenæ bonis propriis commode sustentari, quod tamen fuit impossibile, alterna quidem bonorum commutatio diversis Regnis alternatim diversimoda commoda subministrat, unde plurimi volentes Comitem complacare ne viderentur aliunde necessaria sibi mendicare, pannos candidos induebant, dedignantes pannos induere coloratos. *Quinque Portuenses Piraticam exercent.*

Porro Dominus *Henricus* de *Monteforti* Comitis *Leycestriæ* primogenitus, ut inditæ sibi cupiditatis loculos adimpleret, militiæ suæ primordia plurimum denigrabat, dum totam lanam Regni, quam non solum mercatores *Flandriæ*, sed *Angliæ* & aliarum provinciarum ad portus adduxerant ad suas utique provincias navigio deducendas, arrestari faceret suis usibus applicandas, & sic detrectando militiam de milite strenuo communi nuncupatione lanarius est effectus. His & aliis incommodis sic attenuatum Regnum *Angliæ* tabescebat, quod irreparabilibus dispendiis sauciatum de Regno florentissimo fieret infelicissimum, ut vere congrueret illud propheticum, facti sumus opprobrium vicinis nostris, subsannatio & illusio his qui in circuitu nostro sunt. Prælibatis igitur incommodis in Regno crebrescentibus, intempesto hyemali tempore succedente, propter importunitatem temporis aliquantulum à tumultibus bellicis rabies furibunda quievit, redeunte vernali tempore prout ex subscriptis liquebit pristinam resumtura vesaniam. *Henricus Montefortius, plebem deprædatur.*

Transacto siquidem vicesimo die Nativitatis Dominicæ, facta est **London** per Comitem convocatio non minima Procerum *Anglicorum*, ibique decretum est, quod omnes *Marchienses* transfretarent in *Hiberniam*, & per triennium exilio *Marchienses ex decreto Montefortis Hiberniam ablegati, à*

Com. Glouceſtriæ fovenſtur. exilio relegati in *Angliam* non redirent ſine communi aſſenſu illorum quibus Regni gubernacula juxta ſanctiones procerum traderentur, adjecto quod circa Paſcha proxime ſecuturum ſub vinculo intolerabili Regni limina vacuarent, ſed præmoniti à quibuſdam prout dicebatur, quod in vitam eorum ſi transfretaſſent fraudulenter fuerat machinatum, transfretationem ſuam ſano ducti conſilio differrebant, in terris Comitis *Glouceſtriæ*, ipſo connivente, tutiſſime commorantes.

In ipſo tunc Parliamento pontifices qui convenerant, ediderunt quædam ſtatuta in eluſionem poteſtatis Apoſtolicæ, quæ eis proceſſu temporis non mediocriter in damnum, ipſa tunc vice Comes *Leyceſtriæ* caute prævidens, ne forte Magnates Regni quos flexibiles & facile mutabiles reputavit, imo etiam inconſtantes vocare non erubuit contra ſe aliquid acceptare præſumerent, præmeditatis cautelis diſpoſuit majores deprimere,& eorum potentias annihillare, confringendo cornua ſuperborum, ut exinanitis majorum viribus liberius & facilius vulgares ſibi populos ſubjugaret, & molitiones ſeu cautelas quas conceperat ad effectum produceret. Verum mota gravi quæſtione nomine Regis contra Comitem *Ferarienſem*, præcluſis ſibi legitimis defenſionibus, ipſum tanquam hoſtem publicum carcerali cuſtodia mancipavit, cogitans id ipſum facere de Comite *Glouceſtrenſi*,ut infirmitatibus capitis,dolerent membra ſubjecta. Quippe ſupradicti duo Comites tam poſſeſſionibus, quam ſuorum viribus ſubditorum, cæteros Regni nobiles præcellere dignoſcerentur. Impoſuit enim Comiti *Glouceſtriæ*, quod *Marchienſes* inimicos rei publicæ receptavit in terris ſuis, quamobrem ab eo tanquam ſuſpecto ſufficientem cœpit exigere cautionem, volens ſi poſſet ipſum, ſicut & Comitem *Ferarienſem*, confictis callide ratiunculis captivare.

Montefortius Comitem Ferarienſem incarcerandum curat; eadem in Com. Glouceſt. deſignat.

At Comes callidus artem arte artificioſe deludens, juncta ſibi militum turma non modica ſpreto Parliamento ſeceſſit ad partes occiduas, & in loca tutiſſima ſe recepit, *Johannes* quoque *Giffardus* ſtrenuitate militiæ & animi probitate nulli ſecundus, impeteretur enim à Comite *Leyceſtrenſi* quod contra Miſam *Lewenſem* multas terras occupaverat, quæ cæteris magnatibus ratione captivorum ſuorum competere videbantur, præſtita cautione quod Comiti *Leyceſtrenſi* emendationes faceret competentes, ne forte incideret in manus ejus ſicut Comes *Ferarienſis*,Comitem *Glouceſtriæ* cujus domeſticus & commenſalis extiterat ſecutus è veſtigio, ad partes ſe tranſtulit *Marchienſes*. Itaque Comes *Leyceſtriæ* cum H. Diſpenſario, *Johanne* filio *Johannis* Domino *Wigorniæ*, **London**, *Ciceſtrenſi* Epiſcopis cæteriſque fautoribus ſuis qui ei deeſſe ignominioſum duxerunt, ſuam quodammodo palliando cautelam, quandam formam liberationis Domini *Edwardi* voluntarie fabricatam, ſed nulla prorſus ratione ſubnixam motibus propriis confingebant, & redactam in ſcriptis adhærentes ſibi proceres ſigillorum ſuorum munimine roborabant, quam ſi libuerit diligenter inſpicere conſideratis conditionibus in dicta forma contentis, pejoris conditionis eſſe videtur liberatus, quam fuerat captivatus. His breviter prælibatis anni ſequentis feriem exponamus. Obiit *Godfridus Eboracenſis* Archiepiſcopus, *Willielmus* de **Ruderefeld** Decanus *Eboracenſis* ad eandem ſedem eſt electus IV. Id. Martii ſcil in craſtino Sancti *Gregorii*. & ſtatim adiit ſedem Apoſtolicam.

1265 MCCLXV.

Succedente verno tempore, quo ſolent Reges ad bella procedere, virentibus arbuſtis, avibuſque præ amœnitate jucundiſſimas reſonantibus cantilenas, adoleſcentes ſtrenui duo filii Comitis *Leyceſtriæ* fauſtis ſucceſſibus animati, non ſolum abundantes pecunia ſed & militum innumerabili comitiva ſtipati, edicto publico per totum Regnum *Angliæ* divulgare cœperunt, quod omnes nobiles Regni convenirent **Northampton** in quindena Paſchæ, congreſſuri cum eis & eorum complicibus ad oſtentationem virium eo genere confligendi, quod vulgo torneamentum conſueverat appellari. Convenientibus igitur ibidem militaribus copiis juniorum *Angliæ*, quorum non erat numerus.

Northamptoniæ Torneamentum inſtituitur, quo Barones invitantur; ſed Comes Glouceſt. inſidias metuens, accedere detrectat.

Comes

Comes *Glouceſtrenſis* metuens ne per Comitis *Leyceſtriæ* machinationes ſibi diſpendia molirentur, diſtulit illuc ire. Quo comperto, machinator aſtutus contractam undique militiam blandimentis allectam, ſoluto torneamento ſcil. cum Rege & Domino *Edwardo* ad partes ſecum cœpit traducere *Marchienſes*, edicto publice divulgato quod *Marchienſes* hoſtes reipublicæ, & commoditatibus Regni volebat invadere, & prævaricatoribus pœnas infligere competentes.

Montefortius Herefordiam ingreditur.

Confidens igitur in virtute ſua, & viribus ſibi cohærentium progredientium militia bellicoſa *Sabrinam* tranſiit, & nullo contradicente civitatem *Herefordenſem* pompatice introivit, ibique uſque Pentecoſten inutilem moram traxit. Interim Comes *Glouceſtriæ*, ut jam conceptos ejus impetus callide declinaret, contractis undiquaque viribus in tutiora ſe loca recepit: verum frater ejus *Thomas* de *Clara* adoleſcens ingenuus, tanquam familiaris & cubicularius Domini *Edwardi* conſolationis gratia cum eo continue morabatur, qui volens fratris ſui veſtigiis adhærere, propter quod Comes *Leyceſtriæ* ignarus myſterii quod inter ipſum & Dominum *Edwardum* nemine conſcio gerebatur, eum ſinceriſſime diligebat, & de fidelitate multipliciter commendabat, ſed hoc fruſtra.

Ed. Princeps è cuſtodia elabitur.

Quippe die Jovis in ſeptimana Pentecoſtes, Dominus *Edwardus* cum dicto cubiculario ſuo & paucis aliis militibus civitatem egreſſus, ſpaciandi gratia devenit in agros, & omnes dextrarios quos milites eduxerant de civitate ſigillatim aſcendit, tanquam probationis gratia, quis eorum alterum velocitate præcelleret, & cum ſingulos ſtimulis agitatos velocitate curſuum fatigaſſet, ultimum quem aſcendit comperiens ſatis idoneum & velocem, tandem adjuncto ſibi Domino *Thoma* ſicut antea fuerat prælocutum, avulſus modicum à militibus qui ſecum exierant, obtenta licentia ſed non petita, non modica locorum ſpatia equus quo ferebatur citiſſima velocitate tranſiliens, collegis ſuis mirantibus quo pergeret valedixit, fugientem fruſtra proſequentibus, ſed attingere non valentibus. Qui ſtatim reverſi in urbem nunciaverunt Comiti quæ geſta erant in via. Qui nimirum corde ſaucius Dominum *Thomam*, quem prius de fidelitate commendaverat deluſorem publice proclamabat. Dominus autem *Edwardus* exceptus à *Marchienſibus* qui in quadam ſilva vicina loricati, prout condictum fuerat, adventum ſuum diligentius expectabant, non ſine lætitia ductus eſt verſus partes 𝔚𝔶𝔤𝔢𝔪𝔬𝔯𝔢, quo deveniens occurrente ſibi militia copioſa, quaſi ſopita captivitatis ignominia nimia cepit lætitia circumfundi, dum ſe liberatum comperit de maledicti fauce draconis.

Obiit *Willielmus Bathonienſis* Epiſcopus, magiſter *Walterus Giffardus* ad eandem ſedem eſt electus, & ſtatim transfretavit ad Dominum *Cantuarienſem* Archiepiſcopum, & rediit in *Angliam* conſecratus ab eodem, circa Pentecoſten. Et quia transfretavit invitis Baronibus, maneria ſua fere omnia deſtruxerunt. Ipſe vero ante conſecrationem ſuam præſtito ſacramento quod Regi non adverſaretur, rediens in *Angliam* prout ei injunctum fuerat à Metropolitano, in Comitem *Leyceſtriæ* & complices ſuos excommunicationis ſententiam fulminavit.

Comes Glouceſtriæ ad partes Regias deſciſcit. Princeps Marchienſium, aliorumque ſuppetiis, roboratus, Wigorniam & Glouceſtriam capit.

Igitur Comes *Glouceſtriæ* volens Comiti *Leyceſtriæ* pro inſidiis quas ſibi paraverat reddere talionem, ut callide cogeretur comprehendi in laqueo quod tetendit, & incidere in foveam quam fecit, convocata ſibi militum armigerorum & peditum copioſa caterva, quaſi pœnitentia ductus quod Domino Regi in bello Lewenſi fuerat adverſarius vel infeſtus, recepto à Domino *Edwardo* prius apud 𝔏𝔬𝔡𝔢𝔩𝔬𝔴𝔢 corporali ſacramento, quod ſi eo juvante poſſet obtinere victoriam, antiquas leges bonas & approbatas faceret obſervari, pravaſque conſuetudines quæ in Regno inoleverant abrogari, & quod Regem induceret ut alienigenas à Regno & à concilio ſuo *, nec permitteret eos habere cuſtodiam caſtrorum, vel aliquid genus adminiſtrationis in Regno, & quod res indigenarum ſibi fidelium concilio regerentur, adhæſit eidem in multi-

 tudine

tudine virtutis ſuæ, eidem egeno & bonis omnibus ſpoliato quicquid ſibi neceſſarium ſubminiſtrans. Confluebant ad Dominum *Edwardum* non tantum *Marchienſes*, ſed de cunctis Regni provinciis innumerabilis militiæ multitudo, Comes *Waremienſis*, *Willielmus Valentia*, & *Hugo Bigotus* qui paulo ante cum ſtrenua bellatorum caterva in Comitatu **Pembrok**, nemine reſiſtente applicuerant, ipſius auxerunt exercitum. *Johannes* quoque **Giffard** ſingulare militiæ decus, in *Anglia* cui nullus poſt Comitem *Glouceſtrenſem* poterat coæquari; tantam ſibi equitum & peditum ultra æſtimationem virium ſuarum cœpit conjungere comitivam, ut complicibus ſuis ſtuporem incuteret, & adverſariis formidinem irrogaret. Igitur conglobata militiæ multitudo civitatem *Wigorn.* adiit, quam cives Domino *Edwardo* ſine qualibet reſiſtentia reddiderunt, de oppidis & Burgis adjacentibus factum eſt illico quod volebat.

Sabrinæ tranſitus Baronibus præcludit.

Et ne Comiti *Leyceſtriæ* & exercitui ejus pateret tranſitus ultra *Sabrinam*, pontem *Wigorn.* frangi fecit, omneſque naviculas per *Sabrinam* trahi fecit ad aridam, & factis foveis per omnia loca fluminis ubi tranſitus eſſe conſueverat, præcluſit hoſtibus tranſmeatum. Interim Dominus *Robertus* de **Ros**, *Willielmus* de **Weſti**, & alii milites & adoleſcentes ingenui uſque ad trecentos ingreſſi ſunt *Glouceſtriam*, fruſtra credentes in ea contra Dominum *Edwardum* & ejus exercitum ſe tueri. Quippe Dominus *Edwardus* ſtrenua ſuorum comitiva ſubnixus, audacter irruens ſuper oppidum ſupradictum, modico ſudore obtinuit id in brevi; concluſi quidem repentinos impetus non valentes diutius ſuſtinere, civitate relicta in caſtri munitionem tutiſſimam fugientes, contra externos inſultus quos ſtatim ſenſerunt difficiles, motibus bellicis præparabant. Verum protracta aliquamdiu obſidione, dum partes alterius viribus concertarent, obſeſſi deficientibus in caſtro victualibus ſub certis conditionibus obſeſſori caſtrum dedere ſunt coacti; quos exeuntes de caſtro Dominus *Edwardus* benigne ſuſcipiens, cum equis & armis quietos abire permiſit; recepto prius ab omnibus & ſingulis ſacramento, quod contra ipſum infra menſem arma bellica non portarent. Acta ſunt hæc circa Nativitatem beati *Johannis* Baptiſtæ intrante menſe Julio. Igitur munitionem obtentam tam viris bellicoſis idoneis ad defenſionem quam victualibus munientes, tranſito flumine circa partes occiduas feſtinatis ſe greſſibus transferebant. Comes vero *Leyceſtriæ* ſpreta *Herefordia* ſeceſſit *Monemutham*, ubi *Johannes* **Giffard** ſolus cum favente ſibi militia ipſum fixis ante oppidum tentoriis arctavit provocando ſingulis diebus ad prælium, ut irritatus inde recedere cogeretur. Qui progreſſus caſtrum de **Hulks**, quod dominicum fuerat Comitis *Glouceſtriæ*, inventis in eo paucis defenſoribus occupavit, quod tamen Comes *Glouceſtriæ* infra triduum conſimili talione reſumſit. At Comes *Leyceſtriæ* progrediens vicum quendam maritimum qui **Neuport** dicitur, qui etiam Comiti *Glouceſtriæ* jure hæreditario competebat, ſine repugnatione qualibet occupavit, miſitque nuncios uſque **Briſtoll**, ut omnes naves onerarias quas adipiſci poterant ſine mora tranſmitterent uſque **Neupo:t**, ut ipſe cum Rege & adhærente ſibi exercitu uſque **Briſtoll** navigio ſe transferret, Quo comperto Comes *Glouceſtriæ* tres naves piraticas quas habebat, quas vulgo *Galyas* vocant, in introitu portus ubi naves applicare debuerant appendebat, & in eis ſimul cum nautis imponi fecit bellatorum multitudinem copioſam, qui videntes claſſem de **Briſtoll** venientem appropinquare litoribus, validiſſimo congreſſu confligebat eis in ſalo, de quibus undecim naves vel capiebant vel in fluctibus ſubmergebant, cæteras omnes violentis auſibus regredi compellentes. Comes quidem *Glouceſtriæ* & Dominus *Edwardus* tanta potiti victoria gloriantes, erectis vexillis, aciebus ordinatis ad prælium proceſſerunt ad pontem qui ducit in oppidum, ut habito ingreſſu cum inimicis in oppido pugnarent, at illi videntes ſe non poſſe reſiſtere habito prius congreſſu in pontis medio, violenter repulſi in oppidum, partem pontis quæ villæ Comitis adjacebat, projectis ignibus concremabant, ut urgentibus inimicis votivum denegarent ingreſſum.

Hoſtibus

Hostibus quidem ad castra redeuntibus, Comes *Leycestriæ* medio noctis intempestæ silentio relicto oppido clam recedens, faventem sibi exercitum duxit in terram principis *Walliarum*, cui pro impendendo sibi subsidio quinque castra de dominico Regis commisit, quorum quædam quæ sibi frequenter fuere nociva statim solo tenus complanavit, insuper illicito præsumtionis genere confecit ei chartam, quod omnes terras quas prædecessores sui jure vetustissimo vendicabant, sibi sine qualibet dimunitione restitueret, eamque sigillo Regio consignavit, quam duobus laicis deportandam commiserat, viz. Domino *Petro de Monteforti*, & Domino *R.* de Sandwych militibus, quod à seculo fuerat inauditum. Verum *Anglici* panibus assueti, cum essent in terra *Wallensium* solo carnium edulio, vel lactis, quibus illa gens effera vivere consuevit, sine panibus vivere nesciebant; quamobrem illas provincias saltuosas & silvarum devia non sine periculo transmeantes, reversi sunt *Herefordiam*, expectantes tempus idoneum quo per latebrosa viarum diverticula positas eis insidias cautius evitantes, *Sabrina* quomodolibet transmeata, possent refugium civitatis London, quod indiscrete relinquebant, recuperare. Sed Dominus *Edwardus* cum favente sibi militia præcluso, sicut diximus, fluminis transmeatu, ne forte cæteri nocivis gauderent desideriis, cum omni diligentia viarum angustias observabat. His expositis stylum nostrum ad Orientales provincias reflectamus.

Montefortius cum Wallensibus pacisci-tur.

Igitur *Simon* de *Monteforti* junior frivolam & inutilem relinquens obsidionem castri Penevesepe, quam junctis sibi *Londoniarum* turmis diu frustra protraxerat, reversus London convocavit Barones, sexdecim ferme vexilliferos, & bellatorum infinitam multitudinem, & secedens *Wintoniam* civibus sibi non faventibus, sed aditum præcludentibus, civitatem ipsam repentinis insultibus cœpit fortiter impugnare. Quumque cives prout poterant resistentes viribus oppugnare non posset, ne nocivis fraudaretur desideriis, arte prodigiosa duxit utendum: quippe immissa loricatorum per fenestram quandam in monasterio Sancti *Swithuni*, quod muro civitatis adjungitur, pessulis & seris januarum violenter effractis, exterius urgentibus liberos patefecit ingressus; qui continuo civitate obtenta, quibusdam sed paucis interfectis, cæteris quoque inhumaniter comprehensis, quicquid in domibus vel extra sive in Ecclesiis repositum poterat inveniri, sacrilegis ausibus occupavit, supellectilem & pecuniam infinitam secum in equis & curribus abducentes, spolia civitatis opulentissima inter Sathanæ satellites divisit. Igitur urbis florentissimæ depopulatores impii prædis onusti secesserunt Oxon, quibus ut eorum pacificus foret ingressus, cives callidi civitatis aditum non negabant, indeque pompatice processerunt Northamton, & in tantæ multitudinis potentia spem ponentes & fiduciam, habitô invicem consilio, quod invito Domino *Edwardo* & complicibus suis qui *Sabrinæ* transitum concludebant, in subsidium Comitis *Leycestriæ* secederent *Herefordiam*, ut vel ejus exercitum cum adversariis dimicarent in prælio, & ipsum suis viribus ad partes reducerent orientis. Ultimo die mensis Julii scil. in vigilia Sancti *Petri* ad vincula, duce *Symone* post solis occasum venerunt Kenelworth, & cœna facta, fatigatis equis pabula tribuentes, minus providi vel circumspecti neminem formidantes, exuentes arma bellica quia se in tuto credebant consistere, dormiebant in lectulis usque mane.

Simon Montefortius castrum Pemsey frustra obsidens, Barones Londinum convocat. dein Wintoniam diripit.

Porro Dominus *Edwardus* circuendo provincias *Wigorniæ*, comperto quidem per exploratores callidos quod adversa sibi multitudo venisset, ibidem cum esset in vicinio cum adhærente sibi exercitu noctem illam duxit insomnem, & adveniente crepusculo ascensis vehiculis, ampla quasi transvolans provinciarum interstitia, summo mane diluculo deveniens Kenellworth, totam illam multitudinem comprehendit in lectulis dormientem, quos nimis leviter, quia credebant expergefactos, nullo prorsus præter *Simonem* evadente, captivavit. Symon utique qui nocte illa debuit excubasse, forte minus sobrius dormiebat; sed comperto tumultu, relicta sindone nudus profugiens, beneficio cujusdam naviculæ lacum transivit, & in castrum navigii præsidio

Edward. Princeps Sim. Montefortium fil. apud Killingworth, ex improviso adoritur, & profligat.

ſe recepit. Quid multa? prædones ſacrilegi qui Winton deprædarunt, nec locis dedicatis nec ſacris differentes ordinibus, Deo vindice qui non fallitur, ſed potius æquitatis libra ſingulorum merita recompenſat, equis & armis, & univerſa ſupellectili quæ nequiter adquiſierant ſpoliati, impietatis ſuæ talionem fortuna retrograda receperunt. Cæterum vero, non ſolum equis & armis eorum, ſed & variis ſpoliis locupletes, captivos inſignes ignobiliter abducentes, regreſſi ſunt *Wigorniam*, captivatos in locis tutiſſimis reponentes compedibus oneratos. Acta ſunt hæc primo die menſis Auguſti, qui juxta priſcam Gentilium ſuperſtitionem dicitur dies mala. Quod quidem convenienter contigit, quia non ſolum ſupradictis captivis mala fuerat, ſed Comiti *Leyceſtriæ* peſſima facta eſt, prout in ſequentibus audietis. Comes quidem *Leyceſtriæ* quia exercitus ejus plerumque famis & ſitis inedia tabeſcebat, relicta *Herefordia* per ſecreta provinciarum diverticula ne exciperetur ab hoſtibus, ſi quo modo poſſet, præmeditata calliditate *Londonias* regredi proponebat: ſed hoc fruſtra, nempe cum tranſiſſet *Sabrinam* navigio cum univerſo exercitu ſuo devenit *Eveſhannam* tertio die menſis ſupradicti, feria ſecunda. Sed Dominus *Edwardus* cum Comite *Glouceſtriæ*, omnibus *Marchienſibus*, nec non innumera multitudine bellatorum, comperto per exploratores callidos, quod in craſtino de *Eveſhanna* verſus Kenelworth fuerat receſſurus, circa ſolis occaſum receſſit de *Wigornia*; & quia ſciebat quod exploratores Comitis in ſua fuerant comitiva, ut eos ſua calliditate deluderet, fingebat acſi verſus *Salopesburiam* vel *Brigiam* ſeu *Staffordiam* voluiſſe iter aſſumere; ſed comperto quod exploratores de civitate per duo vel tria millia poterant elongari, reflexis habenis verſus *Eveſhannam* equitans per totam noctem, ſummo diluculo ante ſolis ortum devenit ibidem.

Prælium de Evesham in quo Barones victi, & Montefortius Comes Leiceſt. cæſus.

Porro Rex & Comes, ſummo mane audita Miſſa, modicum pranſi, proceſſuri verſus Kenelworth equos aſcendere ſunt parati; verum qui primi egreſſi ſunt de oppido, Dominum *Edwardum* cum ſuo exercitu vocatis vexillis prope mænia conſpexerunt id ipſum Comiti *Leyceſtriæ* non ſine formidine nunciantes. At ille cum ſuis confidens virtute ſibi cohærentium, complices ſuos animavit ad prælium, at illi protenus armis ſe bellicis munientes, erectis vexillis & aciebus ordinatis, ad prælium, ne fugere viderentur, exeuntes de oppido, in occurſum adverſæ multitudinis viriliter proceſſerunt. Siquidem Dominus *Edwardus* ſola vexatione dante intellectum, ignominia quam ex captivatione *Lewenſi* pertulerat cautior effectus, ſagaciter in duas turmas diviſit exercitum, & ut cæteros animaret ad prælium, primam aciem primus ille dux & miles invictiſſimus ſtrenuiſſime conducebat, primos inſultus inflexibiliter perpeſſurus. Comes quoque *Glouceſtriæ* aciei ſupradictæ capitaneus probitate ſtrenuiſſima indeficienter ſibi ſubſidia præſtiturus; præcedentem è veſtigio Comes utique *Leyceſtriæ* primam turmam haud longe proſpectans; nam ſecundam interjacente quodam monticulo videre non poterat; nimia denſitate tanquam in forma circulari ſuum inglomeravit exercitum, ut ſibi invicem conglobati imminentes adverſariorum inſultus poſſent virilius ſuſtinere. At Dominus *Edwardus* ſolita fretus audacia trepidationis ignarus, clangore tubarum terribiliter reſonante, conglobatam multitudinem militariter cœpit impetere, eo quidem glomeratam multitudinem impugnante in fronte violentis motibus, ecce ſtatim comes *Glouceſtriæ* aciei ſuæ ſtrenua comitiva ſtipatus irruens in partem adverſam coacervationis prætaxatæ, totum exercitum illum quaſi conglutinatis acierum extremitatibus circumcinxit; alternis igitur partibus terribiliter dimicantibus, concluſa multitudo concludentium impetus ſuſtinere non potuit, dum clypeis in fruſta concisis, calybinia loricarum textura minutiſſime lacerata, confodientibus lanceis & gladiis ſanguine inebriatis, dum reſiſtentes locum darent, unde factum eſt, ut qui prius in bello *Lewenſi* triumphatores extiterant, tergiverſationem fortunæ fallibilem jam perpeſſi. Victores victis colla dedentes, pene omnes hoſtili mucrone perfoſſi, fatales exitus miſerabiliter terminarent. Interfecti

fuerant

fuerant in hoc prælio, circiter centum & sexaginta milites, & aliorum nobilium qui nondum militari cingulo decorati fuerant, numerus infinitus interiit. Inter eos qui fatalem vitæ terminum in prælio supradicto fine concluserunt, famosissimos & præcipuos ad notitiam posterorum præsenti opusculo duximus annotandos. Capitaneus multitudinis *Symon* de *Monteforti* non solum capite detruncatus occubuit, verum etiam brachiis & cruribus amputatis & minutatim in frusta concisis, vix trunco remanente, vilissima peditum caterva quæ potissimum ejus actibus invidebat vilissimo sæviendi genere furiens in præmortuum * causam * Sancti minis amputabat.

Henricus de *Monteforti* primogenitus ejus & hæres, in conspectu patris diverberatus interiit. *Hugo Dispensarius* commilitonum suorum præsidio viduatus funestissimo pugione confossus interiit. *Petrus* de *Monteforti*, *Radulfus* **Basset**; aliique viri nominatissimi, dimunitioni *Anglicanæ* militiæ planctuoso funere necabantur. Cujus itaque vel saxeum pectus super interitum adolescentis ingenui *Willielmi* de **Mandevill**, fratris Domini *Johannis* filii *Johannis*, qui in eodem prælio viso fratris occasu fuerat captivatus, poterit non dolere? & quis in funere *Johannis* de *bello campo* possit lacrimas continere? qui duo coætaneis suis corporum elegantia præpollebant, ætatisque imbecillitas utrumque poterit excusare. Gestum est hoc prælium extra oppidum **Evesham** die Martis proxima post festum Sancti *Petri* ad vincula, quarto die mensis Augusti, pridie scil. Nonas ejusdem mensis. Rex itaque tubis pro triumpho resonantibus ductus in oppidum, probitate filii, quem tenerrime diligebat, diutinæ captivitatis ignominia liberatus, suis præ gaudio lacrimantibus restitutus est pristinæ libertati. Caput Capitanei, hastili infixum in verecundiam capitati, imo etiam in signum Regalis triumphi usque **Wigemore** ignobiliter est delatum, filio suo *Symone* prospectante, qui consummato prælio vivus subsidia præstiturus, visoque procul ex termino reversus est **Kenelworth** munitionem non ignobilem, quam sibi post captivationem complicium suorum quam prædiximus, refugium speciale delegerat; ibique mente tam lugubri patris & fratrum deplorabat excidium, ut putaretur diebus plurimis cibum vel potum non gustasse.

Sedata quidem vel ad modicum singultia mæroris angustia, serenissimum Regem *Romanorum* patruum suum cum filio postremo, qui in castro de **Kenelleworth** minus honeste quam Regiam deceret honestatem, diutinæ captivitati mancipatus extiterat; sine qualibet conditionis adjectione liberum & solutum abire permisit, quique die Mercurii in crastino Nativitatis Beatæ Virginis venit **Wallingford**, ubi occurrentibus familiaribus & amicis, cum nimia jucunditate sicut decuit est receptus. Uxor quippe *Hugonis Dispensarii*, quæ *Londoniarum* captivos insignes, quos in ea vinctos tenebat, universos & singulos, solo Comite *Ferariensi* duntaxat excepto, liberos abire permisit, & ad terras patris sui Domini *Philippi* **Basset** luctuosa se transferens, mortem mariti sui inconsolabiliter deplorabat. Cives quoque **London** leonina prius sævitia debacchantes, agninam mansuetudinem protinus induentes, civitatem & turrim Domino Regi sine conditione qualibet reddiderunt, & mirum in modum qui fere per biennium dæmoniaca delusione facti fuerant arrepticii, per mortem Comitis & suorum, quasi miraculose subito à dementia seu furia curabantur.

Civitatum & castrorum Domini Regis occupatores complicium suorum funere consternati, ea statim Regi tanquam vero Domino reddiderunt, omnesque captivi per Barones captivati quibuscunque locis tenebantur in *Anglia*, libertati pristinæ sunt restituti, illis duntaxat exceptis quos Comes *Leycestriæ* in castris **Dovor** & **Kenelleworth** custodiendos commiserat. Mense Julio præcedenti, & Augusto sequenti, Cometa apparuit quæ fortassis tam inopinati eventus præsagium portendebat. Rex tanta potitus victoria, secessit *Wintoniam*, ubi in Nativitate beatæ virginis adhærentes sibi magnates *Angliæ* convocavit, & consummato Parliamento se transtulit **Windeshore**, ibique venientes

Civitates & Castra à Baronibus capta, Regi restituuntur. Cives Londinenses, qui rebus novis studebant, carceri mancipantur.

nientes cives *Londoniarum* ſub ſpecie treugarum, majores eorum minus honeſte quam Regiam decebat dignitatem de procerum ſuorum concilio captivavit, & captivatos carcerali cuſtodia mancipavit. Et licet cives infidi contra Regem & Dominum ſuum enormiter delinquentes juxta rationis exigentiam deteriora meruiſſent; indecorum tamen fuit eos per Regis evocationem pacifice venientes ad Curiam, improviſa captivationis ignominia condemnare. Rex itaque civibus ſupradictis in caſtro relictis, poſt feſtum Sancti *Michaelis* ſeceſſit *Londonias*, ut ſolennitatem beatiſſimi Regis *Edwardi*, quem præ cæteris potiſſime diligebat, conſueta devotionis honorificentia celebraret; in qua Regio diademate venuſtatus, tanquam Regiam majeſtatem qua diu caruerat recenter adeptus, inter Regni ſui proceres quorum innumera multitudo ibidem congregata, ſopita captivitatis ignominia glorioſus effulſit.

Et pecuniis mulctantur.

Et non multo poſt, cives London quos, ſicut ſupra tetigimus, captivarat omnes & Singulos exceptis quinque principalibus liberari præcepit; illos vero quinque principales, viz. Majorem, *Thomam* de Pinleſdon, *Michaelem* Tony *Matth.* Bukerel & *Johannem Capellarium*, qui fuerant præcipui Regis adverſarii, & plebeiam civitatis multitudinem ad facinora provocabant, recludi juſſit in carcerem compedibus oneratos; de quibus duo ultimi, intolerabili ſumma pecuniæ liberatione ſua mulctati, vacuos Regis loculos cumulantes, poſt modicum temporis intervallum liberati ſunt.

Caſtrum Doveriæ in Regis fidem tranſit.

Expleta quidem ſolennitate præfata, inſonuit rumor gratiſſimus in auribus Regis, quod ſcil. ferme quatuordecim nobiles Regni qui in caſtro *Dovoriæ* tenebantur compedibus cathenati, turrim caſtri conſcientibus duobus cuſtodibus occuparunt; nam tertius ni fallor, ex præcogitata ſolertia emiſſus fuit in villam, ut cibos emeret nobilibus prætaxatis; qua obtenta, ſtatim interius ſeris & peſſulis munientes, ut cæteris in caſtro degentibus qui concluſos viriliter impugnare cœperunt, difideratiſſimum denegarent introitum, murum fortiſſimum conſtruxerunt ante januas, & obturantes ingreſſum, ſeſe contra externos inſultus quos continuo ſentiebant difficiles, militariter defendebant. Quo audito, Dominus *Edwardus* de London uſque ad Dovor ocius advolans; ſine ſomno, modica militia circumcinctus munitionem prædictam cœpit in fronte viriliter impugnare: illi vero qui turris ſe benificio defendebant, internos à tergo jactis eminus jaculis baliſtarum officio, quarum copia abundavit in turri potenter urgere cœperunt; tandemque undequaque obſeſſi, cum utrobique per externos & internos infatigabiliter impetiti, imminentes inſultus diutius ſuſtinere non poſſent, ſalvis ſibi tantummodo vita & armis, caſtrum victualibus copioſe refertum, urgente neceſſitate, inclito Regis primogenito dedere ſunt coacti.

Sim. Montiſfortis vidua in Galliam tranſit.

Egreſſa eſt de caſtro Comitiſſa *Leyceſtriæ* ſoror Regis, infauſtis ſauciata ſucceſſibus, quæ maritali ſimul & filiali nece comperta, depoſita purpura, habitum vidualem, quem voto caſtitatis temere violato per carnis petulantiam indiſcrete reliquerat reaſſumens, eorum inconſolabiliter miſeranda funera deplorabat; adeo ut laneis tantum carne tenus induta, piſces & carnes per multa tempora non guſtaret; quæ poſtea fluente modico temporis intervallo, prout in ſequentibus audietis, cum filiis ſuis quos procreavit, non ſolum dote propria, ſed & filiorum ſuorum hæreditate relicta transfretavit in *Galliam* perpetuæ relegationis exilium perpeſſura. Rex igitur ex tam fœlici ſucceſſu, inæſtimabili lætitia circumfuſus, ſeceſſit *Cantuariam*, adducens ſecum de proceribus Regni multitudinem copioſam.

Regina è Galliis in Angliam redit.

Regina quoque *Angliæ* illuſtris, quæ per biennium in *Galliis* exulaverat, applicans Dovor una cum Domino *Octobono* Sancti *Adriani* Diacono Cardinali, Apoſtolicæ ſedis Legato, venit in *Angliam* IV. Kal Novembris in craſtino Sanctorum Apoſtolorum *Simonis* & *Judæ*, die Jovis ante feſtum omnium Sanctorum. & Regina die Veneris, & Legatus die Sabbati occurrentibus ſibi cum gaudio Regibus *Angliæ* & *Alemanniæ*, nec non Comitum, Baronum Epiſcoporum, Abbatum, Priorum, & aliorum Regni nobilium infinita caterva, venit

Cantuariam

Cantuariam, & fignis præ gaudio concrepantibus, tota civitas exultabat. In craftino vero omnium Sanctorum, Rex uterque cum Regina & Legato, nec non univerfa multitudo quæ illuc convenerat, *Londonias* repedabat. Circa idem tempus Obiit piæ recordationis *Walterus* de *Cantilupo Wigornienfis* Epifcopus; raptus, ut fane credi poterit, ne videret dies malos, qui tanta fanctitatis eminentia cæteris præpollebat Epifcopis; quod nifi contra juramentum quod Domino Regi de fidelitate præftari debuit, imo etiam contra inhibitionem fedis Apoftolicæ Comiti *Leyceftriæ* tam familiariter & fortiter adhæfiffet, in Catalogo Sanctorum non immerito fuerat afcribendus. Electus eft loco ejus magifter *Nicolaus* de **Ely**, vir gnarus & prudens, non minus elegantia morum, quam fcientiæ liberalis fublimitate confpicuus.

Audiens igitur **Symon** de *Monteforti* quod mater ejus cum duobus filiis fuis *Aumarico* & *Richardo* transfretaffet in *Galliam*, nam *Guido* tertius eorum qui in bello **Eveshame** fuerat captivatus, in caftro **Windeshore** tenebatur eo tempore compeditus; ne iterato Regnum *Angliæ* perturbationibus agitando, patriffare non erubuerit; quippe adjuncto fibi *Johanne* **Deyvill**, *Baldwino* **Wale** qui de caftro de **Benneffeld** fraudulenter evaferat, dum *Johannes* **Giffard** cujus captivus extiterat ipfum curialiter fine compedibus quocunque volebat, liberum fine cuftodibus abire permifit; congregata fibi non modica tam equitum quam peditum comitiva provinciam quandam paludofam, & magnis fluminibus circumcinctam, quæ vulgo *Haxiholium* dicitur, cito poft feftum Sancti *Martini* Pontificis occupavit: & ut in ea tutum fibi præparent refugium, ingreffus & regreffus qui fuerant valde difficiles, callide præcludentes; ut externos ab ingreffu potenter arcerent, viarum anguftias & tranfmeatus aquarum adhibitis cuftodibus obfervabant: & frequenter egredientes vifpillonum copiæ, vicinas cœperunt depopulare provincias; omne genus victualium quod comprehendere poterant in infulam tranfvehentes. Porro Dominus *Edwardus* provinciæ defolatæ compatiens, exercitu parato, & Domino *Henrico* filio Domini Regis *Alemanniæ* cæteris fibi faventibus in adjutorium evocatis, verfus partes Aquilonares feftinatis fe greffibus transferebat; occupatores infidos obfidione concludens, factifque pontibus ligneis artificiofe excogitatis, quorum beneficio liberum ad obfeffos fibi patefaceret tranfmeatum, ipfos ufque adeo coarctavit, ut pacem neceffario meditari cogerentur. Habitoque tractatu, tandem dictus **Symon** cum complicibus fuis egreffus de infula tertio die Dominicæ Nativitatis fub certis conditionibus Domini Regis gratiæ fe fubmifit; viz.. quod tam ipfe quam complices fui ftarent arbitrio fereniffimi *Romanorum* Regis & Domini *Edwardi*, ita quod quicquid illi duo ftatuerant inviolabiliter obfervarent; ad quod fe ipfos non folum corporali præftito Sacramento, fed & datis obfidibus obligabant.

Simon Montisfortis junior, in partibus borealibus bellum inftaurare conatus, à Principe opprimitur.

Quibus per Dominum *Edwardum* conductis ufque **Northampton**, ubi duo Reges & multi Regni nobiles congregati convenerant, ordinatum eft per arbitros fupradictos, quod **Symon** de *Monteforti* Regnum *Angliæ* vacuaret, & relegatus exilio non rediret, nifi de voluntate Regis, & communi affenfu procerum Anglorum; & interim de proventibus comitatus *Leyceftriæ* perciperet annuatim cccc. libras argenti, dum tamen ante transfretationem fuam, cautionem juratoriam & fidejufforiam emitteret, quod degens in partibus tranfmarinis, nec Regi, nec Regno difpendia vel gravamina procuraret. Et cum veniffet **London** facturus juxta quod fpofponderat, confuetæ tergiverfationis non immemor, delufis cæteris clandeftine transfretavit.

Simon Montefortius junior in Gallias clam tranffretat.

Statimque degeneres incolæ, qui morabantur in caftro **Kenellewortth**, quod Regis *Angliæ* Dominicum fuerat, difcurrendo per vicinas provincias, ut ipfius caftri receptaculum, quod fibi refugium fpeciale delegerant, victualibus & aliis neceffariis copiofius inftaurarent, fine perfonarum difcretione feu locorum, fæviffima depopulatione, quicquid obfeffis neceffarium decernebant, fceleratis aufibus abducebant; & fe contra futuros infultus quos fibi non deeffe præfciverant, modis quibus melius poterant præparabant, aggregando

fibi fceleratorum vifpillonum non modicam multitudinem, ut imminentes impetus dictæ multitudinis fulti fubfidio poffent facilius fuftinere: tantamque victualium, fupellectilium, omnium neceffariorum in caftro fupradicto coacervare cœperunt abundantiam, ut per feptennium conclufis crederent neceffaria minime defutura. Magifter *Willielmus* de **Brebus** bonæ indolis adolefcens & ingenuus, circa mediam quadragefimæ ad *Landavienfis* Ecclefiæ celfitudinem unanimiter eft electus; qui licet ætate corporis immaturus videretur, pubertatis fufficientiam in moribus & fcientia prætendebat. Obiit circa feftum circumcifionis Dominicæ Magifter **Simon** de **Wanton Norwich** Epifcopus, appofitus ad patres fuos in fenectute bona, & lecto ejus. *Rogerus* ejufdem Ecclefiæ Prior, à monachis confratribus fuis unanimiter & concorditer eft electus. Sane conniventibus oculis pertranfire non poffumus, Domini Regis & confiliariorum infipientiam, (fi fas fit dicere) quin tranfmittamus ad memoriam pofterorum.

Rex largitionibus minus providis, rebus fuis officit

Quippe, ficut fupra tetigimus, poft inopinatam **Evefhame** triumphalem victoriam, Rex & fui complices non ficut decuerat cautiores effecti, fed potius ftultiores; fic in fublime evecti funt, ut futura Regni difpendia contemnerent præmetiri: nempe terras, poffeffiones, res & reditus fingulorum qui in bello **Evefhame** captivati fuerant vel occifi, five qui Comiti *Leyceftriæ* dum viveret favorem vel auxilium præftiterunt; illis duntaxat exceptis qui præ timore, vel potius ambitione commodi temporalis, quafi pœnitentia ducti Regi feu filio fuo, fpreta fuperftitiofa præfumptione provifionum **Oxon**, iterum adhærere cœperunt, Rex quibufcunque petentibus non folum indigenis fed & alienigenis, fine perfonarum difcretione conceffit; & non folum poffeffiones & reditus exterorum, fed & prædia civium *Londonienfium* nulla prorfus habita futurorum confideratione donavit indignis, fine qualibet præcedentia meritorum.

Gallorum loculos adimplens.

Rex itaque de communitate civium prædictorum pro tranfgreffione quam fibi fecerant, & Reginæ xx. Mill. Marcarum extorfit; cujus pecuniæ fumma nec vel in modicum fifcum auxit, fed & tota pecunia tranfmarinis creditoribus, qui eam Dominæ Reginæ dum in partibus degeret tranfmarinis, mutuo conceflerant, folvebatur; & ut *Anglicis* ex præcedentibus malis peffima provenirent ex fuorum vacuatione loculorum, *Gallicorum* facculos adimplebant; qui toto turbationis tempore conniventes, nulla prorfus *Anglicis* fubfidia præftiterunt. Circa idem tempus Dominus Papa, de plenitudine poteftatis, caffata electione *Willielmi* Decani *Eboracenfis* qui circa feftum Sancti *Nicholai* de Curia rediit *Eboracum*, contulit Archiepifcopatum *Eboracenfem* cuidam fratri de ordine fratrum minorum dicto *Bonaventure*, qui timens pelli fuæ, ne forte furiam *Anglicorum* (quæ nondum fedata fuit ad plenum,) fibi fentiret infeftam, tantæ celfitudinis dignitatem Domino Papæ fano ductus concilio refignavit, quam ob caufam diutior Ecclefiæ fupradictæ vacatio Domino Regi non mediocriter extitit fructuofa. Igitur anni LXV. feries pauculis expedita quiefcat, & anni fequentis eventus fub ftili compendio percurramus.

1266

MCCLXVI.

Legatus Papæ citat Londinenfem & Ciceftrenfem Epifcopos ut coram fe compareant.

Anno protinus inchoante, quo fummi patris Sapientia virginalis uteri claufulam obumbravit MCCLXVI. Dominus legatus recepto prius refcripto fedis Apoftolicæ, Dominos **London** & *Ciceftrenfem* citari fecit, ut compareant coram eo **London** die Lunæ proxima ante ramos palmarum, & publicato coram innumerabili populo confluente refcripto fedis Apoftolicæ memorato, fufpendit eos ab officiis & beneficiis, & ab adminiftratione tam fpiritualium quam temporalium, & nihilominus citavit eofdem, quod infra tres menfes poft citationem factam Apoftolicæ fedi fe confpectu præfentarent fub poena depofitionis perpetuæ, ibidem à fummo Pontifice, cui dum legationis officio fungeretur (ut fupra tetigimus) fe reddiderant indevotos, pœnas vel præmia pro meritis accepturi: qui fe ftatim licet inviti ad limina beati *Petri* non fine cordis anguftia feftinatis greffibus transfretabant. Idem quoque factum eft de *Wintonienfi*

tonienſi die Lunæ proxima poſt quindenam Paſchæ, qui mente lugubri præcedentes veſtigio ſequebatur. In ſupradicto Domini Papæ reſcripto cum legeretur, audivi quatuor exprimere cauſas, quarum quælibet ad degradationem de jure ſufficere poterat ſingulorum; Prima quod cum citarentur à Papa, dum Legationis officium fungeretur in partibus *Gallicanis*, ut coram eo die certo *Boloniæ* comparerent, nec per ſe, nec per procuratores idoneos comparere curarent; quinimo cum inſtinctu proprio, prout ſuperius eſt expreſſum, transfretantes coram eo perſonaliter ſiſterentur, quod eis per eundem Legatum fuit injunctum; viz. quod Comitem *Leyceſtriæ* & filios ſuos, Comitem *Glouceſtriæ*, & alios Regni nobiles nominatim expreſſos, nec non omnes fautores & coadjutores eorum excommunicarent; civitatem London & habitatores quinque portuum ſupponerent interdicto; redeuntes in *Angliam* exequi recuſabant, cauſantes comminationem Baronum & quinque portuenſium, quaſi ſacrum Evangelium timuiſſe non debuerant, ſi zelus domus Dei eos vel in modico comediſſet. Dicit enim veritas Evangelica; Nolite timere eos qui occiderint corpus, animam autem non poſſunt occidere, &c. Ex quo contemtu liquido conſtat eos inobedientiæ vitium incurriſſe. Secunda, quod contra ſacramentum fidelitatis Domino Regi præſtitum ipſum totis viribus, auxilio, conſilio, & furore una cum Baronibus impugnabant: ob quæ evidenter in perjurium inciderunt. Tertia, quod ſcientes Comitem & fautores ſuos ſententia excommunicationis innodatos autoritate ſummi Pontificis, eis adhærendo; prout ſuperius prætactum eſt, communicantes excommunicatis conſimili ſententia juxta dicta Canonum fuerant involuti. Quarta, quod ſcientes ſe excommunicatos, quod ignorare non debuerant, cum ignorantia craſſa & ſupina non excuſet, immiſcuerunt ſe divinis, quamobrem facti ſunt irregulares; verum ex dicta exinanitione Pontificum, accrevit tam Legati quam Domini Regis ærarium: dum hic commodis ex ſpiritualitate provenientibus potenter incumberet, & ille proventus temporalium ſuis uſibus applicaret, ut verificaretur illud propheticum, Reſiduum locuſtæ comedit eruca, reſiduum erucæ comedit brucus; & illud quod non capit filus capit viſcus.

Adveniente ergo tempore, quo virentibus undecunque foliis ſilvarum tegmina chlamidantur, Baronum, qui ſe exhæreditatos publice noſcitabant, impatiens furia non quievit. Nempe duce Comite *Ferarenſi*, qui Domino Rege liberatus nullam pene terrarum ſuarum præſenſit diminutionem, *Baldwinus* Wake, *Johannes* Deyvill, & aliorum Baronum & militum innumerabilis multitudo, adjuncta ſibi viſpillonum tam equitum quam peditum infinita caterva, occiduas ſcil. & Aquilonares cœperunt depopulare provincias, rapinis & incendiis miſerime devaſtantes, cujuſdam ſilvæ denſitatem, quæ lingua Anglorum Suffeldfrith vulgariter appellatur, ſibi pro refugio deligentes. Adam quoque Gurdun ejuſdem ſceleris imitator, meridionales *Angliæ* plagas congregatis ſibi conſimilis nequitiæ ſatellitibus furibunda debacchatione cœpit invadere, & varias percurrendo provincias rapinis ſimul & incendiis devaſtare.

Comes Ferar. & alii Barones devaſtant Boreales & occid. provincias. Uti Adam Gurdun meridionales.

Alii quoque complures bonis ſuis non immerito ſpoliati, in ſingulis fere Regni provinciis ſceleſtiſſimas ſibi cœperunt conjungere comitivas, ut vel ſuas ulciſcerentur injurias, vel ut ſaltem ſibi de quæſtu nefariæ deprædationis ſuæ victualia propagarent. Talibus igitur incommodis Regnum *Angliæ* tabeſcens inconſolabiliter ſua poterat diſpendia deplorare. Igitur Rex & Dominus *Edwardus* compatientes provinciæ deſolatæ, Dominum *Henricum* ſereniſſimi *Romanorum* Regis primogenitum, ducem & Capitaneum catervæ cujuſdam Baronum, & militum, & bellatorum multitudinis infinitæ, ut eos qui partes Aquilonares perturbabant ſuis viribus propulſaret, ad partes illas ſano freti concilio tranſmittebant, qui ſtrenuo prædictorum bellatorum agmine circumcinctus die Sabati in Vigil. Pentecoſtes devenit in quoddan burgum quod vocatur Ceſtrefeld, & invenit ibi comitem *Ferarenſem*, & prædonum ſibi cohærentium deteſtabilem comitivam, & ſtatim turmis ad prælium ordi-

 natis

natis, Regii Proceres loricati coopertis vehiculis trepidatione ſepulta in ſupradictos maleficos, qui in burgo ſupradicto fiducialiter morabantur, militariter irruerunt. Sane interni neceſſitate coacti armis ſe bellicis protinus munientes, ut urgentes externos potenti virtute repellerent, ſtrenuiſſime dimicabant, ſed tandem poſt ſtrenuiſſimam utrinque dimicationem, divina cooperante clementia, victoria devenit ad Regios, & innumerabilem populum de comitiva Comitis *Ferarenſis* gladius devoravit hoſtilis.

Comes utique qui fugere non poterat ignobiliter deprehenſus, in ſignum Regalis triumphi captivus non ignobilis ducebatur ad Regem. Quidam vero ex Capitaneis ſibi cohærentibus venandi gratia in ſilva quadam vicina convagantes, audito quid acciderat, latebroſa nemoris denſitate protecti, ut mortis diſcrimina declinarent, fugæ ſe remedio commiſerunt. Rex itaque fauſtis ſucceſſibus exhilaratus, inſignem captivum Comitem ſupradictum miſit uſque **Windeſhores**, & in caſtro tutiſſime cuſtodiri præcepit compedibus ferreis oneratum.

Com. Ferar. captus Windſoriam deducitur.

At Dominus *Edwardus* ne nil agere videretur, in eadem ſeptimana Pentecoſtes per abdita locorum diverticula callide vagabatur, & Dominum **Adam Gurdun**, qui meridionales *Angliæ* plagas invaſit, exploratorum circumſpecta providentia præmunitus, in quadam ſilva prope **Aweltou** circa ſolis occaſum cum turma ſua deteſtabili caſtra metantem invenit, & audacter evaginato mucrone irruens in eum, gigas & bellator invictiſſimus ſolus ipſum militariter impetebat. (*Rogerus Norwicenſis* Epiſcopus conſecratus eſt dominica qua cantatur, quaſi unigeniti. Circa feſtum Aſcenſionis rediit *Bonifacius* Archiepiſcopus *Cantuarienſis* in *Angliam*, & conſecrati ſunt ab eodem in Octabis Pentecoſtes, *Nicholaus Wigornienſis*, & *W. Landavenſis* Epiſcopi) nam turma quæ ſibi ſubſidium præſtitura ſequi debuerat, quadam foſſicula præpedita ad ipſum tam celeriter devenire non poterat; quamobrem cum forti fortior fortiſſime dimicare compulſus eſt; erat enim dictus **Adam** miles ſtrenuus & bellator robuſtiſſimus: ſed tandem Dominus *Edwardus* crudeli tyranno ſuis ſibi ſubſidia conferentibus prævalebat, ipſumque pluribus de comitiva ſua crudeliter interfectis, quibuſdam vero fugientibus, inflicto ſævo vulnere captivavit, & ipſum uſque **Windeſhores** ſecum adduxit, atque ſicut condecuit diris compedibus oneravit, ne forte Comes *Ferrarius* ibidem captivatus ſine comite moraretur. In ipſa quidem hebdomade *Guido* de *Monteforti*, qui in caſtro **Dovor** captivatus, minus provide quam deceret per conſtabiliorum negligentiam ſervabatur, corruptis cuſtodibus, cæteriſque deluſis evaſit de caſtro, & ipſis ignorantibus transfretavit in *Galliam* cum matre ſimul & fratribus ſuis, pro paternis nequitiis pœnam luiturus.

Bonifac. redit in Angl.

Adam Gurdun. capt. Windſoriam ducitur.

Guido de Monteforti è caſtro Dorob. evadit.

Dum hæc agerentur, Dominus *Edmundus* filius Regis *Angliæ* poſtremus, adjuncta ſibi militum & bellatorum multitudine copioſa, in oppido **Warewike** morabatur, ut infeſtos prædones caſtri **Kenilworth** potenter urgeret, ne, ſicut conſueverant, nullo prorſus obſtaculo reſiſtente vicinia rapinis & incendiis devaſtarent, quos frequenter egredientes, ut vel conſueto debacchationis genere ſibi neceſſaria prædarentur, vel ut ipſum irritando provocarent ad prælium, exploratores callidos præmunitus cum turmis militaribus robuſtiſſime perſequendo, vix fugæ præſidio mortis pericula declinantes, in caſtri refugium regredi compellebat. Rex itaque cunctis Regni proceribus in adjutorium evocatis, qui ſibi ratione feodorum ſuorum, vel homagii præſtiti deeſſe non debuerant, vel nolebant, in craſtino Nativitatis Sancti *Johannis Baptiſtæ* caſtrum ſupradictum cœpit obſidione concludere, & admotis undequaque plurimis machinarum generibus concluſam multitudinem modis omnibus qui excogitari poterant infeſtabat. Illi munitione tutiſſima circumcincti, inopinatis frequenter egreſſibus obſeſſores, cum ſe credebant in tuto conſiſtere, viriliter impetebant, & facta militariter externorum ſtrage ſæviſſima, ad ſuum rediere refugium: obſeſſoribus ſiquidem & obſeſſis baliſtarum officio jacula ſine intermiſſione projicientibus, alterna partium con-

Rex caſtrum Kenilworth obſidet.

certatio humani ſanguinis prodiga non modicum utrobique ſanguinem effundebat. Protracta eſt obſidio uſque feſtum omnium ſanctorum, Domino *Romanorum* Rege pariter & Legato ſæpe mediatoribus effectis, ut in formam pacis honeſtam mutuo colligarent; ſed concluſorum impatiens obſtinatio non permiſit quod per eos quomodolibet concordia formaretur, quippe qui in victualibus ſufficienter abundabant, & quod Symon de *Monteforti* ad obſidionem ſuis viribus amovendam, & ad eorum liberationem celeriter faciendam de partibus *Gallicanis* in manu potenti fuerat adventurus, quique ſuper hoc literas ſuas conſolatorias frequenter acceperant, & ad terrorem cæterorum mendaciſſime jactabant. Occidentalium partium diſſidio prælibato, ad ea quæ in partibus orientalibus pullularunt incommoda ſtilum noſtrum convertamus.

Exhæredatorum caterva non modica clanculo colligata, validaque conjuratione connexa, circa feſtum Sancti *Michaelis* provinciam quandam paludoſam lacubus & fluminibus, nec non intranſibilibus paludibus circumcinctam, quæ inſula *Elienſis* vulgariter appellatur, arte potius uſa quam viribus, conniventibus incolis introivit. Qua obtenta, protinus inſulanis præ multitudine confluentium reſiſtere non valentibus ſe armis & victualibus muniebant, factis in aqua propugnaculis ingreſſus & regreſſus calliditatis præmeditato genere præcludentes, quod ipſis invitis nullus ad ipſos pateret ingreſſus, ipſi quoque quotieſcunque volebant ad vicinas ſe provincias transferebant tanta viſpillonum quos ſibi colligaverant comitiva ſtipati, quod quicquid in Norfolk, Suffolk, ſeu Comitatu *Cantabrigiæ* victualium ſeu ſuppellectilium poterat inveniri, in adjacentibus etiam provinciis, non habita perſonarum conſideratione, ſeu locorum, & ſuam & ſuorum ſuſtentationem in inſulam ſupradictam nefariis auſibus abducebant, & in eadem ſine reſiſtentia qualibet hiemabant. *Rebelles occupant inſulam Elienſem.*

Ex confluentibus ad eos prædonum copiis in tantæ proterviæ proruperunt audaciam, quod non ſolum oppida minora, burgos & villulas adjacentes luctuoſa depopulatione vaſtarent, deteſtanda ſane ſacrilegia perpetrantes; dum bona perſonarum Eccleſiaſticarum & etiam laicorum cauſa refugii in locis ſacris depoſita, nec locis dedicatis, ordinibus ſeu perſonis, nec ſacris temporibus differentes, violenter abradunt, verum etiam nacta temporis opportunitate latenter egredientes ſupra illam opulentiſſimam civitatem Norwick, quæ ratione cathedræ Pontificialis totius Diœceſios obtinuit Principatum, inopinatis auſibus irruerunt, civibus præ timore mortis vel incendii reſiſtere non curantibus, & quicquid in ea venale ſeu pretioſiſſimum cujuſcunque generis poterat inveniri, in equis & curribus abducentes in inſulam tranſvehebant. Et cujus cor ſaxeum cives prius opulentos & jam bonis omnibus ſpoliatos, urbemque florentiſſimam, divitiarum opulentia qua prius abundavit viduatam inconſolabiliter non deplorat? vulgo ſiquidem dicebatur, quod ſumma bonorum quæ ſupradicti cives in ipſa direptione perdiderant ſub juſta æſtimatione ad viginti millia Marc. & amplius aſcendebat. Acta ſunt hæc circa feſtum Sancti *Nicholai* confeſſoris & Pontificis menſe Decembri. Circa idem tempus Dominus Papa de plenitudine poteſtatis *Eboracenſis* Eccleſiæ Pontificium, quod frater *Bonaventure* reſignaverat, contulit magiſtro *W.* Giffard tunc *Bathonenſi* Epiſcopo, cui ſucceſſit in *Bathonenſem* Dominus *W.* de Bitton vir providus, non minus virtutibus quam ætate maturus. His breviter annotatis ad obſidionem prætactam quam reliquimus revertamus. *Urbem Norwicenſem diripiunt.* *Bathon. Epiſc. transfertur ad Eborac.*

Deficientibus in caſtro Kenellworth victualibus non ſolum hominum, ſed pabulo jumentorum, concluſa multitudo præ ciborum penuria tabeſcebat, adeo ut jumentorum carnibus veſcerentur pro deliciis, & undæ labentibus hauſtibus ſitis ardorem pro vino & aliis potuum confectionibus extinguere cogerentur, Qinimo quotidianis ciborum diſtrubutionibus ſibi parcius ſolito adminiſtratis, citra ſatietatem ſinguli ſe reficere ſunt compulſi, quod tamen latuit obſeſſores; unde factum eſt quod obſeſſi contra externos inſultus,

 quos

quos quotidie folito validius accrefcere fentiebant, fe fegnius & mollius defendebant. Cæterum ædificia caftri fic fuerant fundibulorum jactibus quaffata, quod præ lignorum penuria cremandorum temporis hiemalis intempefta frigora diutius fuftinere non poffent. Igitur ut honeftis conditionibus & caftrum dedere viderentur, & fuam quam tetigimus penuriam palliarent, habito invicem tractatu non modico, præmeditata folertia fruebantur, & die lunæ proxima poft feftum Sancti *Leonardi* inter ipfos & Regem amicabiliter fic convenit, quod Dominus *Richardus* de Edmundevill & alii duo milites, nec non quinque milites alii egrederentur de caftro, & quadraginta dierum circulo per Regem loco obfidum pro omnibus tenerentur in cuftodia, & fi forte Simon de *Monteforti* infra terminum prænotatum veniffet obfeffis in adjutorium, obfides fupradicti fine qualibet contradictione reponerentur in caftro: alioquin fupradicti caftri occupatores infidi elapfo termino Domino Regi caftrum reftituerent, falvis tamen fibi quam obfidibus prætaxatis vita & membris, equis & armis, nec non & univerfis bonis eorum tam bene quam nequiter adquifitis. Interim obfeffores & obfeffi vacantes ociis à mutuis quieverunt infultibus, appropinquante quoque quadraginta dierum circulo, prætaxato die Lunæ proximo ante feftum Sancti *Thomæ* Apoftoli deficientibus fic in caftro victualibus quod ultra duos dies ulterius victualia non haberent, videntes fperata fibi diutius adjutoria minime proventura, munitionem obfeffam urgente neceffitate Regi tanquam vero Domino reddiderunt. Egredientes quoque de caftro quanta famis inedia tabefcebant, pallor vultus & cutis glaucitas evidentiffime prætendebant. Quinimo obfeffores externi egredientibus obfeffis, cum limina deditæ munitionis ingrederentur, præ fœtoris nimietate pene fuerant fuffocati. Rex itaque deditum fibi caftrum ftatim Domino *Edmundo* filio fuo poftremo, nefcio quorum ductus concilio conferebat, & fe ftatim recreationis gratia transferebat *Wodeftokiam*, ut ibidem Nativitatis dominicæ folemnia celebraret, indeque deceffit *Londoniam*, ut folennitatem beati *Edwardi*, quæ in vigilia *Epiphaniæ* annuali revolutione contingit, confueta devotione recoleret; quo peracto ftatim literis fuis per univerfum Regnum undequaque tranfmiffis, univerfos Regni magnates, tam perfonas Ecclefiafticas quam feculares, qui fibi deeffe noluerant convocavit, ut in Octabas Purificationis beatæ *Mariæ* coram eo convenirent apud Sanctum *Edmundum*, collocutione mutua tractaturi qualiter infulanorum furiam poffent fua virtute reprimere, & defolatæ provinciæ neceffitatibus providere.

Caftrum Kenilworth Regi traditur.

Rex Parliamentum citat ad Sanctum Edmundum.

Advenit ibidem Legatus, & miffis in infulam Pontificibus & aliis nobilibus, monuit infulanos ut relicta vefania in honeftam pacis concordiam confentirent, & Domini Regis beneplacitis fe coaptarent. At illi tam in prophana multitudine fpem ponentes, nec credentes fe in provincia tam inacceffibili poffe quomodolibet impugnari, in malitia fua nequiter obftinati inflexibiles perftiterunt. Soluto quoque Parliamento, Rex cum innumerabili bellatorum & militum comitiva feceffit *Cantabrigiam*, fruftra geftiens introitus & exitus infulæ prænotatæ concludere, appofitis undequaque cuftodibus ne ficut confueverunt exeuntes, vicinas fine repulfa poffent depopulare provincias; ipfe quoque per totam Quadragefimam & amplius cum exercitu copiofo in *Catabrigia* inutiliter morabatur. Siquidem etfi Rex de oppidis maritimis viz. Gyppeswich, Donwich, Grenemuth, Linna claffem non modicam convocaffet, & impofita bellatorum multitudine infulanos navigio fortiter impetiffet, exeuntibus infulanis in occurfum illorum, & in falo potentiffime dimicantibus, Regii tamen bellatores devicti pariter & confufi; quibufdam vulneratis, aliis crudeliter interfectis, vix ad propria funt reverfi. Rege quoque ficut prædiximus ibidem inutiliter commorante, intimatum fuit Domino *Edwardo*, quod Dominus *Johannes* de *Vefti* magnatum Aquilonarium non modicam fibi conjunxerat comitivam, facta invicem mutua conjuratione, quod quilibet alii colligatione firmiffima cohæreret, & unufquifque alterius

Rex fruftra conatur reprimere Elienfes.

D. Edwardus Johannem de Vefti & alios tumultuantes reprimit.

rius fretus ſubſidio, terras proprias quas Rex (ut ſupra tetigimus) coadjutoribus ſuis minus diſcrete contulerat, ipſis violenter expulſis, motu proprio reſarciret, & obtentas contra quoſlibet defenſaret. Dominus vero *Johannes* ne ultimus videretur, caſtrum ſuum de **Alnewych**, & terras plurimas adjacentes quibus fuerat viduatus, juxta formam habitæ conjurationis reſumere non expavit. Sane Dominus *Edwardus* hoc audito, congregatam militiam & bellatorum multitudinem copioſam ad partes cœpit traducere boreales, & dictum Dominum *Johannem* dux ille potentiſſimus uſque adeo coarctavit, quod caſtrum & terras quas proprio reſumere præſumebat inſtinctu, protinus reſignavit, quinetiam proprium confitendo debitum, Domini *Edwardi*, cujus inæſtimabilis & univerſa ſemper contra tranſgreſſores extitit miſericordia, gratiæ ſe ſubmiſit, qui pius & miſericors non ſolum diſtulit ultionem, ſed & veniam tribuit tranſgreſſori. Cæteri vero conjuratores animo conſternati, indemni caſtigatione cautiores effecti, à priſtina protinus præſumtione ceſſabant. Hujus igitur anni turbationibus explicatis, ſequentis anni ſeriem ad poſterorum memoriam pro noſtræ parvitatis modulo perſtringamus.

MCCLXVII.

Anno quo verbum patris altiſſimi in utero virginis meruit incarcerari MCCLXVII. dum Rex *Angliæ* frivolam & inutilem in *Cantabrigia* moram traheret, *G.* de **Clare** Comes *Glouceſtrenſis* ne nil agere videretur, Domini *W.* de **Midechenely** de **Edwardeston**, Magiſtri *Rogeri* de **Leyceſtr**, *Henrici* de **Borhtun** fœdo fretus concilio, circa dominicam palmarum, (obtenta tamen prius per cives **London** licentia Domini Regis, quod ipſi tanquam fideli & devoto ſuo civitatis aditum non negarent) ipſam ſi fas ſit dicere minus honeſte quam deceret ingrediens occupavit, ignorantibus quibuſdam civibus myſterium quod inter ipſum & conciliares ſuos paucis conſciis gerebatur, quibuſdam non conſentientibus ut dicebatur, qui timore potius quam amore voluntati Regiæ paruerunt. Confluebant ad eum non ſolum ipſius Comitis ſubjugati dominio, verum etiam externorum multitudo non modica, quinetiam *Johannes* de **Meyvill**, qui exhæredatorum in inſula commorantium Capitaneus dicebatur, & *Robertus* de **Wyleby**, qui non ſolum ſtrenuæ multitudinis comitiva qua continue cingebatur, ſed & robuſtæ dimicationis ſolertia cæteris præpollebat, relicta quam prædiximus inſula civitatem **London** cum turba innumerabili, ut Comiti votivum communicarent adjutorium, introibant. Comes itaque civitatem ipſam bellatoribus, armis, & victualibus muniebat, januas urbis undequaque adhibitis cuſtodibus concludens, ut quorumlibet externorum inſultus formidare minime cogeretur; ut autem doloſam civitatis occupationem honeſto quodam tegmine palliaret, de prædictorum ſibi cohærentium, quorum minus ſano concilio potiſſime fruebatur, præmeditata calliditate ad excuſandas excuſationes in peractis ridiculoſa ſibi figmenta texuit, viz. pro utilitate reipublicæ cauſam communitatis totius Regni gerere nitebatur, ut Dominum Regem induceret, quod exhæredatos admitteret ad gratiam, & ad pacem, & terras eorum & poſſeſſiones, quas diverſis perſonis indiſcrete contulerat, ſub certis conditionibus eis reſtituere cogeretur. Quinimo confingebat, quod pro commoditate Regni Dominum *Edwardum* nitebatur inducere, ut Sacramentum quod ſibi præſtiterat (quum ſicut ſupra tetigimus de cuſtodia Comitis apud **Hereford** tam prudenter evaſit) tanquam honeſtum & toti Regno perneceſſarium ſaniora meditans obſervaret. Articulos quoque juramenti, quos ſupra tetigimus, ad præſens brevitatis cauſa pertranſire non pudet. Rex igitur audito quod civitatum *Angliæ* Principiſſa per inſidos indigenas in dolo fuerat occupata, animo conſternatus obſtupuit, honeſtatem Regiam non decere decernens, relictis inſulanis, quos ut poterat coarctavit, adjacentes provincias Satanæ ſatellitibus tyrannice debacchantibus ad prædam exponens ſubſidio deſtitutas. Cæterum pernicioſius univerſis ratione ſubnixis, nec immerito, videbatur urbem ſupradictam, quæ ſic iterato nefaria ſuggeſtione deluſa priſtinam reſumendo veſaniam, à Rege ſuo ſub quadam,

Com. Glouceſt. occupat urbem Londin.

quadam comminatione desciverat, furibundis satellitibus dedere negligendo. Dum itaque talium perplexitatum fluctuationes in Regis animo versarentur, fidelibus suis qui secum in *Cantabrigia* morabantur mutuo pertractantibus quid horum censeretur esse consultius, insulanos sumtuosa sed inutili tamen coarctione concludere, vel ut urbis nequiter occupatæ liberationem cum faventium sibi procerum cuneis se transferre; ecce Dominus *Edwardus* festinatis gressibus de partibus veniens Aquilonis strenuissima Comitatus militia Domini Regis non mediocriter auxit exercitum, & continuo conglutinatis exercitibus procedentes, versus partes **London** se cum tota multitudine transtulerunt.

Rex juncto sibi Edwardo Londinum tendit.

Quippe dum hæc agerentur, Dominus Legatus considerans sibi suisque, si **London** moraretur, verecunda prorsus vitæ discrimina minime sibi defutura, sano fretus concilio urbe relicta, arcem Regiam, quæ turris **London** dicitur, cum turbis sibi familiaribus introivit, & obturatis janius contra externos insultus quos sibi non deesse patulo prævidebat, conclusam familiam quantumlibet modicam ad castri defensionem pro suæ possibilitatis modulo præparavit, & pro tuendis corporibus ad motus bellicos armavit. Nec mora, Comes cum suis copiis urbe potitus ut prædiximus, Domini Regis & liberorum suorum, & exercitus eorum innumerabilis adventu præcognito, ut imminentes insultus virilius propulsaret, turrim **London** in qua Legatus non sine formidine morabatur inclusus, cujus ultro sibi suisque negabatur introitus, obsidione conclusit, & admotis ei parti quæ civitati contignatur, nec non balistarum officio jacula funestissima projicientium sine intermissione conclusos fortiter impugnabat. At conclusi machinas exiles & pauperculas, quas in turri repererant, pro modulo suæ possibilitatis cœperunt erigere, & insultantes vice versa repellere, ne forte præmunitionis indefensæ penuria periclitarentur obsessi, &, quod absit, turri dedita vel viribus occupata, occasione tanti refugii animarentur, internorum & externorum oppugnationem contingeret impediri : his quoque duobus incommodis providere remedium salubri usa concilio invigilabat Regiæ solertia comitivæ. Quippe cum Rex cum favente sibi copia quadam nocte satis prope civitatem nihil sibi metuens recubaret in castris, summo diluculo indumentis bellicis totum muniri præcepit exercitum, & expansis vexillis equitans prope mænia civitatis videntibus cunctis & invidentibus, nec impedire valentibus, præsertim cum januas urbis tam numerosa multitudo egredi non auderet, ipsam pene ex uno latere circuibat, & arci cretatæ cominus appropinquans, per posticum quod de turri plagam meridionalem respicit, & fluvio contignatur, Legatum potenter eduxit, & ejus loco defensores idoneos intromisit, eductoque Legato occupatores urbis non immerito deridebat, & procedens usque **Stafford** ad tria milliaria prope **London** sine quolibet obice castra fixit, morosam sed tamen inutilem protrahens obsidionem, dum pars utraque præcedentium non immemor præliorum, in quibus inopinatius quam credi poterat sub eventibus variis alternabat & rotabatur fortunæ volubilitas ignara constantiæ, cogitaret magis cogitationes pacis quam belli. Porro commorantes in urbe, ut vel fantasticam gloriam ostentarent, vel ut externos furiosis excursionibus irritarent, ea parte civitatis qua liber eis sine resistentia vel impedimento pateret egressus, *Cantiæ* scil. & *Surriæ* provincias pervagantes quæcunque poterant inveniri victualia congerebant, & non soluto precio deduxerunt in oppidum.

Com. Gloucest. obsidet Legatum in turri Londin.

Rex liberat Legat. & suis turrim occupat.

Civitat. Londin. obsidet.

Quinetiam rationis consideratione non habita, palatii Regii *Westmonasteriensis*, quod diversis in Regnis comparationem recipere dedignatur, fores, fenestras, & ostia confractis vectibus avellentes deduxerunt in suburbium civitatis, quod inusitato nomine **Suthwerks** dicitur, & inde sibi propugnacula præparare cœperunt, ut si forte per quoslibet impeterentur, oppugnantes tali præsidio facilius propulsarent. Imo quod non sine dolore referemus, omnes illos quibus per accusationem adversariorum sive præsumtionem impingere poterant, quod partis Regiæ fautores existerent, sine perso-

narum

narum diſtinctione trucidabant, vel de pontis cacumine ſive de naviculis præcipitatos in flumine demerſerunt.

Nec ſilentio præterire debemus, quod exceptis quos ſupra tetigimus inſulanis, hoſtem reipublicæ *Henricum Pedonem* qui, prout ſuperius eſt expreſſum, convagans per pelagus prædo piraticus, navigantes non ſolum bonis omnibus ſpoliavit, ſed & immiſericorditer trucidavit, in ſuam non erubuit aſciſcere clientelam. Dum hæc *Londoniis* agerentur, *Henricus* de **Haſtings** ita quietis factus impatiens, juramenti quod de non ulterius adverſando Regi præſtiterat, cum dedito caſtro de **Kenellewurth** cum cæteris occupatoribus impune recederet, prævaricator effectus eſt, neque cogitaret cogitationes præcedentium abſtergere macularum; comperto quod egreſſo, prout ſupra tetigimus, Domino *Johanne* de **Divill** inſularum Capitaneo, occupatores ipſi ad ſuam perniciem ſibi relicti ſine Capitaneo, eandem inſulam indiſcretius quam decuit vel oportuit adeundam putavit, & factus eſt maleficorum maleficus gubernator, immoderatiori ſuperbiæ faſtu prædeceſſores non ſolum æquiparans, ſed excedens. Quippe Rege cum proceribus ſuis circa obſidionem **London**, ut prædiximus, occupato, proceres inſulam ſublato legis vigore, & nullo diſciplinæ metu, ſeu rebellantium viribus coerciti, permiſſiva quadam libertate gaudentes vicinas provincias conſueto ferocitatis genere crebris incurſionibus infeſtabant. Rex quidem *Angliæ* cum ſibi pecunia minus copioſa ſuppeteret, qua vel domeſticos in victualibus neceſſariis exhiberet, vel *Gallicorum* copiis quos in ſuum fruſtra convocaverat adjutorium quotidiana ſtipendia miniſtraret, cibariis hominum & pabulis jumentorum paſſim deficientibus, diuſculam in obſidione prælibata, ſed frivolam & inutilem moram traxit, dum neutra * * * procerum quamlibet viribus imparem ſe videret, adverſam conflictu bellico auſa eſſet invadere. Verum Rex *Alemanniæ*, cui ſemper ut aſſolet affluenter pecunia ſuppetebat, cibariis abundantiſſime miniſtratis, agentem irrefragabiliter recreavit exercitum: *Johannes* quoque **Baſſet** præ cæteris Regni proceribus cibariorum largitor profuſiſſimus conſimilis munificentiæ non tepidus imitator, citra Regiam largitatem conſiſtere duxit inglorium, ejus pro facultatum viribus veſtigiis inhærendo.

Henr. de Haſtings factus eſt dux Elienſium.

Tandem vexatione dante intellectum, nunciis intermediis potiſſime laborantibus cœpit fieri tractatus de pace: ſed quia partes alternæ de ſuis fruſtra viribus præſumebant, protelebatur pacis negotium per mutuos hinc inde tractatus, licet ſupra-dictus *Romanorum* Rex ſereniſſimus cum Domino *Henrico* primogenito ſuo Domini Comitis avunculo, Domino *Johanne* **Baſſet** pluribuſque Regni nobilibus mediatoribus effectis, & efficaciſſime cooperantibus ut in honeſtam concordiæ formam mutuo convenirent; denique poſt multas hinc inde altercationes, & diſponente quo nato præconiabat Angelica multitudo, gloria in excelſis Domino, in terra pax, hominibus bona voluntas, alterna partium rabies furibunda honeſto concordiæ vinculo counita, mediante virorum pacificorum ſolicitudine, conquievit in hunc modum, viz. quod Comes *Glouceſtrenſis* proprium quod excuſare non poterat confitendo delictum, Domino Regi civitatem redderet occupatam, & Rex miſericordiam potius exercendo quam judicium, eidem Comiti & complicibus ſuis omnem rancorem & motum animi quem contra eos non ſine ratione conceperat gratioſe remitteret, & illatas tam ſibi quam ſuis injurias perdonaret, dum tamen Comes juratoriam & fidejuſſoriam cautionem præſtaret ſub pœna xx. Mil. Marcarum, quod in poſterum contra dictum Dominum Regem guerram movere non præſumeret, nec ipſi prætextu occaſionis hujuſmodi diſpendia vel injurias irrogaret: forma quoque pacis hujus nobiliſſimis Domino *Romanorum* Regi & Domino *Johanni* **Baſſet** de conſenſu partium diſcordantium compromiſſo vallata, commiſſa eſt per modum arbitrii proferenda. Acta ſunt hæc xv. die Junii datis interim triduanis induciis, quod Comes cum complicibus ſuis & univerſa ſupellectili urbe egrederetur, & ne forte inter alternas partium familias contentio moveretur, contraRegis ingreſſum ut univerſa civitatis hoſpitia vacuarent.

Pace facta inter Regem & Comitem, civitas Lond. Regi traditur.

L Rex

Rex civitatem ingressus, venia conjurantibus indulta stipendiarios dimittit.

Rex itaque post triduum cum universo exercitu civitatem ovanter ingressus, adhibitis tam in ea quam in turri custodibus de quibus potissime confidebat, ipsam de cætero cautius muniendam ac conservandam esse decrevit. Veruntamen civibus ipsis qui de admissione Comitis supradicti ad excusandas excusationes in peractis aliquantulas poterant prætexere rationes, id est quod expediret potius quam deceret, attendens admissis ratiunculis sub dissimulatione quadam, indulta misericorditer venia condescendit.

Quinetiam justitiæ misericordiam, quæ superexaltat judicium, anteponens, *Johannem* **Deyvill**, *Robertum* de **Wyleby** cum complicibus eorum universis & singulis qui relictis insulanis, ut prætactum est, ut Comiti cohærerent civitati *Londoniarum* impudenter se immerserunt, admisit ad gratiam, & omni quam prius meruerant indignationem sepulta, literas veniales Sigillo Regio consignatas in perpetuæ reconciliationis argumentum non solum clementer, sed & curialiter erogavit.

Igitur Rex stipendiarios fere cunctos, quos de partibus transmarinis frustra traduxerat, solutis affluenter stipendiis ad propria repedare permisit, & cum indigenis sibi cohærentibus usque festum Sancti *Jacobi* Apostoli *Londoniis* continue morabatur, & diuscule (ut assolet) tractatibus de Regni moderatione pertractans, nihil memorabile vel famosum quoad Regni commoditatem gessit in opere, sed & victualium civitatis deditæ pauculas reliquias inutili sibi familia cohærente consumsit.

D. Edward. consensu clam habito Nicolai de Segrave Eliensem Insf. in potestatem Regiam redigit.

Porro Dominus *Edwardus Eliensis* provinciæ desolationem toto corde combibens, ut perfidos occupatores militaribus ausibus oppugnaret, arte simul & viribus duxit utendum. Quippe contra sceleftissimos prædones illos viros cautela juvare turpe dici non debuit, sed potius virtuti fuerat asscribendum, cum circa hostes reipublicæ triumphus fidei debeat anteponi: quippe pio studio satagens pro publica Regni commoditate tantæ multitudinis impetuosos ausus atterere, præmeditata fretus solertia cum Domino *Nicholao* de **Segrave** ut curatore ejusdem, cui cujusdam propugnaculi seu pessulariæ, quæ volentes ab ingressu insulæ potissime coercebat, commissa fuit custodia, clam collusit, ne quid per eam pateretur impedimenti quo minus prosperaretur in his quæ animo jam conceperat, & ad effectum perducere conabatur, cumque super hoc securitate fideque firmissima fulciretur, contracta secum bellatorum manu non modica, *Ramesiense* monasterium, quod paludosæ provinciæ contignatur, adiit, & populos ejusdem provinciæ sibi conjunxit pollicitationibus simul & præmiis demulcendo, quod mortis discrimina non verentes, si, quod absit, necessitate vel infortunio cogerentur, secum commori non negarent: provinciales itaque qui navigando pariter & deambulando paludis illius amplissimæ abditissima loca frequenti perscrutatione cognoverant, vias abditas pontibus arundineis per loca prius intransibilia artificiose compositis præparabant, & naturæ defectus artis beneficio suppleverunt: unde factum est tam equitum quam peditum multitudo quasi per aridum tutissime transmearet. Huic artificio accedebat in adjutorium æstivi temporis siccitas biennalis, quod loca prius madida adeo, ut ante hoc tempus fuerunt incalcabilia, præmunitione fortioris sic fuerunt arefacta, quod vere dici poterat, digitus Dei est hic. Itaque supradictæ copiæ militares ostensa sibi per provinciales itinera sub tanti clypeo Capitanei peragrare minime formidantes, connivente sicut pepigit Domino supradicto, propugnacula supradicta seu pessularias nullo prorsus rebellante transibant, & ignorantibus insulanis infra terminos insulæ prælibatæ jam in solido consistentes, interlabente tamen modico fluviolo quem facile immissis manipulis arundineis, quorum eis affluenter copia suppetebat, sine quolibet obice poterant pertransire, intuentibus cæteris insulanis stuporem pariter & timorem incusserunt. Unde factum est ut repentino tantorum hospitum adventu non præcognito pavefacti, ad defensionem propriam seu resistentiam faciendam pigrius moverentur; veruntamen ne nil agere viderentur, quantulamcunque balistariorum & sagittariorum

rum turmam præmiſerunt ad amnem, ut parantibus ſibi tranſitum jaculorum officio vel in modica propulſatis, nobiles cæteri poſſent interim ſe ſuaſque evectiones loricis induere, & aſſumtis cæteris armamentorum generibus adventantibus ex inopinato adverſariorum copiis prælium vel inferre vel accipere, ſed hoc fruſtra: quippe Dominus *Edwardus* baliſtarios & ſagittarios ſuos ex adverſo fluvioli repenſuros ſupradictis ſagittariis talionem ſagaciter ordinavit, ne forte præ defenſionis penuria tam ſalubri propoſito fraudaretur; ſane cum parato pene tranſitu exercitus ſcienter affectans cum inſulanis, quos eminus quaſi paratos ad prælium adventare proſpexit, inire conflictum, ecce Dominus *Edwardus* edicto publico denunciavit eiſdem, quod ſiquis quempiam de ſuis invaderet, vel ipſum quo minus cœptis inſiſteret quocunque rebellationis obſtaculo præpediret, capitis detruncatione vel ſuſpendio plectere- tur, ſi ſibi triumphus, quod nemo poterat ambigere, forte bellica proveniret. Quo audito dilapſa penitus & ſopita priſtinæ ferocitatis audacia, univerſi ſimul, & ſinguli ſubita conſternatione conterriti, ſupina protinus feritate neglecta demiſſis capitibus incedentes agninam manſuetudinem induerunt,& quod nec prius audire poterant, ejus ſe gratiæ, quæ cunctis ſemper extitit gratioſa, voluntarie ſubmiſerunt. At ipſe indulta ſibi ſub diſſimulatione venia, quod tum, ut verum non taceam, multiplici ratione demeruerant, vix biduanis conceſſis induciis ut cum ſacrilega prædarum ſuarum coacervatione, civitate ſimul & inſula deditis vacuarent, non ſine confuſione & dedecore univerſi pariter egredientes, provincialibus ad propria reſtitutis, & priſtina libertate gaudentibus, non mediocrem lætitiam reliquerunt. At victor exercitus cum triumphali tripudio ſignis præ gaudio concrepantibus civitatem ingreditur, civibus univerſis cum pauculis monachorum reliquiis Regi Regum gratias exſolventibus, qui ſub futuri Principis patrocinio civitatis & provinciæ condolens afflictionibus, ſpurciſſimam gentis nefariæ comitivam abradens, libertate reddita, ab eorum humeris importabile ſervitutis jugum excuſſit. Fama prævola per totum Regnum modico tempore divulgata fautores Regios non mediocri lætitia circumfundens, quanto gratius in auribus eorum inſonuit, tanto moleſtius adverſæ partis viſcera contriſtavit. Obtento quidem circa feſtum Sancti *Jacobi* Apoſtoli tam fœlici triumpho, ſedatis jam per *Angliam* priſtinarum turbationum motibus procelloſis, in cunctis Regni finibus ſucceſſit optata tranquillitas, & evaneſcente turbationis nubilo pacis ſerenitas eluceſcens incolis bonæ voluntatis gratius arridebat, ſuccedente meſſium tempore, præconizato per totum Regnum *Angliæ* generali pacis edicto, nobiles ſinguli ad propria redeuntes, & pro loricis veſtes laneas induentes conflabant gladios ſuos in vomeres, & lanceas ſuas in falces, & præliorum exercitationem in canum & accipitrum ſolatia commutantes, ut otiis vacare vel negotiis libere poſſent indulgere.

Pax per totam Angliam.

Nec enim ſub ſilentio ſepelire debemus, quam clementer univerſorum moderatrix ſapientia Regni noſtri turbationis incommode conquaſſata diſpendia decompenſans, poſt tantarum conquaſſationum tædia largifluam omnimodorum conceſſit fructuum ubertatem, ut plebs prius inermis & languida jam prælatorum oblita malorum ſederet ſuper ollas carnium, & comederunt panes in ſatietatem, vina inſuper *Aquitanica* abundantiſſime deferebantur in Regnum, & exili pretio venundata vacua prius promptuaria repleverunt, & excitatus tanquam dormiens Dominus, & tanquam potens crapulatus à vino, & eduxit panem de terra, & vinum quod lætificat non ſolum cor hominis, ſed ut legitur in libro judicum, Dei & hominis, & completum videbatur illud prophetæ vaticinium, Date vinum his qui amaro ſunt animo, bibant & obliviſcantur egeſtatum eorum. Cæterum elapſo jam quinquennio in diverſis præliis & conflictibus in arido pariter & in ſalo tanta ſtrages facta eſt hominum *Anglicorum*, deprædationes, rapina, furta, ſacrilegia, perjuria, multifariaque proditionum aliorumque vitiorum genera perpetua, quod inter fas & nefas virtutes & vitia honeſtum & inhoneſtum vix modica fuit diſcordia, ſed lege

Magna rerum omnium copia.

per Regis impotentiam languescente, licitum erat unicuique facere quod volebat: sed huic morbo tam pestifero salutare providit antidotum sapientia Dei patris, ac si à piis fidelibus diceretur, recordare Domine Testimonii tui, & dic Angelo percutienti, cesset jam manus tua, ut non desoletur terra, & ne perdas omnem animam vivam.

Torneamenta celebrantur.

Elapso tempore vindemiarum & messium, & rutilante pacis sereno, *Anglicanæ* militiæ juventus ingenua jam præliis assueta, dum quietem aspernerent & otia, pro ostentatione virium & exercitatione præliorum, ne forte desidia milites contabescere viderentur, in armorum exercitia conflagrabant, & cooperantibus duobus Regis *Angliæ* filiis, nec non illustris *Romanorum* Regis primogenito, edicto publico præconiabantur præliorum præludia, quæ vulgari nuncupatione *torneamenta* consueverant appellari; certisque diebus & locis ad hoc tam de indigenis quam alienigenis adventantes copiæ militares sub confectione qualibet prætaxatis congressibus intendebant, & licet temporibus retroactis consuevissent per Regiam prohibitionem torneamenta frequentissime retardari, effrenatus tamen fervor procerum prohibitionibus hujusmodi deferenda non duxit opportunum, quinetiam hoc anno tot in Regno celebrabantur hastiludia, quot ad decem & amplius retro annis in *Anglia* non fiebant, ita ut uno eodemque die diversis in oppidis vix per unicam diætam distantibus, viz. Warewyke & Brakkele diversi tyronum cunei tornearent.

Decimæ Ecclesiasticorum, paucculis exceptis, à Papa Regi sunt concessæ.

Et ne Clericorum marsupia sacculis laicorum abundantius intumescerent, sed esset Cleris sicut & populis, summus Pontifex excedens potius, si fas sit dicere, potestatis plenitudinem, quam excercens, inaudito contributionis genere *Anglicanam* Ecclesiam concedendo Domino Regi *Anglorum* decimam partem omnium bonorum & proventuum annuorum, tam Clericorum, quam religiosorum, paucis religiosis duntaxat exceptis, quicum ne cum aliis contribuerent, & sic sua læderent privilegia, inestimabili data pecunia redimenda duxerunt, & non solum sub antiquam vel pernequiter innovatam taxationem decimas suas unius anni reddere sunt coacti, sed & trium annorum sub decimatione verum & plenum rerum suarum valorem singuli persolvebant, & ut voluntariis motibus suis æqui vel saltem honesti colorem superduceret, & innatam *Romanis* cupidinem qualicunque tegmine palliaret, non causam confinxit ut causam viz. quod quia populus multiformi jactura coarctatus Regis dispendia relevare non posset, vel potius non sineret ad hoc se legis metu vel potentia Regis coerceri, Clerici saltem ipsius defectibus pietatis studio condolentes sua nimia dispendia resarcirent: veruntamen quanquam sic confictis ratiunculis potuissent induci, indecens & iniquum decerni debuit voluntarias contributiones eis imponere, cum potius debuisset eis nomine precario supplicasse, ut propria voluntate quam gratis vellent, sibi certam concederent pecuniæ summam. Quippe per exitum negotii manifestis clarebat indiciis innata *Romanis* prudentia serpentina; nam tandem non modicam illius decimæ portionem pro recompensatione annui tributi, quod Rex Domino Papæ nomine subjectionis solvere consuevit, à cujus solutione toto turbationis tempore cessabatur, in augmentum Papalis ærarii assignare non erubuit; & magistrum *Simonem* Camerarium suum ejusdem pecuniæ receptorem destinavit in *Angliam*, cui, ne de proprio solverentur expensæ, quo Papalium sacculorum quantulacunque portione contingeret exhauriri, de singulis domibus religiosis totius Regni singulis diebus septem solidos assignavit procurationis nomine percipiendos. Dominus *W.* Archiepiscopus *Eboracensis*, Inthronizatus est in festo omnium Sanctorum apud *Eboracum*. Eodem anno

Joh. Winton. Episc. ob.

obiit *Johannes Wintoniensis* Episcopus in Curia *Romana*, qui sub expectatione gratiæ summi Pontificis in eadem Curia morabatur, quo defuncto Dominus Papa Episcopatum *Wintoniensem* contulit magistro *Nicholao* de Ely tunc *Wigorniensi* Episcopo: at ille summa cum hilaritate priori sponsæ, formæ venustioris seu potius potioris captus illecebra, valedixit. Monachi quoque *Wigornienses*

gornienses electionis liberæ licentia jam obtenta, Ecclesiæ viduatæ præsulem idoneum præficere cupientes, magistrum *Godfridum* Giffard venerabilis patris Domini *Eboracensis* germanum, tunc Domini Regis Cancellarium, in patrem & pastorem unanimiter elegerunt, qui nimirum à Domino Rege gratanter admissus, sublata qualibet resistentia, à Domino *Cantuariensi* canonice confirmatus munus consecrationis usque ad tempus congruum expectabat.

MCCLXVIII. 1268

Anno quo summi patris unigenitus semetipsum exinanivit formam servi accipiens MCCLXVIII. optatæ tranquillitatis firmitudine in cunctis *Angliæ* finibus solidata, venerabilis Pater *Octobonus* tunc Legatus in *Anglia*, convocatis universis & singulis Regni Prælatis tam majoribus quam minoribus qui quocunque prælationis titulo præsidere videbantur, annuente Christianissimo *Anglorum* Rege *Henrico*, in Quindena Paschæ quæ ipso anno contigit VI Id. Aprilis, in Ecclesia Cathedrali Sancti *Pauli* London solemne concilium cum magnificæ potestatis gloria celebravit, in quo constitutionibus ultimi prædecessoris sui *Ottonis* Sancti *Nicholai* in carcere *Tulliano* Diaconi Cardinalis, dudum Apostolicæ sedis Legati in *Anglia*, summarie cõnfirmatis, novas quas ipsemet edidit constitutiones conspectu multitudinis legi fecit in pulpito, & publice divulgatas inviolabiliter observari constituit, & earum Copiam Pontificibus exhiberi decrevit, eas à prælatis qui tunc præsentes extiterant & eorum posteris memoriter observandas, cumque quidam de Pontificibus & aliis junioribus prælatis prospicientes, & si possent præcavere volentes quasdam ex jam editis constitutionibus, quæ eorum jurisdictioni plerumque diminuere vel lædere viderenter, propter quod injuncta sibi eorundem observantia eorum animos potissime titillabat, summi Pontificis audientiam appellabant. At Legatus diem crastinum præfixit appellantibus, ut interim deliberarent an tota communitas appellationem interpositam prosequi vellet vel à proposito desilire; sed interim Prælatos singulariter scifcitatos prudenter alloquebatur & sic eorum motus voluntarios obtundebat, ut omnes in crastino vel sponte vel metu interjectis appellationibus resilirent. Legatus autem omnibus pro voluntate dispositis convocatæ multitudini licentiam tribuit ad propria repedandi.

Octobonus Legat; constitutiones Ottonis confirmat & alias addit.

Statimque Pontifices prout eis prætextu constitutionum prædictarum in concilio eodem sub terribili comminatione fuit injunctum, singuli singulos Clericos suarum Diocæsium, plura quoque titulo possidentes beneficia certis diebus & locis fecerant evocari, prævilegia seu dispensationes suas, si quas habebant, super beneficiorvm pluralitate sub pœna privationis eorundem sublatis appellationibus ostensuros, ex quo Pontificum, qui non solum animarum sed pecuniæ zelum habuerunt, accrevit ærarium, dum quidam, quorum dispensationes minus sufficere decernebant, data pecunia pacem redimere sibi cogerentur. Forte quidem Legatus exemplo prædecessoris sui territus, qui pro consimili quam Clericis *Angliæ* moverat questione dum venisset Oxon, à scholaribus ejusdem municipii terribiliter infestatus, quodam de nepotibus suis interfecto, vix mortis periculum evadebat, saniora meditans cum Clericis Regni nostri super pluralitate beneficiorum timuit disceptare, quamobrem disceptationem hujusmodi Pontificibus tradidit exequendam, porro pretio vel timore modico lapsu temporis dicta Clericorum vexatio penitus conquievit. Episcopus *Wintoniensis* in festo Pentecostes solenniter inthronizatus convocatis multis Regni Magnatibus solenne convivium *Wintoniæ* celebravit.

Quæstio fit de pluralitate beneficiorum.

Die dominica in festo nativitatis Sancti *Johannis Baptistæ* convenerunt Porthamton Dominus Legatus, Dominus *Wintoniensis* & *Anglicanæ* militiæ innumerabilis multitudo, ibique solemne prædicatione facta Dominus *Edwardus*, & Dominus *Edmundus* frater ejus serenissimi Regis *Anglorum* filii, Dominus *Henricus* illustris *Romanorum* Regis primogenitus, nobiles viri Comites *Glouцestriæ*, & *Waremiæ*, Dominus *Willielmus* de *Valentia*, & alii milites Regni no-

Edward. & Edmund. Regis fil. cum aliis Baronibus expeditionem designant ad terram sanctam.

ſtri uſque ad centum & viginti, piæ devotionis ſtudio ſatagentes terræ Sanctæ diſpendia, quæ per depopulationem nobiliſſimæ civitatis *Antiochiæ* nuper captæ per *Saracenos* fuerat multipliciter deſolata, ſuæ probitatis viribus reſarcire, redemtoris noſtri cruce triumphali in ſignum futuræ peregrinationis ſuos humeros inſigniebant, & utriuſque ſexus populus infinitus tot nobilium excitatus exemplo, non ſolum nobilium ſed ignobilium perſonarum cunei quaſi concertantes ad crucem accipiendam alacriter cucurrerunt, de numero militum prædictorum XXII. majores cæteris & nobiliores extiterant, quos vulgariter vexilliferos apellamus. Conſimili quoque devotionis inſtinctu, facta per totum Regnum in civitatibus burgis & villis per fratres prædicatores & minores diſſeminatione verbi crucis *Chriſti*, plebeia multitudo, quas nemo dinumerare poterat, eodem crucis charactere ſuos humeros adornabant.

Legatus transfret. in Galliam.

Statimque Legatus regreſſus inde *Londonias* ſe ſuamque familiam ad transfretandum celeriter accingebat, & claſſe parata auro & argento *Anglicano* nondum ſatiatus licet onuſtus, non vacuis ſed tumentibus ſacculis circa feſtum Sanctæ *Margaretæ* virginis transfretavit in *Galliam*, verſus limina beati *Petri* congruo tempore proceſſurus.

Rex Roman. in Alemanniam transfret.

Romanorum quoque Rex illuſtris, deterſa jam Captivitatis ignominia, flagranti deſiderio geſtiens videre *Teutonicos*, & Regni ſui negotia, quæ diuſcule captivato principe pendule vacillaverant, ſalubrius ordinare, II. Nonas Auguſti *Anglia* pro tempore derelicta jam quarta vice poſt electionem de eo factam in *Alemanniam* transfretavit, rebus pro voto diſpoſitis in *Angliam* reverſurus.

Viceſimæ Eccleſiaſt. Regi ſolvendæ imponuntur, ut exhæredatis terræ ſuæ reddantur.

Eodem anno Rex ſano fretus concilio promiſit & ſtatuit, quod exhæredati, quorum terras minus conſulte diverſis perſonis contulerat, data pecunia ſuas redimerent poſſeſſiones, qua ſoluta chartas Regias quas eis indiſcrete conferat ſinguli ſingula reſignarent, & exhæredati Regis gratiam conſequerentur ad plenum. Annuentibus Epiſcopis qui præ puſillanimitate contradicere non audebant nec reſiſtere, non gratuito ſed per illicitam extorſionem conceſſum eſt, quod Clerici totius Regni viceſimam partem beneficiorum ſuorum tribuerent in ſubſidium exhæredatorum, aſſignandam Domino Regi, ut rancorem quem contra ipſos conceperat gratioſe remitteret, & illatas injurias penitus perdonaret, & licet afflictis non eſſet afflictio ſuperaddenda, decimarum contributio triennalis obſtare non potuit, quin viceſimam tam nequiter extortam inviti ſolvere cogerentur. Et licet pecunia proveniens de decimis Clericorum annuos reditus, qui de exitibus totius Regni Domino Regi proveniunt, excedere viderentur, in modico vel in nullo accrevit ærarium, dum conſueto prodigalitatis genere, per Regis imperitiam largiretur indignis, & quaſi ros mane pertranſiens, vel nebula ore ſolaris radii rarefacta, vel quaſi fumus evaneſceret inutiliter diſperſa vel collapſa. Eodem anno circa feſtum Sancti *Andreæ* Apoſtoli antequam Legatus noſter veniſſet

Clemens Pap. ob.

ad Curiam, venerabilis Papa *Clemens* carnis mole depoſita hominem terrenum exuit, eorum ut ſane credi poterit collegio ſociandus in cœlis quorum miniſterio fungebatur in terris, de quo rem memorabilem ad poſterorum memoriam tranſmittere dignum duxi, quod dum vitæ præſentis incolatu pontificio fungeretur, nec prece nec pretio per quoſcunque flecti potuit, ut cuiquam de mundo diſpenſationem de pluribus beneficiis obtinendis concedere dignaretur. Facta eſt ſolemnis enthronizatio Domini *Wigornienſis* Epiſcopi apud *Wigorniam* in feſto Natalis Domini. Circa idem obiit *Petrus Herefordenſis* Epiſcopus, *Johannes* le *Breton* vir providus & honeſtus ad eandem ſedem a Canonicis ejuſdem Eccleſiæ unanimiter eſt electus circa feſtum Epiphaniæ, & ſtatim pro confirmationis munere conſequendo ad partes ſe contulit tranſmarinas: Dominus quippe *Cantuarienſis* cui jure Metropolitano competit electorum confirmatio, in remotiſſimis tunc *Galliæ* finibus illectus natalis ſoli dulcedine morabatur. Igitur anni præſentis eventibus exaratis, anni ſequentis ſeriem brevitate qua convenit percurramus. MCCLXIX.

MCCLXIX. 1269

In Parliamento de Judæis actum est.

Anno quo ſapientia patris increata, ut mundo viſibili appareret, noſtræ mortalitatis chlamidem induebat, MCCLXIX. convocata London in quindena Paſchæ magnatum *Angliæ* multitudine copioſa, Rex cum proceribus ut aſſolet diuſcule, ſed tamen nugatorie pertractando, vix aliquid memorabile geſſit in opere, niſi quod de conſiliariorum ſuorum proviſione ſtatutum eſt, Domino *Edwardo* & Domino *Henrico* potiſſime laborantibus,& publice divulgatum, quod *Judæi*, qui hactenus *Chriſtianos* intolerabiliter oppreſſerant prætextu feodorum annuorum, in quibus ſimplices *Chriſtiani* cautela *Judæorum* ſæpiſſime circumventi eis tenebantur per chartas ſuas ſtatutis terminis obligati taliſmodi feoda de cætero haberent, quinetiam munimenta, quæ *Judæi* ſuper feodis hujuſmodi poſſidebant, *Chriſtianis* ſine contradictione qualibet redderentur.

Edm. fil. Regis filiam Comitis Albemarle uxorem ducit.

Eo ipſo tempore nondum ſoluto Parliamento, Dominus *Edmundus* Regis *Angliæ* poſthumus unicam filiam Comitis Albemarle, cui ex ſucceſſione paterna Comitatus Albemarle, cujus reditus & proventus non exiles ſed ampliſſimi dignoſcuntur, & ex materna Comitatus de *Now.* & dominicatus inſulæ jure hæreditario competebat, ſolemni ſibi matrimonio copulavit.

Henr. Regis Rom. fil. uxorem ducit filiam Gaſconis de Byerra.

Dominus *Henricus* Regis *Alemanniæ* primogenitus,annuentibus,& potiſſime cooptantibus, Domino Rege *Anglorum*, & Domino *Edwardo*, die Martis proxime poſt feſtum Sancti *Dunſtani*, filiam nobilis viri *Gaſconis* de *Byerra*, cui præ cæteris *Aquitaniæ* magnatibus, quæ vulgari nuncupatione *Vaſconia* dicitur, in divitiis & potentia nec non terrarum latitudine nullus potuit æquiparari, matrimoniali ſibi fœdere counivit, ſub expectatione paternæ hæreditatis, cujus non modica portio hæreditario jure novæ nuptæ competere dicebatur. Dominus *Johannes* le Breton *Herefordenſis* Electus, die dominica in feſto Sancti *Auguſtini* *Anglorum* Epiſcopi in Monaſterio de Waberle *Ciſtercienſis* ordinis, conſecrationis munus accepit, & ſtatim Pontificatus infula decoratus verſus partes ſe tranſtulit *Marchienſes* inthronizationis ſuæ ſolemnia completurus.

Rex Rom. inhibet magnam licentiam exigendi portoria ſuper Rhenum.

Romanorum quoque Rex illuſtris inferioribus & ſuperioribus partibus peragratis, perpendens quod dum in *Anglia* pro fratris ſui Regis *Angliæ* juvamine morabatur, furioſa *Teutonicorum* inſania, quorum munitiones inexpugnabiles ſuper alveum *Rhenum* conſiſtere dignoſcuntur, quietis impatiens & acquirendæ pecuniæ ſeu potius extorquendæ tam avida, quod pro ea congerenda nullum genus facinoris exhorreſcat, de ſingulis puppibus quæ per crepidinem fluminis ſupradicti victualia ſeu quæcunque mercimonia deferebant, & per munitiones antedictas, quas evitare non poterant, deſcendere cogerentur, inſoluta prorſus intolerabilia pacagia quæ vulgo thelonea nuncupantur, nec Dei timore nec Regis reverentia coerciti ſinguli ſingulariter extorquebant, unde factum eſt quod vili pretio venderentur, morbo tam peſtifero ſalubre ſtuduit adhibere remedium, & facta ſtatim in urbe *Wormatia* principum & magnatum *Alemanniæ* convocatione non modica, cœpit cum eis mutuo pertractare qualiter ſalubrius, & melius deſolatæ provinciæ poſſet oppreſſionibus obviari, ut pertuſa veſpillonum rabie pertinaci ſuccederet optata tranquillitas ſuper *Rhenum*, & neceſſarium incolis commeatum non contingeret impediri. Sane proſpiciens tam ſalubre propoſitum ſagacitate potius quam viribus ad effectum poſſe perduci, cives vicinarum urbium qui de mercimoniis vivere conſueverant, & potentiores Regni unanimi fœdere colligatos juriſjurandi cautione præſtita counivit, quod ſi quis in poſterum, quantæcunque foret præeminentiæ, ſupradicta thelonea præſumeret extorquere, ſtatim omnes & ſinguli contractis undequaque viribus invicem conglobati ſub mulcta intolerabili irruerent in rebellem, munitiones ipſius ſolo tenus complanando, terris & poſſeſſionibus ipſius uſque ad exterminium depopulationis extremæ crudeliſſime devaſtandis, excepto duntaxat *Veropardienſis*, & *Werdenſis* oppidorum conſueto telonio quod ex antiquo jure *Romanorum* Regibus incumbere conſuevit. Igitur *Teutonici* ſublato tantæ oppreſſionis incommodo

commodo glorificabant Regem, & ipfius fapientiam multipliciter commendabant, quinetiam rei geftæ divulgatio per univerfas orbis provincias Regiæ majeftatis titulum mirabiliter illuftrabat. Gavifa eft univerfaliter bellicofa *Germania* excuffo jugo diutinæ fervitutis, & omnimodarum rerum mercimonia faciliori pretio vendebantur.

Rex Rom. filiam nobilis Germani in uxorem ducit.

Rex igitur, his & aliis Regni negotiis pro devoto difpofitis, illud Apoftolicum, *melius eft nubere quam uri*, fana mente combibens, & ut Regiam condecet majeftatem lumbos fuos caftitatis balteo coarctaret; & caute profpiciens quod fi de indigenis Regni fui fibi copulaffet uxorem, Regnicolarum fuorum animos potiffime complacaret, nobilem quandam filiam clariffimi viri Domini *Theodorici* de **Falkemorite** non ambitu dotalitii, fed incomparabilis formæ ipfius captus illecebra XVI. Kal. Julii fcil. Dominica proxima poft feftum Sancti *Barnabæ* Apoftoli folemni fibi connubio copulavit,& imperiale palatium fuum *De Lucro*, quod diverfis in Regnis comparationem recipere dedignatur, nuptiali folemnitate convocatis ibidem non paucis *Germaniæ* magnatibus illuftrabat, ftatimque novæ nuptæ decor ingenuus fic Regii cordis intima transfigebat, ut nec eam unica nocte cujufcunque rationis prætextu à fuo permitteret latere feparari:evolutis quoque non multis diebus idem Rex non folum natalis foli, ut plerique, illectus dulcedine, fed ut *Auguftæ* fuæ in qua fibi ni fallor ita complacuit, quod pro ea complacanda nihil fibi videri poffet laboriofum, prædiorum & poffeffionum fuarum, quibus in *Anglia* multiplurimum abundabat, gloriam & magnificentiam oftenderet, verfus fines *Angliæ* recto tramite, feftinatifque greffibus procedebat, & III. Non. Augufti jam quarta vice poft coronationem fuam applicuit **Dovor** occurrentibus fibi non paucis Regni magnatibus, quorum finguli, prout decuit, Regem, & Reginam pro fuarum poffibilitate virium fingulariter honorabant.

In Angliam revertitur.

Decimæ in quartum annum continuantur.

Circa idem tempus Rex *Anglorum*, cui, ficut prædiximus, Dominus Papa decimam Clericorum fub verum fuum valorem minus fane, fi liceret dicere, diu ante conceflerat, perpendens quod ne antiqua beneficiorum taxatio, nec *Walteri Norwicenfis* Epifcopi taxatio nequiter innovata verum valorem poffet attingere, peffimis peffima fuperaddens, Pontificibus, qui fe pro fubditorum defenfione murum inexpugnabilem exponere debuiffent, annuentibus, nec non in modico contradicentibus, tandem extorfit, ut pro recompenfatione veri valoris non percepti, per triennium decimam quarti anni finguli reddere cogerentur; quinetiam quantumcunque grave vel onerofum foret exfolventibus, uno & eodem decimationes duplices reddiderunt; nec mirari debemus fi Pontifices noftri avaritiæ vitio intoxicati prætaxatis extorfionibus, ut deceret, fe opponere non curarent, præfertim cum finguli fuarum Diocœfium decimationes, ut eis exinde quafi negotiationis titulo commoda provenirent, pro certa pecuniæ quantitate ducerent redimendas, quinimo in exigendis feu colligendis dictorum decimalium præftationibus tanto improbiores effecti funt, & exquifitiori ftudio laborarunt, quanto propriis marfupiis defiderata pecunia profpicerent propenfiori pondere cumulandam.

Rex Henr. transfert Reliquias Edward. Confeff.

Dominus Rex *Anglorum Henricus* piæ devotionis inftinctu, non patiens ulterius venerabiles reliquias beatiffimi Regis *Edwardi* Confefforis, quem præ cæteris Sanctis fpeciali quadam veneratione dilexit, locello quodam humili recubare, ut lucerna tam fulgida diutius tecta fub modio lateret, fed ut celfius erecta fuper candelabrum ingredientibus & egredientibus fpirituale lumen copiofius erogaret, tertio Id. Octobris, quæ dies anno ipfo contigit in dominica, eo fcil. die quo multo tempore retroacto prius in fcrinio minus pretiofo fuerat allocatus, convocatis unverfis *Angliæ* prælatis & magnatibus, nec non cunctarum Regni fui civitatum pariter & burgorum potentioribus, ut tranflationis folemnia celebrius illuftrarent; confluente pariter plebeiæ multitudinis turba non modica, venerandas illas reliquias de veteri fcrinio transferens in fublime, in confpectu tantæ multitudinis fuis & fereniffimi fratris fui *Romanorum* Regis humeris fupportandas appofuit, nobilibus filiis fuis Domino

Domino *Edwardo*, Domino *Edmundo*, Domino Comite *Waremiæ*, Domino *Philippo* Baſſet, & pluribus aliis Regni proceribus, quotquot manus apponere poterant ad onus tam nobile ſupportandum in adjutorium evocatis, & in auri ſcrinio præcioſiſſimis lapidibus adornato in loco ſupereminenti cum ea qua decuit reverentia collocavit. Acta ſunt hæc omnia in Eccleſia Conventuali monaſterii *Weſtmonaſterienſis*, quam idem Rex opere ſumptuoſiſſimo fabricatam, amota prorſus veteri quæ nullius omnino valoris extiterat, de propriis fiſci Regalis exitibus à fundamentis conſtruxit, quæ quidem ſumptibus pariter & decore ſic cæteris per orbem Eccleſiis præponi decernitur, ut videatur comparem non habere. Eodem die monachi *Weſtmonaſterienſes* infra novam ſtructuram prima vice divina myſteria celebrabant, nec defuit in Regis palatio, poſt executa tranſlationis inſignia, tam ſolemne convivium quod admirationi cunctis eſſe poterat & ſtupori.

Viceſima mobilium omnium Laicis imponitur.

Celebrata tandem tantæ tranſlationis ſolemnitate cœperunt nobiles, ut aſſolent Parliamentationis genere de Regis & Regni negotiis pertractare, in quo Regis aſtutia, imo ut verius dicam extorſionis cupidinoſæ eruca prævalente, annuentibus Regni majoribus, vel contradicere non audentibus, conceſſum eſt quod de univerſis laicorum mobilibus per Regnum *Angliæ* ſibi viceſima ſolveretur, ut non ſolum ut prædiximus Clericorum marſupia per quadriennalem decimarum extorſionem vacua redderentur, ſed & Regis inſatiata cupido laicorum medullas profundiſſime ſcrutaret, quod & equitatis lance librata contigiſſe dignoſcitur, ut laici, qui cum deriſione maxima Clericorum damnis applaudere conſueverant, ſic propria demum diſpendia deplorarent, & licet in cunctis Regni comitatibus certæ fuiſſent per Regis conſiliarios aſſignatæ perſonæ ad dictam viceſimam colligendam, non potuit tamen pecunia proveniens ſubito congregari, ſed protracta eſt taxatio pariter & collectio uſque quadrageſimam, & æſtatem ſequentem, unde orta eſt in populo murmuratio in prælio fortiter invaleſcens; quippe dum taxatores, vacuatis interim horreis & quadupedibus mortuis vel occiſis, ea quæ tunc invenerant taxare vel æſtimare rationabili pretio voluiſſent, Regia cupiditas, tali taxatione ſeu pretio non contenta, compulit ut ſecundum fere verum valorem prout in feſto Sancti *Michaelis* proximo præcedente, quæcunque bonorum genera habebant mobilia pariter & immobilia taxarentur, unde factum eſt, ut dicto murmure non obſtante, quod primo conceſſum fuit ex gratia, quaſi neceſſitate, cui contradici non potuit, non ſine maximo plebis gravamine ſolveretur; & licet innumerabilis inde pecunia proveniret, in modico vel in nullo videbatur Regis ærarium augmentari. Porro per proceres & prælatos, qui tantæ contributioni nimium præbuerunt aſſenſum, non modica portio pecuniæ ſupradictæ in ſubſidium peregrinationis Domini *Edwardi* in terram ſanctam ſalubriter fuerat aſſignata.

De qua populus murmur.

Com. Glouceſt. ſub ſpecie metus ab Edwardo Parliamentum adire recuſat.

Circa idem tempus Comes *Glouceſtrenſis* minus ſano, ſicut à pleriſque dicebatur, fretus conſilio tractatus ſeu Parliamenta Regis & procerum, cum quibus fuerat evocatus, & inter quos primus eſſe debuerat, accedere recuſabat; confingens ſibi cauſas abſentiæ, & frivolas excuſationes, viz. quod Dominus *Edwardus* ſubdolas ſibi machinabatur inſidias, ut non venientem ad Curiam captivaret in dolo, propter quod contractis viribus, ſpretis Parliamentis in loca ſe repoſuit tutiora. Sane Dominus *Edwardus* piæ devotionis inſtinctu ſatagens peregrinationis ſuæ votum in terram ſanctam, pro quo vivificæ crucis ſigno triumphali una cum Comite ſupradicto, & aliis Regni proceribus, ſuos humeros inſigniverat, adimplere, nihil aliud à Comite ſupradicto petebat, prout claruit ex poſt facto, niſi quod ſecum votum peregrinationis aſſumptæ perduceret ad effectum. At Comes cauſatus eſt terris ſuis, quæ *Walliæ* contignantur, & quæ tunc temporis à *Wallenſibus* fortiter fuerant impugnatæ, depopulatis provinciis, & caſtris ſolo tenus complanatis periculum metuere, ſi vacuatis Regni limitibus ipſas hoſtibus expoſitas relinqueret indefenſas.

Edward. & C. Glouceft. fubmittunt caufam fuam arbitrio Regis Roman.

Poft multas tandem altercationes, ne tam modica diffentio vehementius excandefcens alterius partibus fufcitaret incendium, quo nova per Regnum turbationis incommoda pullularentur, Romanorum Rege fereniffimo, Domino *Henrico* primogenito, prælatis, & aliis Regni proceribus tranquillitatem Regni zelantibus mediatoribus effectis, Dominus *Edwardus* & Comes antedictus dicti *Romanorum* Regis arbitrio, quod dictum Regis vulgariter approbavit, fe voluntarie fubmiferunt, & compromiffum ipfum non folum figillorum munimine roborarunt, fed fub mulcta intolerabili jurisjurandi cautione præftita vallaverunt. Eventibus igitur anni fexagefimi noni pro noftræ capacitatis modulo recitatis, ftili noftri paupertas mendica quiefcat, ut anni fequentis feries pauculis evoluta ad pofterorum memoriam traducatur. Obiit *Editha* de *Weyka* VI. Id. Januarii.

1270

MCCLXX.

Rex Gall. pacto prius inito cum Edwardo expeditionem fufcipit in terram fanctam.

Anno quo filius increatus à patre genitus ante fecula pro nobis hominibus venire dignatus eft in fine feculorum MCCLXX. inchoante, circa Pafcha Rex *Francorum Ludovicus* cum duobus filiis *Philippo* primogenito & hærede, & *Johanne* poftgenito, multisque nobilibus Regni *Francorum* iter arripuit verfus terram fanctam, ut obfeffis in *Accon*, quos Soldanus *Babiloniæ*, qui totam fibi *Syriam* fubjugavit, potenti virtute conclufcerat, falutari præfidio, fed antequam de partibus *Galliæ* receffiffet, Dominum *Edwardum*, quem *Parifiis* accerfivit, ut ibidem mutuo pertractarent qualiter votum peregrinationis emiffum falubrius adimplerent, caute fibi conjunxit; pepigeruntque fimul mutuam fœderis colligationem, quod viz. Dominus *Edwardus* Regem præeuntem è veftigio fequeretur, omni crucefignatorum Regni *Anglorum*, tam nobilium quam juniorum caterva ftipandus, & ut eidem cum fua comitiva in toto peregrinationis itinere curaret affiftere, eidem feptuaginta millia librarum *Turonenfium* quæ fibi folveret, qui cito loco ftatuto ad ingreffum maris mediterranei convenirent, eademque conventionis fœdera mutua jurisjurandi cautione præftita vallaverunt. Igitur *Francorum* Rege ficut diximus præeunte, Dominus *Edwardus* rediit in *Angliam*, non folum ut transfretationis fuæ neceffaria præpararet, fed ut Domini *Romanorum*, ficut fupra fpofponderat, non recufaret, fed potius benigniffimæ voluntatis inftinctu fubiret arbitratum.

Rex Rom. dijudicat controverfiam inter Edwardum & Com. Glouceftriæ.

Sane Rex *Alemanniæ* tranquillitatis Regni zelator ferventiffimus, ftudiofe fatagens fufcitatas inter Dominum *Edwardum* & Comitem fupradictum penitus annihilare difcordias, præcavenfque fagaciter ne quid forte reprehenfibile in proferendo poffet arbitrio reperiri, convocatis difcretioribus totius Regni nec puduit, nec recufavit eorum invicem confilia, fed habitis cum eis tractatibus die Martis proxima poft afcenfionem, viz. VI. Kal. Junii dictum fuum protulit, & redactum in fcripturam publicam partibus contradidit obfervandum, adjectis utrobique pœnis parti rebellanti graviter infligendis; & ne totam dicti fui feriem videamur fub filentio præterire, famofiora ipfius ad pofterorum memoriam traducere decrevimus optimum. Decrevit itaque Rex fupradictus, quod Comes juxta votum peregrinationis affumptæ transfretaret in terram fanctam in proximo paffagio Domini *Edwardi*, fublata qualibet excufatione, nifi forte per corporis ægritudinem, vel per guerram, vel per aliam caufam rationabilem, per quam Rex *Alemanniæ* decerneret eum excufabilem, fuiffet legitime præpeditus; & fi veniens in terram fanctam voluiffet cum fua comitiva affiftere Domino *Edwardo*, & adjutorium fuum fibi familiariter impertiri, tunc Rex *Angliæ* daret Comiti VIII. millia Marcarum in adjutorium peregrinationis fuæ, & etiam ad transfretationem fuam navem unam congruam fibi faceret miniftrari; fi vero cum turmis fuis Domino *Edwardo* recufaret affiftere, Dominus Rex tantummodo fibi duo millia Marcarum faceret erogari, hoc adjecto, quod Comes fufficientem faceret fecuritatem, qua Rex *Alemanniæ* contentus effet quod erogatam pecuniam in obfequio falvatoris noftri converteret in terram fanctam totaliter expendendam, & non in alios ufus; & quod ftatuto termino transfretaret fupradictam plenarie

narie completurus, quinetiam quod interim five transfretaret, five non, guerram feu turbationem in *Anglia* non moveret, & ad hæc omnia fideliter obfervanda fubjiceret fe Comes jurifdictioni Archiepifcoporum, & Epifcoporum *Angliæ*, quod omnes, & finguli, fi in aliquo prædictorum articulorum deficeret, feu quomodolibet rebellare præfumeret, poffent in perfonam ipfius excommunicationis fententiam fulminare, & omnes terras ipfius fuppone-re interdicto fub pœna xx. millium Marcarum folvendarum, ita ut, quod fi contingeret pœna ipfa comiti, in difpofitione Domini Regis *Alemanniæ* foret in quos ufus eadem pecunia convertenda, cæterumque Comes ipfe duas non ignobiles munitiones fuas, viz. Tenebrigg & Henlege, pro majori fecuritate facienda, certis perfonis pro difpofitione Domini Regis *Alemanniæ* traderet cum omnibus proventibus & exitibus confervandas, quoufque pro certo conftaret quod afcenfis navibus in mari mediterraneo fortuitis flatibus vela commififfet, quo facto Attornatis ejus in *Anglia* commorantibus caftra cum pertinentiis & exitibus fine difficultate qualibet redderentur. Tenorem hujus arbitrii compendiofe perftrinximus, quod penes infinitos in lingua *Gallicana* difficiliori ftylo contexta ejufdem Copia reperitur, prædictarum quoque adjectione triplicata plurima quæ eodem dicto minus luculenter fuerant explanata, eo quod diverfos poterant fortiri intellectus animum Comitis potiffime titillabant, præfertim cum ex diverfis interpretationibus evidens fibi profpiceret imminere periculum, unamque item cautionum adjectarum fufficere decernebat, quamobrem pœnas ipfas inftans petiit mitigari, & ea quæ minus evidenter inferta fuerant luculentius explicari.

Rex quoque fagacitatis & prudentiæ non ignarus, ftudiofe fatagens contentionibus finem imponere, nec non univerfas enervare calumnias, fano ut affolet fretus confilio, refrenatam fibi corrigendi diverforum potentiam reaffumens, ea quæ fuerant nubila declaravit, pœnas quoque viro fideli & contradicere non curanti non graves & onerofas, fed fatis tolerabiles decernebat; factaque fuit declaratio prælibata die Martis in fefto Sancti *Botulphi* fcil. xv. Kal. Julii apud *Radingis*. Sedatis igitur inter prædictos magnates contentionibus prælibatis in forma qua prædiximus, congrua & honefta, ac omnimoda fimultate fopita, Comes *Glouceftrenfis* cum complicibus fuis, ut affolet, parliamentis & tractatibus Domini Regis, & magnatum confidenter fe immifcuit; exultantibus duntaxat univerfis tranquillitatem zelantibus, è contra quoque faucio corde dolentibus, qui rapinis & deprædationibus affueti, pro turpi commodo turbationem Regni totis defideriis affectabant; nec adhuc paffus eft inimicus hominis fuperfeminator zizaniorum diabolus regnum noftrum tantis incommodis conquaffatum perfecta pace gaudere, fed ut generalem ipfius tranquillitatem enervaret, inter proceres conatus eft fingulares difcordias fufcitare.

Com. Glouceft. concordia cum Edvardo facta Parliamentum adit.

Nempe cum inter nobilem virum Dominum *J.* Comitem *Waremiæ*, & ingenuum procerem Dominum *Alanum* la Zusake fuper quodam manerio coram Jufticiario debaccatio quædam verteretur, partibus coram ipfis die Martis proxima ante Nativ. Sancti *Johannis Baptiftæ* in aula *Weftmonafterienfi* perfonaliter litigantibus, fe invicem inftigante diabolo verbis contumeliofis, inverecundius quam decebat, infultare cœperunt; adeo ut à jurgiis devenirent ad prælium; porro domeftici Comitis, ignorante milite fupradicto, qui armis muniti fuiffent, extractis concito gladiis, fpreta reverentia Regis & Reginæ, qui tunc in palatio *Weftmonafterienfi* morabantur, & Jufticiariorum, coram quibus litigaverant, in confpectu ejufdem & Cancellarii, qui tunc in aula præfens erat, ipfum terribiliter invaferunt, & fugientem præ timore mortis verfus cameram Regis viriliter perfequentes graviter vulneraverunt, & mox inflictis vulneribus, quafi femivivo relicto domus Regiæ limina vacuabant, & *Tamefin* fluvium navigio tranfeuntes ad loca tutiora feftinatis fe greffibus contulerunt. Porro Rex & Dominus *Edwardus* audita militis querimonia, & enormitatem tanti fceleris attendentes, ira vehementer accenfi diffimulare non

Diffidio orto inter Com. Waremiæ & D. La Zufake Comitis domeftici graviter vulnerant D. La Zufake.

poterant,

poterant, nec debebant, ut delictum tam publicum relinquerent impunitum; statimque mandatum est Comiti ut veniret ad Curiam, super his quæ sibi de jure fuerant objicienda, sub legem & consuetudinem Regni justitiæ pariturus. At Comes, præcavendo discrimina captivationis sui corporis & suorum, sano fretus consilio Regio mandato distulit obedire: sane Dominus *Edwardus* cum Domino *Eboracensi* & aliis Regni proceribus, strenua bellatorum vallatus caterva, Comitem supradictum in latibulis commorantem confidenter adiit, & mediantibus Comite *Gloucestrensi* & Domino *Henrico* Regis *Alemanniæ* filio, confidenter assecuratum die Dominica proxima post festum Apostolorum *Petri* & *Pauli* duxit ad Curiam, ut ibidem sub legem & consuetudinem Regni faceret, & susciperet justitiæ complementum; ubi factum est quod Comes posuit se in misericordia Regis de v. millibus Marc. & pro injuria facta militi supradicto, & filio suo daret eis II. mil. Marc. insuper ipse Comes cum L. militibus veniret de novo templo London usque *Westmonasterium* pedibus ambulando, & quod omnes jurarent, quod non ex præcogitata malitia factum fuerat quod prædictum est, sed ex motu iracundiæ nimis accensæ, & statim cessavit tempestas: veruntamen miles supradictus, ingravescente dolore vulnerum, febrilem incurrens distemperantiam, quia dies caniculares protinus ingruebant, post paucorum dierum curriculum non sine magnis suorum planctibus expiravit.

Com. Warem. gravi pecuniæ summa multatur.

D. La Zusche vulnerum dolore moritur.

Edward. proficiscitur in terram sanctam.

His transactis Dominus *Edwardus* se preparavit ad transfretandum in terram sanctam, votum, quod emisit ut prædiximus, divino mediante præsidio completurus.

Bonifacin. Sabaudia obiit.

Et cum circa Quindenam Nativitatis Sancti *Johannis Baptistæ*, convocatis universis Regnicolis qui secum transfretare disposuerant, classem sibi copiosam congregasset in portu qui dicitur Portesmuth, divulgatum est, quod Dominus *Bonifacius Cantuariensis* Archiepiscopus, qui diutius in partibus *Sabaudiæ* prout consueverat moram traxerat longiorem, mole carnis deposita diem clausit extremum, appositus ad patres suos quorum vicem gerere consuevit in terris; erat enim vir miræ simplicitatis, licet minus literatus, sobrie tamen degebat, sapientissimorum se consilio regebat, humilis, pudicus, modestus, egenorum profusissimus recreator, cujus morte comperta Monachi *Cantuarienses* de eligendo sibi pastore statim à Domino Rege licentiam postularunt. obtenta quoque licentia, Dominus *Edwardus* satagens Dominum *Robertum* Burnel Clericum suum, quem sincerissime diligebat, ad tantæ celsitudinis apicem promovere, relicta classe cum quanta poterat celeritate fecessit *Cantuariam*, ut personæ suæ præsentia supradictos induceret electores, ut in dictum Clericum suum vota sua dirigerent; sed hoc frustra, quippe monachi monachum Clerico simplici præponentes, Priorem proprium elegerunt concorditer, at Dominus *Edwardus* suo fraudatus desiderio rediit *Portusmutam*, & aura sibi gratius arridente ascensis navibus, velis expansis prospere navigavit in *Vasconiam* terram, viz. propriam; ut autem transfretationem suam de ea salubrius ordinaret, porro uxor ejus ipsum jam præcesserat in *Vasconiam*, etiam secum transfretatura in terram sanctam; sed antequam de *Anglia* recessissent, duos filios suos quorum senior *Johannes*, & junior vocabatur *Henricus*, de communi Regni consilio Domino Regi *Romanorum* custodiendos, & quamdiu foret in partibus transmarinis tradidit nutriendos. Visitata *Vasconia* processit ulterius pertransiens provincias *Hispaniæ* montuosas, sequens è vestigio Regem *Francorum*, ut simul proficiscerentur in terram sanctam, prout inter eos condictum fuerat & conventum; & audito quod Rex *Francorum* fuisset apud aquas mortuas, ad portum quendam maris mediterranei illic ibat. Quippe Dominus *Henricus* Romanorum Regis primogenitus circa festum Assumptionis beatæ *Mariæ* recessit de *Anglia*, Dominum *Edwardum* similiter cum sua comitiva evestigio secuturus, idem vero *Henricus*, uxore sua dimissa in *Vasconiam*, ex qua provincia originem duxit, filia scil. *Gastonis* de *Byerra*, gressus suos versus aquas mortuas dirigebat.

Edward. in Vasconiam transfretat.

In Hispaniam progreditur.

Sed

Sed antequam Dominus *Edwardus* vel Dominus *Henricus* perveniſſent ad portum, Rex *Francorum* una cum fratre ſuo Domino *Carolo* Rege *Siciliæ*, qui ei in partibus illis occurrerat, auræ competentis opportunitate illic quamdiu expectata, navibus ſe credentes, navigando devia pelagi ſpatioſa, ignorantibus fere cunctis qui cum eis erant rectoribus, vel poſt dies aliquot applicuerunt in terram quandam Barbarorum, quæ *Tunicum* vocabatur. Erat quoque Rex *Tunicii* armis ſtrenuus, præpotens viribus gentium, & theſauro prædives, vir ſapientiſſimus ſed Gentilis. Idem vero *Frederico* Imperatori, dum vixerat, ſubditus fuit pro Regno ſuo annuum ſibi tributum exſolvens; ſed Imperatore defuncto ceſſavit à ſolutione tributi, & ſucceſſori ſuo *Carolo* uſque hactenus ſolvere denegabat; quamobrem idem Rex *Siciliæ*, pro repetitione tributi diutius denegati, ipſum duxit hoſtiliter impetendum, votum peregrinationis in terram ſanctam in pejus non in melius commutando. Sane Rex Gentilis, ſano fretus concilio, volens parcere laborantibus, & expenſis, ut fortuita belli diſcrimina declinaret, licet viribus & populi numeroſitate præcelleret Chriſtianis, elegit potius congruæ pacis fœdus amplecti, quam videre mala gentis ſuæ, vel theſauri ſui quantamlibet diminuere portionem, unde concorditer inter illos initum eſt, quod pactis utrobique vallatis, Chriſtiani Gentilibus in pace relictis redirent ad propria, & Rex *Tunicorum* tributum quod *Frederico* ſolvere conſuevit, etiam Regi *Carolo*, quamdiu Regno *Siciliæ* incumberet, una cum arreragiis ſui temporis totius aſſignaret, treugis trigenariis inter Gentiles Regni ſui & Chriſtianos ſolido fœdere commiſſis; Rex quoque *Tunicorum* Reges *Francorum* & *Siciliæ* & magnates qui cum eis venerant, auro, quo ſatis abundabat, & donariis diverſis oneravit.

Rex Franc. cum Rege Siciliæ ad Tunicum applicant.

Car. Siciliæ Rex annuum tributum exigit à Rege Tuniceuſi.

Porro Dominus *Edwardus*, audiens Reges ſupradictos cum exercitu Chriſtiano in terram *Saracenorum* applicuiſſe, ſatagens negotium crucis *Chriſti* prout voverat totis viribus promovere, habens fiduciam in virtute Dei, cum adhærente ſibi licet pauca militum caterva proſpere navigando devenit in terram *Tunicii*. Sed audita pacis & treugarum firmitate quam prædiximus, doluit ſupra modum. Poſt paucos vero dies licet animo ſauciatus, cum Regibus prætaxatis & exercitu Chriſtiano diverſorum Regnorum, & Provinciarum, relictis Gentilibus, navibus adhuc in portu cum eorum conſiſtentibus reaſcenſis, cum claſſe non modica retortis velis uſque terram *Siciliæ* unanimi conſilio navigabant, ut intempeſtivos auræ hyemalis impetus declinarent, & in Regno fertili commodius hyemarent, quouſque vernalis temperies gratius arrideret, applicantes in portu famoſo *Siciliæ* qui dicitur *Trapanna*.

Edward. in Tunic. terram devenit.

Rex Fr. cum Rege Sicil. & Edwardo ad portam Trapan. devenIunt.

Et ſicut quidam qui fuerant cum Domino *Edwardo* fideliter aſſerebant, Die veneris proxima poſt feſtum Sancti *Michaelis* ſcil. v. Nonarum Octobris receſſit de aquis mortuis, & Dominica proxima poſt feſtum Sancti *Martini*, ſcil. Kal. Decembris applicuit in *Tunicium*, & poſt paucos dies inde recedens applicuit in *Trepannam* in vigil. Sancti *Clementis*. Cumque naves Regis *Francorum* & fratris ſui Regis *Siciliæ* cum victualibus & univerſa ſupellectili, nec non & theſauro inæſtimabili recubarent in portu anchoris inhærentes, ecce ventus turbinis procelloſa tempeſtate mare commovit, & puppes in ſalo fluctuantes violentis motibus concutiendo confregit, periclitatis cuſtodibus, & ſubverſis victualibus & theſauris, nec unus quidem de comitiva Regum prædictorum qui navibus inhærebat à periculo liber evaſit, ſed Domino protegente naves Domini *Edwardi* in tutiori loco recubantes ſupradictum peniculum evaſere periculum.

Orta tempeſtate R. Fr. claſſis grave ſuſtinuit damnum.

Poſt dies aliquot Rex *Francorum* carius tributum exſolvens, voto peregrinationis incompleto, matura ſatis morte deceſſit, quippe filius ejus & hæres in Regni ſibi regimine ſucceſſurus oſſa patris develli fecit in *Galliam* apud *Dionyſium* tumulanda.

Rex Franc. ob.

Eodem anno vi. Kal. Decembris turris Eccleſiæ Sanctæ *Mariæ* de arcubus 𝔏𝔬𝔫𝔡𝔬𝔫, quæ diu ante fuerat rimoſa, ſubito corruit, & cadens ſupra quandam domum, quæ ipſi Eccleſiæ contignabatur, domo ſolo tenus complanata,

Eccleſia S. Mariæ de arcubus London. dilabitur.

planata, plurimos utriusque sexus viros & mulieres proh dolor! interfecit.

Edwardus res suas in Anglia & alibi Henrico Regis Rom. fil. administrandas committit.

Cumque Dominus *Edwardus* ingruente hiemali tempestate moraretur in *Sicilia*, caute sibi providens, ne in tanta occasione fieret otiosus, coepit tractare cum Domino *Henrico* filio Regis *Alemanniæ* consanguineo suo, & cum aliis magnatibus, qualiter consultius posset providere de regimine Ducatus *Aquitaniæ* & Regni *Angliæ*, donec negotio crucis *Christi*, quod assumserat, adimpleto, contingeret ipsum ad propria remeare; & habitis super hoc tractatibus diuturnis, communi deliberatione, dictum consanguineum suum qui cæteris sapientia præpollebat, decrevit ad partes occiduas remittendum; ut moderamine regiminis *Vasconiæ* salubriter ordinato, procederet ulterius in *Angliam* ipsius Regni gubernacula mediante patris auxilio dirigenda pro salutis publicæ commoditate dispositurus. Sane Dominus *Edwardus* se suamque militiam toto vacationis tempore præparare non desiit, ut succedente verni temporis amoenitate, aura salubriori gratius arridente, maris devia transcurrendo partes *Syriæ* visitaret.

Edward. navibus ascensis in Syriam tendit.

Sane quod pio conceperat in proposito, opere protinus adimplevit, licet Rex *Siciliæ*, ab eo frequenter & assidue pulsatus pariter, & rogatus fuisset, ut simul progredientes in *Syriam* redderent Deo vota sua, quæ distinxerunt labia sua, quasi desidia contabescens ulterius progredi recusaret. Quidpe cum paucis cruce signatis tam *Anglicis* quam aliunde confluentibus auræ vernalis lenitate gratius aspirante naves ascendit, prosperis flatibus in *Syriam* progressurus.

Rex Siciliæ cum Rege Fran. Viterbum veniunt.

Porro Rex *Siciliæ* cum nepote suo Rege *Francorum* & hærede excusatorias sibi contexuit ratiunculas, ne proficiscerentur in *Syriam*, causando nepoti suo non modicum imminere periculum, nisi festinatis gressibus remearet, remeantes quoque per *Campaniam*, Cardinales, qui tunc in *Viterbio* morabantur, una cum Domino *Henrico* filio Regis *Alemanniæ* similiter remeante decreverunt consultum esse, & honestum, si forte discordantes in electione futuri Pontificis inducere possent ad electionem concorditer faciendam.

Simon de Monteforti, cum fratre suo & aliis Henricum Reg. Rom. filium ad altare occidit & aufugit.

Dum autem essent *Viterbi* super prædictis tractaturi, Cardinalium votis jam pene concorditer adunatis, ut eorum adjuti consilio & assensu, *Romanæ* sedi, multo tempore pastoris solatio viduatæ, de idoneo Præsule providerent, ecce, protinus instigante humani generis inimico, **Simon** de *Monteforti* cum *Guidone* fratre suo, nec non Comite *Rufo* cujus filiam duxerat in uxorem, non sine assensu, ut credi poterit, *Emmerici* fratris eorundem, quodam die satis mane, non modica loricatorum stipati caterva, subito ingredientes Ecclesiam quandam civitatis ejusdem, ubi Dominus *Henricus Romanorum* primogenitus, eorum ex avunculo cognatus, peractis jam Missarum solemniis, quas audierat orationi devotius incumbens, evaginatis gladiis in eum irruerunt inhumaniter, proditorem & patris eorum interfectorem eum, licet mendaciter, proclamantes; at ipse nimirum tam tumultuoso clamore perterritus, velociter ab oratione prosiliens cucurrit ad altare, super quod paulo ante Domino patri unigenitus filius Redemptor mundi fuerat immolatus: Sed lictores crudelissimi, consanguinitatis foedere violato, spreta loci sacri & temporis reverentia, adhærentem altari mucronibus confodientes, inflictis vulneribus lætiferis inhumanissime perimeruut, vulnera vulneribus imprimentes, donec spiritum exhalaret. Facta quidem fuit hæc inaudita sceleris perpetratio Die veneris crastino Sancti *Gregorii* viz. tertio Id. Martii civitate *Viterbii*, in Ecclesia Sanctæ *Blasii*, præsentibus tunc in eadem civitate toto cætu Cardinalium, Rege *Siciliæ* & nepote suo *Philippo* in Regem *Francorum* protinus promovendo; quibus ignorantibus, vel forte conniventibus, Satanæ satellites urbe statim egressi, in suis munitionibus se receperunt. Porro Cardinales ne nil agere viderentur & ne tam horrendum scelus penitus remaneret inultum, dictos maleficos excommunicationis sententia protinus innodabant: Famosioribus autem hujus auni eventibus exaratis, anteriora posterioravc non puduit

puduit licet minus notabilia, ne quid relatione dignum videatur ſub ſilentio præteriri.

Eodem ſiquidem anno obiit *Walterus* Sarum Epiſcopus, circa feſtum circumciſionis Dominicæ, vir miræ ſimplicitatis, & innocentiæ; quo defuncto Canonici ejuſdem Eccleſiæ convocati virum diſcretum, non minoris ſimplicitatis & innocentiæ, Dominum Magiſtrum *Robertum* de Wichants in patrem, & paſtorem concorditer elegerunt; qui cum à Domino Rege receptus fuiſſet, ſtatim adiit ſedem *Cantuariæ* Cathedralem pro confirmationis munere obtinendo; verum electus *Cantuarienſis* jam mare tranſierat, ut audita creatione ſummi Pontificis commodius progrederetur ad Curiam confirmationis gratiam petiturus. Monachi quoque *Cantuarienſes* ad quos ſede vacante juriſdictio in aliquibus caſibus devolvi conſueverat, præcipue in cognitionibus cauſarum, cupientes ſuam ampliare juriſdictionem, aſſerenteſque confirmationes electorum tempore vacationis ad eorum capitulum pertinere, licet prius tanta juriſdictione uſi non fuiſſent, dictum Sarum electum ſolemniter confirmaverunt, & ſpiritualium adminiſtratione ſibi commiſſa denunciaverunt Domino Regi, quod eidem tanquam canonice confirmato, temporalia concederet diſpenſanda. Rex quoque ſano potitus concilio præcavens in caſu conſimili, qui nec forte ſuo nec prædeceſſorum ſuorum tempore viſus eſt contingere, ne conceſſio adminiſtrationis temporalium traheretur in conſequentiam, mandato capituli *Cantuarienſis* ea vice parere finaliter recuſavit. Monachi tamen ſupradicti in majorem protinus prorumpentes audaciam, publico literarum edicto denunciaverunt univerſis Epiſcopis *Angliæ*, ſuffraganeis & ſubditis ſedis *Cantuarienſis*, quod certo die, quem præfigebant, eiſdem convenirent *Cantuariam*, & munus conſecrationis ſolemniter impenſuri. Sed Pontifices circumſpecti, ne forte quod tunc ageretur poſſet poſteris temporibus gravare diſpendium, ſpretis monachorum denuntiationibus non contumaciter, ſed potius ſapienter vocationi prædictæ ſuperſederunt, exemplo Domini Regis animati, qui monachorum denuntiationibus obtemperare non curavit. Epiſcopi vero plures congregati, evocatis legum & canonum magiſtris totius Regni peritioribus, quo in iſtam difficilem cauſam, an mandato capituli parendum fuiſſet, diligentiſſime diſputari fecerunt; nec inveniebant in Canone, vel in jure rationes probabiles, quibus compelli poterant ad parendum, quamobrem *Sarisburienſis* electi conſecratio non proceſſit.

Epiſcopo Sarisburienſi à Canonicis Cantuar. confirmato Rex temporalia recuſat, quem & Epiſcopi conſecrare negant.

Eodem anno, circa Purificationem beatæ *Mariæ* *Edmundus* filius Regis *Alemanniæ*, licet junioris ætatis, *Edmundum* conſanguineum ſuum filium Regis *Angliæ*, qui præceſſerat, profecturus in *Syriam* in adjutorium fratris ſui piæ devotionis inſtinctu, cum paucis comitibus è veſtigio ſequebatur; ſed audita fratris nece quam tetigimus tam crudeli, cum eſſet in partibus tranſmarinis, evocatus eo, autem & prohibitus ne procederet, ulterius progredienti cognato ſuo in *Syriam* valedicens rediit in *Angliam*, patre nimirum multipliciter exultante quod ipſum poſt fratris ſui primogeniti lamentabilem interfectionem divina miſeratio reſervavit ad propria reverſurum. Sileat nunc eventuum *Anglicorum* paucula recitatio, qui anno ſeptuageſimo contigerunt, ut anni ſequentis ſeries explicata poſteris eluceſcat.

Edmundus R. Rom. filius audita fratris nece in Angliam revertitur.

MCCLXXI.

Anno, quo pro redemptione generis humani ſummi patris unigenitus ſervile cinctorium noſtræ carnis aſſumpſit, MCCLXXI. III. Id. Maii, pridie ante aſcenſionem Domini delatum eſt corpus Domini *Henrici* filii Regis *Alemanniæ* apud London, quod *Viterbii* ſicut ſupra tetigimus per cognatos proprios crudeliſſime fuerat jugulatum; corde vero apud *Weſtmonaſterium* in vaſe quodam ſatis prope ſcrinium, in quo beatiſſimi Regis *Edwardi* reliquiæ reconduntur, non ignobiliter collocato, corpus ipſius uſque Heyles honorifice deportatum, ibidem, jubente patre, traditum eſt ſepulturæ. 1271

Corpus D. Henrici fil. Rom. R. ad Heyles delatum ſepulturæ datur.

Sane Dominus *Edwardus* Regis altiſſimi bellicoſus, devia maris naufragia non

D. Edward. refectis navibus in Insf. Cypro Accon devenit.

non pavescens, auræ vernalis sicut supra tetigimus fortuitis flatibus se credebat, & inopinato fœlici tamen eventu devenit & applicuit in insulam *Cyprum*, quam quondam prædecessor ejus serenissimus Rex *Richardus*, singularis militiæ decus, & probitatis eximiæ titulis elucescens, cum simili devotionis instinctu progrederetur in *Syriam*, militariter occupavit: verum Dominus *Edwardus* cujus pacificus præconizabatur ingressus, à Principe simul & à populo ipsius insulæ summo cum honore susceptus est. Ille vero in ipsius insulæ diffugio paululum recreatus naves onerarias in *Syriam* traducturas victualibus muniebat, & navibus reascensis prosperis flatibus navigando in civitatem *Accon*, quam pauculæ Christianorum reliquiæ Gentilium obsidione vallatam, non sine labore, & ærumna duriuscula concertatione, defenderant, tantis utique laboribus fatigati, quod nisi festinum sibi provenisset adjutorium, civitatem ipsam *Saracenis* dedere cogitarent.

Quippe tam celebris hospitis adventu præcognito multipliciter exhilarati cœperunt vires sopitas reassumere, & se ad suam civitatis diutius desolatæ defensionem fortius animare. At Dominus *Edwardus* cum paucis Christianis quos secum adduxerat in civitate prædicta, quæ sola Christianis vix fuit ad refugium derelicta, recreationis gratia morabatur, ad tempus expectans, si forte Dominus sibi copiosius dignaretur mittere adjutorium, quo publicum posset cum gentibus acceptare conflictum; non enim tutum sibi fuerat cum tam pauculis Christianorum reliquiis contra Soldanum, cujus exercitus supra arenam maris, & pluviæ guttas multiplicatus dinumerari non potuit, prælio concertare, se suamque comitivam Gentilibus minime comparandam fortuitis belli casibus exponendo. Aliquoties autem Christiani per exploratores suos cautius præmuniti, per clandestinos excursus mire egredientes irruerunt in Gentiles, & frequenter strage non modica lacessitos ad loca remotiora fugere compellebant.

D. Johannes D. Edwardi primogenitus ob.

Eodem anno circa festum Sancti *Petri* ad *Vincula* bonæ indolis puer ingenuus *Johannes* Domini *Edwardi* primogenitus, quem cum in partibus commorari contigerat transmarinis, patruo suo *Romanorum* Regi serenissimo nutriendum commiserat, immatura morte proh dolor! decessit, avi sui Regis *Anglorum*, & Reginæ, nec non Regis *Alemanniæ*, ac universorum Regnicolarum planctu lamentabili deploratus; quippe vultus ejus commendabilis elegantia, & ætatis jam teneræ virtuosa primordia cunctis eum populis amabilem reddiderunt. Porro Rex *Alemanniæ* corpus ipsius usque *Westmonasterium* summo cum honore in Ecclesia Conventuali detulit tumulandum. Succedente contiuo primo die Septembris in festo scil. Sancti *Ægidii Romani* Cardinales non rentes diutiorem sedis Apostolicæ vacationem convenerunt in unum, & votis concorditer adunatis, virum venerabilem magistrum *Theobaldum* Archidiaconum *Leodiensem*, quem vulgus consueto vocabulo vocitabat *Tyardum*, quique tunc temporis cum Domino *Edwardo* peregrinationis gratia morabatur in *Syria*, in summum Pontificem unanimiter elegerunt. Attendens itaque per celeres nuncios ad tantæ celsitudinis dignitatem se fuisse vocatum, *Syriæ* valedicens, obtenta tamen à Domino *Edwardo* licentia: maris mediterranei discrimina non pavescens, partes *Viterbii*, ubi tunc cætus Cardinalium morabatur festinanter adiit, consecrationis munus pro tempore recepturus. Dominus *Philippus* de *Eya* die veneris proxima ante festum Sancti *Lucæ* Evangilistæ assumpsit officium thesaurarii Scaccarii Domini Regis. Circa idem tempus obiit Dominus *Rogerus* de Leyburne. Obiit bonæ memoriæ Dominus *Philippus* Basset circa festum Sancti *Andreæ*, vir nobilis & discretus, & escarum largitor profusissimus.

Theobaldus Archidiac. Leodiensis vulgo vocatus Tyardus in Papam eligitur. E Syria Viterbium venit.

Rich. Rom. Rex Paralysi correptus ob.

Pridie Id. Decembris scil. die Sabbati in Vigil. Sanctæ *Luciæ* virginis *Richardus Romanorum* Rex illustris apud Berkam sedem sibi fecit muniri, nocte sequente invasit eum paralysis acutissima, qua protinus ingruente, ad motum membrorum partis dextræ, & ad usum linguæ, & ratiocinationis pene factus est inhabilis, & sic ægritudinis incommodo prævalente languescens, mortis terminum,

terminum, quæ nulli parcere consuevit, inconsolabiliter lamentatus heu proh dolor! expiravit. Hujus anni lugubris exaratio jam quiescat, in quo tot nobiles firmissimas Regni nostri columnas mors, parcere nescia, de præsentis vitæ sustulit incolatu.

MCCLXXI.

Anno quo visibilium & invisibilium plasmator munificus, nostræ condolens miseriæ, filium suum misit in terris propitiatorem pro peccatis nostris MCCLXXI. *Richardus Romanorum* Rex illustris, ingravescente morbo, devotissima pœnitudine retroacta deplorans, testamento condito, sacrosancto roboratus viatico, IV. Non. Aprilis die scil. Sabbato proxima, ante mediam quadragesimam migravit à seculo; gloriam mundi transitoriam pro cœlesti Regno commutans, gleba corporis sui in Ecclesia conventuali monasterii sui de Heyles, quod sumptibus suis à fundamentis extruxerat, non ignobiliter collocata. 1271

Eodem anno æstate media, convalescente fervore simul & ariditate per totum Regnum, mirabile prodigium contigit in civitate *Cantuariensi*, subita siquidem & inopinata inundatio aquarum erumpentium de cavernis terræ partem maximam civitatis operuit, ubi aquæ nunquam prius currere videbantur; ita quod violentia gurgitis impetuose currentis domos plures, & ædificia diruendo in planitiem convertebat, viros & mulieres, tam senes quam pueros, submergebat. Exaratis igitur eventibus *Anglicorum*, stilum ad eos qui morabantur in *Syria* convertamus. *Maxima aquarum eruptio in Civit. Cantuar.*

Igitur Dominus *Edwardus* in civitate *Aconensi*, sub expectatione, quam prædiximus, commorante, ecce Rex *Judæorum*, qui vulgo *vetus* de *Monte* dicitur, instigante humani generis inimico, qui bonis actibus invidere non cessat, nec non ut sane credi poterit cooperante soldano, unum de sicariis suis, quos vulgo assessinos vocant, misit in *Syriam* dolosæ machinationis genere subornatum, ut Dei athletam Dominum *Edwardum* insidiis callide præveniret, & præventum nacta temporis opportunitate crudelissime jugularet; qui vulpina seu potius serpentina fretus astutia, nuncia sibi plura confingens, ut quasi pacis honestæ vel treugarum præco verus existeret, in Curia Domini *Edwardi* tanquam familiaris, & domesticus aliquamdiu morabatur inter cæteros, nemine suspicante sinistra; una igitur dierum, nacta temporis opportunitate, ut credebat, dixit se Domino *Edwardo* velle, nullo suorum conscio, plurimum sibi placitura secreta quædam nuncia revelare. At Dominus *Edwardus* nihil sibi metuens solus solum in suum secretissime thalamum introduxit, statimque dirus satelles, ostio thalami firmiter obserato, educens cultrum veneno letifero toxicatum irruit truculenter in ipsum, & vulnere duplicato crudelissime sauciabat; sane miles robustissimus plagarum stigmatibus irritatus, potenti virtute subnixus nefandum lictorem projecit ad terram, & cultro quo eum vulneraverat ablato, in extorsionis violentia seipsum læsit in fronte, statimque inhumanum proditorem telo proprio interfecit. Porro familiares externi comminus expectantes, clamore nimirum quem audierant consternati, ostia thalami confringentes, viso quod acciderat, eventum lamentabilem mente lugubri deplorabant, de salutis remedio desperantes; evocati statim medici in arce peritissimi vulnera sua congruo medicamine fomentabant, mundique redemptor in se credentium qui vera salus est, qui ut ait Propheta vere languores nostros tulit, & dolores nostros portavit in corpore suo super lignum, tam efficax & optimum gratiæ suæ concessit antidotum, ut vulnera sua, quæ cunctorum judicio censebantur incurabilia, modico tempore curarentur. Ille vero, cui nimirum vexatio tam periculosa saniorem præstitit intellectum, profligata solitudine, corpus suum in posterum per sibi notos & familiares duxit cautius muniendum. Nec silentio sepelire debemus diem quo Dominus *Edwardus* per carnificem fuerat vulneratus, ipsius siquidem infortunii prodigialis eventus aliquod mirabile potuit præfigurare portentum; actum enim fuit hoc scelus in mane die Veneris in festo Sancti *Botulphi*, viz. *D. Edward. à sicario quodam graviter vulneratur.*

 xv. Kal.

xv. Kal. Julii eodem scil. die, per annorum revolutionem, quo de utero genitricis suæ progrediens humanam nativitatem accepit, ætatis vero suæ anno xxxiii. anno ætatis consimili, quo redemptor noster incarnatione sua consimili fratrum pro redemptione humani generis in crucis patibulo vulneratus, cum in divinitatis natura immortalis existeret, non recusavit pro peccatis nostris carnis suæ mortem misericorditer sustinere. Consecratus est Apostolicæ sedis electus magister Tyardus, de quo supra tetigimus, & sortitus cum nova celsitudine novum nomen, & de Theobaldo vocatus est Gregorius decimus.

Theobaldus consecratur nomine Gregor. Decim.

Eodem anno circa festum Sancti Laurentii, per contentionem habitam inter Priorem, & Monachos Norwich ex parte una, & cives ejusdem civitatis ex altera, instigante humani generis inimico, qui non cessat superseminare zizania, facta est nimium deploranda combustio Conventualis Ecclesiæ Norwich, cum omnibus ædificiis ejusdem Monasterii adjacentibus.

Urbs Norwic. incendio devastatur.

Eodem anno circa festum Sancti Michaelis, Edmundus filius Regis Alemanniæ, cui Dominus Rex paternam integraliter hæreditatem restituerat, Margaretam sororem nobilis viri Gilberti Comitis Gloucestrensis duxit in uxorem, & factus est miles & Comes in festo Sancti Edwardi. Eodem die similiter Henricus de Lacy factus est miles, & Comes Lincoln, cum quibus duobus magnatibus Georgius de Cantalupo, & quamplures alii Regni Angliæ Nobiles quidem de Domino Rege cum prædictis Comitibus militiæ cingulum susceperunt.

Edmun. fil. Rom. Regis uxorem ducit sororem Com. Gloucest.

Die Mercurii in festo Sancti Edmundi quondam Cantuariensis Archiepiscopi, viz. xvi. Kal. Decembris, piæ recordationis Henricus Rex Anglorum serenissimus, carnis mole deposita, hominem terrenum exuens, momentaneam mundi gloriam coelesti palatio commutavit, cum Rege Regum perpetuo Regnaturus in Coelis; dominica proxima sequente, viz. in festo beatissimi Regis & Martyris Edmundi, in nobilissima basilica Westmonasteriensi, quam opere sumptuoso & incomparabili à fundamentis extruxerat, Regni magnatibus exequias debitas impendentibus, cum ea qua decuit honorificentia tumulatus: sane corpus ipsius pretiosissimis indumentis, & diademate Regio, prout decuit, adornatum, omni assistentium judicio à nobilioribus Regni ad hoc officium prælectis in locello portatili deferretur ad tumulum, ampliori splendore decoris effulgebat mortuum, quam prius dum vixerat appareret, siquidem eventu miro sed notabili contigit, quod in eodem loco quo beatissimus Rex, & confessor Edwardus sepultus extiterat, & annis plurimis, priusquam reliquiæ ipsius translatæ fuissent in scrinium, requievit corpus Regis Henrici, qui eundem Sanctum Edwardum dum vixit præ cunctis Sanctis diligere consuevit, & ampliori devotione venerari, non ignobiliter collocatum humanæ traditum est sepulturæ.

Henricus Rex ob.

Anno M.CCLXXII.

1272

Circa idem tempus Dominus Papa, cassata electione facta de Priore Cantuariensi, vel ipso Priore potius resignante, contulit Archiepiscopatum Cantuariensem fratri Roberto de Killewardeby, de ordine fratrum prædicatorum, viro quidem pereminentis scientiæ, & vitæ sanctitate, prout ipsius religionis status expostulat, præfulgenti.

Papa confert. Archiepiscopatum Cantuar. in Rob. de Killewardeby.

Circa festum Sancti Nicholai Dominus Edmundus filius Regis Anglorum rediens de terra sancta, die sabbati post ipsum festum, venit Londoniam, occurrentibus & applaudentibus sibi civibus London, & diversarum conditionum innumerabili comitiva.

Edmun. Regis fil. in Angliam redit.

Sequenti die Dominus Edmundus Comes Cornubiæ sororem Comitis Gloucestriæ, quam ut supra diximus duxerat in uxorem, primo deduci fecit apud Walingford, ibique multis Regni magnatibus loco nuptiarum festum famosissimum celebravit. Episcopus London qui diutius expectaverat in curia Romana, summi jam Pontificis gratiam assecutus, restitutus ad officium & beneficium, à quibus diu suspensus extiterat; reversusque in Angliam congaudentibus

Episc. Londin. officio suo &c. restitutus Londinum redit.

dentibus & occurrentibus sibi turmis disparium conditionum, ultimo die Januarii civitatem **London** tripudialiter introivit. Circa idem tempus occubuerunt strenui viri *Robertus* **Walerand**, & *Johannes* de la *Vnde*. Frater *Robertus* de la **Killewardeby** prima Dominica Quadragesimæ, quæ eo anno contigit in IV. Kal. Martii, pluribus suffraganeorum suorum assistentibus in Ecclesia cathedrali *Cantuariensi* consecrationis munus accepit. Hujus anni sermone licet insipido famosiora gesta perstrinximus, superest ut anni sequentis seriem pro nostræ paupertatis modulo, sub eo quo poterimus compendio, concludamus.

Archiep. Cantuar. confecr.

MCCLXXIII.

1273

Rex Edvar. Romam venit.

Anno, quo summi patris sapientia divinitatis substantiam fragilitati nostræ redemptionis gratia counivit, MCCLXXIII. sereniſſimus Rex *Anglorum* *Edwardus* qui anno præterito, quod omisimus, dominica proxima post Purificationem rediens de *Syria* urbem *Romanam*, à civibus urbis honorifice receptus introivit, ac die Martis sequentis, viz. in festo Sancti *Valentini* civitatem *Vrbis Veteris*, ubi Papa tunc cum Cardinalibus morabatur, occurrentibus sibi non solum Cardinalibus, sed & universis magnatibus in Curia commorantibus, gloriosissima veneratione receptus à Papa, non ignobiliter introivit; & ne vacuus à gratia summi Pontificis abiret, obtinuit quod per tres annos continue sequentes decimas omnium Clericorum Regni sui perciperet, tam secularium, quam religiosorum sine discretione qualibet personarum, obtenta quidem tali gloria recedens à Curia, die Mercurii proxima post festum Sanctæ Trinitatis descendit de monte *Denisii*, & in Quindena Sanctæ Trinitatis venit apud Sanctum *Georgium* prope *Lugdunum* ad duas dietas, in crastino vero Sancti *Jacobi* intravit civitatem **Paris**, & morabatur ibidem usque dominicam proximam post Gulam *Augusti*, ipsaque vice ibidem fecit Regi *Franciæ* homagium de omnibus terris, quas de eo tenere clamavit, quo facto die *Lunæ* recessit de **Paris**. Et quia *Gastonus* de **Biarre**, qui semper quietis impatiens, contentionis & discordiæ fomes moverat guerram in *Vasconia* contra Regem *Angliæ*, depopulando terras & provincias. Rex cupiens provinciæ desolatæ providere subsidium, exercitu quo poterat congregato, versus partes illas cœpit dirigere gressus suos, prædictum *Gastonum* militariter invasurus. Regina tamen, quæ tunc prægnata extiterat, diu ante præmissa, in finibus *Vasconiæ* quo commode parere potuisset.

A Papa Viterbii receptus, triennalem decimationem Clericorum obtinet.

Parisios venit.

In Vasconiam tendit contra Gastonum de Biarre.

Porro *Gastonus*, adventu Regis præcognito, viribus imparem se attendens, & metuens, cum pauca, quam congregaverat, comitiva Regis potentiam, quæ incomparabilis fuerat, experiri, provinciam quandam montuosam ita collibus circumcinctam, quæ fere inaccessibiles habebat ingressus & egressus, adeundam putavit. In ipsa quoque provincia quinque castra extruxerat inexpugnabilia, ne copia deforet defensori, cujus satellites frequenter egredientes improvisis insultibus in Regis exercitum irruentes, dispendia non modica frequentius intulerunt, & præda capta, pompatice redeuntes munitionum se tutamine protegebant. Itaque Rex fere per totum annum illum cum exercitu copioso morabatur in *Vasconia*, solitudines ipsius provinciæ pervagando, nilque penitus proficiendo, imo potius inæstimabilem pecuniam quam de Regno *Angliæ* importune fecit emungi consumendo, quippe in exercitu suo tanta fuit penuria victualium, & eorum inaudita caristia, quod & homines & jumenta famis inedia tabescebant. Tandem nunciis quibusdam intermediis, sed tamen in dolo, ut ex post facto liquebit, subdola machinatione pertractantibus, partes se invicem Regis *Francorum* arbitrio submiserunt. Dominica proxima post exaltationem Sanctæ Crucis facta est solemnis inthronizatio fratris *Roberti* de **Killewardeby** Archiepiscopi *Cantuariensis*, statimque circa festum Sancti *Michaelis* obiit venerabilis *Henricus* de **Sandewyce** **London** Episcopus.

Gastonus se in montuosa recipit, & Regis exercitu inedia & difficultatibus confecto, utraque pars se submittit arbitrio Regis Fran.

In eodem festo Sancti *Michaelis* Dominus *Philippus* de *Eya* cessit officio thesaurarii Scaccarii quod per biennium strenue gubernaverat. Successit eidem

in eodem officio frater Joseph Prior Hospitalis in *Anglia*, qui, quia diu Rex in *Syria* morabatur, pecuniam sibi sua calliditate mutuo de mercatoribus adquirebat, & eis de proventibus Scaccarii, quæ mutuo perceperat, utpote fidelis debitor persolvebat.

Com. Radolp. de Halesbe-rewe fit Rex Roman.

Quinto-decimo die post festum Sancti *Michaelis* Comes *Radulfus* de Halesbetewe, dictus *Rufus*, de provincia *Alemanniæ* coronatus fuit in Regem *Romanorum* apud *Aquisgranum*.

In crastino Sancti *Nicholai* Canonici Sancti *Pauli* London, obtenta domini Regis licentia, convenientes in unum, & votis unamiter adunatis, venerabilem virum magistrum Y. de Schythill, ejusdem Ecclesiæ Decanum, in patrem & pastorem elegerunt concorditer; qui statim transfretavit in Vasconiam ad Regem, ipsius benevolentiam petiturus, qua obtenta rediit in *Angliam* circa mediam Quadragesimam; & quia Dominus *Cantuariensis* tunc fuerat in partibus transmarinis, impetratis ab eo literis ad officialem suum, qui tunc vices suas gerebat in *Anglia*, consecrationis gratiam meruit obtinere. Dominus *Cantuariensis* gratiose concessit eidem, quod à quocunque Episcopo *Angliæ*, quem duceret eligendum, posset in Episcopum Consecrari.

1274 MCCLXXIV.

D. Y. de Schy-shill in Episc. Londin. elect. consecratur.

Anno incarnationis unigeniti filii Dei MCCLXXIV. venerabilis London electus magister Dominus de Schythill, de licentia Domini *Cantuariensis* ut supra tetigimus, à venerabili patre *Godefrido* tunc *Wigorniensi* Episcopo, assistentibus etiam pluribus aliis Episcopis, apud Lameye in capella Domini *Cantuariensis* fecit in Episcopum solemniter consecrari III. Kal. Maii, viz. Dominica proxima post festum Sancti *Marci* Evangelistæ.

Papa Greg. Dec. Lugduni Concilium celebrat.

Consequente primo die Maii cœpit venerabilis Papa *Gregorius* decimus, evocatis totius mundi prælatis, apud *Lugdunum* super *Rodanum* solemne pariter & generale concilium celebrare. Porro duo memorabilia quæ in eodem concilio edita fuerant, seu statuta, ad posterorum memoriam transmittere dignum duxi.

Decimæ Ecclesiasticorum per sex annos dantur in subsidium terræ sanctæ.

Imprimis statuit Papa, quod à tempore concilii celebrati, omnes religiosi exempti cujuscunque fuissent ordinis, vel conditionis, & omnes Clerici habentes beneficia ecclesiastica, per sex annos, darent decimas beneficiorum in subsidium terræ Sanctæ; una scil. medietas dari consueverat ad Natale Domini, & alia medietas ad festum Nativitatis *Johannis Baptistæ*, & quod tota pecunia de dicta decimatione per sex annos continuos colligenda, integra custodiretur deposita in ærario publico, usque ad finem termini prælibati, distribuenda & eroganda bellatoribus profecturis in terram sanctam, ad pugnandum contra hostes Christianæ fidei. Alterum memorabile quod in eodem concilio contigit, non decet sub silentio pertransire, quod Græci, licet Catholici, qui hactenus in quibusdam ritibus à nobis discrepaverant, die Lunæ in crastino Nativitatis *Johannis Baptistæ* sponte venientes *Lugdunum*, in præsentia Domini Papæ, & totius concilii adhuc ibidem congregati, spreta superstitione schismatica, qua usque hactenus utebantur, symbolum Dominicum, quod in Missa cantamus, sonoris vocibus inchoantes à principio usque ad finem decantaverunt; clausulam quoque illam, scil. unam Sanctam Catholicam & Apostolicam ecclesiam, ternis vocibus repetebant, & sic sacrosanctæ & Apostolicæ *Romanæ* Ecclesiæ spiritualis confœderationis vinculo couniti ad propria repedabant. In eodem concilio *Robertus* Sarum electus, qui diu ante, sicut supra tetigimus, vacante sede *Cantuariensi* à Monachis *Cantuariensibus* se fecerat confirmari, propter quod consecrationis gratiam non potuit obtinere, de gratia summi Pontificis consecrationis munus obtinuit, & ad Ecclesiam suam rediit consecratus.

Græci subscribunt Symbolo Apostolico.

Walter. Merton in Episc. Roffen. eligitur.

Circa festum Sancti *Jacobi* obiit *Laurentius* de Sancto *Martino* *Roffensis* Episcopus; Dominus *Walterus* de Merton ad ejusdem dignitatis celsitudinem concorditer est electus.

R. Edvard. in Angliam redit.

Die Jovis in crastino Sancti *Petri* ad vincula illustris *Anglorum* Rex *Edwardus* applicuit in *Angliam*, expectans in partibus tandem diem coronationis

tionis suæ, solemnitatis præparamenta, prout Regiam decebat magnificentiam, non mediocrem sed maximam solicitudinem requirebant.

Die vero Sabbati proxima, post assumptionem gloriosæ virginis dei genitricis *Mariæ*, idem Rex, occurrentibus sibi nimirum & applaudentibus non solum civibus *Londoniarum*, sed & universis Regni magnatibus, Clericis simul, & laicis, qui pro tantæ novitatis spectaculo, imo etiam pro sui Principis honorificentia fuerant congregati, per evocationem Regiam de remotissimis Regnorum finibus conglobata turba quidem magna, quam dinumerare nemo poterat, civitatem London, quæ ad ejus ingressum multipliciter adornata fuerat, introivit. Nec sufficere posset lingua, vel calamus ad ornamenta civium & civitatis enumeranda, quæ sine sumptuum consideratione, multifariis adinventionibus pro Regis magnificentia studiose fuerant elaborata. Sequenti quoque Dominica, quæ eo anno contigit XIV. Kal. Septembris, in festo scil. Sancti *Magni* martyris, idem Rex à venerabili patre *Roberto* tunc *Cantuariensi* Archiepiscopo, assistentibus ut decebat totius Regni suffraganeis, excluso tamen *Waltero* tunc *Eboracensi* Archiepiscopo, qui, propter frivolam inter duos *Angliæ* Metropolitanos discordiam, quæ, pro crucis deportatione, inutili, & sumptuoso labore eos diutissime exercuerat, Regiæ coronationi non passus est interesse; sacrosancti Crismatis oleo delibutus Regni Diadema suscepit, & coram Regni sui proceribus gloriosus effulsit, nec deerant, una cum civibus London & cæterarum civitatum & oppidorum totius Regni, quorum quique quasi concertando variis & sumptuosis se vestimentorum generibus adornabant, Comitum, Baronum & militum copiosæ catervæ incomparabilibus vestibus adornatæ; quo civitas ipsa, quæ Regni nostri Capitanea non immerito nominatur, bombicinis & auro textis emicuit indumentis; taceo de celebri convivio, quo confluentes undequaque populi non minus admirari poterant,, quam lætari, nec silentio prætereundum est, quod serenissima *Anglorum* Regina *Alienora* simul cum Rege Regio vernans diademate gloriosa refulsit, ut convenienter eis congrueret illud Davidicum, speciosus forma præ filiis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis, propterea benedixit te Dominus in æternum, Accingere gladio tuo super femur tuum, potentissime specie tua, & pulchritudine tua intende, prospere procede, & Regna; & paucis interpositis sequitur, astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate. Circa festum Sancti *Michaelis* *Walterus* de Merton *Roffensis* electus consecrationis munus accepit.

R. Edv. ab Archiep. Cantu. coronatur.

Circa festum Sancti *Calixti* Papæ *Henricus* filius Regis *Edwardi* secundo genitus immatura morte decedens seculo valedixit, animos parentum non mediocriter dolore perfundens, & sepultus est apud *Westmonasterium* die Sabbati proxima post festum Sancti *Lucæ* Evangelistæ, scil. decimo Kal Novembris.

Circa festum omnium Sanctorum Dominus Rex *Angliæ* arripuit iter versus partes Marchiæ, habiturus Parliamentum cum *Lewelino* Principe *Walliæ*; sed idem Princeps censendo non esse sibi tutum certo die & loco occurrere Regi nostro, nisi certis obsidibus pro securitate sibi commissis, venire prorsus & cum eo Parliamentare recusavit. Quamobrem Rex noster infecto penitus negotio, quod conceperat, sine moræ dispendio repedavit. Circa festum Sancti *Martini* obiit nobilissima domina uxor Domini *Edmundi* fratris serenissimi Regis nostri, cui hæreditaria successione competebat Comitatus Albemarle, patre viz. defuncto diu ante, cui sola hæreditario jure successit, & si matrem adhuc superstitem supervixisse potuisset, Comitatus de Wight insulæ ratione sibi simili competisset, cujus interitus, imo etiam privatio tantorum Dominatuum animum mariti non mediocriter contristavit, quia non sine dolore amittitur, quod cum amore possidetur.

Rex colloquio cum Lewellino Walliæ Pr. frustra tentato redit.

Circiter diem illum *Willielmus* *Bathoniensis* Episcopus, vir miræ simplicitatis & innocentiæ, carnis mole deposita hominem terrestrem exuit, præsenti seculo valedicens: statimque electus est ad ejusdem dignitatis celsitudinem vir tunc mirabilis magnificentiæ Dominus *Robertus* Burnell, annuente po-

D. Burnell in Episc. Bathon. eligitur.

N 3 tissimum

tiſſimum & cooperante Rege *Anglorum*, cujus ſibi diutinum inæſtimabiliter complacebat obſequium.

Margareta Scotorum Reg. & Soror Beatricia ob.

Anno eodem pene elapſo, circa mediam Quadrageſimam, obiit ſereniſſima Regina *Margareta* Regina *Scotorum*, & ſoror ejus *Beatricia* nobilis *Britanniæ* Comitiſſa, Regis *Anglorum* germanæ, earum genitrici Reginæ *Anglorum* planctum lugubrem relinquentes, ſane utriuſque ſexus ſoboles ingenua, quam ſupradictæ ſorores de ſuis lumbis ediderant, doloris vehementiam temperavit.

Duo Soles in cœlis apparent.

Anno ipſo pene revoluto XVIII. Kal. Aprilis circa horam ſextam apparuerunt in firmamento in plaga meridionali quaſi duo ſoles, & tres ſemicirculi circa ipſos ſoles, quorum duo faciem ſeu colorem Iridis manifeſtiſſime prætendebant, tertius autem coloris candidi erat, & ſinguli ſingulos quaſi lætando per medium interſcindebant: Aſpicientes itaque ſignum tam inſolitum tanquam attoniti ſtupuerunt, viſione ipſa per dimidiam horam continue apparente.

1275

MCCLXXV.

D. Burnell Conſecrat.

Anno quo per unionem verbi cum carne veritas de terra orta eſt MCCLXXV. Dominus *Robertus* Burnell tunc *Bathonienſi* electus, dominica in Ramis palmarum quæ anno ipſo contigit VII. Id. Aprilis, à venerabili patre Domino *Roberto Cantuarienſi* Archiepiſcopo in Conventuali Eccleſia de Merton conſecrationis munus accepit.

In Parliamento Weſtmonaſterii habito Leges veteres reſtitutæ & novæ conditæ.

In Quindena *Paſchatis* factum eſt famoſum & ſolemne Parliamentum apud *Weſtmonaſterium*, congregatis ibidem totius Regni majoribus, tam ſecularibus tam perſonis Eccleſiaſticis; in quo, tanquam in primo Parliamento ſuo, Dominus Rex cupiens, ut decuit, populo complacere, & leges languidas, quæ per prædeceſſorum ſuorum impotentiam, ſeu per Regni turbationem, imo etiam per abuſionem male utentium, diutiſſime dormitaverant, excitare, & in ſtatum debitum revocare, fidelium & juriſperitorum Regni ſui, cooperante conſilio, nova quædam ſtatuta non ſolum juri conſona, verum etiam toti Regno perneceſſaria, compilavit, & publice divulgata poſteris memoriter obſervanda contradidit, quo corda plebeiæ multitudinis inæſtimabili ſibi dilectionis ſinceritate conjunxit.

Tho. de Cantelupo in Epiſc. Herefor. eligitur.

Obiit *Johannes* dictus *Brito* Hereford Epiſcopus, ſuccedente quoque die Veneris proxima poſt feſtum Sancti *Barnabæ* Apoſtoli electioni faciendæ præfixa, magiſter *Thomas* de Cantelupe ſolemniter & concorditer in Epiſcopum à fratribus eſt electus.

Circa idem tempus crepuerunt cicatrices vulnerum Domini Regis, quæ cultro venenifero ſicut ſupra tetigimus pertulit in *Syria* per ſatellitem aſſeſſinum, Rex utique ex vehementia doloris & anguſtiæ graviſſime cœpit febricitare, adeo ud de ipſius convaleſcentia pene deſperaretur, ſed tandem Domino miſerante convaluit.

Rex Oxoniam veniens ſuperſtitione quadam detentus civitatem ingredi recuſat.

Dominica proxima ante feſtum Sancti *Petri* ad *Vincula* Dominus Rex venit *Oxoniam*, occurrentibus ſibi cum inæſtimabili ſolemnitate & lætitia viris religioſis, diverſorum ordinum, Clericis tunc licet paucis in municipio commorantibus, Burgenſibus ejuſdem villæ cum innumerabili multitudine utriuſque ſexus, mulieres vero cum pretioſis veſtibus adornatæ certatim ſibi cereos ſumptuoſos præparaverant & cum eiſdem lucernis accenſis ob Regiam honorificentiam Regi pariter & Reginæ extra fores oppidi ſolemniter occurrebant; & licet oppidum ipſum pro tanti principis honorificentia contra primum ejus ingreſſum fuiſſet multipliciter adornatum, Rex, neſcio quorum ductus conſilio territus, ut credi poterat veteri ſuperſtitione deriſoria, quod, obtentu precum Sanctæ virginis Frideſwythe, nullus Rex oppidum ipſum, patre ſuo duntaxat excepto, auſus fuit à multis retroactis temporibus introire, cum veniſſet ad portam Orientalem, ſpreta villa, reflexis habenis equitans extra mœnia aulam Regiam in ſuburbio poſitam introivit.

In

Gaſtonus de Biarre carceri commiſſus cautione data liberatur.

In craſtino quidem ſatis mane venit ibidem *Gaſtonus* de **Biarre** cum quibuſdam nunciis Regis *Francorum*, idemque *Gaſtonus* die Martis ſequente venit ad Regem cum adhærente ſibi familia colloquium habiturus; quem Dominus Rex continuo captivari præcepit, & in caſtro ſuo **Oxon**, Domino *Stephano* de **Penecest** militi quidem non ignobili cuſtodiendum commiſit, ſed nunciorum Regis *Francorum* cooperante ſubſidio, ſufficiente tamen pro eo præſtita cautione ſtatim liberatus ad propriam paſſus eſt remeare provinciam, tempore congruo reverſurus in *Angliam*, & Regi beneplacita completurus.

Dominica in feſto Nativitatis glorioſæ Virginis conſecratus eſt magiſter *Thomas* de **Cantelup Hereford** Epiſcopus.

Terræmotus.

Die Mercurii ſequente ſcil. III. Id. Septembris, factus eſt terræmotus per *Angliam*, qui cum per civitates **London**, *Cantuarienſem* & *Wigornienſem*, parteſque maritimas meridionalis plagæ vehementius infeſtavit, Aquilonares quoque moderatiori turbatione commovit.

In Parliamento Weſtmonaſterii habito decima quinta bonorum temporalium à Clericis & Laicis Regi conceſſa eſt.

In quindena Sancti *Michaelis* proximo ſequente convocatis generaliter apud *Weſtmonaſterium* totius Regni magnatibus, habitoque cum ipſis diffuſiore tractatu, Dominus Rex voluntarie vel invite laicos & Clericos univerſos & ſingulos totius Regni ſui precum interveniente præcedentia prudenter induxit, quod de omnibus bonis ſuis temporalibus partem ſibi quintam decimam conceſſerunt, quo ſumptus ineſtimabiles quos fecerat in *Syria* recuperaret, & importunas creditorum exactiones ſoluta pecunia mitigaret, verum quia inhoneſtum videretur & importunum de beneficiis Eccleſiaſticis conſimilem petere quintam-decimam, præſertim cum univerſi Clerici Regni *Angliæ* tam religioſi quam ſeculares, non ſolum patri ſuo, ſed etiam ſibi per multos retroactos annos, ut prætactum eſt, ſuas decimas curialiter tribuiſſent; quinetiam ex ordinatione Domini Papæ facta in concilio *Lugdunenſi*, per ſex annos continue ſequentes decimas ſuas in ſubſidium terræ ſanctæ ſolvere cogerentur, volens Clericis ipſis neceſſitatem imponere, ſed potius aliquantulam loco ſubſidii voluntarie conſequi portionem, congregatis in præſentia ſua totius Regni Pontificibus, & totius Cleri majoribus, ſupplicabat eiſdem, quod aliquod ſubſidium gratis ſibi concedere dignarentur; ſane quia Pontifices afflictos affligere, vel Clericis ſuis non vocatis, nec conſultis, neceſſarias contributiones imponere non poterant nec debebant, ne Regis ſupplicatio manifeſtam ſeu præciſam videretur pati repulſam, unanimi concordia reſpondendum duxerunt, quod citra quindenam Paſchæ proxime ſecuturam ſinguli ſingulos Clericos ſuarum Diocæſium facerent convocari, & eos ſupra hujus momenti ſubſidio tribuendo conſulerent, & quicquid de ipſorum gratuita voluntate poſſent inquirere, ſeu perpendere, in quindena Paſchæ proxime ſecutura ſuis Domino Regi reſponſionibus intimarent.

Leges novæ latæ de Judæis.

In prætaxato Parliamento actum eſt quoddam memorabile, quod turpe foret ſub ſilentio præterire, nempe deliberato nimirum conſilio inimicis crucis Chriſti *Judæis* in *Anglia* commorantibus, qui Catholicos intolerabilibus aggravabant uſuris, legis *Moſaicæ* profeſſoribus legem novam ſanxivit, viz. ut in poſterum nulli pecuniam ſuam ad uſuram commodare præſumerent, ſed de labore manuum ſuarum, & negotiationum legitima victualia ſibi neceſſaria propagarent, & ſuper hoc conſtitutiones quaſdam editas *Judæis* tribuit memoriter obſervandas. Circa idem tempus obiit Dominus *Johannes* filius *Johannis*.

Edmun. Regis frater uxorem ducit Reginam Navarræ.

Dominus *Edmundus* frater Domini Regis *Anglorum* transfretavit, & ſibi potentiſſimam Dominam Reginam *Navarræ* conjugio copulavit. Anno ipſo poſt tranſacta Nativitatis Dominicæ ſolemnia decimo die menſis Januarii *Gregorius* Papa decimus præſenti ſeculo valedixit.

Ob. Greg. Dec.

Gaſtonus de Biarre ſe Regi reddit.

Circa Purificationem beatæ *Mariæ Gaſtonus* de **Biarre** rediit in *Angliam*, & ſicut ante pepigerat gratis ſe reddidit Domino Regi, ſubmittens ſeipſum & omnes terras ſuas ejuſdem Regis beneplacito, quo ſtatim captivato omnium terrarum & caſtrorum ipſius *Gaſtoni* cuſtodes inſtituit, & eos in *Vaſconiam* mittere non tardavit.

Emericus de Monteforti in Walliam navigans à Bristollienfibus captus Regi traditur.

Circa idem tempus *Emericus* de *Monteforti* cum duobus militibus de *Gallia*, & duobus fratribus prædicatoribus maris devia navigando percurrens, & filiam quandam Comitis *Leycestriæ* sororem suam Germanam secum adducens, & in *Walliam* applicare proponens, ut ipsam mulierem *Lewellino* Principi *Walliæ* matrimonio copularet, contigit, ut ex paucis velis ante portum *Bristolliæ*, navigaret; sed cives ejusdem oppidi rate considerata, perpendentes aliquod insolitum in ea consistere, puppem ipsam cum tota sarcina capientes, invitos intrinsecus perduxerunt ad portum *Bristolliæ*, & prædam ipsam non ignobilem Domino Regi cum triumphali lætitia reddiderunt. Rex quoque considerans ex prædicto conjugio, si præcogitatum consequeretur effectum, dispendia sibi minime defutura, captivos ipsos nobiles separatim concludi præcepit in carceres singulos, singulos assignando custodes, sane mediantibus nunciis Regis *Francorum* fratres & milites citissime liberati redierunt in *Galliam*.

Petrus de ordine prædicatorum in Papam electus nomine Innocentii Quinti.

Circa principium Quadragesimæ electus est quidam frater de ordine fratrum prædicatorum *Petrus* nomine ad Papatus celsitudinem, & assecuto munere consecrationis mutato *Petri* nomine, cui successit in celsitudine dignitatis Apostolicæ, vocatus est *Innocentius* Quintus.

1276

MCCLXXVI.

Ob. Innocent. Quintus. Octobonus in Papam electus nomine Adriani, ante consecrationem obit.

Anno, quo verbum patri coeternum caro factum mortalitatis nostræ particeps factus est in fine seculorum MCCLXXVI. XI. Kal. Julii obiit *Innocentius* Papa Quintus, electus est ad Papatus celsitudinem Dominus *Octobonus*, qui tunc ultimo, sicut supra tetigimus, legationis officio in partibus *Angliæ* fungebatur, & pristino nomine transmutato vocatus est *Adrianus*, qui, tandem consecrationis munere non obtento, transitoriam mundi gloriam brevi prodidit intervallo, ipsum vero vitæ longioris spes infida fefellit, dum mors parcere nescia, paucorum dierum labente curriculo, temporalis vitæ transitoriam sibi jucunditatem maturius, quam credebatur, adinveniret. Quo defuncto post modicum temporis fluxum ad eandem celsitudinem electus est quidam Cardinalis dictus *Hugo Hispanus*, & de *Hugone* vocatus est *Johannes*. Translatus est Dominus *Richardus Gloucestrensis* Episcopus in Vigil. Sancti *Botulphi* viz. XVI. Kal. Julii contingente eo anno feria tertia.

Hunc excipit in Papam Hugo Hispan. nomine Johannis.

Edmun. Regis fr. Reginam Navarræ in Angliam ducit.

Miranda siccitas per totam *Angliam*, adeo quod à Pascha usque festum Sanctæ *Margaretæ* fere nihil plueret super terram. Dominus *Edmundus* Regis *Angliæ* germanus transfretavit, & circa festum Sancti *Barnabæ* nobilem mulierem Reginam *Navarræ*, quasi non minus Regni *Navarræ*, quod eidem Reginæ jure hæreditario competebat, ambitione devictus, quam formæ venustioris illecebra allectus sibi conjugio copulaverat, ut natalis soli viz. *Anglicani* jucunditatem, & possessionum suarum in eodem Regno sibi copias ostentaret, duxit in *Angliam*, quam non solum affines & propinqui sed & externi summa cum honorificentia susceperunt.

Circa festum Sancti *Jacobi* Apostoli nuncii qui missi fuerant in *Vasconiam* pro terris Domini *Gastoni* custodiendis injuncto sibi legationis officio, ob resistentiam ministerialium ejusdem *Gastoni* non adimpleto vacui redierunt in *Angliam*.

Bellum inter Regem Hisp. & Reg. Fran. de Dominio Regni Navarræ.

Anno eodem Rex *Hispaniæ* vendicans sibi Dominium Regni *Navarræ*, copiosum præparavit exercitum, ut ipsum Regnum invaderet, & suo Dominio subjugaret, & civitatem *Pampelonam*, & quasdam alias civitates munitas obsidione conclusit, quas demum potestate valida sic arctavit, quod per impotentiam resistendi suo se Dominio dedere cogerentur. Rex itaque *Francorum* asserens è contrario Regnum ipsum antiquo jure suo debere subjacere Dominio, permissis comminatoriis & exercitu congregato, cui *Gastonum* de Biarre ducem præfecit, misit eos in *Navarram* ut vel urbes occupatas ab occupatione defenderet, & Regnicolas, adjutorium impendendo, à depopulatione salvaret. Interim Rex *Francorum*, congregatis de universis mundi partibus stipendiariis, copiosum coadunavit exercitum, ut in manu potenti & brachio

extento

extento montuoſa provinciarum interjacentium cacumina ſine reſiſtentia pertranſiret, & Regem *Hiſpaniæ*, qui in *Navarram* credebatur adventurus, potenter exciperet, ac terram ipſam ſuo Dominio ſubjugaret. Ingruente vero protinus temporis hiemalis incommodo, imo potius cibariis hominum & pabulis jumentorum pene deficientibus, quæ nec venalia poterant inveniri, priuſquam montuoſæ provinciæ potuiſſent diſcrimina tranſmeare, non ſine verecundia coacti ſunt in Galliam repedare, ſtipendiariis omnibus, ne inutiliter nil commodi faciendo ſtipendia percepta, ſimul perceptura conſumerent, in patrias ſuas ſingillatim remeantibus, *Francorum* quoque præſumptuoſa ſuperbia, quæ de triumphis fatalibus jactitare conſueverat, ſua cum confuſione diſpendia deplorabat.

Circa feſtum Epiphaniæ ſereniſſimus Rex *Anglorum* verſus partes Marchiæ copioſum præmiſit exercitum, ut provinciam ipſam, quam *Lewelinus* princeps *Wallenſium*, ſpreta Domini Regis fidelitate, crebris incurſionibus depopulaverat, communiret; & principem ante dictum, ne more ſolito debacchari præſumeret, potentiſſime coarctaret, quod & factum eſt; exercitus ipſe partes ipſas uſque feſtum Pentecoſtes proxime ſequens continue commorando virtute bellica defendebat.

Rex Aug. exercitum mittit contra Lewelinum.

MCCLXXVII. 1277

Anno, quo verbum patris ſibi coæternum, particeps noſtræ carnis effectum in tempore voluit incarnari, MCCLXXVII. obiit vir venerabilis magnificentiæ Dominus *Philippus* de *Eya* apud **Dſeneye**; pridie Nonas Aprilis, ſepultus ibidem in Eccleſia Conventuali Canonicorum ejuſdem monaſterii, vir ſane redituum, & poſſeſſionum tam Eccleſiaſticorum quam ſecularium adeptione præclarus, & non ſolum profuſa elegantia virtutum venuſtatus in animo, verum etiam ſapientia pariter & dapſilitate refulgens, ciborum & potuum famoſiſſimus erogator. Circa feſtum Pentecoſtes proximo ſequens, venerabilis Papa *Johannes* in præſentis vitæ fallibilitate tranſitoria concipiendo fiduciam, cum competentem ſibi cameram conſtruxiſſet, nihil ſibi metuens cum in eadem ſolitarius proſtitiſſet, domus ipſa de qua nihil timebatur inopinata corruit, & ſolum Papam, qui in ea fuerat, ſubito conquaſſavit, quo tranſitoriam mundi gloriam planctuoſo fine concluſit.

Johannes Papa corruente domo interiit.

Quo defuncto, modico temporis elabente curriculo, Dominus *Johannes* dictus *Gagytanus* Apoſtolicæ celſitudinis dignitatem, ad quam deſideriis ſitibundis diutius aſpiraverat, à fratribus concorditer electus obtinuit, & de *Johanne* vocatus eſt *Nicholaus*.

Joh. Gagytanus in Papam electus nomine Nicholai.

Circa idem tempus illuſtris Rex *Anglorum* volens præmiſſam ad partes Marchienſes militiam corporali præſentia potentius animare, totius Regni ſui viribus conglobatis perſonaliter adiit partes illas, quas ut prædiximus præmiſſus protegebat exercitus; ita quod in feſto Nativitatis Sancti *Johannis Baptiſtæ* fuit in partibus *Ceſtriæ*; & quia inter *Ceſtriam* & terram *Lewelini* interjacet quædam ſilva tantæ denſitatis, & amplitudinis, quod exercitus Regius eam nullatenus poterat ſine diſcrimine pertranſire; proſtrata ſeu ſecata ipſius ſilvæ portione non modica, progrediendi in terram Principis ſibi & complicibus ſuis latiſſimum patefecit ingreſſum, & terram ipſam violentis auſibus occupatam triumphaliter introivit; ſtatimque in ripa cujuſdam fluminis, quo maris inundatio quotidie fluit & refluit, duo caſtra munitiſſima pro ſitus aptitudine cepit ædificare, quo ſibi & ſuis impugnabile præpararet diverſorium: quorum unum le **Flint** & alterum **Rothelan** appellavit; & in partibus illis uſque feſtum Sancti *Martini* toto conſedit exercitu, crebris inſultibus impugnando *Wallenſes* terras, ipſas cum indigenis ſic arctando, ut deficientibus ſibi victualibus, ultimum & principale refugium ſuum, quod *Snowdonia* vulgariter appellatur, licet inviti cogerentur repetere, & de reſiſtentia ſeu rebellatione nihil penitus cogitarent. Maritimi quoque Portuenſes ſtrenuiſſimi bellatores in pelago cum innumerabili navium multitudine applicuerunt in inſulam quandam *Snowdoniæ* contiguam, quæ **Angleſey** dicitur, ipſamque potenter & pompatice

Rex Angl. cum magno exercitu Walliam intrat.

Lewelinum ad maximas difficultates redigit.

Inſulam Angleſey occupat.

Lewelinus se Regi submittit.

pompatice obtinuerunt, unde Princeps nimium stupefactus & perterritus necessitatem vertens in alacritatem circa festum Sancti *Martini* seipsum cum tota terra sua voluntati Regiæ subjugavit.

Pactis initis de tributo annuo Regi solvendo, & Rege sibi in hæredem substituendo Lewelinus in Walliam redit.

Rex illico voluntatis suæ compos rediit in *Angliam*, & juxta formam pactionis inter eos initæ, adduxit secum in *Angliam* Principem memoratum, & fuit cum Rege *Londoniis* in festo nativitatis Domini, ibique in præsentia Regis, & multorum Regni magnatum fecit Regi homagium corporali præstito Sacramento per se, & potentiores provinciæ suæ, quod totam terram suam quamdiu viveret de Rege teneret, tanquam de Domino, & pro insula **Anglesey**, quam Rex sibi tenendam contradidit, annis singulis certam sibi pecuniæ quantitatem; instrumentis insuper inter eos confectis, quod nullum alium, præter Regem, hæredem sibi substitueret successurum, quibus actis sub tutamine Regni conductus in *Walliam* repedavit.

Rex utique reversus de *Wallia* cepit de quolibet feodo militis per totum Regnum XL Solidos pro scutagio, illis duntaxat quietis à taxatione seu solutione scutagii, qui secum ab *Anglia* in *Walliam* personaliter vel per substitutos idoneos militabant.

Ob. Walt. de Merton, excepit Præcentor Roffensis.

Dominus *Walterus* de **Merton** tunc *Roffensis* Episcopus, peragrando provincias, cum fluvium quendam minus provide transmearet, vado prorsus incognito corruens de equo cui insidebat, cadensque in fluvium, à domesticis suis de fluvio vix extractus, post modicum temporis intervallum præsenti seculo valedixit. Electus est loco ipsius quidam monachus præcentor *Roffensis* Monasterii; cujus confirmatio per impedimenta frivola, per aliquantulum temporis prorogata, probato tandem quod electio ipsius canonice fuerat celebrata, ad votivum pervenit effectum.

Ob. Norwic. Episc. huic succedit Williel. de Middleton Archidiac. Cantuar.

Cito post Natale *Rogerus* **Norwic** Episcopus naturalem resolutus in mortem temporalis vitæ diem clausit extremum, electus est loco ejus vir præcipue venerandus magister *Willielmus* de **Middleton**, Archidiaconus *Cantuariensis*, generis nobilitate præclarus, moribus & literatura conspicuus, cujus confirmatio tanto maturiorem sumpsit effectum, quanto Domino *Cantuariensi* speciali dilectionis fœdere fuerat counitus.

1278

MCCLXXVIII.

Norwic. Episc. consecr.

Anno quo sapientia patris increata nostræ mortalitatis induit corruptelam, MCCLXXVIII. IV. Kal. Junii viz. dominica proxima post Ascensionem Domini, Dominus *Willielmus* **Norwic** electus à venerabili patre Domino *Roberto Cantuariensi* Archiepiscopo, præsente Rege *Anglorum* illustri, & procerum Regni sui multitudine copiosa, apud **Lamepe**, summa cum honorificentia consecrationis munus accepit, consecratus est eodem die cum eo Dominus **Roffensis** electus.

R. Edv. de Lewelini fide dubius in Walliam tendit.

Dominus Rex *Angliæ* audito quod *Lewelinus* à fidelitate, quam sibi fecerat, resilire proposuisset, quod super hoc sibi relatum fuerat credibilius opinando, eo quod princeps antedictus ad Parliamentum Regis, quod in tres septimanas post Pascha **London** fuerat celebratum, venire contemneret; paucissima militum comitiva stipatus, circa festum Sancti *Petri* ad *Vincula* versus provinciam *Marchiensem* se transtulit, ut descenderet & videret, si *Lewelinus* rupto fœdere, quo paulo ante fuerat obligatus, clamorem opere complevisset; sane princeps memoratus ne prævaricationis pactionum vel infidelitatis argui posset, Regi *Angliæ* fines *Marchiæ* visitanti tanquam Domino suo occurrit ipsumque ut decuit multipliciter honoravit.

Papa promovet Archiep. Cantuar. in Cardinalatum Portuensem.

Circa idem tempus Dominus Papa plenitudinem potestatis suæ conatus ostendere, venerabilem patrem nostrum Dominum *Robertum Cantuariensem* Archiepiscopum volens ad celsiorem provehere dignitatem, ei Cardinalatum contulit Portuensem, quippe licet *Cantuariensis* Archiepiscopatus in proventibus temporalium commodorum Portuense fastigium incomparabiliter excedere videretur, tamen ne summo Pontifici videretur inobediens, ditiori sponsæ, venustioris formæ captus illecebra, valedicens temporalibus commodis

modis non recusavit anteponere dignitatem; quapropter circa festum Sancti *Jacobi* Apostoli convocatis suffraganeis suæ Metropolis omnibus, & singulis, cum ea qua decuit honorificentia valedixit, statimque profecturus ad Curiam nacta temporis opportunitate flatibus prosperis transfretavit.

Renovata igitur inter Regem *Angliæ* & *Lewelinum* fide, Princeps ipse in festo translationis Sancti *Edwardi*, in Quindena viz. Sancti *Michaelis*, annuente Rege *Anglorum*, desideratissimam sibi sponsam, ad cujus amplexus diutius conspiraverat, filiam *Simonis* de *Monteforti* quondam Comitis *Leycestriæ* in civitate *Wigornienfi*, procerum Regni hujus ibidem multitudine convocata, non sine magno cordis tripudio desponsavit. Quibus actis Rex *Scotorum* monitus & vocatus per Regem *Anglorum*, ut homagium, quod ipse fecerat Regi *Henrico* pro terris finitimis Regno *Scotiæ*, quas de eo teneret, præsentialiter innovaret; idem Rex *Scotorum*, sponte nescio vel invitus, Regnum suum egrediens venit in *Angliam*, & adproperans Regi nostro suis se beneplacitis per omnia coaptavit; & ut tantæ deditionis triumphus nostros Regnicolas non lateret in posterum, Rex *Scotorum* Regi nostro fecit homagium, hoc cum obtento, quod de cætero ubicunque in Regno *Angliæ* posset inveniri, ibidem suum & posterorum suorum homagium Rex & posteri sui recipere non differrent, pactis quoque super hoc firmissime solidatis Rex *Scotorum* ad propria repedavit.

Lewelinus uxorem ducit filiam Simonis de Monteforti olim Com. Leicestr.

Rex Scotorum homagio prius præstito Anglorum Regi in Scotiam redit.

Dominus noster serenissimus Rex *Anglorum* manifeste prospiciens monetam suam per *Judæos Angliæ*, quibus uti prætactum est fœnerandi lucrum fuerat interdictum, per intolerabilem retonsionem quasi penitus annihilari, ut nec ad medietatem debiti ponderis nummus posset attingere; consideratis etiam quod mercatores transmarini cum mercimoniis suis Regnum *Angliæ* præ debilitate monetæ minus solito frequentabant, nec non quod omnimoda venalium genera incomparabiliter solito fuerunt cariora, ut Regni sui dispendia resarciret, sano procerum & consiliariorum suorum fretus consilio paucis quoque consciis, perfidos *Judæos* pecuniæ mutilatores per omnes *Angliæ* civitates & burgos in octavis Sancti *Martini*, uno eodem die captivari constituit, & carcerali custodia mancipatos compedibus oneravit, universisque bonis eorum nequiter adquisitis fisco Regio sine discrepatione qualibet applicatis, reservari præcepit judicialiter puniendos; & quia manifestis patebat indiciis, quod sine *Christianorum* consensu, tantum scelus perpetrari non potuit, pauco tempore post elapso fere omnes Regni sui aurifabros, nec non & aliôs quam plures de quibus per indictationem *Judæorum*, vel quamcunque probabilem præsumptionem suspicari poterat, quia retonsioni monetæ coadjutores, fautores, seu coemptores existerent, inopinatius quam credi poterat, captivavit.

R. Edw. Judæos & alios ob monetam ab his detonsam punien-dos curat.

Dominus *Willielmus* Norwic Episcopus Ecclesiam suam propriam Norwic monachorum conventualem, quæ post sui combustionem strenuissime fuerat reparata, dominica Adventus Domini, quæ eo anno contigit v. Kal. Decembris, præsente Rege & Regina, pluribus Episcopis, & Regni proceribus, cum ea qua decuit honorificentia dedicavit; & dedicationis solennia celebri convivio non mediocriter illustravit.

Episc. Norwic. de novo dedicat Ecclesiam Norwi. censem nuper restauratam.

Transactis quoque Nativitatis Domini solenniis Dominus Rex providos & prudentes viros Regni sui Justitiarios constituit, & ordinavit ad disceptandum cum Judæis & Christianis de retonsione monetæ, ut reos punirent, & insontes liberarent; qui quidem innumeram Judæorum multitudinem, quos retonsionis reos compererant, suspendio condemnabant, nonnullos vero de *Christianis*, ejusdem sceleris perpetratores, licet paucos simili suspendio puniebant: aurifabri siquidem & alii suspiciosi fere omnes inquisitionibus factis per juramentum, nescio si juste vel injuste, liberati mortis periculum evaserunt. Justitiarii quoque per totam quadragesimam, annuente Domino Rege pro reverentia sacri temporis, à prædicto judiciali strepitu quieverant, id ipsum statim post Pascha viriliter resumentes, & infinitam fere *Judæorum* multitudinem suspendentes.

Judæi & alii detonsæ monetæ rei suspendio plectuntur.

Monac. Cantuar. eligunt D. Burnell in Archiep. Cantuar. qua electione non confirmata Papa confert Archiepiscopatum Cant. in Joh. de Pecham.

Post transfretationem Domini *Roberti Cantuarienfis* Archiepiscopi, & admissionem in Cardinalatum, de quo supra meminimus, monachi *Cantuarienses* obtenta à Domino Rege eligendi licentia, Dominum *Robertum* Burnell *Bathoniensem* Episcopum in patrem & pastorem concorditer postulabant, qui tunc temporis in *Vasconia* pro Regis negotiis morabatur. Ipse quidem nuncios solennes misit ad Curiam pro confirmationis gratia obtinenda, sed frustra; quippe Dominus Papa circa festum Purificationis beatæ *Mariæ*, viz. in conversione Sancti *Pauli*, fratri *Johanni* de Pecham de ordine fratrum minorum, qui tunc personaliter in Curia morabatur, viro utique supereminentis literaturæ, (alterius postulatione cassata) Archiepiscopatum *Cantuariensem* contulit de plenitudine potestatis, ipsumque diutius rebellantem & contradicentem, licet invitum, ut dicebatur, consecravit Dominica mediæ Quadragesimæ, ad partes *Angliæ* tempore congruo profecturum.

1279 MCCLXXIX.

Anno, quo summi patris unigenitus inclinavit cœlos & descendit in uterum virginis, MCCLXXIX. obiit Dominus *Walterus* Giffard *Eboracensis* Archiepiscopus cito post Pascha, viz. in vigilia Sancti *Gregorii*.

Rex in Galliam transfretans cito revertitur.

Dominus Rex *Angliæ* circa festum Ascensionis dominicæ transfretavit in *Galliam*, Comitatum recepturus Pontivensem, *qui nuper ante vacabat*, & inclitæ Reginæ *Anglorum* uxori suæ jure hæreditario competebat, negotiisque suis ibidem feliciter expeditis, omnibusque ad votum ejus succedentibus, ante festum Nativitatis Sancti *Johannis Baptistæ* repedavit in *Angliam*, quem utique Dominus *Cantuariensis* Archiepiscopus citius transfretando modico tempore præcucurrit.

Rex moneta retonsa prius prohibita Cambium instituit.

Circa idem tempus Dominus Rex publico per totum Regnum edicto proclamari fecit, quod moneta retonsa amplius non curreret, nec invite ab aliquo caperetur, quinetiam in certis locis Regni, civitatibus & Burgis paucis tantum exceptis, cambium fecit institui, ita viz. quod pro qualibet libra monetæ inpacabiliter darentur XIV. denarii de incremento Cambii, & perciperent unam libram bonæ monetæ non retonsæ; circa festum Pentecostes cœpit regulatio monetæ retonsæ per totum Regnum, adeo ut infra tempus modicum nemo penitus ipsam admittere dignaretur.

Archiep. Cant. concilium convocat. apud Reding.

Dominus *Cantuarienfis* convocatis universis suffraganeis suis apud Reding, die veneris proxima post festum Sancti *Jacobi* Apostoli celebravit generale concilium, in quo constitutiones concilii generalis quod silentio præterire non convenit innovavit, viz. quod singuli rectores Ecclesiarum unico tantum beneficio curam animarum habente essent contenti, quinetiam omnes ad ordinem sacerdotii infra certum tempus se facerent promoveri.

Dissensio inter Archiepiscopos Cant. & Ebor. de jure crucis gerendæ.

Loco Domini *Walteri Eboracensis* Archiepiscopi electus est magister *Willielmus* de Wikkewane ejusdem Ecclesiæ Cancellarius, qui statim arripuit iter ad Curiam, & circa festum Sancti *Michaelis* rediit in *Angliam* à summo Pontifice consecratus; cumque reversus applicuisset in *Angliam*, & per provinciam *Cantiæ* erecta cruce, quam ante se more prædecessorum suorum fecerat deportari, pompatice pertransisset; quidam de familia Domini *Cantuariensis* crucem ipsam de manibus bajuli violentis ausibus abstulerunt, ipsamque minutim confringentes in frusta, antiquam & frivolam concertationem, quæ inter duos *Angliæ* Metropolitanos à multis retroactis temporibus pro crucis deportatione tanquam sopita, excitarunt.

Convivium celebre apud Kenellworth.

Dominus *Rogerus* de *Mortuo mari*, innumerabili multitudine militum & dominarum apud Kenellewortħ congregata, famosissimum celebravit convivium profusissimis expensis inutilibus, tum quod rotundam tabulam milites vulgari nomine consueverant appellare, armorum exercitio valedicens, celebratio rotundæ tabulæ facta est die Jovis in vigilia Sancti *Michaelis*, & post dies paucos sequentes tanquam ros matutinus evanuit, & versum est in nihilum quod fuit ante nihil.

Circa idem tempus frater *Johannes* de Clinton de ordine fratrum prædicatorum,

torum, cui Dominus Papa Archiepiſcopatum contulit *Dublienſem* in *Hybernia*, à Domino *Cantuarienſi* apud Sanctum *Albanum* conſecrationis munus accepit. Id. Decembris obiit *Richardus* de Gravesende Lincoln Epiſcopus.

Circa idem tempus divulgatum eſt quoddam ſtatutum in Regno *Angliæ*, quod Rex de communi conſilio & aſſenſu procerum ſuorum ſtatui procuravit, viz. quod nullus in poſterum poſſet terras, redditus, poſſeſſiones, viris religioſis vendere, vel conferre, nec liceret unquam religioſo de cætero quaſcunque terras, redditus, ſeu poſſeſſiones de quocunque ſeculari recipere, vel admittere titulo donationis, collationis, nec emptionis.

Statutum de non ulterius augendis Ecclesiaſticis reditibus, &c.

Circa idem tempus obiit in Curia *Romana* venerabilis frater *Robertus* de Killewardeby, qui de Archiepiſcopo *Cantuarienſi* creatus fuerat Dominus *Portuenſis* Epiſcopus Cardinalis. Die Mercurii proxima poſt Purificationem beatæ virginis, in craſtino Sanctorum *Vedaſti* & *Amandi* viz. VII. Id. Feb, obiit magiſter *Johannes* de Chiſhill London Epiſcopus. Die lunæ ſequente proxima poſt feſtum Sanctæ *Scolaſticæ*, viz. pridie Id. ejuſdem menſis obiit magiſter *Nicholaus* de Hely *Wintonienſis* Epiſcopus. Loco Domini *Richardi Lincolnienſis* Epiſcopi electus eſt Dominus *Fulco* Lunell Archidiaconus *Colceſtriæ*, ipſe tamen in electionem de ſe factam non conſenſit, ſed ei præciſe renunciavit: monachi quoque *Wintonienſes* loco magiſtri de Hely Dominum *Robertum* Burnell tunc *Bathonienſem* Epiſcopum & Domini Regis Cancellarium in patrem & paſtorem à ſede Apoſtolica poſtulabant, quorum poſtulationem Dominus Papa admittere recuſavit. Monachi quoque *Wintonienſes*, reſumpta ſibi eligendi poteſtate, venerabilem virum, & præeminentis ſcientiæ magiſtrum *Richardum* de la More Archidiaconum *Wintonienſem* concorditer elegerunt, quem Dominus *Johannes Cantuarienſis* Archiepiſcopus recuſavit admittere, eo quod duo beneficia curam animarum habentia ſine diſpenſatione admiſit & tenuit; idem magiſter reſpondit ſe nullum benificium admiſiſſe niſi mutum, & Archidiaconatum quem dignitatem eſſe dicebat, non beneficium cui cura incumberet animarum; & quia Archiepiſcopus præciſe recuſavit admittere, ipſe interjecta appellatione adiit ſedem Apoſtolicam Domini Papæ gratiam petiturus, ibique aliquantulam licet inutilem & inanem ſub ſpe gratiæ moram traxit. Infra Octavas Purificationis *Johannes* de Balhol adoleſcens ingenuus paterni nominis ſimul & patrimonii ſucceſſor hæreditarius, generoſiſſimam adoleſcentulam *Iſabellam* filiam Comitis *Waremiæ*, annuente Rege in cujus cuſtodia tunc idem *Johannes* extiterat, ſolemni ſibi matrimonio copulavit. Magiſter *Richardus* de Gravesend electus eſt in Epiſcopum London.

Cardinalis Portuenſis Romæ ob.

Archidia. Colceſtriæ cuſat Epiſcopatum Lincolæ.

Archid. Winton. in Epiſc. Winton. electus ab Archiep. Cant. rejicitur.

J h. de Balhol uxorem ducit fil. Com. Waremiæ.

MCCLXXX. 1280

Anno, quo verbum patris increatum de carne virginea materiam carnis aſſumpſit, MCCLXXX. in feſto Sancti *Georgii*, quod contigit in hebdomada Paſchæ, facta eſt tam vehemens inundatio aquæ pluvialis apud Oxon, quanta vel qualis non eſt viſa eo tempore anni, à triginta retro annis & amplius. Quarto Id. Maii conſecratus eſt Dominus *Olivenis Lincolnienſis* Epiſcopus à Domino *Johanne Cantuarienſi* Archiepiſcopo, inthronizatus in feſto Nativitatis beatæ *Mariæ* proximo ſequente. In feſto Pentecoſtes fuit generale capitulum totius ordinis fratrum prædicatorum apud Oxon, præſente ibidem Rege *Anglorum*. Obiit *Walterus* Oxon Epiſcopus, electus eſt loco ejus magiſter *Petrus* de Oxon conſecratus apud *Cantuariam* IV. Id. Novembris, non ab Archiepiſcopo, quia tunc fuit in Diocæſi Norwic pro viſitando, ſed à quibuſdam ſuffraganeis ſuis de mandato ipſius Archiepiſcopi. Dominica in craſtino Sancti *Laurentii* conſecratus eſt magiſter *Richardus* de Gravesend London Epiſcopus à Domino *Johanne Cantuarienſi* Archiepiſcopo apud Coventry, inſtallatus Kalendas Octobris circa aſſumptionem beatæ *Mariæ*. Obiit *Nicholaus* Papa improviſa morte, ut dicebatur, qui ante Papatum dicebatur *Johannes Gagitanus*. Nonas Octobris *Johannes Cantuarienſis* Archiepiſcopus ſolemne concilium celebravit apud Lameye, ſtatuens ut omnes rectores eccleſiarum curam animarum habentium infra annum fierent ſacerdotes, aut beneficiis privarentur. Proponebat

Aquarum magna inundatio Oxonii.

Epiſcopi Lincolæ, Oxon & Londin. conſecrati.

Papa Nichol. ob.

Concilium habitum apud Lameye.

Proponebat in eodem concilio libertates quaſdam ad coronam Regis ſpectantes annullare, viz. cognitionem de jure patronatus, & prohibitiones de catallis. Rex minis ſibi intentatis, ſi quid in præjudicium Regiæ libertatis attemptare præſumeret, viriliter ſe oppoſuit, Archiepiſcopus quoque territus à ſua præſumptione ceſſavit. Tranſlatus eſt dictus *Hugo* Lincoln Epiſcopus in feſto Sanctæ *Fidei* virginis. In quindena Sancti *Michaelis* conſecratus eſt magiſter *Thomas* Bek apud Lincoln in Epiſcopum *Menevenſem* à Domino *Johanne Cantuarienſi* Archiepiſcopo. In Parliamento quod factum *London* circa

Rex à Clero exigit decimam quintam.

feſtum omnium Sanctorum, Rex inſtanter petiit à Clero quintam-decimam per tres annos. Archiepiſcopus *Eboracenſis* ſtatim conceſſit ſibi quintam-decimam ſuæ Metropolis per II. annos: *Cantuarienſis* Archiepiſcopus deferebat reſponſum ſuum uſque quindenam Paſchæ, & tunc conceſſit Regi decimam duorum annorum, ſi quis bene conſideraverit totum reditum ejuſdem. Per totam illam hyemem facta eſt mirabilis inundatio pluviarum uſque Epipha-

Gelu aſperrimum.

niam. Circa converſionem Sancti *Pauli* incœpit aſperrimum gelu, & duravit uſque principium Martii fere per ſex ſeptimanas, ita quod nullus interim potuit arare nec ſeminare.

D. de Monte forti è carcere liberatus.

Circa feſtum Sancti *Cuthberti* Dominus *Emericus* de *Monteforti* liberatus eſt à captivitate, qua Rex eum diu detinuerat compeditum, qui ſtatim adiit ſedem Apoſtolicam.

1281

MCCLXXXI.

Lewelinus pace rupta vicinas vexat provincias.

Anno, quo Dei patris unigenitus de virgine *Maria* materiam carnis aſſumere dignatus erat MCCLXXXI. Circa feſtum Anunciationis *Lewelinus*, prævaricator pacis initæ inter ipſum & Regem *Angliæ*, inſtigante *David* fratre ſuo cœpit oppugnare caſtra de Flint & Rothelan, & vicinas depopulare provincias; quo audito Rex qui tunc apud *Deviſas* feſta Paſchalia celebravit, quoſdam de ſuis licet paucos præmiſit ad partes illas, qui miſeras *Wallenſium* turmas repellerent, caſtra defenderent, quouſque Rex poſſet ſibi conſultius providere; tandem convocatis Regni ſui proceribus ſtatuit Parliamentum

Parliamentum Wigorniæ habitum.

ſuum apud *Wigorniam* in feſto Nativitatis Sancti *Johannis Baptiſtæ*, ibique proviſum eſt quod omnes Regni magnates occurrrerent Regi cum equis & armis die Sancti *Petri* ad *Vincula* circa fines *Walliæ*. Interim *David* cum complicibus ſuis Dominum *Rogerum* de Clifford cepit lethaliter vulneratum, pluribus de familia ſua crudeliter interfectis. Rex congregato exercitu *Lewelino Walliarum* Principi talionem rependens, terras crudeliſſima depopulatione

Plures de Regiis partibus à Wallenſibus interfecti.

vaſtavit; una quoque dierum quidam de Regiis egredientes ab exercitu *Lewelino Walliarum* Principi talionem rependentes minus ſapienter elongati prædæ capiendæ operam dabant, & ecce *Wallenſes* de latibulis ſilvarum & paludum erumpentes *Anglicos* reſpectu eorum pauciſſimos cœperunt invadere, in quo conflictu interfecti fuerunt filius Domini *Willielmi* de *Valentia* avunculi Regis, Dominus *Richardus* de *Argenten*, cæteris per fugam vix evadentibus, pluribus tum inhumaniter interfectis. Rege in partibus Rothelan commorante uſque feſtum omnium Sanctorum, miſſus eſt Archiepiſcopus *Cantuarien-*

Fruſtra de pace agitur cum Lewelino.

ſis ad *Snowdoniam* ad *Lewelinum*, ut moveret eum & induceret ut pacem quam cum Rege pepigit obſervaret, quamque Princeps ultro facere recuſavit, ſed nec ad pacem amplectendam induci poterat. Interim Dominus *Archiepiſcopus* in *Snowdonia* triduo moraretur, Regii Proceres clam ſed tamen inſipienter ingreſſi ſunt *Snowdoniam*, æſtimantes ſe poſſe in dolo ipſam ſuis viribus oc-

Multi Regii Proceres à Wallenſibus occiſi.

cupare; ſed *Wallenſes* præmuniti occurrerunt eis, & inito conflictu eos fugere compulerunt, fugientes quoque tranſmeatione cujuſdam fluvii ſe ſalvare credentes, vadum fluminis ignorantes, quam plures in fluvio ſunt ſubmerſi; de quibus ſamoſiores fuerunt Dominus *Lucas* de Tony, *Willielmus* de Dogingeſeles, *Willielmus* la Zuche, cæteris cum maxima difficultate evadentibus, recedens Archiepiſcopus & rediens ad Regem, *Lewelinum* prævaricatorem pacis, & perjurum *David* fratrem ſuum, & univerſos complices & fautores eorum excommunicationis vinculo innodavit. Acta ſunt hæc circa feſtum Sancti *Leonardi*. Circa idem tempus obiit Dominus *Rogerus* de *Mortuo mari*. Circa feſtum Sancti

Sancti *Thomæ* Apostoli, descendenti *Lewelino* de Snowdon cum paucis, nescio quid facturo, occurrit inopinate Dominus de *Mortuo mari* non modica comitiva stipatus, ipsum & complures suos, qui fugere non poterant, interfecit; caput principis, quod inter interfectos recognovit, amputatum Regi detulit. Rex glorians de triumpho caput ipsum deferri fecit London, super turrim London hastili infixum in signum victoriæ tam celebris affigendum. Rex *Angliæ* pro hac guerra *Walliæ* cœpit scutagium de toto Regno suo viz. XL. solidos ad scutum.

Lewelini caput Regi defertur.

Turri Londinensi insigitur.

MCCLXXXII. 1282

Anno, quo verbum patris increatum trabeam nostræ fragilitatis induere dignatus est, MCCLXXXII. in quindena Paschæ viz. XVIII. Kal. Maii Thomas de Wyke assumpsit habitum Canonicorum Oseneye. Rex *Angliæ* prosperis successibus animatus, patefacto sibi ad votum ingressu, *Snowdon* triumphaliter introivit, & fuit ibidem in Pascha in monasterio quodam ordinis *Cistercienſis*, quod dicitur *Abernmewith*, disponens totum principatum *Walliæ* ad libitum suum, excepto duntaxat quodam castro, quod lingua eorum Bere dicitur, quodque palude quodam intransmeabili circumcinctum difficiles & angustissimos habuit ingressus & egressus, per viam unicam artificiose compositam; in ipsum quoque *David*, mortuo fratre, præsidium intromiserat, ipse vero silvis & locis quasi inaccessibilibus latitabat. Rex obsidens castrum obsessos usque adeo coarctavit, ut necessitate compulsi castrum sibi dedere cogerentur, quo obtento cum quibusdam *Wallensibus* sic collusit, ut David extractum de latibulis Regi redderent captivandum, quem Rex cum uxore & filio suo misit usque Rothelan, ibique incarceratum compedibus oneravit. Rees à Wanham, audito quod acciderat, seipsum & complices suos reddidit Domino *Humfredo* de Boion Comiti Hereford; quos protinus misit ad Regem, & Rex misit London eum præcipiens, quod poneretur in turri, & ut compedibus diligentissime custodiretur. Hoc anno obiit *Thomas* de *Cantalupo* Hereford Episcopus in veniendo de Curia *Romana*, loco ejus electus est magister *Richardus de* Wintfeld. Dominus Papa cassata electione magistri *Richardi de le* More contulit Episcopatum *Wintonienſem* magistro *Johanni* de Pumose.

Wallia à Rege occupata David Lewelini fr. Regi traditus compedibus oneratur.

Circa festum Sancti *Michaelis* Rex convocari fecit apud *Salopesbriam* majores Regni sui, & sapientiores tam de civibus, quam de magnatibus, & fecit illuc adduci David qui apud Rothelan fuerat captivatus, ut super exigentiam delicti sui corporale subiret judicium; ibique consideratum est quod morte quasi varia interiret, primo equis distractus, secundo suspensus, tertio decollatus, quarto ut cor ejus & viscera comburantur, quinto ut corpus ejus in quatuor partes divisum per quatuor Angliæ plagas separatim suspenderent, caput ejus à civibus London super turrim London, juxta caput *Lewelini* fratris sui pro nota spectabili deponendum.

David varia morte punitur, caput juxta Lewelini caput hastæ insigitur.

MCCLXXXIII. 1283

Quinto Kal. Aprilis dominica scil. mediæ XL. *Johannes* de Wyke votum profectionis emisit.

Anno, quo Dei sapientia, cooperante spiritu sancto, de virgine voluit incarnari, MCCLXXXIV. IX. Kal. Maii obiit *Johannes Roffensis* Episcopus, loco ipsius electus est magister *Johannes* de Jugalthorpe, Decanus Sancti *Pauli* London. Circa idem tempus, scil. circa festum Sancti *Michaelis*, obiit *Robertus Dunelmensis* Episcopus, electus est loco ipsius Dominus *Antonius* Rok, consecratus apud *Dunelman* dominica, qua cantatur in excelso throno, viz. XVIII. Kal. Februarii à Domino *Willielmo* tunc *Eboracensi* Archiepiscopo, præsente ibidem Rege *Anglorum* & multis Regni magnatibus.

Decan. S. Pauli in Episc. Roff. & D. Ant. Rok. in Episc. Dunelm. electi

MCCLXXXIV. 1284

Anno, quo visibiliter apparuit benignitas & humanitas salvatoris nostri Domini, MCCLXXXIV. in festo Sancti *Marci* Evangelistæ, Regina *Anglorum* peperit Regi filium in partibus *Walliæ*, cui Rex proprium nomen imposuit & vocari fecit *Edwardum*. Die Paschæ, qui contigit eodem anno quinto Id. Aprilis anno tunc bisextili, mane circa ortum solis tanta densitas aeris cœlum obnubilavit,

Regin. Angl. filium parit.

Magna aeris caligo & tempestas.

bilavit, ut mane quæ lucefcere putabatur in diem, quafi tenebrafcere videretur in noctem; & fubito tempeftas horrenda cœpit ingruere, primo grandinis & pluviæ, fecundo vehemens nivis diffolutio, quæ totam terram cooperuit, tertio tam tremebunda fulguris & tonitruum concuffio, ut animos intuentium pariter & audientium redigeret in ftuporem; præfertim cum à modernis in menfe Aprili tonitrua vel fulgoris corrufcatio vix vifa fuerant vel audita, ceffante poft modicum tempeftate, aere quidem rarefacto, confueta cœlum ferenitas illuftravit. Quarto Kal. Aprilis obiit frater *Johannes* de **Derlington** Archiepifcopus **Dublin**, fucceffit ei magifter *Johannes* de **Sanford**. In craftino Sancti *Georgii* obiit *Robertus* de **Wickam** Epifcopus **Sarum**; electus eft loco ipfius magifter *Walterus* **Stamol** ejufdem Ecclefiæ Decanus, confecratus in manerio fuo de **Sunnings** à Domino *Johanne Cantuarienfi* Archiepifcopo, Dominica proxima poft feftum Sancti *Lucæ* Evangeliftæ, viz. XI. Kal. Novembris. Eodem anno die fabbati poft Affumptionem, viz. XIV. Kal. Septembris obiit Dominus *Alfonfus* filius Domini Regis *Anglorum*, fepultus apud *Weftmonafterium* die fabbati proxima poft feftum Sancti *Bartholomei*. In quindena Sancti *Michaelis* cœpit generalis itineratio juftitiariorum per loca diverfa in *Anglia*. Dominica proxima ante feftum omnium Sanctorum viz. in craftino Apoftolorum *Simonis* & *Judæ*, frater *Johannes* de **Pecham** *Cantuarienfis* Archiepifcopus vifitavit Canonicos **Ofeney**, & confummato vifitationis officio, convocatis in præfentia fua omnibus magiftris univerfitatis **Oxon**, XXX. opiniones erroneas, & ridiculofas, quas iidem magiftri minus fane fentientes introduxerant contra documenta veterum Philofophorum, & fuftinere nitebantur; quafque prædeceffor fuus frater *Robertus* de **Killewardeby** dudum reprobaverat, iterato reprobavit, & in perpetuum condemnandas fore decrevit. Ante feftum Nativitatis Dominicæ Rex, ordinatis cuftodibus de quibus potiffime confidebat, qui præeffent principatui *Walliæ*, quam non fine fumptibus, & immenfis laboribus militariter adquifivit, venit **Briftoll** & fuit ibi in fefto Natalis, celebratifque folenniis, & habito ibidem cum quibufdam Regni fui magnatibus non univerfali feu generali, fed tanquam particulari, & fpeciali Parliamento, relictis ibidem liberis fuis, quos fecum adduxit de *Wallia*, fecellit **London** quod tribus jam fere annis non intraverat; ubi eum maximo tripudio & honore à civibus receptus eft. Mora ibidem facta permodica, vocatus à Rege *Francorum*, ut prætextu fervitii in quo ei teneretur pro ducatu *Vafconiæ*, quam de eo tenuit, veniret in *Galliam*, proceffurus cum eo cum certo numero militum in *Arragoniam*, ad invadendum *Petrum* Regem *Arragoniæ*, quem Papa vinculo excommunicationis innodaverat; pro eo quod quafdam civitates *Siciliæ* & *Apuliæ* occupaverat in præjudicium *Romanæ* Ecclefiæ; relicta civitate fcil **London** feceffit **Dover**; fed treugis initis inter Regem *Francorum* & dictum *Petrum*, Rex *Anglorum* obtento Regis *Francorum* de ipfis treugis mandato, & quod non ea vice neceffitatem haberet transfretare, tranftulit fe ad partes **Norfolk**, ibique per totam XL. morabatur. Dominica poft feftum Sancti *Hilarii* ceperunt Juftitiarii itinerantes federe apud **Oxon**, & die Martis proxima poft feftum cathedram Sancti *Petri* confummato itinere receffserunt. Quinto Id. Februarii obiit *Willielmus* de **Dinton** Abbas **Ofeney**: undecimo Kal. Martii loco ipfius *Willielmi* electus eft *Rogerus* de **Coventry** ejufdem Ecclefiæ Canonicus, confirmatus à Domino **Lincoln**. Quinto Nonas Martii in craftino ipfius diei, viz. dominica, qua cantatur lætare *Jerufalem*, ab eodem Epifcopo benedictionis munus folemniter affecutus, undecimo Kal. Aprilis, viz. die Jovis in Cœna Domini, auctoritate ejufdem Epifcopi honorifice inftallatus.

Alphonfus Regis fil. ob.

Juftitiariorum per Angliam itineratio.

Arch. Cant. erroneas Oxonienfium opiniones damnat.

Rex de Wallia Briftoliam venit & inde Londinum, hinc Doveriam inde in Norfolciam.

MCCLXXXV.

1285 *Jacob. de Sabella in Papam eligitur.*

In feptimana Pafchæ obiit *Nicholaus* Papa fecundus: electus eft loco ipfius Dominus *Jacobus* de *Sabella* vir fapientiffimus, fed ætate decrepitus; confecratus in feftum Sanctæ Trinitatis proximo fequente. In quindena Pafchæ, convocatis Regni proceribus, Rex cum majoribus & peritioribus de ftatu Regni

Regni diffusum cœpit habere tractatum, præteritoque Parliamento usque ad Nativitatem Sancti *Johannis* Baptistæ, edidit quædam statuta toti Regno per-necessaria, quibus leges antiquas, quæ per Regni turbationem tanquam sopitæ dormitaverant, excitabat; quasdam, quæ per abusum corruptæ fuerant, ad statum debitum revocabat; quasdam vero novas utiles & honestas superaddidit; compilationemque ipsorum statutorum, circa festum *Petri* & *Pauli* Apostolorum, in aula *Westmonasteriensi* in præsentia totius populi divulgari fecit, & legi in publico; statuens ut nullus eis uteretur usque festum Sancti *Michaelis* proximo secuturum, à festo quoque Sancti *Michaelis* in posterum inviolabiliter per totum Regnum de præcepto Regis jussa sunt observari.

In Parliamento de legibus confirmandis & aliis ferendis actum est.

Anno eodem, æstivi temporis aura gratius arridente, Rex *Francorum* proponens invadere *Petrum* de Arragon, & Regnum ipsius de quo superius fecimus mentionem, & ignominiam, quam nuper perpessus, resumptis viribus abolere, congregato bellatorum exercitu usque ad quinquaginta millia loricatorum, & amplius ut dicebatur, spem ponens in multitudine bellatorum, cœpit cum superbia proficisci; & minus provide quam oportuit montes tortuosos, qui *Galliam* & *Hispaniam* disterminant, tanquam nihil sibi metuens pompatice Regnum Arragon agmine militum supradicto stipatus ingreditur. Porro autem Rex *Arragoniæ* Regis *Hispaniæ* subregulus, quod tanta multitudo in terram subito devenisset, necessitatem vertens in alacritatem victualia hominum & pabula jumentorum & eorum commeatum hostibus interdixit; statimque famis inedia tabescentibus bellum inducit, & conclusis maris angustiis, ut redire non possent, aut fugere, ordinatis aciebus *Gallos* invasit; totamque multitudinem in ore gladii vel prævenit, vel usque adeo arctavit, ut in mari quod cominus adjacebat gratis se submergerent. Rex *Francorum* in prælio lethaliter vulneratus occubuit: ipse etiam *Petrus* Rex Arragon conquassatione prælii fatigatus & decidit in dysenteriam, & post dies paucos mortalis vitæ debitum solvit; filius ejus jam pubes patri defuncto successit in Regnum. Circa festum Pentecostes obiit *Willielmus* de Wikewane Archiepiscopus *Eboracensis*: loco ipsius electus est magister *Johannes* dictus *Romanus*, Cancellarius Lincoln, qui statim adiit sedem Apostolicam pro gratia confirmationis, quam obtinuit. Eo tempore Dominus *Rogerus* de Clare proventibus thesaurarii *Eboracensis* potenter se immiscuit; cui Dominus Archiepiscopus pro totis viribus se opposuit: tandem, nescio qualiter, tempestas tota quievit. Obiit etiam *Alexander* Rex *Scotorum*, de cujus morte diversi diversimode sentiebant. Idem Rex nullum de corpore suo progenitum reliquit hæredem, propter quod diversi diversis rationibus Regni successionem vendicabant. Veruntamen quia uxor ejus, quam paulo ante duxerat, prægnans esse videbatur, Regni ipsius vendicatio dormitabat.

Rex Francorum invadit Regnum Arragoniæ.

Gallis devictis Rex prælio occumbit.

Rex Arragon. in dysenteriam lapsus moritur.

Rex Scotorum ob.

MCCLXXXVI. 1286

In quindena Paschæ facta est per Regis evocationem congregatio maxima magnatum totius Regni, tam secularium quam Ecclesiasticorum apud London, ad tractandum de Regni regimine, propter causas quas inferius explicare proponimus. Rex *Francorum*, cujus pater interfectus fuit in prælio per *Petrum* Regem *Arragoniæ*, prout superius est expressum, nescio qua motus ratione, vel quorum consiliis aggravatus, volens tractare de pace cum Rege *Arragoniæ* filio *Petri*, cujus supra meminimus, petiit Regem *Angliæ* ut veniret in *Galliam* processurus secum ad partes finitimas *Arragoniæ*, & quasi mediator efficeretur, quo citius inter partes pax optata reformaretur. Siquidem Rex *Arragoniæ* nullatenus in pacem consentire voluit, nisi de assensu Regis *Hispaniæ*, cujus Dominio tanquam subregulus subjacere dignoscitur. Rex *Angliæ* Regis *Francorum* precibus gratanter obtemperans, consummato Parliamento, committens Regni sui custodiam Domino *Edwardo* Comiti *Cornubiæ*, circa festum Ascensionis Dominicæ transfretavit in *Galliam*, nonnullos de majoribus Regni sui secum adducens. In eodem Parliamento, priusquam Rex transfretasset, gestum est quoddam notabile, quod silentio præterire non de-

Rex Angliæ in Galliam transfretat.

cet. Erat in *Anglia* frater quidam ordinis fratrum prædicatorum nomine *Richardus* de **Knapwelle**, de quo vulgo dicebatur, quod introduxerat octo opi-niones erroneas, quo fidei Catholicæ palam adversari videretur, easque mi-nus sane quam oportuit introductas sustinere non erubuit; quo vocato nec tamen comparere volenti, Dominus *Cantuariensis* Archiepiscopus, congrega-tis & sibi assidentibus quibusdam suffraganeis suis, & aliis de fide nostra sane sapientibus, quasi sedens pro tribunali opiniones ipsas recitari fecit in publi-cum, easque de consilio sibi assidentium damnavit, & perpetue damnandas es-se decrevit, introductores & fautores earum, & eas sustinere volentes excommunicationis vinculo innodavit. Prior autem Provincialis fratrum prædicatorum ingerens se congregationi supradictæ, pro fratre supradicto allegans, quod nullus de mundo haberet jurisdictionem in fratres ordinis fra-trum prædicatorum nisi solus Papa, ne quid contra prædictum fratrem, vel alium quemlibet ordinis eorum, in præjudicium privilegiorum suorum, statu-eretur, sedem Apostolicam appellavit. Circa festum Pentecostes obiit *Hu-go Eliensis* Episcopus: loco ejus electus est *Johannes* de **Kirkeby** tunc thesaura-rius Domini Regis. In festo translationis Sancti *Thomæ* Martyris, Domina *Alionora* mater Domini Regis *Angliæ* assumpsit habitum monialium ordinis fortis *Ebrandi* in monasterio *Ambresburiæ*, abjecto diademate velo caput suum cooperuit, & pro purpura pretiosa colobio satis contemptibili se contexit; quæ utique probabilibus argumentis fuisset commendanda, si mundialibus ul-tro renuntiasset, ut mundi & ambitionis plantaria de profundo pectoris ra-dicitus extirpasset. In crastino Sancti *Matthæi* Apostoli consecratus est *Jo-hannes* de **Kirkeby** in Episcopum *Eliensem* apud *Cantuariam* à Domino *Johanne Cantuariensi* Archiepiscopo. Circa idem tempus obiit *Walterus* **Scamell Sa-rum** Episcopus: loco ejus electus est magister *Henricus* de **Branteston**, prius Archidiaconus *Dorcestrensis* in festo Circumcisionis Domini, ingruente fortis-simo vento flante de partibus Orientis, qui & Eurus dicitur; & fluxu maris su-per Provinciam Hollandiæ terribiliter invalescente, prævaluerunt aquæ ma-ris, adeo ut fossata, quæ terram ipsam & mare disterminat, inopinatius quam credi poterat transgrederentur, posuitque terram fructiferam in salsuginem tam repentinus maris impetus; qui per indigenas nullatenus poterat obviari: & maxima pars villæ Sancti *Botolphi* submersa, hominumque & pecudum inæ-stimabilis periit multitudo. Consimilis inundatio facta est in *Essexia*, & in mul-tis aliis Provinciis quæ pelago contignantur, in planis litoribus ex parte Ori-entali, nec est visa tam horrenda maris alluvio in partibus illis à triginta retro annis & amplius.

Error. Rich. de Knapwelle damnantur.

Alionora mater Regis Angl. assumit habitum monialem.

Provincia Hollandiæ aqua inundante devastatur, uti & Essexia.

1287 MCCLXXXVII.

Anno, quo summi patris sapientia inclinavit cœlos, & descendit in uterum Virginis, de qua carnis humanæ fragilitatem assumpsit, MCCLXXXVII. in cra-stino Apostolorum *Philippi* & *Jacobi*, viz. secundo die Maii, de præcepto Re-gis capti sunt uno eodemque die omnes *Judæi*, per universam *Angliam* ubicun-que habitantes in civitatibus, burgis, & villis utriusque sexus, tam majores quam minores sine discretione personarum, & incarcerati quousque solvis-sent Domino Regi XII. millia librarum argenti. Eodem anno in septimana Paschæ obiit *Honorius* Papa, vacante post mortem ejus sede Apostolica tem-pore diuturno, prout in sequentibus audietis. In festo scil. Trinitatis conse-cratus est magister *Henricus* de **Branteston** in Episcopum **Sarum** apud *Cantu-ariam* à venerabili patre *Johanne Cantuariensi* Archiepiscopo, & XIV. Kal. Novem-bris solenniter inthronizatus. Obiit *Willielmus* de **Breheus** *Landernensis* E-piscopus. Circa festum Pentecostes aura leni succedente, nemoribus unde-quaque virentibus, & folia consueta resumentibus, quidam de potentioribus *Walliæ* nomine **Resamereduth**, quem Dominus Rex *Angliæ* principatu *Wal-liæ* pessundato ad gratiam suam, & maximam familiaritatem admiserat, adeo ut terras suas & possessiones, quas prius habuerat, obtento ab eo fidelitatis juramento, pacifice sibi possidendas concederat, considerans quod Dominus Rex

Judæi solvunt Regi 12000. Marc.

Honorius Pap. ob.

Wallenses duce Resamereduth unum de Regis castris occupant, & de populant vicinas provincias.

Rex in partibus tranſmarinis moram traheret longiorem, fidelitatis ſibi præſtitæ impudens prævaricator, ita quietis factus eſt impatiens, ut coadunatis ſibi *Wallenſium* copiis, quorum non erat numerus, unum de caſtris Domini Regis ſuis viribus occuparet, & immiſſo præſidio uxorem etiam ſuam in munitionem ipſam intromitteret fiducialiter moraturam. Ipſe vero in quadam ſilva valde ſpatioſa, ubi, propter nemoris denſitatem & paludes adjacentes, ad eum vel difficilis vel impoſſibilis erat acceſſus, cum ſuis veſpillonibus latitabat, & ſæpius egrediens & regrediens, prædis & rapinis conſueto *Wallenſium* more potenter inſiſtens, vicinas immiſericorditer cœpit depopulare provincias; ea, quæ prædando nequiter adquæſierat, in ſilvam quam ſibi pro refugio delegerat tranſvehendo: ut autem nequitiam ſuam confictis ſibi ratiunculis palliaret, cauſatus eſt quod Dominus *Robertus* de **Tibetot**, cui Dominus Rex tutelam principatus *Walliæ* commiſerat, ipſum contra libertatem ſibi conceſſam compulit, & arctavit ad leges & conſuetudines *Anglicanas* obſervandas, quod nec facere debuit nec conſuevit. Cumque tam furioſa debacchatio & ipſius provinciæ deploranda deſolatio ad notitiam Domini Comitis *Cornubienſis*, cui, Rege extra regnum agente, delegata fuit Regni cuſtodia, deveniſſet; provinciæ deſolatæ compatiens, innumerabilem de *Anglia* traducens exercitum, caſtrum nequiter occupatum obſidione valida circumcinxit; quo comperto ſupradictus **Reſamereduth** uxorem ſuam & omnes obſeſſos intempeſtæ noctis ſilentio per ſecretum quoddam poſticum ignorantibus obſeſſoribus clam eduxit, & in loco tutiſſimo collocavit, ad quem noſtri nec accedere potuiſſent nec audebant. Nec multo poſt cum exercitus *Anglorum* aliud caſtrum, quod idem **Reſamereduth** ſimiliter in deditionem ceperat, obſidere cœpiſſent, & præmeditata calliditate cœpiſſent ſuffodere, ita quod magna pars muri ruere putaretur, & pars ſuffoſſa appodiamentis ſuppoſitis nimis tamen debilibus fulciretur, quidam de *Anglicis* minus provide una dierum ingreſſi ſunt in foveam, ut ſtructuram ſpecus ſubterranei conſiderarent, & inſpicerent, & ecce moles terræ foveæ ſupercumbens deficientibus appodiamentis ipſam ſupportantibus ſubito cecidit, & plurimos interfecit ſuo pondere conquaſſatos; de quibus famoſiſſimus fuit Dominus *Willielmus* de **Mutchaneſy** miles ingenuus, terrarum & poſſeſſionum locupletiſſimus, & alii multi milites, & nobiles quorum nomina ignoramus. Circa feſtum Sancti *Michaelis* Comite *Glouceſtriæ* & quibuſdam aliis de *Marchia*, qui partibus Regis ficte favere dicebantur, præſertim quia prævaricatori ſupradicto in facie non reſiſtebant, mediatoribus effectis, initæ ſunt treugæ, & rediit Comes *Cornubienſis* in *Angliam* una cum exercitu quem adduxerat, infinita pecunia inutiliter conſumpta; poſt cujus receſſum idem **Reſamereduth** circa natale Domini, ſpretis treugis & diruptis, iterato cœpit vaſtare provincias vicinas; quo comperto, Dominus *Robertus* **Tybetot** caſtrum quoddam, de quo **Reſamereduth** potiſſime confidebat, militaribus auſibus impugnatum in deditionem recepit, ipſumque proditorem & pacis initæ tranſgreſſorem exilio relegandum fore decrevit, & voce præconia publice proclamari conſtituit, ut quicunque caput ipſius amputatum Regi præſentaſſet, certam ab eo reciperet Donationem. Ipſe quidem ſano fretus conſilio, ut fortuita diſcrimina declinaret, annuente Comite *Glouceſtriæ* ut vulgariter dicebatur, partes *Hyberniæ* adeundas putavit, ut ibidem in terris Comitis ſupradicti tanquam ſpeciali refugio moraretur, quouſque Dominum Regem de partibus *Gallicanis* in *Angliam* repedare contingeret. Menſe Januarii, una dierum inter converſionem Sancti *Pauli* & Purificationem beatæ Virginis, accidit mirabile prodigium, fortaſſe alicujus eventus ſecuturi præſagium. Quippe maris inundatio tam vehementer invaluit, ut una die & nocte contra conſuetum ordinem, & curſum naturæ, quatuor vicibus fluere & refluere videretur, quinetiam cadia *Londoniarum* ſuper ripam fluminis *Tameſis* adjacentia quæ maris impetum cohibere conſueverant ſuperundavit, & domos civitatis ultra terminos conſuetos longe amplius, quam ullus unquam mortalium viderat, fluctibus æquoreis inopinate cooperuit; villas quoque & agros quamplures

Com. Cornubiæ exercitum ducit in Walliam.

Induciis factis Com. Cornub. in Angliam rediit.

Reſameredutb ſibi metuens in Hiberniam tranſiit.

Inundatio maris Londini partem & agros mari adjacentes obruit.

quamplures partibus maritimis adjacentes absorbuit, homines innumerabiles & jumenta pariter submersit. Anno eodem obiit *Stephanus Cicestrensis* Episcopus vir summæ simplicitatis & innocentiæ, qui per multos retro annos cæcitatis incommodo flagellatus, vitam miserabilem sedens in tenebris actitavit: electus est loco ejus magister *Gilbertus* de *Sancto Leofardo*, tunc Domini *Cantuariensis* officialis. Circa festum Cathedræ Sancti *Petri* obiit *Henricus* de **Branteston Sarum** Episcopus, anno Pontificatus sui unico nondum plene consumpto, ut nec de eo saltem dici posset, quod erat pontifex anni illius.

Fratres de Monte Carmeli habitum suum mutant. Eodem anno fratres de Monte *Carmeli* nescio cujus autoritate muniti, vel qua ratione pulsati, quin potius, ut credi poterat, voluntario instinctu palliis quadrangulis diversi coloris impudentius, quam deceret, abjectis, habitum suum primordialem, quo à primæva ordinis institutione desuper uti consueverant, mutaverunt, & loco palliorum capas clausas candidas induerunt. Cum per frivolam & derisibilem inter Cardinales discordiam, pro eo forsitan quod singuli singulatim ad Papatus celsitudinem aspirabant, jam fere per biennium vacasset sedes Apostolica, tempore vacationis interlabente, prævalente mortis incommodo sic diminutus est numerus Cardinalium, ut ad novenarium devenirent; ut saltem paucula grana remanerent in horreo, propter quod pendula nimirum sine capite Catholica vacillabat Ecclesia. Tandem vexatione dante intellectum, convenientes in urbe sex Cardinales, nam tres eorum ut dicebatur in legationem missi fuerant, saniora meditantes, votis pariter adunatis, XV. die Feb. hujus anni, scil. XV. Kal. Martii fratrem quendam de ordi-*Jovinius in Papam eligitur, assumit nomen Nicholai quarti.* ne fratrum minorum nomine *Jovinium* in patrem & pastorem universalis Ecclesiæ concorditer elegerunt; virum, ut fertur, supereminentis literaturæ, & sanctitatis eximiæ, quique disponente Domino in festo *Cathedræ* Sancti *Petri* solenniter consecratus, jam *Petri* successor effectus, eodem die in eadem cathedra, qua Princeps Apostolorum *Petrus* sedere promeruit, summo cum honore collocatus, mutato nomine pristino de *Jovinio* vocatus est *Nicholaus* quartus. Sane præter inauditas maris alluviones quas supra commemoravimus, per diversas Regni provincias effrænis pelagi vesania deploranda nimis dispendia parturivit. Quippe impetuosa vorago monasterium monachorum de **Spalinges** fluctibus operiendo, non mediocriter damnavit; habitationem quoque fratrum prædicatorum **Gernemuth**, quæ mari contignatur, fluctibus cooperuit inopinis: nec pepercit oppido **Gernemuth**, cominus adjacenti, verum etiam nonnulla burgi ipsius edificia submergendo delevit. Huic insuper accessit incommodo variis in locis ignis immoderata desolatio, ignis quoque fulmineus ex concussione tonitrui generatus campanarium monasterii de **Bertwell** juxta *Cantabrigiam*, magnamque partem ædificiorum suorum indiscre-*Gravia damna ex incendio plurimis in locis.* to devoravit incendio, ignis etiam fortuitus vehementer accensus monasterium de **Persor** cum burgo pene redegit in cineres; sicque factum est ut quasi damnificando Regnum nostrum elementa contraria concertarent. Obiit Dominus *Thomas* de **Clare** in partibus *Hiberniæ* circa Purificationem.

1288 MCCLXXXVIII.

Anno, quo verbum summi patris pro salute generis humani de virgine voluit innovari, MCCLXXXVIII. die veneris in septimana Paschæ, viz. quarto Non. Aprilis apparuit Eclipsis solis circa horam sextam. Canonici **Sarum** per mortem *Henrici* de **Branteston**, de quo anno præcedenti fecimus mentionem, pastoris solatio defuncti de substituendo sibi Pontifice cogitantes, die Lunæ post Ascensionem Domini, corporibus non animis adunati, ad electionem faciendam pariter convenerunt, habitaque inter electores scissura, major pars *Laurent. de Hakeburum in Episc. Sarisbur. electus, ab Archiep. Cant. non confirmatus obiit.* & sanior, ut dicebatur, *Laurentium* de **Hakeburum** ejusdem Ecclesiæ Canonicum, quanquam fuisset unus de junioribus, elegit in Episcopum; pars altera, quæ minor reputabatur, in magistrum *Willielmum* de la **Cornere**, magnæ autoritatis virum, tunc Regni consiliarium, vota sua duxit. *Laurentius* statim ad partes transmarinas, ubi Rex tunc temporis morabatur, pro obtinendo Regis assensu duxit gressus suos; à quo statim admissus, electione magistri *Willielmi*

repudiata

repudiata (licet de jure ſibi competenti potenter & publice proteſtaretur nec proficeret) rediit in *Angliam* à Domino *Cantuarienſi* Confirmationis gratiam petiturus, & tamen *Cantuarienſi* beneficio confirmationis non obtento, gravi morbo correptus carnis debitum ſolvit fortunæ fallibilis volubilitatem, quæ ponentes fiduciam in caducitate temporalium fortuitis caſibus improviſe deludit: corpus ejus in eodem civitate, in feſto ſcil. *Laurentii*, humanæ traditum eſt ſepulturæ. Canonici Sarum transfretaverunt proficiſcentes ad Regem petituri licentiam iterum eligendi. Anno eodem, principio Julii ſcil. in feſto Sanctorum *Proceſſi* & *Martiniani*, intollerabilis & magna ſiccitas invaluit, continue perſeverans per v. ſeptimanas, ſcil. uſque ad feſtum Sancti *Oſwaldi*; ita quod interim nihil omnino pluebat. Circa idem tempus, in nundinis Sancti *Botolphi*, invaluit vehemens & horribilis ignis, incenditque magnam partem oppidi, domos fratrum prædicatorum, nec non & bona mercatorum venalia non modica redegit in cineres. Credebatur à multis quod inflammatio ſupradicta ex inopinato perveniſſet infortunio; ſed tandem compertum eſt quod quidam malefici gratis ignem ſuppoſuerant, ut ingruente incendio, urbanis circa bona ſua ſalvanda occupatis, bona mercatorum furtive diriperent. & præda facta decederent; de quibus unus deprehenſus, & convictus ſuſpenſus eſt in patibulo, cæteris per fugam evadentibus. Primo die menſis Septempris obiit *Willielmus* de Middleton, Norwic Epiſcopus. In craſtino Sancti *Clementis* convenerunt Canonici Sarum futurum ſibi Pontificem electuri, & votis concorditer adunatis providum virum magiſtrum *Willielmum* de La Cornere, qui diu ante ad honorem Pontificatus aſpiraverat, elegerunt. Monachi quoque Norwic virum induſtrium magiſtrum *Radulphum* de Walepoole, tunc Archidiaconum electum ad Pontificatum elegerunt Eccleſiæ Norwic. Celebratis electionibus Norwic & Sarum, electi feſtinatis greſſibus transfretabant, Regis admiſſionem, ut mos eſt, obtenturi, qua obtenta redierunt in *Angliam*, & confirmationis munere protinus aſſecuto, conſecrationis ſuæ congruum tempus expectabant. Circa Purificationem beatæ virginis convocatis edicto publico Regni magnatibus apud London, Epiſcopus *Elienſis* Domini Regis theſaurarius de mandato Regis, ut dicebat, petiit à Comitibus & Baronibus, imo & generaliter ab univerſis incolis Regni ſubſidium ad opus Regis, ad ſublevationem expenſarum quas, triennio jam elapſo, fecerat in partibus *Gallicanis*. At illi ponentes reſponſum in ore Comitis *Gloucestrenſis* præciſe reſpondebant ſe nihil penitus præſtituros, niſi perſonaliter prius viderent faciem Regis in *Anglia*; Theſaurarius proſpiciens ſe nihil poſſe proficere, cœpit talliare civitates, & burgos & dominica Regis per totum Regnum, imponens eis intolerabilem pecuniæ quantitatem, ſtatuto tempore pro ſolutione. Dominica mediæ quadrageſimæ conſecratus eſt *Radulphus* Norwic electus à Domino *Johanne Cantuarienſi* Archiepiſcopo in civitate *Cantuariæ*, conſecratione Sarum electi, qua de cauſa neſcio, prorogata. Circa idem tempus finiente jam anno Domini Incarnationis MCCLXXXVIII. orta eſt gravis contentio inter Dominum Lincoln Epiſcopum, & magiſtros univerſitatis Oxon pro præſentatione & admiſſione Cancellarii Univerſitatis; cauſa quoque contentionis hæc fuit; cum eſſent Clerici ſtudentes in municipio *Oxoniæ* ſine Cancellario, convenientes in unum magiſtri elegerunt ſibi in Cancellarium *Willielmum* de Kingeſtot, virum induſtrium; & facta electione ipſum per interpoſitas perſonas, non in propria, Domino Epiſcopo præſentabant: Epiſcopus autem præſentationem ipſam præciſe recuſavit admittere, aſſerens ſe nolle aliquo modo perſonæ abſenti, & ſibi incognitæ tantam autoritatem & juriſdictionem committere, quæ non ſolum ad corporalia, verum etiam ad mere ſpiritualia ſe extendit: magiſtris ex adverſo proponentibus, quod à tempore cujus non extitit memoria, uſi ſunt taliſmodi libertatis prærogativa, ut electos ſibi Cancellarios non in perſonis perſonaliter comparentibus, ſed per nuncios Epiſcopo præſentarent. Epiſcopus autem non admiſit eorum allegationem: magiſtri vehementer indignati, quaſi in ultionem lectionibus

Siccitas magna.

Epiſc. Elienſis à Magnatibus, &c. Regis nomine ſubſidium fruſtra petens, civitatibus, &c. ſolvendum imponit

Lis orta inter Ep. Lincoln. & Magiſtros Oxonienſes de Cancellario præſentando.

onibus suis cœperunt superſedere, pœnam ultionis in ſemetipſos,& præſumptionis protervıam retorquentes, & ſic propriæ voluntatis inſtinctu pendente controverſia à legendo ſuſpenſi, pretioſi temporis lapſum otiis indulgentes inutiliter conſumpſerunt, multis duntaxat de manſiolis recedentibus, & ad propria remeantibus, quibus talium ----- fuit otiis indulgere. Sileat anni præſentis exaratio breviter expedita, anni ſequentis ſeries ad poſterorum memoriam traducatur.

1289 MCCLXXXIX.

Anno, quo unigenitus Dei filius humanæ naturæ divinitatis ſubſtantiam counivit,ut fieret deus & homo, MCCLXXXIX. Dominica quarta poſt Paſcha viz. VIII. Id. Maii confecratus eſt magiſter *Willielmus* de la **Corner** in Epiſcopum **Sarum** apud *Cantuariam* à Domino *Johanne Cantuarienſi* Archiepiſcopo in hebdomade proxima ante Pentecoſten. Viris providis & diſcretis mediatoribus effectis ad pacis reformationem, ſopita eſt contentio, quæ aliquamdiu duraverat inter Dominum **Lincoln** & magiſtros Univerſitatis **Oxon**, de qua ſuperius tactum eſt, & Dominus Epiſcopus admiſit Cancellarium eorum quem prius præſentaverant; & ſtatim magiſtri cœperunt reſumere ſtationes ſuas, & inceperunt ſolenniter legere in cameris ſuis. Die veneris proxima ante Pentecoſten Rex noſter *Edwardus*, qui jam tribus annis, totidemque menſibus extra Regnum ſuum in partibus ſteterat tranſmarinis, rediens in *Angliam* applicuit **Dover** pridie Id. Auguſti, & ſpreta civitate **London**, alorſum ſe divertens adiit partes **Suffolk** & **Norfolk**. Die Sabbati proxima poſt Nativitatem beatæ *Mariæ*, ſcil. IV. Id. Septembris, præſentibus Domino *Willielmo* **Sarum** Epiſcopo, Domino *Edwardo* Comite *Cornubiæ*, & aliis viris tam religioſis quam ſecularibus, tranſlatum eſt vetus feretrum Sanctæ **Frithefwythe** **Oxon** & cum honore quo decuit collocatum eſt in novo & pretioſiori feretro in eadem Eccleſia, & prope locum quo fuit prius collocatum, quod quidem feretrum diu ante fuerat præparatum. Dominica proxima poſt exaltationem Sanctæ Crucis magiſter *Willielmus* de la **Cornere** Epiſcopus **Sarum** in eccleſia ſua Cathedrali **Sarum** ſe fecit ſolenniter inthronizari, ſcil. XIV. Kal. Octobris. Memorandum quod hoc uno eodemque anno celebrata fuerunt **Oxon** tria Capitula provincialia trium ordinum fratrum mendicantium, viz. fratrum de Monte *Carmeli* in feſto Sanctæ *Mariæ Magdalenæ*, fratrum ordinis Sancti *Auguſtini* in feſto Aſſumptionis beatæ *Mariæ*, fratrum minorum in feſto Nativitatis beatæ *Mariæ*. Circa feſtum Sancti *Michaelis* Rex qui à tempore quo applicuit in *Angliam*, prout ſupra tetigimus, in partibus **Suffolk** & **Norfolk** continue morabatur, rediens de partibus illis venit **London** prima quidem vice poſtquam rediit de partibus tranſmarinis; ubi, ſicut decuit, à civibus ſummo cum honore receptus eſt; celebratoque ibidem ſolenniter in quindena Sancti *Michaelis* feſto tranſlationis Sancti *Edwardi*, & edicto per totum Regnum vulgariter publicato præcepit, quod in feſto Sancti *Hilarii* proximo ſequente totius Regni magnates convenirent **London** habituri ibidem Parliamentum ſuper diverſis Regis & Regni negotiis, quæ ipſo extra Regnum commorante per triennium, per diverſos Regni cuſtodes multiformiter voluntariis motibus agitata pendule vacillabant; ipſeque in feſto Nativitatis Dominicæ præſentialiter fuit apud *Weſtmonaſterium*, & cum eo maxima pars Procerum Regni, Comitum, Baronum, & prælatorum Eccleſiaſticorum. Ipſe quidem, vacationis tempore, profectus eſt videre matrem ſuam ſereniſſimam Monialem *Ambresburiæ*.

Rex itaque per totum Regnum præcepit publice proclamari, quod omnes & ſinguli qui de Juſtitiariis, vicecomitibus, ſeu de quibuſcunque miniſterialibus, & Ballivis ſuis, vel aliorum, de injuriis & gravaminibus, quæ ſibi contra juſtitiam, ipſo extra Regnum exiſtente, per ſupradictos illata fuerant conqueri voluiſſent, in Parliamento ſuperius præfixo perſonaliter intereſſent depoſituri, & recepturi juſtitiæ complementum. Sane quidam ſummus Juſtitiariorum de Banco nomine **Thomas** de **Weyland**, cujus familiaris quendam

Epiſc. Lincoln. admittit Cancellarium Oxonienſem.

Rex Ed. in Angliam redit.

Reliquiæ S. Frithefwythe in alium locum tranſlatæ.

Provincialia capitula fratrum mendican. habita ſunt Oxonii.

Rex Londinam veniens citat Parliamentum.

Tho. de Weyland ſibi conſcius rei ma-

dam nequiter interfecerunt, ipsos homicidas secundum legem Regni non punivit, nec passus est puniri, sed potius in domo sua aliquandiu receptatos impunitos, quo volebant abire, permisit, pacem Domini Regis, & Regni, quam conservasse & juxta officii sui debitum sustentasse debuerat, impudentius quam decebat temere violando; timens nimirum pelli suæ, præcavere sibi volens, si posset, ne Regis judicio super tam enormi delicto sisteretur, contra jus Canonicum pariter & civile, separata conjuge sua contra legem matrimonii temere veniendo, præsertim cum neuter conjugum votum continentiæ solenniter emisisset, confugiens ad Ecclesiam fratrum Minorum apud Sanctum *Edmundum*, eorum habitum clam assumpsit, & cum eis, licet non regulariter, sub habitu regulari aliquamdiu morabatur; sed hoc frustra. Quippe Dominus Rex zelum legis exercens, legis transgressorem extractum de monasterio, licet invitum, suis tribunalibus præsentari præcepit, ut pro qualitate sceleris judicialiter puniretur: veruntamen quia miles erat, honestati militiæ deprehendens esse decens, misericordius quam meruit agens cum eo ne suspendio plecteretur, pœnam tanti sceleris non penitus abstulit, sed mutavit, eumque Regnum *Angliæ* perpetualiter abjurare decrevit, & protinus sine reversione Regni sui limina, juxta morem abjurantium, vacuare coegit. Collegas quoque suos Justitiarios qui sibi in Banco judiciis exercendis assidere consueverant, viz. *Johannem* de Luvetot & *Richardum* de Boyland milites, *Willielmum* de Bramton, & *Robertum* de Littlebyr Clericos, quia connivendo pariter & dissimulando, nec arguendo vel contradicendo tantæ nequitiæ consentire videbantur, licet non æqualiter deliquissent, primo compedibus oneratos, & carcerali custodiæ mancipatos, terris & possessionibus eorum in fiscum redactis sic arctavit, ut unusquisque pro qualitate delicti & possibilitate personæ inæstimabili pecunia Regi data finem facerent, ut necis periculum declinarent. Adam quoque de Stationer Clericus, cui Comitissa Insulæ & Domina *Devoniæ* tunc etiam Comitissa Ambermarliæ, ad quam nobile illud monasterium Camerariæ jure hæreditario pertinebat, prærogativam ejusdem monasterii non solum indiscrete, sed & inverecunde ad exhæredationem hæredum, & omnium posteriorum jure perpetuo conferre non erubuit, convictus coram Rege de enormibus transgressionibus, primo conclusus in carcere turris London miserrimam ibi vitam diutius actitavit. Interim Rex innumerabilem pecuniam tam per fas quam per nefas coacervaverat, usque ad triginta millia Marcarum vel amplius, prout vulgo dicebatur, ærario Regio totaliter applicabat, domosque suas insignes quas London ædificaverat, cui voluit erogabat, terrasque suas & possessiones suas de laico feodo quas adquæsierat redegit in fiscum. Magistrum *Henricum* de Bray Estatorem suum multis sceleribus irretitum, qui cæteros Regis ministros insolentia & fastu superbiæ transcendebat, pari discrimine puniebat. *Radulphus* vero de Henaham Justitiarius Banci aulæ Regis, officio ipso privatus, consimile cæteris non credatur evasisse periculum. Et non solum ministri qui Regi familiarius adhæserunt, sed & forinseci, ut puta Justitiarii *Judæorum*, Justitiarii Forestæ, Forestarii tam feodatarii quam temporales, & omnes qui de transgressione venationis convinci poterant, Vicecomites & custodes maneriorum quocunque titulo Ballivis fruebantur, quorum excessus per querimonias delatorum, vel per inquisitiones poterant patefieri, redemptione pecuniaria, pro qualitate seu quantitate scelerum plectebantur. Ex quo Domini Regis non mediocriter adcrevit ærarium, & quantum Rex ex quæstu hujuscemodi ditescebat, tantum deperiit sceleratis, adeo ut bonis nequiter acquisitis spoliati, & ab administrationibus suis amoti vitam solito pejorem actitare cogerentur. Et licet omnes supradicti sapientissimis totius Regni præcellere putarentur, non est inventus unus eorum, qui, cum coram Regiæ discussionis examine sisterentur, vel sciret vel posset supra transgressionibus sibi objectis excusatoriis saltem ratiunculis respondere; sed ut verissime credi poterit eorum crimina tam manifeste patuerunt, quod nullus eorum imposita sibi facinora quacunque tergiversatione

le administratæ in Monasterium se recepit, inde extractus Regnum abjurare cogitur.

Justitiarii de Banco gravi pecuniæ summa multantur.

Rex in ministros suos delinquentes severius animadvertit.

versatione inficiari. Usque huc de factis terreni Regis succincte narravimus; ex nunc ea, quæ per dispositionem Regis æterni hoc anno in Regno *Angliæ* provenerunt, pro nostræ paupertatis modulo, ad posterorum memoriam traducamus: verecundum quoque foret præcipue memorabilia tanquam dormientes vel inertia tabescentes sub silentio præterire.

A festo siquidem sancti *Michaelis* usque festum Purificationis beatæ *Mariæ* nihil aut modicum gelavit, nec nix visa est quæ terram semel operuit. Continue quidem fere per dies & noctes tanta pluviæ distillavit abundantia, ut ejus densitas sic per dies & terram & aerem obnubilaret, ut vix solaris radius modico saltem momento terræ superficiem illustraret; sed dies potius eo serenitatis modulo, toto supradicti temporis circulo, contenti labebantur, quæ vel solem præcedit orientem vel sequitur occidentem. Eo ipso anno, una noctium inter festum Sancti *Andreæ* Apostoli & Natale Domini, audita sunt terribilia valde tonitrua, & visa fulgura vehementia æthere prosilire, quod eo anni tempore non consuevit sæpius accidisse, forte ut æstimari poterit alicujus fuerit eventus præsagium. Post Purificationem quoque toto verno tempore successit aura placabilior, & jucundissima solis serenitas cessante imbrium profusione, adeo ut mense Martio vix modicum plueret super terram.

Continuæ pluviæ & intempestiva tonitrua.

1290 MCCXC.

Anno, quo verbum sine principio patri coæternum per incarnationis ministerium cœpit esse in tempore, Millesimo ducentesimo nonagesimo, *Johannes* de **Kirkeby** *Eliensis* Episcopus, qui paulo ante per aliquantum temporis curriculum continua & acuta febre graviter ægrotaverat terminatus, à morbo credens se totaliter evasisse, minus provide fortassis quam oportuit, se custodiens post exercitationem recidivavit in morbum pristinum, de quo curatum se credidit, VII. Kal. Aprilis, quæ dies principium anni Domini supradicti continue sequebatur, inopinata morte raptus migravit ab hac vita.

Ob. Episc. Eliens.

Tertio Kal. ejusdem mensis, scil. die *Jovis* post Anuntiationem beatæ Virginis in Ecclesia Cathedrali civitatis *Eliensis* humanæ traditum est sepulturæ, qui per tres annos tantum & dimidium, sicut per gesta superius annotata plane videri poterit, functus est honore Pontificii, magnificentiæ suæ pompam brevi temporis perdidit intervallo; à tempore quidem, quo nactus est præsulatus celsitudinem, Rege extra Regnum agente, continue, usque dum ad finem vitæ fallibilis devenisset, officio thesaurariæ Scaccarii Domini Regis non segniter incumbebat; adeo ut de animarum sibi commissarum cura penitus non curaret, sub etiam prætextu officii sui ultra modum prædecessorum suorum sic se extulit supra se, ut nomen thesaurarii nomen Pontificis totaliter adumbraret. Sane credebatur à vulgo, quod si tanto tempore supervixisset, ut præsumptuosa factorum suorum insolentia devenisset in discussionem, manus Regis ultrices nullatenus evasisset.

Contractu sponsalium, ut assolet per fidei dationem, modicum præcurrente, *Gilbertus* Comes *Glouceſtriæ* summæ & singularis inter Regni magnates nobilitatis, & præeminentiæ, & incomparabilis post Regem potentiæ, serenissimam Domini Regis filiam dictam *Johannam* de **Acre**, pro eo quod eam genitrix sua Regina in civitate *Aconensi* quæ quondam *Ptolemais* dicebatur, dum Rex morabatur in partibus *Syriæ*, parturivit, Dominica in festo Sancti *Georgii* apud *Westmonasterium* solenni sibi matrimonio copulavit. In festo Pentecostes continue sequente *Henricus* **Boun** Comes **Hereford** Relictam nobilis viri Domini *Johannis* de **Westy** similiter duxit in uxorem.

Com. Gloucest. uxorem ducit Johannam fil. Regis.

Eadem septimana apud *Westmonasterium* agitata contentione, quæ diu vertebatur inter Dominum **Lincoln** & magistrum Universitatis **Oxon**, super præsentatione & admissione Cancellarii eorum, de quo anno proximo præterito fecimus mentionem; Domino Rege & discretioribus totius Regni mediatoribus effectis decretum est, ut non obstante consuetudine, quam solummodo pro parte sua magistri allegando proposuerant, quod non consueverant

Litis inter Episc. Elien. & Acad. Oxon. determinatio.

Cancellarios

Cancellarios suos quoque elegerant in personis propriis, sed per interpositas personas, magistros municipii, Diœcesano præsentare Cancellarium quem ducerent eligendum non infra septa municipii, sed & extra personaliter præsentare tenebantur; unde factum est ut magistrum *Johannem* de **Ludelawe** quem tunc elegerant in Cancellarium, in persona propria destinarent, usque **Aucele**, ab eodem Episcopo admittendum; sicque consuetudine pristina, quali diutius se gavisos esse dicebant, hac saltem vice recessum est, quod autem super hoc ipso negotio futuris temporibus fuerit eventurum, nemo præsentium poterit pernoscitare.

Defuncto ut supradictum est *Johanne Eliensi* Episcopo qui officio thesaurariæ quamdiu potuit ferventius incubuerat, Rex officium ipsum commisit magistro *Willielmo* de *Marchia*, viro utique provido & discreto, & plurimum circumspecto, amotisque Justitiariis omnibus qui Banco præsidere consueverant propter manifestos eorum excessus, prout supra tetigimus, alios loco eorum decrevit substituendos, viz. *Johannem* de **Metingham**, & *Elyam* de **Bebingham** Clericos, *Willielmum* de **Giselham** & *Robertum* de **Hertford** milites. *Justitiariis de Banco amotis novi substituuntur.*

Monachi quoque *Elienses*, ad quos spectat electio Pontificis, de substituendo sibi pastore solicite cogitantes, obtenta à Domino Rege licentia eligendi, votis pariter adunatis convenientes in unum, virum magnificum & eminentis scientiæ magistrum *Willielmum* de *Luda* in patrem & pastorem concorditer elegerunt, qui diutius thesaurariæ **Garderobe** Domini Regis officium gessit ita laudabiliter, & honeste, ut & majorum & minorum animos sibi redderet complacatos. *Will. de Luda eligitur in Episc. Elien.*

Sexto Non. Julii, scil. Dominica in crastino Octavarum Sancti *Johannis Baptistæ* ingenuus adolescens filius & hæres Ducis **Braybant**, patre volente & præsente, apud *Westmonasterium* serenissimi Regis *Anglorum* filiam clarissimam nomine *Beatricem* conjugali sibi fœdere copulavit, & factæ sunt nuptiæ apud *Westmonasterium* & convivium incomparabile. In crastino vero ipsius Dominicæ Comes *Gloucestriæ* abducta uxore sua, quam nuper ante desponsaverat, loco nuptiarum celeberrimum fecit convivium apud **Clerkenwell**, celebritati superioris convivii non dissimile nec minus sumptuosum. *Fil. Ducis Brabant uxorem ducit Beatricem Regis Ed. filiam.*

Dominica in festo Sancti *Remigii*, viz. primo die Octobris in civitate *Elyensi* consecratus est *Willielmus* electus in Ecclesia scil. sua propria à Domino S. *Cantuariensi* Archiepiscopo, præsentibus & assistentibus pluribus Regni Pontificibus, & aliis Ecclesiarum prælatis, & procerum multitudine copiosa, convivio nimirum solemniter celebrato.

Circa festum Sancti *Michaelis* congregatis per universum Regnum, ut assolet eo anni tempore, terræ frugibus, pessimis & protervis Domini Regis consiliariis persuadentibus, ipsumque Regem ad hoc pertinaciter inducentibus, exiit edictum à Rege toti Regno perniciosum nimis & deplorabile, viz. ut universi Regnicolæ tam Clerici quam laici, seculares pariter & religiosi quintam decimam partem omnium bonorum suorum secularium mobilium solverent fisco Regio, congerendam sub intolerabili taxatione, graviori more quidem quam aliquis prædecessorum suorum retroactis temporibus consueverat æstimare, gemuitque populus inconsolabiliter tantalibet afflictione contritus. *Rex exigit decimam quintam omnium bonorum tam ab Ecclesiasticis quam à Laicis.*

Quarto Kal. Decembris *Alianora* Regina Domini Regis *Edwardi* conjux apud **Grantham** modicæ febris igniculo contabescens, carcere resoluta, fatale mortis debitum solvit; corpus ejus per dietas delatum sepultum est **London** in Ecclesia *Westmonasteriensi*, Domino **Lincoln** vice Domini Archiepiscopi *Cantuariensis* exequente officium sepulturæ, Dominica proxima ante festum Sancti *Thomæ* Apostoli, viz. XVI. Kal. Januarii: quippe Dominus *Cantuariensis* noluit ipsis exequiis interesse, quia in quadam contentione inter ipsum & Abbatem loci suppofuerat interdicto. Aliud quoque plerunque notabile non sub silentio prætereundum, sed potius perpetuæ commemorandum memoriæ contigit hoc anno. Rex itaque, circa Nativitatem Sancti *Johannis Baptistæ* *Ob. Alienora Regina.*

tistæ æstate proxima nunc præterita, procerum suorum sicut sane credi poterit salubri fretus consilio, publice per totum Regnum proclamari fecit, ut omnes *Judæi* ut puta inimici crucis *Christi* & blasphematores fidei *Christianæ*, sparsim per civitates & oppida Regni *Angliæ* commorantes, cujuscunque forent conditionis, ætatis, aut sexus, qui populum Catholicum fœneratione pecuniarum suarum ad usuram sic depravaverant, ut nonnulli terras & possessiones suas vendere cogerentur, ostiatim victualia mendicantes, circa festum omnium Sanctorum Regni sui limina vacuarent, absque suæ reversionis perpetua relegatione damnati. Et si quis eorum post terminum supradictum in *Anglia* fuisset inventus, capitis amputatione vel suspendio plecteretur. Omnes igitur edicto tam terribili comminatione perterriti, qualibet personarum exceptione diducta, maris devia transmeantes ad exteras se regiones cum sarcinulis quas congregare poterant transtulerunt. Denique, sicut à plerisque vulgariter dicebatur, à Quinque Portuensibus deducti navigio, cum essent in medio pelagi, per navigeros suos pecuniis spoliati, & inhumanissime trucidati in mare projecti sunt, nonnulli vero de scaphis ejecti super quodam sublime, quod maris alluvione se retrahente discoopertum apparuit, eadem alluvione iterum refluente submersi sunt. Quo audito Rex quamplures homicidarum, & prædonum suspendio condemnavit. Sane quantum emolumenti Regis fisco deperiit per relegationem *Judæorum* à Regno, multo amplius eidem accrevit per deplorabilem quintædecimæ totius Regni quam extorsit à Catholicis exaggerationem, sic quoque pro inimicis Christi crucis immisericorditer Catholici punirentur. Sextodecimo Kal. Martii contigit Eclipsis Lunæ in noctis confinio circa horam cubationis. Dominus *Oliverus* **Lincoln** Episcopus in crastino Cathedræ Sancti *Petri*, scil. VII. Martii visitavit Canones **Osteney** tam in capite quam in membris.

Judæi omnes in exilium relegati, à Quinque Portuensibus spoliati crudeliter mari demerguntur.

MCCXCI.

1291 Anno, quo verbum increatum summo patri coæternum & consubstantiale, de carne virginea servile cinctorium nostræ carnis assumpsit, in similitudinem factus ut homo, Dominus Rex *Angliæ* circa Pascha versus partes Aquilonares cum quibusdam Regni sui magnatibus, paucis tamen, iter arripuit, proponens ut vulgo dicebatur de statu *Scotiæ*, quod tam diuturno tempore tanquam sine capite pendule fluctuaverat, salubrius ordinare, si forte voluntati possibilitas responderet. Rationes utique non minus utiles, quam honestæ pulsaverant Regem nostrum hoc opus aggredi, & persequi cum effectu, præcipue cum Reges omnes, qui Regno *Scotiæ* præesse consueverant, Regibus *Anglorum* prædecessoribus suis universis, & singulis fidelitatem & homagium corporaliter præstitissent, propter quod pernecessarium sibi foret totis viribus laborare, ut talis præficeretur in regimine Regni, qui sibi & successoribus suis devotus fieret & fidelis; præsertim cum multi nobiles assererent se de progenie Regum *Scotiæ*, qui dudum obierunt, linealiter processisse, diversique diversis rationibus successionem in Regno jure hæreditario vendicarent. Præterea quod soror Regis nostri germana nomine *Margareta* ultimo Regi *Scotorum* *Alexandro* fuerat conjugata, prout superius est expressum. Rex noster studiosissime laborare proposuit, ut si forte de posteritate Reginæ sororis suæ quisquam masculus aut fœmina propagatus ubicunque reperiretur superstes, suo fretus adjutorio hæreditario jure sibi competenti nullatenus fraudaretur, bonum & honestum proposito zelum gerens. Circa decimum diem mensis Maii Comitissa *Gloucestriæ* Regis *Anglorum* germana viro suo primogenitum peperit elegantem, parentes ambo masculæ prolis fœcunditate facti felices pariter applauserunt, inæstimabali lætitia circumfusi natum puerum vocaverunt. Quinto Id, Maii obiit *Thomas* de **Inglesthorp** *Roffensis* Episcopus, non multo post statuto die electionis faciendæ convenientes Monachi *Roffenses*, ad quos potestas eligendi Pontificem pertinere dignoscatur, unanimi voluntate & assensu Monachum quendam congregationis

Rex versus Scotiam iter cepit.

Comitissa Gloucest. filium peperit.

tionis ſuæ, tunc eorum Priorem nomine *Thomam* in futurum Pontificem elegerunt.

In craſtino Aſcenſionis conſequenti, viz. primo die menſis Junii, cœpit fieri tractatio inter Dominum Regem *Angliæ*, & magnates Regni *Scotiæ* de ſubſtituendo *Scotis* Rege futuro, & de ſtatu ejuſdem Regni ſalubriter ordinando, quod aliquandiu Regio deſtitutum gubernaculo, Regnicolarum inertia, pendule vacillavit. Ad quem vero finem rei geſtæ tractatus præciſe devenerit, quam cito ad publicam notitiam devenerit, & divulgata fuerit, rei ſeriem præſenti opuſculo diximus inſerendum. Tranſcriptum quære in fine libri, Negotii *Scotiæ*. In craſtino Nativitatis Sancti *Johannis Baptiſtæ Alienora*, quondam *Angliæ* Regina ſereniſſima, mater Domini noſtri Regis *Edwardi*, illuſtris carnis mole depoſita, mortis experta diſcrimen tenues expiravit in auras; quæ per annos circiter octo in monaſterio monialium *Ambresburiæ* Monacharum, ut vere, loquamur, ſuperficialem aut ſophiſticum habitum geſſit; ut congruenter dici poſſet verbum Anomalon, præſertim cum non ſequeretur regulam aliarum conjugationum, quæ licet cucullam monacharum geſtaret umbratilem, poſſeſſionibus ſecularibus quibus non mediocriter abundavit renunciare non curavit. Non enim ſolus habitus ſed abdicatio temporalium, & propriæ voluntatis monacham facit. Rex utique tunc temporis, pro negotiis quæ ſupra tetigimus nondum plene conſummatis, in partibus Aquilonaribus Regno *Scotiæ* confinibus morabatur, quique morte genitricis audita, prout plane credi poterit, non potuit non dolere, ut vice reciproca verificetur illud Ovidii,

Agitur inter Reg. Edv. & Scotos de Rege Scotiæ eligendo.

Alienora mater Reg. Edv. Ambresburiæ obiit.

Ambresburiæ honore ſummo ſepulta.

Quis natos niſi mentis inops in funere matris
Flere vetat. ———

Veruntamen augmentatio fiſci de terris & poſſeſſionibus, quas mortua reliquit, ad Regem revertentibus lacrymarum profluvium ſaltem vel in modico potuit temperare. Sicque factum eſt ut infra paulo plus quam dimidii anni curriculum duæ Reginæ *Angliæ*, mater viz. Regina & conjux ipſius carnis ſarcinam exuentes ſeculo valedicerent, poſt mundi gloriam à ſummo Regum judice prout in carne meruerant æternaliter percepturæ. Sane moniales *Ambresbyriæ* non audentes corpus tam magnificum abſque Regis aſſenſu & ejuſdem præſentia ſepelire, corpus ipſum conditum aromatibus, & eo modo præparatum, quod non corrumpi poterat nec putrefacere, in loco ſecreto ſeorſim clanculo reponentes, uſque ad reditum Regis de partibus *Scotiæ* cum ea qua decuit reverentia conſervabant. Rex itaque reverſus in *Angliam* edicto publico vocari fecit omnes Archiepiſcopos, Epiſcopos & Abbates & alios Eccleſiarum prælatos, Comites, Barones, ut in feſto Nativitatis beatæ *Mariæ* apud Ambresbury perſonaliter intereſſent, officium tumulationis una ſecum ſolenniter completuri; & in craſtino ejuſdem feſti, exequiis ſumma cum reverentia celebratis, matrem ſuam in Eccleſia conventuali monialium cunctis præſentibus honorifice ſepelivit; cor tamen ejus deferri fecit London, ibidem congruo tempore tumulandum; congregata igitur iterum *Londoniis* tota prædicta multitudine, corda duarum Reginarum in eorum præſentia, cum ea qua decuit honorificentia, Dominica proxima & die lunæ poſt feſtum Sancti *Nicholai*, ſepeliri conſtituit. Cor conjugis ſuæ in Eccleſia fratrum prædicatorum, cor genitricis in Eccleſia fratrum minorum ejuſdem civitatis.

Hoc anno invaluit rumor lamentabilis & univerſali Eccleſiæ Chriſtianæ deplorandus, viz. quod Soldanus *Babyloniæ* in Vigil. Pentecoſtes congregata ſecum *Turcarum* multitudine, quam dinumerare nemo poterat, inopinanter irruit ſuper illam munitiſſimam, & opulentiſſimam civitatem quæ *Acon* vulgo dicitur, quæque ſola in *Syriæ* finibus Catholicis relicta fuerat in refugium, utpote granum unicum in botro, confractiſque janius, contritis mœnibus

Soldanus Babyl. urbem Acon. diripit & Chriſtianos interficit.

 quæ

quæ civitatem ipſam inexpugnabiliter cingere credebantur, permittente Domino cujus ſunt occulta judicia, urbem ipſam pompatice cum adjacentibus ſibi copiis introivit, omneſque *Chriſtianos*, quos in ea reperit tam ſeculares quam religioſos, ſine delectu conditionis & fortunæ in ore gladii inhumaniter interfecit, pauculis eorum per fugam ægre tamen evadentibus, & quidam ne per hoſtes Chriſti trucidarentur, gratis ſe in pelago, quod civitati contiguatur, heu pro dolor merſerunt! totamque civitatem violenter occupatam ut non relinqueretur lapis ſuper lapidem ſolo tenus complanavit.

Papa Regi concedit decimam de omnibus Eccleſiaſticis. Circa feſtum Sancti *Michaelis* Dominus Papa de plenitudine poteſtatis conceſſit Regi *Anglorum* decimam omnium poſſeſſionum, perſonarum Eccleſiaſticarum tam religioſarum quam ſecularium, exceptis duntaxat Templariis & Hoſpitalariis, recipiendam per ſex annos continuos, in ſubſidium futuræ ſuæ peregrinationis in terram ſanctam ad debellandum inimicos crucis Chriſti, non ſecundum antiquas taxationes, ſed ſecundum verum valorem, ad quem bona ipſa intolerabili æſtimatione taxari de novo conſtituit, ut eſſet ſicut populus ſic & ſacerdos. Obierunt *Willielmus* **Sarum** & *Petrus Oxonienſis* Epiſcopi: loco *Willielmi* electus eſt vir progenie nobili, ſed annoſus *Nicholaus* **Longaſpata Sarum** Eccleſiæ Canonicus. Loco *Petri Thomas* de **Witton** decanus *Wellenſis*; ambo pariter à Domino *Cantuarienſi* in civitate *Cantuariæ* ſolenniter conſecrati, Dominica qua cantatur Lætare *Jeruſalem*.

1292 MCCXCII.

Anno, quo unigenitus Dei filius de ſinu patris procedens, ut nos redimeret ab omni iniquitate, viſitare dignatus eſt mundum, MCCXCII. invaluit rumor per *Angliam* quod Dominus Papa *Nicholaus* IV. fatale debitum carnis exolvens, circa feſtum Paſchæ quod eo anno contigit ſexto die Aprilis, Papatus celſitudinem tranſitoriam mundi gloriam cœleſti palatio commutavit.

Nichol. Papa ob.

Hoc anno primo cœperunt omnes religioſi & Clerici Regni *Angliæ* ſolvere Domino Regi decimam partem omnium bonorum ſuorum, tam Eccleſiaſticorum quam ſecularium, quam prædictus ſummus Pontifex ſibi conceſſerat in ſubſidium peregrinationis ſuæ faciendæ in terram ſanctam, prout anno proximo præterito ſuperius eſt expreſſum; & conſtituti fuerunt à Domino Papa duo principales collectores, ſcil. Dominus S. *Wintonienſis* & *O.* **Lincoln** Epiſcopi ad ipſam pecuniam per totum Regnum *Angliæ* colligendum, quique per ſingulas Regni Diœceſes ſingulos ſibi ſubſtitutos & auxiliarios ſtatuere decreverunt, unde factum eſt ut in **Lincoln** Diœceſi duo tantum conſtituentur auxiliarii, viz. Abbas **Oſeny**. & Prior Sanctæ **Catharinæ Lincoln**, ſcil. quod Abbas **Oſeney** ſcil. **Oxon, Buckingham, Northampton, Bedford, Huntington**, Prior vero **Lincoln** totius reſidui decimarum ipſius Epiſcopatus decimas congregarent peterent, & reciperent, & ſuo periculo conſervarent, quouſque denunciaretur eis ubi pecuniam prædictam facerent deportari, injunctumque eſt eis ſub comminatione pœnæ graviſſimæ ne ullam ab aliquo pecuniam retonſam vel adulterinam, ſed integram & juſti ponderis & Regis *Anglorum* legalis percuſſuræ pacabilem & omni exceptione majorem. Conſimili decimarum ſolutione facienda per quinque annos continue ſecuturos. Ad majorem ſiquidem ſolventium afflictionem, imo potius confuſionem conſtituti ſunt in ſingulis provinciis novi ſinguli taxatores, qui veterum taxatorum proterviam incomparabiliter excedentes multo gravius ſolito taxaverunt, nec ſic tamen inextinguibilem regii cordis avaritiam extinguere potuerunt.

Rex Angliæ in Scotiam proficiſcitur. In Quindena Paſchæ circa feſtum Sancti *Georgii* Dominus Rex reducens ad memoriam qualiter magnates *Scotiæ* anno præterito compromiſerunt in ipſum, ut ipſe tanquam Dominus Regni *Scotiæ* principalis, conſideratis meritis perſonarum qui in ſucceſſione regiminis Regni ipſius jus variis modis vendicabant, nec non propinquitate conſanguinitatis qua ſe de Regio ſemine deſcendiſſe quilibet proponebat, judiciariam ſententiam perficeret eis Regem tanquam jure Regnaturum, verſus partes ipſas iter ſumpſit, adducens ſecum de proceribus

proceribus Regni *Angliæ* quos volebat, paucos tamen, nescio qua de causa, per provincias *Suffolciæ* & *Norfolciæ*, diverticulum faciens, in diversas partes Aquilonares recto tramite procedebat. Ad quem vero calculum negotium *Scotiæ* finaliter devenit secundum ordinem historiæ suo loco in sequentibus plenius exponetur; magnatibus quidem *Scotiæ* inter se mutuo diffidentibus, Rex *Angliæ* in partibus *Scotiæ* finitimis usque ad Natale Domini sequens nil faciendo inutilem moram traxit, & dum esset ibidem, Dominus *Robertus* **Buel** *Bathoniensis* Episcopus & ejus Cancellarius, circa festum Apostolorum *Simonis* & *Judæ* hominem terrenum exuit, corpus ejus longo licet itinere delatum est usque *Bathoniam* & **Wells** tumulandum. Succeffit loco ipsius officio Cancellarius *Willielmus* de *Luda Eliensis* Episcopus.

Rob. Bathon Episc. ob.

Dominus *Nicholaus* **Longespey Sarum** Episcopus solenniter inthronizatus est in Ecclesia sua **Sarum** Dominica in festo Sancti *Matthæi* Apostoli, famoso ibidem ut decuit convivio celebrato. Frater *Johannes* de **Peccham** *Cantuariensis* Archiepiscopus circa festum Sancti *Nicholai* migravit à seculo, die Jovis proxima ante Natale Domini in Ecclesia sua *Cantuariensi* humanæ traditus sepulturæ.

Johannes de Peccham Archiep. Cant. obiit.

Rex in festo Natalis Domini fuit apud *Berewyke*.

Cito post mortem *Batoniensis* Episcopi Monachi *Batonienses* & Canonici *Wellenses*, ad quos pertinet electio Pontificis, optata à Domino Rege licentia eligendi, convenientes in unum magistrum *Willielmum* de *Marchia* Domini Regis Thesaurarium in patrem & pastorem concorditer elegerunt. Monachi *Cantuarienses* simili modo petita licentia magistrum *Robertum* de **Winchelsey**, virum pereminentis literaturæ, & multiplici morum venustate dotatum, in Archiepiscopum elegerunt, qui statim à Domino Rege tunc in partibus *Scotiæ* commorante absque qualibet difficultate gratanter admissus, præparatis necessariis ad *Romanam* Curiam, quæ adhuc vacabat Papatus regimine, pro obtinendo confirmationis beneficio sub spe Papæ præficiendæ cœpit proficisci.

Will. de Marchia ad Episcop. Bathon. eligitur.

Robert. de Winchelsey Elect. Archiep. Cantuar. Curiam Romanam adit.

Batoniensis electus appropinquans Curiæ Monachali Sanctæ Trin. *Cantuariæ* confirmationis munus obtinuit.

MCCXCIII.

1293

Anno quo unigenitus Dei filius de carne virginea carnis trabeam assumpsit MCCXCIII. Rex *Anglorum* diligenter inquisito & comperto quod *Johannes* de **Baylol**, Regem *Scotorum* qui jam decesserat præ ceteris complicibus suis qui Regni *Scotorum* regimen vendicabant consanguinitatis linea propinquius attingebat, cum decreto judiciario ad Regiæ dignitatis celsitudinem, *Scotis* consentientibus nec contradicere valentibus magnifice sublimavit, eique omnia & singula castra, prædia, mansiones Regias quas aliquandiu tenuerat, & omnia quæ ad Regiam dignitatem pertinere noscuntur, sine diminutione qualibet resignavit, quo facto cum jam ibi per annum stetisset, versus Regnum *Angliæ* statim post Pascha festinatis gressibus repedavit, veniensque *Londonias* circa unum mensem post Pascha, invenit ibi congregatos universos Episcopos, Comites, Barones, & aliorum Regni sui multitudinem copiosam, ut colloquio quod tunc ibi statuerat, personaliter interessent una secum de statu Regni sui salubriter provisuri.

Rex Angliæ Johanne de Baylol ad Regnum Scot. evecto redit.

Circa idem tempus invaluit rumor in *Anglia*, quod furores *Gallicorum*, qua de causa nescitur, incanduerat super *Anglos* in Regno *Franciæ* sparsim conversantes, quorum insania adeo invaluit, ut omnes *Anglicos* quos reperire poterant crudeli nece perimerent   classem congregavit, imponentes in eis vela ———————————— non modicum, ac si in Regnum *Angliæ* terram ipsam invasuri violentis ausibus proponerent applicare. Quo audito maritimi *Anglicorum*, viz. de *Hibernia* & de *Portesmoya*, quinque Portuensibus tanquam dissimulantibus, præcepto Domini Regis commoniti classem adversam sibi non modicam præparantes adversæ multitudini occurrebant in salo, & bellicose congredientes cum *Francis*, innumeram multitudinem potentissime peremerunt,

Galli Invadentes Angl. prælio navali vincuntur.

peremerunt, omnesque naves eorum cum universa supellectili validissimis manibus abduxerunt, plerique *Gallicorum* ut mortem evaderent se gratis in pelago submerserunt, de qua victoria quantum *Anglici* lætabantur, *Gallici* multo amplius doluerunt. Rex *Franciæ* vehementi furore accensus, omnes principes & magnates Regni sui ad quoddam generale Parliamentum sine moræ periculo convocavit, & statutum est inter eos, quod nullus mercator transmarinus transiret in Regnum *Galliæ* cum rebus venalibus, nec mare transfretando venalia quælibet deduceret in *Angliam*, nec vice versa de partibus *Angliæ* ad partes transiret *Gallicanas*, unde tanta est mercimoniorum charitas, quod nil in *Anglia* reperiri poterit ademendum, strages ista luctuosa & Regno *Angliæ* valde dispendiosa diutino nimium tempore perduravit.

R. Franc. Commercium inter suos & Anglos interdicit.

Circa festum Pentecostes obiit magister Thomas de Wekp *Menevensis* : electus est loco quidam Clericus illius provinciæ nomine magister *David* de Sancto *Edmundo*, & quia sede *Cantuariensi* tunc vacante, magister *Robertus* de Winchelesep à tunc *Cantuariensis* electus profectus fuit ad curiam *Romanam* ut electionem summi Pontificis expectaret, dictus *Menevensis* accedens *Cantuariam* ad sedem Metropolitanam obtinuit à *Cantuariensi* Capitulo confirmari : circa Nat. beatæ *Mariæ* venit ad Regem *Angliæ* in obtinendis temporalibus proventibus ejusdem Episcopatus plenariam gratiam assecutus. Circa idem tempus venit in *Angliam* Comes de *Waro*, vir magnæ nobilitatis & potentiæ, & habito tractatu cum Rege *Anglorum* subaravit filiam ejus primogenitam, & dominica proxima ante festum Sancti *Michaelis*, convocatis apud *Bristolliam Angliæ* magnatibus splendidissimo convivio celebratæ sunt inter eos nuptiæ famosissimæ & solennes. Et quod non est sub silentio prætereundum, ipsa eadem æstate jam præterita Dominus Comes *Gloucestrensis*, audiens quod magnates *Hiberniæ* terras suas quas in *Hybernia* possidebat amplissimas inhumaniter depopulare cœperant & vastare, assumpta secum Comitissa conjuge sua & copia virorum bellatorum innumerabili transfretavit in *Hyberniam*, & hostium suorum turmam & bellicosam rabiem sic edomuit, nonnullos eorum interficiendo, plurimos repellendo, ut sibi ad summum ascribetur triumphum.

Episc. Menev. ob. David de Sancto Edmund. succedit.

Com. Glouceft. Hibernos edomat.

1294 MCCXCIV.

Madocus in Wallia tumultuatur.

Hoc anno obiit frater *Johannes* de Pettham Archiepiscopus *Cantuariensis*, cui successit magister *Robertus* de Winchelsep. Eodemque anno *Madocus* quidam *Wallensis* suscitavit guerram in *Wallia* die Sancti *Michaelis* : idcirco Rex *Edwardus* adveniens *Cestriam* ad festum Sancti *Nicholai*, cœpit insulam *Anglesciam*, ædificavitque de novo urbem & castrum de *Bello Marisco*, quo in tempore succisa sunt nemora in *Wallia* quæ tempore bellicoso præstabant indigenis latibula, firmataque sunt castra circa loca maritima, & cito post hoc captus est *Madocus* prædictus & *Londonias* adductus. A quo tempore guerræ in *Wallia* diu quieverunt, *Wallenses* more *Anglorum* modo pene victant, thesauros congregavit Rex, damna formidantes quod antea non solebant.

R. Edw. pecunias Monasterii diripit.

Hoc in tempore fecit Rex *Edwardus* omnia Monasteria *Angliæ* scrutari ac pecuniam inventam London afferri.

Annonæ Charitas.

Fecit quoque lanas & coria arrestari, & subsecuta est magna caristia bladi & vini.

Bonifac. Octavus, Sextum Decretalium edit. Ignominiose tractatus fame enecatur.

Bonifacius VIII. post *Cœlestinum* Quintum sedit Papa annis XI. hic Quinto Pontificatus sui anno, qui Jubilæus erat, uberes indulgentias limina Apostolorum visitantibus concessit, Sextum librum Decretalium edidit in quo multa dubia decidit, nonnullas extravagantes constitutiones *Adriani*, ac *Honorii*, *Innocentii*, *Clementis* & aliorum incorporavit, reprobanda resecavit, de quo prior decessor suus *Cœlestinus* vir vitæ Anachoriticæ, eo quod eum ad sedem Papatus subdole induxisset, prophetavit prout fertur in hunc modum. Ascendisti ut vulpes, regnabis ut leo, morieris ut canis, ut ita sane contigit, nam ipsum Papam *Cœlestinum* ut Papatum cederet, & ut Papa quilibet cedere posset, constitutionem edere fecit, quam quidem postmodo ipse inde Papa effectus

effectus revocavit, deinde rigide regens generosos quosdam de *Columna* deponens Cardinales, Regi *Francorum* in multis non solum obstitit sed eum totis nisibus deponere desudavit. Igitur Senescallus *Franciæ Willielmus* de *Longareto*, vir quidem in agibilibus admodum circumspectus, & fratres de *Columna* prædicti fœderatis viribus *Bonifacium* Papam comprehenderunt, in equo effræno versa facie ad caudam sine fræno posuerunt, quem sic discurrere usque ad novissimum fecerunt, ac fame necaverunt.

MCCXCV.

Johannes de **Beallol**, *Scotiæ* Rex Imprimis creatus consilio quorundam de 1295
Scotia, & potissime Abbatis de **Meuros** contra fidem adversus Regem *Angliæ* insurrexit, sed captus est & exhæredatus; unde & anno sequenti *Willielmus* **Walleys**, natione *Scotus* contra Regem *Edwardum* guerram instauravit, sed secundo post hoc anno profugatus est.

R. Scotorum factus rebellis capitur & Regno exuitur.

MCCXCVI.

Rex *Edwardus* occidit LX. Millia *Scotorum* apud **Fonkyrbe** in festo beatæ 1296
Mariæ Magdalenæ, veruntamen *Scoti* paulatim invalescentes per triginta annos usque ad tempora Regis *Edwardi* post conquestum tertii *Anglos* & *Anglorum* loca vicina protriverunt, quod quidem infortunium dolo & effœminationi *Anglorum* multi deputarunt, nonnulli vero vindici dextræ Dei ascripsêrunt, juxta Prophetiam illam quæ tempore Regis *Egelfredi* prædixit, gentem *Anglorum* per *Dacos*, *Francos*, & *Scotos* fore exterminandam. De qua re prophetavit quidam *Scotus* Anachorita in hunc modum, *Angli* quia proditioni, ebrietati, & negligentiæ domus Dei dediti sunt, primo per *Danos*, deinde per *Normannos*, tertio per *Scotos* quos vilissimos reputant erunt conterendi, adeoque tunc varium erit seculum, ut varietas mentium multimoda vestium varietate designetur.

Rex Edward. 60000. Scot. apud Fonkyrbe delet.

MCCXCVIII.

Rex *Edwardus* fecit saisiri omnia temporalia Clericorum, eximens eos à 1298
protectione sua, pro eo quod anno præcedenti nollent eum respicere de bonis suis contra *Scotos*; nam *Robertus* Archiepiscopus de consensu Cleri procuraverat à Papa inhibitionem, ne quis Clericorum Regem respiceret de bonis suis, unde & plures prælatorum timore coacti protectionem Regiam quæsiverunt.

Rex Clericis offensus omnia eorum temporalia confiscari facit.

MCCXCIX.

Rex *Edwardus* cum parva manu *Anglorum* & *Wallensium*, neglecto consi- 1299
lio procerum suorum transfretavit in *Flandriam* tanquam Regem *Francorum* bellum ingesturus, ferebat enim fama Regem *Edwardum* amore *Blanchiæ* filiæ Regis *Francorum* adeo detentum, ut terram *Gasconiæ* pro *Blanchia* Regi *Franciæ* libenter resignaturum: verum quia Rex *Edwardus* tunc senior fuit, & *Blanchia* juvencula extiterat, copulata est Regi *Edwardo Margareta* soror Regis *Franciæ*, ex qua Rex *Edwardus* progenuit duos filios, viz. *Thomam* & *Edmundum*.

Transfretat in Flandriam.

Rex ducit in Uxor. Margar. Soror. Reg. Franc.

MCCC.

Rex *Edwardus* damnavit subito monetam surreptitiam & illegitimam quam 1300
Pollandos, Crocardos, Rosarios nominabant, quæ paulatim & latenter loco sterlingorum irrepserat, & primo illos valere obolum fecit, deinde penitus exterminavit. Hoc etiam anno obiit sine prole *Edmundus* Comes *Cornubiæ* filius *Richardi* Comitis *Cornubiæ* & Regis *Alemanniæ*, qua de causa rediit Comitatus ille ad coronam. Iste annus fuit Jubilæus, quo multi peregrinati sunt ad *Romam*.

Moneta illegitima damnatur.

Com. Cornub. moritur.

MCCCI.

Rex *Edwardus* dedit filio suo *Edwardo* principatum *Walliæ* & Comitatum 1301
Cestriæ. Hoc anno *Willielmus* **Waleys** dux *Scotorum* distractus **London** & suspensus, cujus caput amputatum super pontem **London** ponebatur ad spectaculum transeuntium, corpus ejus in quatuor partes divisum ad diversa loca mittebatur. Hoc anno Rex *Edwardus* misit Papæ *Bonifacio* literas declaratorias

Rex dat fil. suo Edwardo principatum Wall. &c.

Literas declaratorias tituli sui ad Reg. Scot. ad Pap. mittit. ratorias juris & Dominii quod *Anglia* habet ſuper Regnum & Reges *Scotiæ*; nam prius *Robertus* de Brus conqueſtus erat Domino Papæ, quod Rex *Edwardus* injuſte vexaſſet Regnum *Scotiæ*, unde & Papa ſcripſerat Regi *Angliæ* quod deſiſteret à tali vexatione, niſi clarius de jure ſuo poſſet edocere.

MCCCII.

1302 *Benedictus* tertius de ordine prædicatorum poſt *Bonifacium* VIII. ſedit Papa non plene anno uno, de quo quidam mentite ſcripſit,

Non re nomen habe benedic, benefac Benedicte
Huc rem perverte maledic, malefac, maledicte.

Clem. quartus Pap. ſeptim. librum Decretalium edit, ſed in Concil. Vien. revocat. Succeſſor ejus Joh. 22. denuo publicari & incorporari curat. *Clemens* quartus poſt *Benedictum* ſedit Papa annis quaſi XII. qui circa theſauros colligendos & caſtra conſtruenda inſudavit, ordines Templariorum damnavit, ſeptimum librum Decretalium quæ conſtitutiones *Clementinæ* vocantur ordinavit, ſed cito poſt in concilio quod apud *Viennam* celebratum erat eundem librum revocavit, quem tamen ſucceſſor ſuus *Johannes* XXII. innovavit, incorporavit, & publicavit. Hic quoque *Clemens* primus omnium Papalem ſedem de *Roma* uſque ad *Avinoniam* tranſtulit. Quod quidem factum an divino nutu ſeu humano auſu contigerit in admirationem ducatur. Hoc etiam anno fecit Rex *Edwardus* graves inquiſitiones contra malefactores & uſurpatores Coronæ, quæ inquiſitio vocatur Traylebaſton.

MCCCIII.

1303 *Rob. de Brus Regnum Scotiæ uſurpat.* *Robertus* le Brus uſurpavit Regnum *Scotiæ*, & circa Paſcha occidit *Johannem* le Comyn in Eccleſia fratrum minorum de Donfres, pro eo quod noluit ſibi dicta factione conſentire, ſed Rex *Angliæ* ſuperveniens ipſum *Robertum* fugere compulit, & interfectores dicti *Johannis* ſuſpendit. Quo quidem anno Rex *Edwardus* juxta Carliell perendinans fecit *Petrum* de Gavaſton familiarem filii ſui terram *Angliæ* abjurare.

MCCCIV.

1304 *Rex Edvard. obiit. Edvard. ſecundus ſuccedit.* Rex *Edwardus* obiit die tranſlationis Sancti *Thomæ* juxta Carliell apud *Burgum*, ſuper ſabulum, XXXIV. Regni ſui anno, cujus obitum *Robertus Cantuarienſis* Archiepiſcopus apud Curiam *Romanam* exularis in ſomnis vidit. Cui ſucceſſit *Edwardus* filius ſuus poſt Conqueſtum ſecundus.

A N N A L E S
WAVERLEIENSES.

MLXVI. 1066

ANNO Milleſimo ſexageſimo ſexto incarnationis Domini, id eſt, in viceſimo quinto anno Regni glorioſi *Edwardi* Regis *Anglorum* dedicata eſt baſilica Sanɛti *Petri* apud *Weſtmonaſterium* in die Sanɛtorum *Innocentium*, & poſtea in vigilia Epiphaniæ obiit Rex *Edwardus*, & ſepultus eſt in Eccleſia noviter dedicata, quam ipſe fecerat: in qua & Monachos ſtatuerat, & poſſeſſionibus multis ditaverat; eodem die Conſul *Haraldus*, Conſul perjurus; ſicut ei Rex conceſſerat, etiam populi electione ſacratus eſt in Regem.

Haroldus R.

Edwardus Angl. R. ob. hunc excipit Haraldus.

Willielmus vero dux *Normannorum* tribus de cauſis mente ſtimulatus eſt, & intrinſece irritatus, Primo, quia *Aldredum* cognatum ſuum *Godwinus* & filii ſui dehoneſtaverant, & peremerant; Secundo, quia *Robertum* Archiepiſcopum, & *Odonem* Conſulem, & omnes *Francos*, *Godwinus* & filii ſui arte ſua ab *Anglia* exulaverant; Tertio quod *Haraldus* in perjurium prolapſus, Regnum quod jure cognationis ſuum eſſe debuerat, ſine aliquo jure invaſerat.

Mortuo itaque *Edwardo*, ut ſupra diximus, Rege *Anglorum* pacifico, *Haraldus* perjurus filius *Godwini* potentiſſimi Conſulis invaſit Regnum *Anglorum*, & Diadema in perjurio; qui regnavit uno anno, & non pleno, quia propria injuſtitia Regnum, quod injuſte ſurripuit, Deo volente perdidit; interea vero venit Conſul *Toſti* in *Humbram* cum ſexaginta puppibus. Et *Edwinus* Conſul venit cum exercitu per terram & fugavit eum, *Buſhcecarli* eum refutaverant, ipſe vero ivit in *Scotiam* cum XII. puppibus, & cum illuc iret, venit illi obvius *Haraldus* Rex *Norwegiæ* cum CCC. puppibus, & *Toſti* ſubditus eſt illi; & poſtea venerunt ambo in *Humbram* uſque ad *Eboracum*, & ibi pugnaverunt cum eis *Marcherus* & *Edwinus* Conſules, *Haraldus* Rex *Norwegiæ* eos devicit; quod poſtquam audivit *Haraldus* Rex *Anglorum*, congregato magno exercitu ivit illuc, & obviavit eis apud Stanfordſbrige, & pugnavit cum illis, ibique occiſus eſt *Haraldus* Rex *Norwegiæ*, & *Toſti* Conſul, & totus exercitus eorum turpiter deviɛtus.

Haraldus Norwegiæ R. adjunɛto ſibi Conſule Toſti devincit Marcherum & Edwinum Coſſ. poſtea ab Haraldo Angl. Rege prælio cæſus eſt.

Interim *Willielmus* Baſtard Conſul *Normannorum* appulit apud Haſtinge, *Haraldus* Rex hoc audiens cum rediret à prædiɛto prælio, mox ivit illuc, & nondum adunato exercitu ſuo, pugnavit contra illum, & ipſe cecidit, & cum eo duo fratres ſui Gyrth & Leofwine; *Willielmus* vero conquiſivit *Angliam*, & venit apud *Londoniam* & ſuſceptus eſt à *Londonenſibus* pacifice, & coronatus eſt apud *Weſtmonaſterium* ab *Aldredo Eboracenſi* Archiepiſcopo quia *Stigandus Cantuarienſis* excommunicatus erat. Sic dextra excelſi mutatio glorioſa comprobatur eſſe faɛta, tunc gens hujus Patriæ pecuniam & obſides illi dederunt, & terram ſuam erga eum relevaverunt;

Willielm. Baſtard Angliam invadit, Haraldum vincit, Regnum occapat & Weſtmonaſterii Coronatur.

Anno Milleno Sexageno quoque ſeno,
Anglorum metæ flammas ſenſere Cometæ.

W. Baftard R. Quod Cometa ingens in exordio ejufdem anni defignaverat; unde dictum eft,

Hoc anno feno milleno bifque triceno,
Anglorum gentes bello periere cadentes,
Haroldus cecidit, Willielmus dux fuperavit.

Commiffum eft hoc prælium pridie Id. Octobris in die Sancti *Calixti*, die Sabbati, lunaxxii. quo in loco Rex *Willielmus* Abbatiam nobilem fundavit in honorem Sancti *Martini*, & eam digno nomine *Belli* vocavit, Regnavit autem idem *Willielmus* Rex *Anglorum*, & dux *Normannorum*, xx. & uno anno, minus 39 diebus.

1067 MLXVII.

Will. R. obfides fecum ducit in Normanniam.

In millefimo fexagefimo feptimo Incarnations anno, & in primo anno Regis *Willielmi* Rex mare tranfivit, & duxit obfides & thefauros, qui interfuit dedicationi Ecclefiæ *Gemeticenfis*, & reverfus eft in fequenti anno in die Sancti *Nicholai*, eodem anno combufta eft Ecclefia Sanctæ Trinitatis apud *Cantuariam*; & Rex poftquam rediit divifit terram militibus fuis. Eodem anno Eadgar puer, & Merlefwegen, & multi homines cum eo iverunt in *Scotiam*, Rex vero Melcolm eos omnes fufcepit, & accepit fibi in uxorem *Margaretam* fororem *Edgari* pueri.

Angliam militibus dividit.

1068 MLXVIII.

Robertus Com. Northumbriæ præfectus ab incolis cæfus.

In 11. Anno *Willielmi* Regis Rex dedit *Roberto* Comiti Confulatum *Nordhumberlandæ*. Gens vero patriæ venerunt contra eum, & eum occiderunt, & cum eo nongentos homines. Edgar Etheling cum omni gente *Nordhumbrienfi* venit ad *Eboracum*, & Burgenfes cum eo pacem fecerunt; Rex vero *Willielmus* venit illuc cum exercitu fuo, & civitatem prædavit, & multos homines occidit; & Edgar Etheling rediit in *Scotiam*.

Will. R. Ebor. diripit.

1069 MLXIX.

Dani à Will. R. devicti.

In tertio anno Regis *Willielmi Elfricus* Abbas *Burgh* incufatus eft, & miffus eft apud *Weftmonafterium*, & frater ejus *Alfwinus* Epifcopus utlagatus eft. Poftea inter duas feftivitates Sanctæ *Mariæ* venerunt à *Danemarchia* filii Swegen Regis, & *Osbertus* Conful frater fuus cum ccc. puppibus, tunc Waltheof Conful & Eadgar Etheling venerunt contra eos in *Humbram* & multi homines cum eis, & perrexerunt omnes fimul ad *Eboracum*, & exeuntes à puppibus fuis ceperunt Caftellum, & multos homines occiderunt; & thefauros multos, & Barones vinctos fecum duxerunt ad puppes, & intra *Hufam* & *Trentam* tota hieme fuerunt; Rex autem *Willielmus* eo venit & eos deftruxit.

1070 MLXX.

Ecclefiæ diripiuntur.

Fames.

In Quarto anno *Willielmi* Regis Waltheof Conful fregit pacem cum Rege; & eodem anno in quadragefima Rex juffit prædari omnes Ecclefias totius *Angliæ*, & fuit illo anno magna fames, & prædatum eft Monafterium apud *Burghe* per inertes homines. *Agelricus* autem Epifcopus eos omnes excommunicavit quia ceperant quicquid ipfe habebat; hoc anno venit navigium *Dacorum* in *Humbram* & *Tamefem*, ibique duabus noctibus fuit, & poftea rediit in *Danemarchiam*. Hoc anno obiit *Baldwinus* Conful *Flandriæ*, fucceffit *Arnulfus* filius ejus quem debebant manutenere Rex *Franciæ* & Rex *Angliæ*; *Robertus* autem *Frizenfis* illuc veniens occidit *Arnulfum* cognatum fuum, & Dapiferum Regis *Willielmi*, & multa millia hominum utriufque Regis.

Stigando depofito, Lanfrancus fit Archiep. Cantuar.

Depofito *Stigando* Apoftata (qui prius fuerat Epifcopus *Halmeenfis*, quæ fedes poftea ad Norwich tranflata eft, & poftea Epifcopus *Wintonienfis*, ad ultimum *Cantuarienfis* Archiepifcopus; & hos tres honores non caufa Religionis, fed caufa cupiditatis fimul tenebat, unde à Papa *Romano* excommunicatus fuerat) *Lanfrancus* prius Monachus *Beccenfis*, deinde Abbas *Cadomenfis*, conftitutus eft Archiepifcopus *Cantuarienfis*, ubi laudabiliter & gloriofe vixit ad exemplum omnium bonorum x. & viii. annis.

Obiit

Obiit *Alexander* Papa, fucceffit *Hildebrandus* qui *Gregorius* vocatus eft CLXI. Papa.

W. Baftard R. Hildebrand. Papa.

MLXXI. 1071

In quinto anno *Willielmi* Regis *Marcherus* & *Edwinus* Confules cœperunt prædari per campos, & nemora & *Marcherus* ivit cum puppibus in Heli, *Edwinus* Conful occifus eft ab hominibus fuis, & Siward-bern & *Ailwinus* Epifcopus, &, multi homines venerunt in Heli; quod Rex audiens, duxit illuc exercitum per teram & per aquam, & eam obfedit, & paravit ibi pontem, & fic infulam intravit; & ex alia parte introivit exercitus fuus, qui venerant per aquam, *Ailwinus* Epifcopus, & *Marcherus* Conful, & omnes qui cum illis erant, præter *Herwardum* & fautores fuos, quos viriliter eduxit, fe reddiderunt; Rex autem cepit puppes & arma, & multos thefauros, & de omnibus fecit quod voluit, & *Ailwinum* Epifcopum mifit apud *Abendumam* ubi ipfe eodem anno obiit.

Will. R. reprimit Marcherum & alios tumultuantes in Inf. Elienfi.

MLXXII. 1072

Sexto namque anno *Willielmi* Regis duxit idem Rex exercitum per terram & per mare in *Scotiam*, & eam ex parte maris cum puppibus obfedit, & exercitum fuum per terram apud Scodwade introduxit, & ibi nihil invenit unde fibi melius effet; Rex vero Melcolm venit contra eum, & concordatus eft cum eo, & dedit illi obfides, & homo fuus devenit; tunc Rex *Willielmus* cum exercitu fuo rediit, & *Cilricus* Epifcopus obiit qui facratus fuit apud *Eboracum*, & ablato fibi Archiepifcopatu injufte, fibi datus fuit Epifcopatus *Dunelmiæ*, quem poftea dimifit & venit ad Burch ibique XII. annis fuit, fed poftquam *Willielmus* Rex habuit hanc terram, captus & miffus ad *Weftmonafterium* ibique obiit, & fepultus eft in porticu Sancti *Nicholai*.

Will. R. Scotiam invadit.

Pax inter Will. & Melcolm.

Cilricus Ep. ob.

MLXXIII. 1073

Septimo anno regni Rex *Willielmus* duxit exercitum fuum ultra mare & conquifivit Mans & *Angli* totam terram illam deftruxerunt, comburendo villas, & detruncando vineas, & eam Regi fubdiderunt.

Will. R. devincit Mans.

MLXXIV. 1074

Anno octavo Rex *Willielmus* ivit in *Normanniam* & *Edgarus* puer venit ad eum à *Scotia*, & Rex eum inlagavit, & omnes homines fuos, & ipfe fuit in Curia Regis, & Rex dabat illi liberationem qualem volebat. Congregatum eft concilium in *Rotomagenfi* urbe prefidente *Willielmo* Rege *Anglorum*, & *Johanne* Archiepifcopo *Rotomagenfi* & multitudine Epifcoporum, in quo de negotiis Ecclefiafticis tractaverunt, *Gregorius* Papa *Simoniacos* excommunicavit, & uxoratos facerdotes à divino officio removit, & laicis Miffam eorum audire interdixit.

Concil. Rotomagenfe.

Papa facerdotes, qui uxor. habuerunt, ab officio fufpendit.

MLXXV. 1075

Nono anno Rex *Willielmus* dedit *Radulfo* Confuli filiam *Willielmi Tizzosberti* & Confulatum Norfolc, & Sudfolc; ifte *Radulfus* erat *Brito* ex parte matris, & pater fuus *Anglicus* fuit, natus in Norfolc, & vocabatur *Radulfus*; ille autem accepta uxore fua duxit eam ad Norfolc ibique habuit nuptias fuas quæ multis hominibus damno fuerunt, in quibus affuit *Rogerus* Conful, & Waltheof Conful, & Epifcopi, & Abbates, & confuluerunt expellere regem à Regno fuo, quod cito Regi notum fuit in *Normannia*; hujus confilii fuerunt principes *Rogerus*, & Waltheof & *Radulfus* Confules, & adquifiverunt fibi *Britones*, & miferunt in Danemarch propter auxilia; *Rogerus* Conful ivit *Weft.* ad Confulatum fuum, & adunavit gentem ad damnum Regis, fed difturbatus fuit. *Radulfus* Conful voluit ire cum exercitu fuo, fed gens Patriæ & Caftellani obftiterunt, ita quod ipfe nihil profecit; fed ivit ad Norwich ad puppes fuas, & inde receffit; uxor vero fua fuit in Caftello de Norwich, & illud tenuit, quoufque data fibi pace cum hominibus fuis ab hac terra receffit. Poftea venit Rex in hanc terram, & cepit Watheof Confulem, & *Rogerum* Confulem cognatum fuum, & mifit illos in carcerem, deinde venerunt à Danemarche &c. puppes, quibus præfuerunt Cnut filius Swegen. & Hacun Conful,

Conjuratio in Regem.

Claffis Danica re infecta receait.

W. Baſtard R. Conſul, & non auſi ſunt pugnare contra Regem *Willielmum* ſed iverunt ultra mare in *Flandriam*. Hoc anno obiit *Editha* apud *Wintoniam*, VII. diebus ante nativitatem Domini, & juſſit Rex ferri corpus ejus ad *Weſtmonaſterium*, & ibi judicati ſunt *Britones*, qui fuerunt ad nuptias, & quidam oculos amiſerunt, & quidam exulati ſunt; ſic proditores Regis *Willielmi* deſtructi ſunt, Rex *Willielmus* obſedit Caſtellum Dole, & civitatem *Britanniæ*; *Britanni* vero caſtellum tenuere donec Rex *Francorum* adveniens liberavit eos, poſtea vero rex *Francorum*, & rex *Anglorum* concordati ſunt.

Pax inter Will. & Regem Francorum.

Rex equo detruſus & fil. ejus vulnerat.

Rex *Willielmus* ſeditione militari agens contra *Robertum* filium ſuum primogenitum apud *Gerberiem* caſtellum in *Francia*, equo ſuo propulſus eſt, & *Willielmus* filius ejus vulneratus eſt, & multi ex ſuis occiſi; maledixit igitur rex *Roberto* filio ſuo, quam maledictionem antequam moreretur, evidenter perpeſſus eſt. Porro *Northumbri* proditione occiderunt *Walcherum* Epiſcopum *Dunelmiæ* iniquo Placito pacifice ſtatuto juxta Tinam, & centum homines cum eo.

MLXXVI.

1076 *Ob. Rex. Dacorum.*

Decimo Anno *Willielmi* regis obiit Swengen rex *Dacorum*, & *Haraldus* filius ejus ſucceſſit. Rex *Willielmus* dedit Abbatiam *Weſtmonaſterii* Vitali Abbati, qui fuit Abbas apud Bernege, & Waltheof conſul decollatus eſt apud *Wintoniam*, & ſepultus eſt apud *Crulandem*.

MLXXVII.

1077

Dominica Palmarum circa horam ſextam ſereno cœlo ſtella apparuit.

Londini incendium.

Undecimo anno *Willielmi* regis combuſta eſt *Londonia*, una nocte ante aſſumtionem Sanctæ *Mariæ* magis quam unquam antea fuerat, ex quo facta fuerat.

MLXXVIII.

1078 *Rex Scotiæ invadit Angliam.*

Anno duodecimo *Willielmi* rex Melcolm venit in *Angliam* inter duas feſtivitates Sanctæ *Mariæ* magno exercitu; & prædavit in *Northumbra* uſque ad *Tinam*, & multos homines occidit, & multos theſauros, & homines in vinculis ſecum duxit.

MLXXIX.

1079

Anno XIII. *Willielmi* regis. Obiit *Johannes* Archiepiſcopus *Rotomagenſis*, ſucceſſit *Willielmus* Abbas *Cadomi*.

MLXXX.

1080 *Concil. Lillebonæ.*

Anno XIV. *Willielmi* regis factum eſt Concilium apud *Lillebonam* in præſentia *Willielmi* regis *Anglorum* in Pentecoſte, Præſidente *Willielmo* Archiepiſcopo *Rotomagenſi*, cum Epiſcopis, Abbatibus, Conſulibus, & cæteris principibus, ubi multa utilia inſtituta ſunt, quæ ſervantur in *Normannia*. Idem rex duxit

Rex Walliam devincit.

exercitum ſuum in *Walliam* & eam ſibi ſubdidit, & multi ex utraque parte perierunt.

MLXXXI.

1081 *Odo Ep. Baioc. carceri mandatur.*

Anno XV. regis *Willielmi* captus eſt *Odo* Epiſcopus *Baiocenſis* & in carcerem miſſus. Fames magna in *Anglia* fuit; Ventus validus in nocte nativitatis Domini.

MLXXXII.

1082 *Diſcordia orta inter Abbatem Glaſtingbirii & Monachos, quidam ex his occiſi.*

Anno XVI. regis *Willielmi* fuit diſcordia magna inter *Turſtanum* Abbatem Glaſtingbiri, & Monachos ſuos, quæ prius incepit per culpam Abbatis, quia faciebat plures injurias Monachis ſuis. Monachi vero humiliter quæſiverunt, ut eos ipſe recte cuſtodiret, & illi igitur eum diligerent, & honorarent fideliter; Abbas vero hoc renuit, ſed multa illis fecit, & deterius promiſit. Quadam die ivit in capitulum & placitavit ſupra Monachos, & miſit propter laicos ſuos, qui venerunt in capitulum armati ſupra Monachos; Monachi igitur exterriti neſcientes quid agerent, fugerunt, & quidam in oratorium currentes oſtia firmaverunt, & laici ſecuti ſunt, volentes eos extrahere, accidit autem in die illa magna miſeria, quia *Franci* chorum fregerunt, & jactaverunt gradus altaris, ubi captivi Monachi jacebant, & quidam militum ſupra

supra trabes ascenderunt, & deorsum cum sagittis traxerunt, ita quod multæ sagittæ inhæserunt in cruce quæ supra altare erat, & miseri Monachi circa altare jacebant, & quidam subtus absconsi sunt invocantes justitiam Dei, quia nullam ab hominibus habere poterant, laici autem qui subtus erant fractis ostiis intrantes tres occiderunt, & decem & octo vulneraverunt ita quod sanguis cucurrit ab altari supra gradus & à gradibus supra aream. *W. Bastard R.*

MLXXXIII.

Anno XVII. regis *Willielmi*, obiit *Matildis* regina filia Sancti *Baldwini* Comitis *Flandrensis*. Uxor *Willielmi* regis *Anglorum* qui *Angliam* conquisivit, Regina nobilis, de cujus nobilitate largiflua multa Ecclesiæ Sanctæ retinent beneficia in crastino omnium Sanctorum obiit. 1083 *Matilda Regina ob.*

Misit rex *Willielmus* justitiarios suos per unamquamque scyram, id est provinciam *Angliæ* & inquirere fecit per jusjurandum, quot hidæ, id est, jugera uni aratro sufficientia per annum essent in una quaque villa, & quot animalia: tunc autem fecit inquiri quid unaquæque urbs, Castellum, vicus, villa, flumen, palus, silva, reddit per annum; hæc autem omnia in chartis scripta delata sunt ad regem, & in thesauros reposita usque hodie servantur, eodem anno *Mauritius* factus est Episcopus *Londoniæ*, qui templum maximum, quod nondum perfectum est, incepit. *Rex in valorem terrar. & rerum omnium Angliæ inquirit.*

MLXXXIV.

Anno XVIII. regis *Willielmi*, idem rex tenuit Curiam suam in natali apud **Gloucestre**, ad pascha apud *Wincestriam*, ad Pentecostem apud *Londoniam*: *Henricum* filium suum juniorem militem fecit; deinde accipiens hominium omnium terrariorum *Angliæ* cujuscunque feodi essent, juramentum fidelitatis recipere non distulit. 1084 *Juram. fidelit. à subditis exigit.*

MLXXXV.

Anno regis *Willielmi* XIX. obiit *Gregorius* Papa, successit *Victor*; *Victori Urbanus*. Hoc anno dicebatur pro vero per terram istam, quod **Cnut** rex *Danorum* filius regis **Swegn** volebat hanc terram conquirere auxilio *Roberti* Consulis *Flandriæ*, cujus filiam ipse habebat. Rex *Willielmus* qui tunc manebat in *Normannia* hoc audiens, in *Angliam* venit cum tanto exercitu *Francorum*, & *Britannorum*, equitum, & peditum, quantus nunquam in hac terra venit, ita quod mirum videbatur quomodo terra ista eos pascere poterat, rex vero divisit exercitum suum per terram istam hominibus suis, ut eos pascerent, unicuique secundum terram suam, & fecit vastare totam terram circa mare, ne inimici sui invenirent ubi quid acciperent, postquam vero rex audivit inimicos suos disturbatos esse, nec posse perficere quod inceperant, remisit partem exercitus sui in terram eorum, partem vero retinuit. 1085 *Victor. Pap. ob. cui succedit Urban.* *Fama de Angliâ invadenda à Danis.*

MLXXXVI.

Anno regis *Willielmi* XX. rex tenuit Curiam suam apud *Wintoniam*, postea ad Kalendas Augusti fuit apud *Salisburiam*, ibique venerunt coram eo Barones sui, & omnes terrarii hujus regni, qui alicujus pretii erant, cujuscunque feodi fuissent, & omnes homines sui effecti sunt, & juraverunt illi fidelitatem contra omnes homines. Postea rex adquisitis magnis thesauris ab hominibus suis, supra quos aliquam causam invenire poterat sive juste sive injuste, deinde ivit in **Wicht**, & sic in *Normanniam*, & **Edgar Atheling** cognatus regis *Edwardi* recessit à rege, quia non erat cum eo honorifice; sed Dominus omnipotens det illi honorem, & Christiana soror *Edgari* facta est Sanctimonialis apud *Rumeseiam*. Hoc anno fuit magnum infortunium in *Anglia*, in mortalitate animalium, & in defectione segetum, & fructuum, & in tempestatibus talibus, quales vix memorari possunt; fuerunt etiam tanta tonitrua, quod multos homines occiderant, & sæpius contingebant pejus & pejus, *quod Deus emendat, cum sibi placuerit*, Amen. 1086 *Rex multa pecunia collecta in Norman. transit.* *Animalium pestis.*

MLXXXVII.

Anno XXI. regis *Willielmi* contigit magnum infortunium in *Anglia*, gens enim tanta infirmitate occupata est, quod pene quisque alter homo tam 1087 *Febris grassatur.*

W. Baſtard R. graviter à febribus poſſeſſus eſt, quod multi eorum per eos mortui ſunt, poſtea per malas tempeſtates quas prædiximus advenit magna fames per totam *Angliam*, ita quod centena hominum perierunt. Ah quantus dolor erat, & quanta miſeria quando homines jacebant infirmati pene ad mortem, & poſtea fame ex toto peribant, quis eſt tam duri cordis, qui non poſſit lugere; quando tale infortunium accidit populo pro peccatis eorum, quia nolint amare Dominum, & quod rectum eſt. Rex autem & pene omnes capitales homines valde & nimium cupiditate auri & argenti repleti erant; nec curabant quomodo illud acquirerent, aut haberent. Rex vero dabat terram ſuam ad firmam quanto carius poterat; tunc veniebat alius, & offerebat magis ſupra illum, cui rex terram tradidit; rex autem dabat illi qui plus offerebat, & non curabat cum quanto peccato præpoſiti cenſum à pauperibus hominibus adquiſiſſent, nec quantas injurias ipſi feciſſent, & quanto plus homines loquebantur de recto, tanto fiebat major injuria; ipſi elevabant injuſtas teloniationes, & alias malas conſuetudines, quæ difficiles ſunt ad numerandum. Eodem anno combuſta eſt Eccleſia Sancti *Pauli* apud *Londoniam* & plures aliæ eccleſiæ, & majus & melius totius urbis, & pene omnes capitales Burgi totius *Angliæ*. O quantus luctus erat, quando tot infortunia huic patriæ accidebant; hoc etiam anno ante aſſumptionem Sanctæ *Mariæ* ivit rex *Willielmus* ex *Normannia* in *Franciam*, & prædavit ſupra Dominum ſuum regem *Philippum*, & multos homines illic occidit; & combuſſit Mahante, & omnes eccleſias quæ ibi intus erant, & duos Anachoritas qui ibi erant, & poſtea rediit in *Normanniam*, & ſicut male egerat, ita illi contingit, infirmatus eſt graviter, & mors quæ nec pauperem, nec divitem dimittit, eum aſſumpſit, & ipſe obiit in craſtino die nativitatis Sanctæ *Mariæ*, & ſepultus eſt apud *Cadomum* in Eccleſia Sancti *Stephani*, quam ipſe conſtruxerat, & multis modis ditaverat. Ah quam mendax eſt, & tranſitorius hujus ſeculi honor, qui prius fuerat rex ditiſſimus, & multarum terrarum Dominus, nihil habuit ex tota terra ſua præter ſeptem pedes, & qui fuerat auro & gemmis veſtitus, tunc fuit pulvere coopertus.

Fames.

Injuſta pecuniæ exactio.

Eccl. S. Pauli Lond. incendio vaſtatur.

Will. R. Franciam invadit.

Will. R. ob.

Poſt obitum autem illius *Robertus* filius ejus ſenior ſuſcepit Conſulatum *Normanniæ*, *Willielmus* vero *Ruffus* filius ejus ſecundus regnum *Anglorum*, tertio vero qui vocabatur *Henricus* dedit pater magnam partem theſauri ſui.

Will. Rufus ſuccedit in Reg. Angl.

Si quis ſcire vult qualis ipſe fuit, & quam honorificus, & quot terrarum Dominus, nos dicemus qui eum vidimus, & in curia ejus aliquando fuimus, Rex *Willielmus* de quo locuti ſumus fuit valde ſapiens & dives, & honorificus, & fortior omnibus prædeceſſoribus ſuis, & humilis hominibus Deo ſervientibus, & valde durus erga homines qui voluntati ſuæ contradicebant; dum ipſe regnavit ſupra *Angliam*, conſtruxit Monaſterium de Bello, in quo Monachos ſtatuit, & illud multis modis ditavit, & in diebus ejus conſtructa eſt eccleſia *Cantuariæ*, & plures aliæ per *Angliam*, & etiam terra iſta multum repleta eſt Monachis, qui vivebant ſecundum regulam Sancti *Benedicti*, & Chriſtianitas in tempore ejus tantum exaltata eſt, ut unuſquiſque ſciebat quid ordini ſuo pertinebat; fuit etiam valde honorabilis, ita quod unoquoque anno, quo erat in *Anglia* tribus vicibus coronabatur. ad Paſcha apud *Wintoniam*, ad Pentecoſten apud *Weſtmonaſterium*, ad Natale apud *Glouceſtriam* & tunc aderant ibi Archiepiſcopi, Epiſcopi, Abbates, Conſules, & Barones totius Angliæ.

Willielmi R. acta & mores.

Fuit eiam valde ſeverus, ita quod nemo audebat aliquid facere contra voluntatem illius, habebatque in carcere conſules, & Barones, & Epiſcopos depoſuit ab Epiſcopatu ſuo, & Abbates ab Abbatia ſua, & etiam fratri ſuo *Odoni* non pepercit, qui fuit Epiſcopus *Baiocenſis* in *Normannia*, & Conſul ſupra Cent in *Anglia*, ſed illum miſit in carcerem. Inter cætera non eſt prætermittendum, quod ipſe tantam pacem fecit in *Anglia*, quod quidam homo, qui alicujus vigoris eſſet poterat ire ſolus cum pleno ſinu auri ſecure per terram iſtam, & nemo audebat alium occidere pro nullo foriſfacto, quod alius ſibi feciſſet; & ſi aliquis cum aliqua vi concubuiſſet, ſtatim ementulatus fuiſſet; ipſe

ipſe regnavit ſupra totam *Angliam*, & eam cum tanta aſtutia inquiſivit, quod non erat in tota hac terra Hida, de qua neſciret, cujus eſſet, & quid valeret, & hoc in carta ſua ſcriptum habebat. Habuit etiam *Britanniam* in poteſtate ſua, & in ea Caſtella fecit, & gentem illam ſibi acclivem fecit, *Scotiam* etiam fortitudine ſua adquiſivit, *Normannia* vero fuit ſua ex hæreditate, *Cenomanniam* vero conquiſivit; & ſi duobus annis diutius vixiſſet, *Hiberniam* probitate ſua abſque armis viciſſet; vere in tempore illius habuit populus magnos labores, & multa tædia; fecit enim parari Caſtella, in quibus populum fatigabat; auferebat etiam illis multas marcas auri, & plures libras argenti, & hoc injuſte, non pro aliqua neceſſitate, ſed pro magna cupiditate. *Will. R. Ruf.*

Statuit ut quicunque cervum aut cervam occideret oculos amitteret, defendit capere apros & etiam lepores, & amavit feras tanquam eſſet pater eorum, quod multum fuit tædio Baronibus ejus, ipſe vero nihil pendebat eorum iram, ſed oportebat eos omnino ſequi voluntatem ſuam, ſi vellent habere vitam, aut terram aut pecuniam, aut ejus amicitiam. Quantus dolor quod aliquis homo ſuperbiat, quod ſupra omnes homines ſe extollat! ſed Deus omnipotens per ſuam miſericordiam concedat illi delictorum veniam. Hæc ſcripta ſunt de eo bona & mala, ut boni homines ſequantur exempla bonorum, & derelinquant mala, & pergant per viam quæ ducit ad vitam.

Multa ſcribi poſſunt, quæ hoc anno contigerunt, ſicut accidit in *Danemarchia*, quod *Daci* qui erant ex fidelioribus hominibus mundi, lapſi ſunt in majorem infidelitatem, quæ fieri poſſet, Regem enim **Cnut**, quem elegerant, & cui fidelitatem juraverant, poſtea in quodam Monaſterio proditione occiderunt. *Dani Regem Cnut. interimunt.*

Accidit & in *Hiſpania*, quod Pagani prædaverunt ſuper *Chriſtianos*, & multum terræ conquiſiverunt. *Amfos* rex *Chriſtianus* miſit ubique per terras *Chriſtianorum* propter auxilium, & accepto ab eis auxilio paganos occidit, & fugavit, & auxilio Dei terram ſuam iterum conquiſivit, hoc etiam anno obierunt multi homines in hac terra; *Stigandus* Epiſcopus *Ciceſtrenſis*, & Abbates plures, poſtea eorum omnium Dominus *Willielmus* Rex de quo locuti fumus, & poſt obitum illius *Willielmus Ruffus* filius ſuus ſuſcepit regnum *Anglorum*, & ſacratus eſt in regem à *Lanfranco* Archiepiſcopo *Cantuarienſi* apud *Weſtmonaſterium*, tribus diebus ante feſtum Sancti *Michaelis*, & omnis gens *Angliæ* ei ſubdita eſt, & fidelitatem illi juravit. *Rex Hiſpan. paganos fugat.* *Will. Rufus Weſtmonaſterii coronat.*

Poſtea vero ivit rex apud *Wintoniam*, & aſpexit aulam, quam pater ſuus fecerat, & theſaurum patris ſui; difficile eſt autem enumerare quid ibi congregatum fuit in auro, & argento, & gemmis, & vaſis, & palleis, & in cæteris caris rebus; conſpecto vero theſauro fecit rex ſicut pater ejus præceperat; diviſit enim theſaurum pro anima patris ſui per Monaſteria totius *Angliæ*, & quibuſdam dedit x. Marcas auri, quibuſdam vero VI. & unicuique Eccleſiæ mille quinque ſolidos, & miſit in unumquemque Comitatum centum libras argenti, ut dividerentur pauperibus pro anima patris ſui; præceperat autem pater ejus antequam obiret, ut ſolverentur omnes qui in vinculis erant in terra ſua. *Will. theſaurus magnus ex mente ejus diſtribuitur.*

MLXXXVIII. 1088

Rex *Willielmus* fuit ad natale apud *Londoniam*. Hoc anno fuit terra iſta valde commota & turbata; ita quod omnes *Franci* ditiores hujus terræ volebant prodere regem ſuum *Willielmum Ruffum*, & facere *Robertum* fratrem ſuum regem, qui erat Conſul *Normanniæ*; hujus conſilii fuit princeps *Odo* Epiſcopus *Baiocenſis*, & *Gaufridus* Epiſcopus, & *Willielmus Dunelmiæ*; Rex autem in tantum benefecerat *Odoni* Epiſcopo, quod tota *Anglia* conſilio & voluntate illius regebatur, ipſe vero volebat Regi, quemadmodum *Judas* Scariot fecit ſervatori noſtro. Affuit etiam in illo conſilio *Rogerus* Conſul, & cum eo multi *Franci*, & fuit hoc prolocutum in Quadrageſima, & ſtatim poſt Paſcha prædaverunt, & combuſſerunt & vaſtaverunt proprias villas regis, & omnium eorum qui erant in fidelitate regis, & ivit unuſquiſque ad Caſtellum ſuum, & *Conjuratio contra Will. R.*

illud

Will. R. Ruf. illud ut potuit hominibus, & cibis melius munivit. *Gaufridus* Epiſcopus & *Robertus* de **Amundbreg** iverunt ad **Briſtou** & magnam prædam capientes, eam ad Caſtellum detulerunt, & poſtea exeuntes à Caſtello prædaverunt *Bathaniam*, & totam terram circum eam, & circum *Bircleam*, & quicquid illuc pertinebat vaſtaverunt. Barones autem *Herefordiæ* & tota gens illius comitatus, & homines **Salopes-ſhire**, cum magno populo *Britanniæ* prædantes combuſſerunt **Wirceſtre-ſyre** uſque ad ipſum Burgum, & Burgum volebant comburere, & monaſterium prædare, & Caſtellum ad opus eorum conquirere, quod audiens *Wolſtanus* bonus Epiſcopus cui Caſtellum commendatum erat ad ſervandum, valde contriſtatus eſt, milites tamen ſui à caſtello exeuntes cum paucis hominibus auxilio Dei, & precibus Epiſcopi occiderunt & ceperunt v. Millia hominum, & cæteros fugaverunt.

Magnæ deprædationes. Epiſcopus *Dunelmenſis* fecit quicquid damni potuit ubique in **Nord**. *Rogerus* autem quidam eorum venit in Caſtellum de **Norwich**, & fecit adhuc pejus per totam terram illam; alius autem qui vocabatur *Hugo* nihil melius fecit in provincia *Legreceſtriæ* & *Hamtoniæ*. *Odo* vero Epiſcopus à quo hæc ſurrexerunt, ivit ad Conſulatum ſuum in **Cent**, & eam valde deſtruxit, & terras regis & Archiepiſcopi omnino vaſtavit, & quicquid capere potuit in caſtellum ſuum apud **Roueceſter** detulit.

W. R. adjuvantibus Anglis, conjurantes vincit. Rex autem comperiens quæ facta erant, & quomodo eum prodere volebant, miſit propter populum *Anglorum*, oſtendenſque eis neceſſitatem ſuam, quæſivit ab eis auxilium, promittendo eis meliores leges, quam unquam in hac terra fuerunt; & prohibuit omnes injuſtos Geldos, & conceſſit hominibus nemora eorum, & venatus; ſed hoc parum duravit. *Anglici* vero conceſſerunt regi auxilium & iverunt cum eo erga **Rouceſtre** volentes capere *Odonem* Epiſcopum, putabant enim ſi haberent illum qui erat caput conſilii, ſe capturos levius alios, & venerunt apud **Tunebrige**, in quo erant homines Epiſcopi, & plures alii volentes tenere illud, contra regem: *Anglici* vero Caſtellum fregere, & qui intus erant pacem cum rege fecerunt. Rex autem ivit erga **Rouceſtre** cum exercitu putans ibi invenire Epiſcopum *Odonem*, ſed ex quo audivit quod Epiſcopus erat apud *Peveneſiam*, ivit illuc cum exercitu ſuo, & obſedit caſtellum, cum magno exercitu per ſex hebdomadas. Interea

Caſtrum Tunbridge expugnat.

Fugat exercitum Roberti Conſ. Norman. *Robertus* Conſul *Normanniæ* congregavit magnum exercitum, volens conquirere *Angliam* auxilio hominum hujus patriæ qui erant contra regem, & miſit ex hominibus ſuis ad hanc terram volens poſt eos venire; *Angli* vero qui mare cuſtodiebant, occiderunt & ſubmerſerunt ex illis plures quam aliquis recitare ſciat. Illi autem qui in Caſtello erant deficiente cibo quæſiverunt pacem cum rege, & reddiderunt illi caſtellum, & Epiſcopus juravit ſe receſſurum ab *Anglia*, nec unquam rediturum amplius, niſi rex propter illum mitteret, & quod reddet Caſtellum *Rouceſtriæ*. Cum autem iret ut Caſtellum redderet, & homines regis cum illo iverunt, ii qui in Caſtello erant ceperunt Epiſcopum, & homines regis, & miſerunt eos in vinculis; in Caſtello illo erat *Euſtachius*, & tres filii Conſulis *Rogeri* & omnes nobiliores homines hujus terræ, ſive *Normanniæ*; poſtquam vero Rex hoc comperuit, ivit cum exercitu quem prius habuerat poſt eos, & miſit per totam *Angliam*, & mandavit, ut quicunque foret **Unnithing** ſive *Francus* ſive *Anglicus*, ſive in Burgo, ſive extra Burgum veniret ad eum. Et adunato magno populo ivit ad *Rouceſtriam*, & obſedit Caſtellum uſquequo homines qui intus erant facta pace illud ei reddiderunt. *Odo* autem Epiſcopus cum hominibus qui in Caſtello erant

Caſtella Roff. Dunelm. Regi dedita. mare tranſivit, & ſic dimiſit honorem quem in hac terra habuit. Rex vero miſit exercitum apud *Dunelmiam* & fecit obſideri Caſtellum. Epiſcopus autem facta pace Caſtellum reddidit, & dimiſſo Epiſcopatu ſuo ivit in *Normanniam*, & multi *Francorum* terram ſuam dimiſerunt, & mare tranſierunt, rex vero dedit terram eorum hominibus qui ſibi fideles erant.

MLXXXIX.

MLXXXIX. *Will. R. Ruf.*

1089 *Lanfrancus ob.*

Lanfrancus Archiepiſcopus pater & conſolator Monachorum tranſiit ab hoc ſeculo, quem ſperamus iviſſe ad gloriam Dei. Hoc anno fuit magnus terræmotus per totam *Angliam*, III. Id. Auguſti, & annona multum tarda fuit, & omnis fructus terræ, ita quod multi homines collegerunt ſegetes ſuas circa feſtum Sancti *Martini* & tardius.

MXC.

1090 *W. R. Normanniam exercitu ſuo depopul.*

Peractis quæ prædiximus inter Regem *Willielmum*, & fratrem ſuum *Robertum*, & homines ſuos, cogitavit rex quomodo ſe vindicaret, & *Normanniam* à fratre ſuo conquireret, & per aſtutiam ſuam, ſive per pecuniam, adquiſivit ſibi Caſtellum Sancti *Walerici*, & poſt illud de *Albamaria*, & ibi miſit milites ſuos qui fecerunt maxima damna in terra illa prædando, & comburendo, & poſtea adquiſivit plura Caſtella, in quibus locavit milites ſuos. Conſul autem *Normanniæ* comperiens homines ſuos ab eo recedere, & Caſtella ſua regi tradere; miſit ad Dominum ſuum *Philippum* regem *Francorum*, qui venit in *Normanniam* cum maximo exercitu, & euntes ſimul rex & Conſul obſederunt Caſtellum in quo homines Regis erant. Rex autem *Willielmus* miſit ad regem *Philippum*, & rex *Philippus* ſive pro amicitia, ſive pro pecunia regis rediit in *Franciam*, & dimiſit *Robertum* Conſulem convenire cum fratre ſuo, & interim terra iſta valde oppreſſa cum injuſtis geldis, & aliis infortuniis.

MXCI.

1091 *Pax inter W. R. & Robertum Norman. Con.*

Rex *Willielmus* tenuit Curiam ſuam ad natale apud *Weſtmonaſterium*, & poſtea ad feſtum Candelarum ivit in *Normanniam*, ad damnum fratris ſui, & dum ibi fuit concordati ſunt, & Conſul dimiſit regi *Feſcam* & Conſulatum Ove, & Chererburh, & propterea conceſſit, quod homines regis debebant eſſe quieti in Caſtellis, quæ prius adquiſiverant ſine voluntate ſua; Rex autem promiſit è contra Conſuli ſe adquiſiturum illi plura quæ pater eorum conquiſiverat, quæ Conſul tunc amiſerat, & etiam quicquid pater eorum ultra mare habuit, præter illud quod Conſul regi conceſſit. Et etiam quod omnes illi qui terram ſuam in *Anglia* cauſa Conſulis amiſerant, illam rehaberent, & Conſul haberet in *Anglia* hoc quod pactum eorum fuerat. Statuerunt etiam ſi quis eorum moreretur prior altero ſine filio ſponſæ, quod alter fieret hæres illius; Hoc pactum juraverunt XII. ex melioribus ex utraque parte, hoc etiam poſtea parum duravit. Dum hæc concordia fuit, exhæreditatus eſt Eadgar Atheling à terra, quam Conſul ei dederat in *Normannia*, & ivit in *Scotiam* ad generum ſuum regem. Interea cum eſſet rex *Willielmus* in *Normannia*, Melcolm rex *Scotiæ* venit in *Angliam*, & eam multum prædavit, uſque quo cuſtodes hujus terræ cum exercitu illi obſtiterunt. Quod audiens rex *Willielmus* in *Angliam* venit, & cum eo *Robertus* Conſul frater ſuus, & ſtatim cœperunt parare exercitum per mare & per terram; ſed exercitus qui per mare ibat antequam ad *Scotiam* veniſſet ex toto pene periit tribus diebus ante feſtum Sancti *Michaelis*. Rex autem & frater ſuus iverunt cum exercitu per terram. Rex vero Melcolm poſtquam audivit exercitum venire, ſuper eum, exiit à *Scotia* cum exercitu ſuo, & venit in Lodone & ibi expectavit regem *Willielmum*. Poſtquam rex appropinquavit cum exercitu ſuo *Robertus* & Edgar Ethelin venerunt inter reges, & eos concordaverunt, & rex Melcolm venit ad Regem *Willielmum*, & homo ſuus effectus eſt, eo pacto, quo pacto fuerat homo patris ſui, & ei fidelitatem juravit, & Rex *Willielmus* promiſit ſe daturum illi quicquid ſub patre ſuo habuerat, ibi etiam Edgar Etheling cum rege concordatus eſt, & reges bene concordati diviſi ſunt; & *Robertus* Conſul pene uſque ad Natale fuit cum rege fratre ſuo; & vere parum firmitatis pacti eorum circa eum invenit, & duobus diebus ante Natale Domini ivit in Whit, & ſic in *Normanniam*, & *Edgarus* Etheling cum eo. Ventus vehemens percuſſit *Londoniam* VI. Kal. Novembris hora ſexta.

Rex Scotiæ invadit Angliam.

Pax inter W. R. & Regem Scotiæ.

MXCII.

Will. R. Ruf. 1092

Rex *Willielmus* ivit in **Nord** apud **Cardeol**, & burgum ædificavit, & Caftellum incepit, & *Dolfinum* fugavit, cujus terra illa fuit, & mifit homines fuos in Caftello, & poftea reverfus eft **Sud** & mifit illuc multos homines villanos cum uxoribus fuis, & animalibus, ut in illa terra manerent.

Ofmundus Epifcopus dedicavit ecclefiam fuam cum VII. Epifcopis.

MXCIII.

1093 *W. R. gravi morbo laborat.*

Rex *Willielmus* in Quadragefima infirmatus eft apud *Glouceftriam*, in tantum quod dicebant, mortuus effet per terram iftam; & infirmitate illa multa bona promifit, & quod vitam fuam emendaret, & ecclefias fuas bene & in pace cuftodiret, & quod nullam amplius venderet & bonas Leges genti fuæ ftatueret, & dedit Archiepifcopatum *Cantuariæ* quem in manu fua habuerat, *Anfelmo* Abbati de *Becco*, & *Roberto* Cancellario fuo Epifcopatum *Lincolniæ*, & Ecclefiis multas terras reftituit. Sed ex quo fanus fuit illum pœnituit, & bonas leges quas promiferat dimifit. Poftea **Melcolm** rex *Scotiæ* mifit ad eum quærens pactum, quod fibi promiffum fuerat; Rex autem *Willielmus* fubmonuit illum venire ad *Glouceftriam*, & mifit illi obfides in *Scotiam*, & poftea mifit contra eum **Eadgar Etheling** & alios qui eum honorifice ad regem duxerunt, fed poftquam ipfe venit ad regem, nec pactum fuum habere, nec cum rege loqui potuit, ideoque cum magna difcordia divifi funt, & rex **Melcolm** receffit in *Scotiam*. Et ex quo illuc venit, ilico congregavit exercitum fuum, & venit in *Angliam*, & pergens non tali confilio quo fibi opus effet, interceptus eft ex improvifo à *Roberto* Confule *Nordhumbrorum*, & ab hominibus illius, & ibi occifus eft: occidit autem illum **Morel** de **Bebanburh** dapifer Confulis, & compater ipfius *Melcolmi* regis, & cum eo occifus eft *Edwardus* filius ejus qui, fi poft eum vixiffet, rex effe debuiffet. Poftquam autem *Margareta* regina hæc audivit quomodo Dominus fuus & filius fuus mortui fuiffent, anxiata eft in animo ufque in diem mortis, & ivit ad ecclefiam cum Capellano fuo, & ibi confeffa & communicata eft, & poftea Dominum deprecata eft quoufque animam reddidit. Tunc *Scoti* elegerunt **Dufenal** in regem fratrem *Melcolmi*, & fugaverunt omnes *Anglicos* qui fuerunt cum rege *Melcolmo*; **Duncan** vero filius *Melcolmi* regis qui erat in curia regis *Willielmi* (pater enim fuus dederat illum regi in obfidem) venit ad regem & fecit illi fecuritatem qualem voluit, & poftea licentia ejus ivit in *Scotiam* cum auxilio *Francorum* quod adquirere potuit, & fugavit **Dufenal** avunculum fuum, & fufceptus eft in regem; poftea vero *Scoti* occiderunt omnes homines illius, & ipfe cum paucis evafit, & poftea cum eis iterum concordatus eft, hoc pacto quod nunquam *Francos* vel *Anglicos* in *Scotiam* retineret.

Rex Scot. Gloucefriam veniens re infecta in Scotiam rediit.

Rex Scot. occifus.

Dunecanus fil. Melcolmi depulfo avunculo regnum Scotiæ occupat.

MXCIV.

1094 *Nuncii Roberti C. Norman. Regem arguunt de pace violata.*

Rex *Willielmus Ruffus* tenuit curiam fuam ad Natale apud *Glouceftriam*, ibique venerunt ad eum nuncii ex parte fratris fui, qui nunciaverunt illi quod frater fuus contradicebat pacem & pactum quod inter eos erat, nifi rex profequeretur pactum quod fecerat. Et præterea illum perjurum, & fine fide vocaverunt, nifi pactum teneret, aut fe deratiocinaffet, ubi pactum factum, & juratum fuit. Tunc ivit apud **Haftinge** ad feftum Candelarum, & dum ibi adventum fuum expectaret, fecit dedicare ecclefiam de Bello. Et abftulit *Huberto* **Lofenge** Epifcopo *Tedfordiæ* baculum fuum, & poftea ad mediam quadragefimam mare tranfivit. Et poftquam venit in *Normanniam*, prolocuti funt ipfe & frater fuus *Robertus* fimul venire, & fimul venerunt, fed non concordati funt. Poftea iterum venere fimul cum hominibus, qui ad pactum eorum fuerant, & qui illud juraverant, & juratores omnem culpam regi impofuerunt. Sed rex hoc non conceffit, nec pactum tenere voluit, ideoque cum magna difcordia difcefferunt. Rex vero poftea conquifivit Caftellum **Bures**, & homines confulis qui intus erant cepit, & quofdam in hanc terram mifit. Contra vero Conful *Robertus* auxilio regis *Francorum* cepit Caftellum **Argentes**, & in eo *Rogerum* **Peitafin**, & cum eo VII. C. milites, & poftea Caftellum

Will. R. in Norman. transfretat.

Bellum inter Will. R. & Rob. Con. Norman.

ſtellum *Hubriæ*. Sæpe vero alter alterius villas comburebat, & homines capiebat. Tunc rex *Willielmus* miſit ad hanc terram, & juſſit ſummoneri xx. millia *Anglorum* qui venirent illi in auxilium in *Normanniam*; ſed poſt quam ad mare venerunt, juſſi ſunt redire, & mittere regi pecuniam quam deferebant, ſcilicet unuſquiſque xx. ſolidos, quod ipſi fecerunt. Poſtea vero Conſul cum rege *Francorum*, & omnibus quos adunare poterat, ivit erga Ou ubi rex *Willielmus* erat, volens eum obſidere, & venerunt ad *Longam Villam*. Ibi vero ingenio *Willielmi* regis reverſus eſt rex *Francorum* & ſic totus exercitus diviſus eſt.

Will. R. Ruf.

Arte Will. R. exercitus Regis Franc. revertitur.

Interea rex *Willielmus* miſit propter fratrem ſuum *Henricum*, qui erat apud Danfront, *Hugonem* Conſulem *Ceſtriæ* cum puppibus, non enim poterat in pace venire per *Normanniam*. Et cum ad Ou venire debuiſſent, venerunt in *Angliam*, & appulerunt in Hamtun apud vigiliam omnium Sanctorum, & ibi manſerunt, & apud Natale *Londoniæ* fuerunt. Hoc anno *Walenſes* adunati ſunt & fecerunt Guerram contra *Francos* qui in *Walia* manebant, aut juxta *Waliam*, & qui eos prius exhæreditaverant, & multas firmitates, & Caſtella fregerunt, & homines occiderunt, & poſtquam populus eorum crevit, diviſi ſunt in plures partes, & contra quandam partem pugnavit *Hugo* Conſul Saloþesbiri, & eam fugavit. Cæteræ tamen partes non ceſſabant à malo, quod facere poterant. Eodem anno *Scoti* regem ſuum Dunecan inſidiando occiderunt, & avunculum ſuum Dufenal iterum in regem aſſumpſerunt, cujus conſilio & auxilio rex Dunecan fuerat peremptus. Hoc anno obiit *Rogerus* Comes.

Henric. frat. Will. R. in Angliam venit.

Wallenſes bellum movent in Francos.

Dunecan Scot. R. occiſo, Dufenal rurſus regnum occupat.

MXCV.

1095

Hoc anno obiit Sanctus *Wolſtanus* Epiſcopus *Wigornenſis*.

Rex *Willielmus* fuit in quatuor primis diebus Nativitatis Domini apud Witſand, & poſtea venit in *Angliam*, & appulit apud *Doroberniam*, & *Henricus* frater ſuus fuit in hac patria uſque ad Quadrageſimam, & tunc ivit in *Normanniam* cum magna pecunia, ut eſſet in loco regis contra *Robertum* Conſulem fratrem ſuum, & ſæpius conquiſivit ſupra illum, & multa mala illi fecit in terris ſuis & hominibus. Poſtea ad Paſcha rex *Willielmus* tenuit Curiam ſuam apud *Wintoniam*, & *Robertus* Conſul *Nordhumbriæ* noluit venire ad Curiam; unde rex valde iratus miſit ad eum, & ſummonuit illum venire ad Curiam apud Pentecoſten, ſi pacem habere vellet. Tunc fuit Paſcha VIII. Kal. Aprilis, & poſt Paſcha pridie Nonas Aprilis, in nocte Sancti *Ambroſii*, viſæ ſunt fere per totam noctem illam ſtellæ cadere de Cœlo, & hoc tota nocte ita ſpiſſæ, quod nemo eas numerare poterat. Ad Pentecoſten fuit rex apud Windleſhores, & cum eo omnes Barones ſui, præter *Robertum* Conſulem *Nordhumbriæ*: Qui ideo non venit quia rex noluit dare illi obſides, nec concedere in fide, quod in pace poſſet venire & redire. Et ideo rex congregato exercitu ivit in *Northumbriam*, & quando illuc venit multos, & fere omnes ex familia Conſulis in quadam firmitate cepit, & eos in vinculis miſit, & poſtea Caſtellum de Tinmuth obſedit & conquiſivit, & in eo fratrem Conſulis & omnes qui cum eo erant, cepit; & inde ivit in Benaburch, & in eo Conſulem obſedit. Sed poſteaquam vidit rex quod Caſtellum conquirere non poterat, juſſit parari aliud Caſtellum ante Benaburh quod appellavit Malueiſin, in quo multos ex militibus ſuis poſuit, & poſtea ivit in Sudth. Poſtquam autem rex receſſerat, ivit Conſul quadam nocte erga *Tinemutham*, quod audientes milites regis, qui in novo Caſtello erant, ſecuti ſunt eum, & cum illo pugnantes eum vulneratum ceperunt, & quoſdam illorum qui cum eo erant, occiderunt, quoſdam vero vinctos ceperunt. Interea nunciatum eſt regi quod *Walenſes* fregerant Caſtellum Mundgumeri, & homines qui in eo erant occiderant. Ideoque ex improviſo fecit ſummoneri alium exercitum, & poſt feſtum Sancti *Michaelis* ivit in *Waliam*, & diviſit exercitum ſuum, & ivit per totam terram, & ad feſtum omnium Sanctorum venit totus exercitus ſimul apud Snaudune. *Walenſes* autem fugerunt in montes, & in moros, ita quod nemo

Will. R. in Angliam redit.

Henric. fr. Regis in Normanniam tranſit.

Rob. Com. Northumbriæ ſibi metuens ad Regis Curiam venire recuſat.

Rex Caſtel. de Tinmuth expugnat.

Comes Northumb. captus.

Will. R. Waliam exercitu ſuo intrans re infecta revertitur.

Will. R. Ruf. nemo ad eos venire poterat. Rex autem videns quod nihil ibi in hieme proficeret inde reverſus eſt, & quando in *Angliam* venit, juſſit accipere *Robertum* Conſulem *Nordhumbriæ* & ducere eum ad **Benaburh** & ibi oculos illi extrahere, niſi uxor ſua & **Morel** dapifer, & cognatus ſuus Caſtellum redderent, qui tunc illud cuſtodiebant. Itaque Caſtellum redditum eſt, & **Morel** fuit in Curia regis, & per eum indicti ſunt multi Clerici & Laici, qui conſenſerant in infidelitate regis. Et rex ante Natale quoſdam eorum juſſit mitti in vinculis, & poſtea juſſit ſummoneri per totam hanc terram, ut quicunque ſub rege terram habere vellet, & eam in pace tenere, ad Natale ad Curiam eſſet: & juſſit adducere *Robertum* Conſulem ad **Windeſhores**, & ibi illum in Caſtello cuſtodire.

Caſtellum Benaburh Regi traditur.

Legatus à Papa miſſus in Angliam venit.

Eodem anno miſit *Urbanus* Papa Legatum in *Angliam*, ſc. *Walterum* religioſum Epiſcopum, qui attulit *Anſelmo* Archiepiſcopo Pallium ſuum ad Pentecoſten, & ab Archiepiſcopo honorifice ſuſceptus apud *Cantuariam*, & diu in hac terra fuit, & poſtea per eum miſſus eſt **Romeſcot**, qui multis annis ante miſſus non fuerat. Hoc anno fuerunt multæ tempeſtates, & ideo in hac patria fructus terræ non ſucceſſerunt.

1096

MXCVI.

Rex *Willielmus Ruffus* tenuit Curiam ſuam ad Natale apud **Windeſhores**, & *Willielmus* Epiſcopus *Dunelmenſis* obiit in die Circumciſionis; & in Octavis Epiphaniæ fuit rex & omnes *Barones* ſui apud **Saleſburi**, & ibi *Gaufridus* **Bainard** provocavit *Willielmum* de **Ob** de proditione regis, & cum eo pugnans illum devicit. Et poſtquam victus eſt, præcepit rex eruere illi occulos, & *Willielmum* Dapiferum & cognatum ejus ſuſpendere. Ibi etiam *Odo* Conſul *Campaniæ*, & multi alii exhæredati ſunt, & quidam eorum ducti ſunt ad *Londoniam*.

Will. de Ou læſæ majeſtatis reus.

Hoc anno fuit magna motio *Chriſtianorum* ad Paſcha per patriam iſtam, & per multas terras ammonitione *Urbani* Papæ, qui tunc à *Roma* expulſus erat, & ivit populus innumerabilis cum uxoribus & pueris ſuis, ut conquirerent ſupra Paganos in *Jeruſalem*. Et per illam motionem concordati ſunt rex *Willielmus* & *Robertus* **Curtoiſe** frater ejus, & rex mare tranſivit, & totam *Normanniam* à fratre ſuo in vadimonium recepit, ſicut pactum inter eos fuit. *Robertus* Conſul ivit in motione illa, & cum eo Conſul *Flandriæ*, & Conſul *Boloniæ*, & multi alii Barones. Et Conſul *Robertus* & ſocii ejus fuerunt in hieme in *Pulia*, ſed alii iverunt per *Hungariam*, & ex illis multa millia perierunt per viam, & multi miſeri & famelici domum redierunt. Hoc anno fuit magnum infortunium per *Angliam* pro multis geldis & pro magna fame quæ valde terræ nocuit. Et Barones hujus terræ ſæpe miſerunt exercitum in *Waliam*, ubi populum multum fatigaverunt, & nihil tamen profecerunt, ſed in vanum pecuniam conſumpſerunt.

Urbano P. adhortante ſuſcipitur expeditio Hieroſolomit.

W. R. regnum Normanniæ in vadimonium accipit.

1097

MXCVII.

W. R. in Angliam revertitur.

Rex *Willielmus Ruffus* fuit ad Natale in *Normannia*, & volebat venire in *Angliam* ad Paſcha, & tenere Curiam ſuam ad *Wintoniam*, ſed vento diſturbatur uſque ad Vigilia Paſchæ, & tunc appulit apud **Arundel**, & tenuit Curiam ſuam apud Pentecoſten apud **Windeſores**, & poſtea cum magno exercitu ivit in *Waliam*, & conductu quorundam *Walenſium*, qui ad eum venerunt, ivit per totam terram illam, & fuit in illa à feſto Sancti *Johannis* uſque ad Auguſtum, & ibi multum amiſit in hominibus, & equis, & in pluribus aliis rebus. *Walenſes* vero poſtquam à rege receſſerunt, elegerunt ſibi ex ſemetipſis plures duces, quorum unus, qui excelſior erat, vocabatur **Cadung**, qui fuit nepos *Griffini* regis. Poſtquam vero rex vidit ſe nihil poſſe facere voluntati ſuæ, rediit in *Angliam*, & fecit ſtatim parare Caſtella in fines juxta *Walliam*.

Walliam invadens exercitu pene conſumto in Angliam redit.

Poſtea vero apparuit ſtella quædam mirabilis IV. Nonis Octobris lucens in veſpere & ſtatim ſe abſcondens, & viſa eſt **Sudweſt**, & claritas longa ab illa exiens lucebat in **Sudweſt**, & ſic tota hebdomada viſa eſt, & dicebatur à quibuſdam Cometa.

Cometa.

Poſtea

Poſtea vero *Anſelmus* Archiepiſcopus licentia accepta à rege, (licet regi diſplicuiſſet ut homines aiebant) mare tranſivit, quia parum recta aut juſta doctrina ſua in hac terra fiebat. Rex vero circa feſtum Sancti *Martini* ivit in *Normanniam*, & dum ad mare ventum expectavit, gens ſua fecerunt in illa provincia majus malum, quam aliqua gens vel exercitus in terra ubi pax erat facere debuiſſet. Hic annus in toto gravis fuit & valde laborioſus, & in tempeſtatibus quando homines arare debebant, & ſegetes ſuas colligere, & in geldis qui nunquam ceſſabant, & multæ provinciæ valde fatigatæ ſunt apud *Londoniam* in opere muri qui fiebat circa Turrim, & etiam Aulæ regis, quæ fiebat apud *Weſtmonaſterium*, & per pontem qui pene fractus fuit. Eodem anno poſt feſtum Sancti *Michaelis* Edgar Atheling auxilio regis, ivit cum exercitu in *Scotiam*, & eam magno prælio conquiſivit, & regem Dufenal fugavit, & *Edgarum* cognatum ſuum, filium *Melcolmi* regis & *Margaretæ* reginæ in regem ſtatuit in fidelitate regis *Willielmi*, & poſtea rediit in *Angliam*.

Will. R. Ruf. — Anſelmus Archiep. ſe in tranſmarinas partes recepit. — Rex in Norman. tranſit. — Aula apud Weſtm. extructa. — Depoſito Rege Dufenal Edgarus fil. Melcol. in Regno Scot. confirmatur.

MCXVIII. 1098

Hoc anno fundata eſt Abbatia *Ciſtercienſis* XII. Kal. Aprilis.

Antiochia à *Chriſtianis* capta eſt. Cometa apparuit. Rex *Willielmus* ad Natale fuit in *Normannia*, & tunc obiit *Waldinus* Epiſcopus *Wintonienſis*. Hoc anno in æſtate viſus eſt ſanguis ebullire à quodam ſtagno apud Finchamſtede in Berucſire, ut plures homines dixerunt, qui hoc videre debuerunt. Obiit *Hugo* Conſul *Salopesbiriæ* in Angleſe. Et *Robertus* de Beleſme frater ejus factus eſt hæres ejus. Poſtea ante feſtum Sancti *Michaelis* ſcil. v. Kal. Octobris apparuit cœlum tota nocte pene tanquam arderet. Hic annus fuit valde gravis pro multis geldis & magnis pluviis, quæ anno illo non ceſſaverunt, & pene omnes aquaticæ terræ perierunt.

Prodigium. — Pluviæ magnæ.

MXCIX. 1099

Jeruſalem à *Chriſtianis* capta eſt. Obtulerunt *Chriſtiani* *Roberto* Comiti *Normannorum* regnum & Coronam *Jeruſalem*; quod, quia cauſa laboris repudiaverat, offenſus eſt in eum Deus, nec proſperum quid deinceps ei contigit.

Rex *Godefridus*, regnum in *Jeruſalem accepit*,& poſt eum *Baldwinus* frater ejus, & poſt eum *Baldwinus* nepos ejus, & poſt hunc *Fulco* *Andegavenſis*, & poſt eum *Baldwinus* filius ejus frater *Gaufridi* optimi Comitis *Andegavenſis* mariti Imperatricis.

Robert. C. Norman. recuſat regnum Hieroſolym. — Nomina Regum Jeruſalem.

Rex *Willielmus* fuit ad Natale in *Normannia*, & ad Paſcha venit in *Angliam*, & ad Pentecoſten tenuit Curiam ſuam in nova Aula apud *Weſtmonaſterium*. Quam cum inſpecturus primus introiſſet, & alii ſatis magnam & æquo majorem dicerent, dixit rex eam magnitudinis debitæ dimidia parte carere. Ibi dedit Epiſcopatum *Dunelmiæ* *Ranulfo* Capellano ſuo, qui prius tenuerat placita ſua per totam *Angliam*. Et poſt ſtatim mare tranſivit, & *Heliam* Conſulem *Cenomanniæ* à *Cenomannia* fugavit, & eam ad opus ſuum ſaiſiavit, & ad feſtum Sancti *Michaelis* in *Angliam* rediit. Hoc anno ad feſtum Sancti *Martini* aſcendit mare valde, & fecit majus damnum, quam aliquis meminiſſe potuit, quod unquam ante fecerat, & fuit illo die luna prima. Obiit *Urbanus* Papa, & *Oſmundus* Epiſcopus *Salesbiriæ*.

Will. R. in Angliam rediit. — In Cenomanniam tranſit, qua devicta in Angliam rediit. — Urban. Pap. ob.

MC. 1100

Rex *Willielmus Ruffus* tenuit Curiam ſuam ad Natale apud *Glouceſtriam*; & ad Paſcha apud *Wintoniam*, & ad Pentecoſten ad *Weſtmonaſterium*. Poſtea autem in craſtino Kal. Auguſti rex *Willielmus* ivit venatum in nova Foreſta, ibique *Walterus* Tirel cum ſagitta quadam regem inſcius percuſſit, & ſic interiit, nec verbum edidit. Et poſtea corpus ejus delatum eſt apud *Wintoniam*, ibique ſepultus eſt in eccleſia Epicopatus in Choro Monachorum ante majus altare tertio & x. anno regni ſui.

Will. R. cæſus.

Hic dum vixit fuit valde fortis, & ab hominibus ſuis, & etiam amicis ſuis valde formidatus, & conſilio malorum hominum, quod ſibi ſæpius placebat, & pro magna cupiditate ſua ſæpius populum ſuum per exercitus & geldos opprimebat, & in diebus ſuis cecidit omne rectum, & omnis injuſtitia erga De-

Mores & acta Will. R.

Henric. I. R. um & populum elevata eſt; Eccleſias etiam deſtruebat, & Epiſcopatus, & Abbatias, quas anteceſſores ſui fecerant, ipſe aut eas vendebat, aut in manu ſua retinens ad firmam dabat. Volebat enim eſſe hæres uniuſcujuſque, & Clerici, & Laici. Et in die qua obiit, habebat in manu ſua Archiepiſcopatum *Cantuariæ*, & Epiſcopatum *Wintoniæ*, & *Salesbiri*, & XI. Abbatias, ad firmam datas, & quicquid Deo & hominibus juſtis diſplicebat, in hac patria tempore illius fiebat: & hoc in fine ſua apparuit, quia in media injuſtitia ſua abſque correctione obiit. Occiſus eſt autem Quinta Tertia & in craſtino ſepultus. Et ex quo ſepultus eſt, Barones qui ibi aderant, elegerunt *Henricum* fratrem ſuum in Regem.

Henricus in Regem electus.

Henric. Weſtmonaſterii coronat.

Henricus autem ilico dedit Epiſcopatum *Wintoniæ Willielmo Giffardo*, & poſtea ivit *Londoniam*, & in die dominica ante altare apud *Weſtmonaſterium* ipſe promiſit Domino & omni populo, ſe deponere omnes injuſtitias, quæ fuerant tempore fratris ſui, & tenere meliores leges, quam fuiſſent in tempore alicujus regis ante eum. Poſtea *Mauricius Londonienſis* Epiſcopus ſacravit eum in regem, & Barones hujus terræ fidelitatem illi juraverunt, & homines ejus effecti ſunt. Et rex ſtatim cum Conſilio eorum qui cum eo erant, fecit accipere *Ranulfum* Epiſcopum *Dunelmiæ*, & mittere in turrim *Londoniæ*, ibique cuſtodire. Poſtea ante feſtum Sancti *Michaelis* venit *Anſelmus* Archiepiſcopus *Cantuarienſis* in *Angliam*. Rex enim conſilio Baronum ſuorum propter eum miſerat. Ipſe autem ab hac terra receſſerat pro injuriis quas faciebat illi *Willielmus* rex. Poſtea cito accepit *Henricus* rex in uxorem *Matildam* filiam *Melcolmi* regis *Scotiæ*, & *Margaretæ* reginæ cognatæ *Edwardi* regis ex recta progenie regum *Anglorum*; & ad feſtum Sancti *Martini* ipſa cum magno honore ad eum ducta eſt, & *Anſelmus* Archiepiſcopus illam regi deſponſavit, & poſtea in reginam ſacravit. Genuit autem ex ea idem rex *Henricus* filium unum nomine *Willielmum* & filiam unam, ſicut nomine, ita honeſtate matrem repræſentantem. Hanc denique virginem vix quinquennem *Henricus* Quartus Imperator *Romanorum* Auguſtus in conjugem per honorabiles Legatos requiſivit, & uxorem accepit. Capta urbe *Jeruſalem*, ut diximus, & ingenti prælio poſtea patrato contra exercitum *Amlarii Babiloniæ*, *Robertus* dux *Normannorum*, & *Robertus* Conſul *Flandriæ*, & *Euſtachius* Conſul *Bononiæ* menſe Auguſto reverſi ſunt ad propria. Et *Robertus* dux *Normannorum* ſuſceptus eſt cum lætitia ab omni populo ſuo, præter illos qui cuſtodiebant Caſtella quæ erant in manu *Henrici* regis, contra quos ipſe magnas guerras habuit, & multos labores.

Ep. Dunelm. in carcerem mandat.

Anſelmum revocat.

Matildam fil. Melcolmi in uxorem ducit.

Robertus D. Norman. &c. à bello Hieroſolym. revertuntur.

Ob. Arc. Ebor. Obiit *Thomas* Archiepiſcopus *Eboracenſis*. Succeſſit *Girardus*.

MCI.

1101

Conjuratio in Henr. R.

Anno primo *Henrici* regis *Anglorum*, ad Natale tenuit Curiam ſuam apud *Weſtmonaſterium*, & ad Paſcha apud *Wintoniam*. Et ſtatim poſtea commoti ſunt Barones hujus terræ erga regem, & propter eorum infidelitatem, & propter *Robertum* Conſulem *Normanniæ*, qui in hanc terram cum exercitu venire parabat. Rex autem miſit puppes in mare contra fratrem ſuum, ut eum diſturbarent, ſed veniente *Roberto* quædam ex puppibus à rege receſſerunt, & *Roberto* ſubditæ ſunt. Poſtea ad feſtum Sancti *Johannis* fuit Rex apud Peveneſea cum exercitu ſuo, & expectabat fratrem ſuum, & dum ibi expectaret, *Robertus* Conſul appulit apud Porteſmuth, XII. diebus ante feſtum Sancti *Petri* ad vincula. Rex autem venit contra eum cum toto exercitu ſuo & Barones iverunt inter eos, & fratres concordaverunt, hoc pacto, quod rex dimiſit quicquid in *Normanniam* contra Conſulem vi tenebat, & quod omnes qui terram ſuam cauſa Conſulis amiſerant eam rehaberent, & Conſul *Euſtathius* haberet totam terram patris ſui; & quod Conſul *Robertus* unoquoque anno III. Mille Marcas argenti ab *Anglia* haberet, & qui diutius viveret, foret hæres alterius, ſi alter ſine recto Hærede moreretur, & hoc juraverunt XII. meliores ex utraque parte. Poſtea fuit *Robertus* Conſul in hac terra uſque ultimum feſtum Sancti *Michaelis*, & ſui homines multa damna & mala in *Anglia* fecerunt ubicunque venerunt.

Pax inter Henr. R. & Robert. D. Norman.

Eodem

Eodem anno *Ranulfus* Epiſcopus *Dunelmiæ* evaſit à Turri *Londoniæ*, ubi erat in vinculis & ibat in *Normanniam*, & ejus conſilio & ammonitione venit *Robertus* Conſul in hanc terram cum magno exercitu. Capta eſt urbs *Cæſarea* à *Chriſtianis*. *Henric. I. R. Ranulp. Ep. Dunelm. de carcere evadit.*

MCII. 1102

Anno ſecundo regni *Henrici* regis, rex tenuit Curiam ſuam apud *Weſtmonaſterium*, & ad Paſcha apud *Wintoniam*, & poſtea diſcordati ſunt rex & Conſul *Robertus* de **Beleſme**, qui habebat in *Anglia* Conſulatum *Salopesbiriæ*, quem pater ſuus *Rogerus* habuerat, & præterea magnos honores ex hac parte maris & ultra. Rex autem ivit & obſedit Caſtellum de **Arundel**; ſed quia illud cito conquirere non potuit, fecit parare ante illud Caſtella, in quibus homines ſuos dimiſit, & poſtea cum exercitu ivit ad **Bruge**, ibique fuit quouſque Caſtellum conquiſivit, & *Robertum* de **Beleſme** exhæreditavit, & abſtulit illi quicquid in hac terra habuit, & *Robertus* de **Beleſme** mare tranſiit, & poſtea exercitus diviſus eſt. Ad feſtum Sancti *Michaelis* fuit rex apud *Weſtmonaſterium*, & cum eo omnes capitales homines hujus terræ, Clerici & Laici, & *Anſelmus* Archiepiſcopus tenuit ibi Concilium, in quo prohibuit uxores ſacerdotibus *Anglorum* antea non prohibitas, & de multis quæ ad unitatem pertinebant. Et ibi multi *Franci* & *Anglici* Epiſcopatus & Abbatias amiſerunt, qui eas injuſte adquiſierant, aut in eis inordinate vivebant. *Hen. R. Robertum de Beleſmo ab Anglia expulit.* *Concilium Cantuariæ habitum ab Anſelmo.*

MCIII. 1103

Anno tertio regis *Henrici* rex tenuit Curiam ſuam apud *Weſtmonaſterium* ad Natale, & ad Paſcha apud *Wintoniam*. Et *Anſelmus* Archiepiſcopus ivit *Romam* ſicut ipſe & rex prolocuti ſunt. Hoc anno venit *Robertus* Conſul in *Angliam* ut loqueretur cum rege fratre ſuo, & antequam ab hac terra receſſiſſet, condonavit regi III. Mille Marcas argenti, quas rex unoquoque anno illi dare debebat. Eodem anno valde fuit Caritas in *Anglia* pro multis geldis, & mortalitate animalium, & pro defectione ſegetum. Et viſus eſt ſanguis ebullire è terra in **Beruchſhire** apud **Hamſtedt**, Et primo die poſt feſtum Sancti *Laurentii* fecit ventus tantum damnum, quantum nemo meminit, quod unquam antea fecerat. *Anſelmus Romam tendit.* *Colloq. Hen. R. & Rob. de Norm:* *Annonæ caritas.*

MCIV. 1104

Anno quarto Regis *Henrici*, rex tenuit Curiam ſuam apud *Weſtmonaſterium* ad Natale, & ad Paſcha apud *Wintoniam*, & ad Pentecoſten apud *Weſtmonaſterium*, & fuit dies Pentecoſtes nono Junii, & in tertio die apparuerunt in meridie circa ſolem quatuor circuli albi coloris; omnes videntes mirati ſunt. Poſtea concordati ſunt *Robertus* Conſul *Normanniæ* & Conſul de **Beleſme**, quem rex antea exhæreditaverat, & ab *Anglia* fugaverat, & per eorum concordiam diſcordati ſunt rex & ejus frater *Robertus* Conſul. Tunc rex miſit homines ſuos in *Normanniam*, & Barones pacati eos in Caſtellis ſuis receperunt ad proditionem *Roberti* Conſulis Domini eorum. Ipſi autem multa mala Conſuli fecerant in prædis & combuſtionibus. *Diſcord. inter Henr. R. & Rob. C. Norm.*

Willielmus Conſul **Moretul** ivit in *Normanniam*, & fecit Werram contra regem *Henricum*, quia illi abſtulerat quicquid in *Anglia* habebat. Non eſt facile recitare quot & quanta damna terra illa hoc tempore perpeſſa eſt per multas & magnas injurias, & per geldos qui nunquam ceſſabant, & ubicunque rex pergebat, familia ſua miſeram gentem prædabat, ſæpe domos comburendo & homines occidendo. Hoc totum & Deum irritavit, & populum pauperem vexavit. *Normannia devaſtata.*

MCV. 1105

Anno quinto *Henrici* regis, rex ad Natale tenuit Curiam ſuam apud **Windeſhores**, & poſtea in Quadrageſima ivit in *Normanniam* ſuper fratrem ſuum *Robertum* Conſulem; & dum ibi fuit conquiſivit *Cadomum* pecunia, *Baiocum* armis, & plura Caſtella & ferè omnes Barones pacati ad regem ſe verterunt. Rex vero poſtea in Auguſto *Angliam* venit, & hoc quod in *Normannia* conquiſiverat in pace tenuit, & homines ſui in pace fuerunt, præter eos qui erant vicini *Hen. R. in Normannia Baiocum & plura caſtella expugnat.*

Henric. I. R. vicini *Willielmi* de **Moritul** Conſulis, quibus nocuit in quantum potuit propter terram ſuam in *Anglia*, quam amiſerat. Et *Robertus* de **Beleſme** venit in *Angliam* ad regem. Hoc anno fuit carum tempus pro defectione frugum terræ, & pro multitudine geldorum, qui nunquam ceſſaverant.

MCVI.

1106 Anno ſexto *Henrici* regis, tenuit Curiam ſuam idem rex ad Natale apud *Weſtmonaſterium*, & poſt Natale *Robertus* de **Beleſme** cum diſcordia receſſit à rege & ivit in *Normanniam*. Poſtea ante Quadrageſimam fuit rex apud **Northamtun**, ibique venit *Robertus* Conſul *Normanniæ* petens amicabiliter ab eo, ut ablata ſibi, fraterna redderet gratia. Cum vero Deus eorum concordiæ non aſſentiret, *Robertus* iratus rediit in *Normanniam*.

Robertus votis irritis in Norman. redit.

Tunc in prima Ebdomade Quadrageſimæ, ſexta Feria, in veſpertino tempore apparebat quædam ſtella inſolita, & diu poſtea viſa eſt lucere unoquoque die, veſpere; apparebat autem ſtella in **Sudweſt** tanquam parva & obſcura, ſed lumen quod ab ea procedebat valde erat clarum, & erat quædam magna trabes, & lucebat in **Nordeſt**, & aliquando videbatur quaſi lumen illud ſplenderet circa ſtellam. Poſtea in cœna Domini ante diem viſæ ſunt duæ lunæ, una ex Oriente, altera ex Occidente, ambæ plenæ, fuitque illo die luna XIV. Tunc ad Paſcha fuit rex apud *Batoniam*, & ad Pentecoſten apud **Saleſbiri**, & volebat Curiam ſuam tenere, quia mare debebat tranſire, poſtea ante Auguſtum, in *Normanniam*. Ubi fere omnes Barones terræ illi ut voluit ſubditi ſunt, præter *Robertum* de **Beleſme**, & Conſulem **Moretul**, & paucos alios Barones qui cum Conſule adhuc erant, & ideo rex ivit & obſedit cum exercitu **Tenerchebrai** quoddam Caſtellum Conſulis **Moretuil**. Interea dum rex in obſidione eſſet, venit *Robertus* Conſul *Normanniæ* ſuper eum in vigilia Sancti *Michaelis* cum exercitu, & cum eo *Robertus* de **Beleſme**, & Conſul **Moretuil**, & omnes fautores ejus, ſed fortitudo & fortuna cecidit regi *Henrico*, captuſque eſt ibi *Robertus* Conſul *Normannorum*, & Conſul **Moretuil**, & *Robertus* de *Stute-Villa*, & in *Angliam* adducti ſunt, & in cuſtodiam miſſi, & *Robertus* de **Beleſme** fugatus eſt, & *Willielmus* **Criſpin** captus eſt, & plures alii. Et **Edgar Atheling**, qui parum antea receſſerat à rege ad Conſulem, ibi captus eſt. Sed rex permiſit illum immunem abire. Poſtea rex adquiſivit totam *Normanniam*, & eam ad placitum ſuum locavit. Captus eſt igitur *Robertus* dux fortiſſimus *Normannorum* ut prædiximus. Redditque vicem pro vice Dominus Duci *Roberto*, quia cum glorioſum reddidiſſet eum in actibus *Jeroſolimis*, regnum *Jeruſalem* ſibi oblatum renuit. Magis eligens quieti & deſidiæ in *Normannia* deſervire, quam Domino regum in ſancta civitate deſudare. Damnavit igitur eum Dominus deſidia per *Henricum*, & carcere ſempiterno. Hujus rei ſignum in eodem anno Cometa apparuit.

Stella inſolita.

Duæ Lunæ.

Henr. R. in Norman. tranſit.

Rob. C. Norman. ab Hen. R. captus in carcerem miſſus.

Henr. R. Normanniam ſibi devincit.

Hoc anno fuit magna Werra inter Imperatorem *Alemanniæ*, & filium ſuum, & infra Werram pater obiit, & filius imperium ſuſcepit.

Ob. Imper. Rom. cui ſucced. filius.

MCVII.

1107 Anno ſeptimo regis *Henrici*, rex fuit in *Normannia*, & cum deletis vel ſubjectis hoſtibus *Normanniam* pro libitu diſpoſuiſſet, rediit in *Angliam*, fratremque ſuum Ducem magnificum, & Conſulem **Moretuil** carceralibus ingeſſit tenebris. Igitur victorioſus & tunc primum rex fortis tenuit Curiam ſuam ad Paſcha apud **Windeſores**; in qua proceres *Angliæ* ſimul & *Normanniæ* cum timore & tremore affuerunt. Antea namque & dum juvenis fuiſſet, & poſtquam rex fuerat, in maximo habebatur deſpectu: ſed Deus qui longe aliter judicat quam filii hominum, qui exaltat humiles, & deprimit potentes *Robertum* omnium favore celeberrimum depoſuit, & *Henrici* deſpecti famam per orbem terrarum clareſcere voluit. Deditque gratis ei talia Deus Omnipotens munera, ſapientiam, victoriam, divitias, quibus ad omnia proſperans, omnes ſuos Anteceſſores præceſſit, cujus bonitatis & magnanimitatis fama in omnibus pene gentibus patuit dilata. Rex tenuit Curiam ſuam ad Pentecoſten apud *Weſtmonaſterium*, ibique dedit Epiſcopatus, & Abbatias, quæ erant abſque

H. R. è Norman. reverſus Curiam tenet Windſoriæ.

Epiſcopatus vacui ſupplentur.

Henric. I. R.

absque pastore in *Anglia* sive in *Normannia*. Et tot ibi datæ sunt, quod nullus meminit unquam tot simul datas fuisse. Hoc factum est VII. anno regni sui, quadragesimo autem anno ex quo *Normannia* in *Angliam* conquisivit. Multi aiunt se vidisse hoc anno plura signa in luna, & eam contra solitam crescere, & decrescere. Obiit *Mauricius* Inceptor Ecclesiæ *Londoniensis* Episcopus, & *Edgarus* rex *Scotiæ*, cui successit *Alexander* frater ejus consensu regis *Henrici*.

Ob. Edgar. Scot. R. cui successit Alexander.

MCVIII. 1108

Anno Octavo *Henrici* regis, rex tenuit Curiam suam ad Natale ad *Westmonasterium*, & ad Pascha ad *Wintoniam*, & ad Pentecosten iterum apud *Westmonasterium*, & postea ante Augustum ivit in *Normanniam*. Hoc anno obiit *Philippus* rex *Francorum*, & *Ludovicus* filius suus regnum suscepit. Et fuerunt multæ Werrræ inter regem *Franciæ*, & regem *Angliæ* dum in *Normannia* fuit. Obiit *Girardus* Archiepiscopus *Eboraci*, & *Thomas* successit.

H. R. in Norman. transit.
Ob. R. Franc. quem excipit Ludovic.

MCIX. 1109

Anno nono regis *Henrici*, rex fuit ad Natale & ad Pascha in *Normannia*, & ante Pentecosten venit in *Angliam*. Missi sunt ab *Henrico* Imperatore *Romano* mole corporis & cultus splendoribus excellentes, filiam regis *Anglorum Henrici* in Domini sui conjugium postulantes. Tenens igitur Curiam suam ad Pentecosten apud *Londoniam*, quam nunquam splendidiorem tenuerat, sacramenta depostulans ab Imperatoris recepit Legatis.

H. R. in Angliam. red.
Hen. Imp. Rom. in uxorem postulat fil. Hen. R.

Obiit venerabilis memoriæ Dominus *Anselmus* Archiepiscopus *Cantuariensis* XI. Kal Maii, feria quarta ante Cœnam Domini. Ipso anno fuit ultimum Pascha, hoc est VII. Kal. Maii.

Ob. Anselmus.

In Parochia *Legiensi* porca enixa est porcellum habentem faciem hominis. Natus est pullus gallinæ quadrupes. Obiit *Hugo* Abbas *Cluniacensis*. Successit *Pontius*.

Porcus monstrosus.

MCX. 1110

Anno Decimo regis *Henrici*, idem rex tenuit Curiam suam ad Natale apud *Westmonasterium*, & apud Pascha ad **Merleberg**, & ad Pentecosten tenuit primam Curiam apud novam **Windeshores**. Hoc anno misit filiam suam *Henrico* Imperatori in *Alemanniam* cum multis divitiis, *Matildis* nomine, & ipse eam desponsavit, & in uxorem accepit. Et in quinta nocte mensis Maii apparuit luna clara in vespere, & postea cœpit parum obscurari, ita quod ex toto ex illa nihil apparuit usque parum ante diem, & tunc iterum clara & plena fuit. Fuitque illo die decima quarta, & aer tota nocte clarus erat, & stellæ lucentes, & fructus arborum nocte illa gelu periere. Postea in mense Junii apparuit quædam stella in **Nordest**, & lumen ejus porrigebatur ante eam in **Sudwest**, & ita multis noctibus visa est, & postea in nocte sursum ascendebat, visa est ire recto in **Nordest**.

Imp. Rom. uxorem ducit Matildam fil. H. R.
Lunæ eclipsis.
Cometa.

Hoc anno exhæreditati sunt *Philippus* de *Brausa* & *Willielmus* **Malet**, & *Willielmus* **Bainard**; & **Helias** Comes *Cenomanniæ* vita privatus est. Et post eum Consul *Andegavensis Fulco* pater *Gaufridi* suscepit *Cenomanniam* cum filia illius, & tenuit eam contra regem. Hic annus valde carus fuit in *Anglia* pro magno geldo quod rex cepit, ad dandam filiam suam, & pro tempestatibus, quibus fructus terræ multum defecere, & fructus arborum pene omnes periere. Incepta est Ecclesia apud *Certesia* hoc anno.

Insolitæ tempestates.

MCXI. 1111

Anno undecimo regis *Henrici*. Hoc anno non fuit coronatus, sed pergens in *Normanniam*, pro discordia quæ erat inter eum & Marcenses *Franciæ*, & plus pro *Fulcone* Consule *Andegavensi*, qui *Cenomanniam* contra eum tenebat. Et postquam rex in *Normanniam* venit, uterque super alterum multa damna fecerunt occidendo, & comburendo.

H. R. in Normanniam venit.
Bellum cum Fulc. Cons. Andegav.

Obiit *Robertus Flandriæ*, qui *Jerosolumitano* clarissimus itinere fuerat reversus, unde memoria ejus non pertranseat in æternum; post quem *Baldwinus* filius ejus Consul effectus est, juvenis omnino strenuus in armis; Hoc anno

Ob. Rob. Flandr. huic succedit Bald.

Henric. I. R. Hiems grav. fuit longa hiems & graviſſima, & per hoc fructus terræ multum defecere, fuitque major mortalitas animalium, quam aliquis meminit.

MCXII.

1112 Anno duodecimo regis *Henrici*, rex fuit toto anno in *Normannia*, pro diſcordia quæ erat inter eum & Conſulem *Andegavenſem* cauſa *Cenomanniæ*, & interim exhæreditavit Conſulem *Ebroicenſem*, & *Willielmum Criſpinum*, & eos à *Normannia* fugavit, & reddit *Philippo* de **Bretwes** terram ſuam, quam prius illi

Rob. de Beleſm. capt. abſtulerat. Et *Robertum* de **Beleſme** cepit, & miſit in carcerem. Hic annus fuit bonus & fertilis & fructibus arborum & nemorum, ſed multum gravis & doloroſus pro mortalitate hominum.

MCXIII.

1113 *R. de Beleſm. in caſt. Warham miſſus.* Anno decimo tertio regis *Henrici*, rex fuit in *Normannia*, & in æſtate miſit *Robertum* de **Beleſme** in *Angliam*, ad Caſtellum de **Warham**, in carcerem perennem.

MCXIV.

1114 *Pax inter H. R. & Wallenſes.* Anno decimo quarto regis *Henrici*, rex tenuit Curiam ſuam ad Natale apud **Windeshores**, & non tenuit amplius Curiam ſuam anno illo, & ad feſtum Sancti *Johannis* ivit in *Waliam*, & *Walenſes* cum rege pacem fecerunt. Rex vero juſſit facere ibi Caſtella, & poſtea in Septembri ivit in *Normanniam*. Viſa

Cometa. eſt quædam ſtella in fine Maii inſolita, lumine cum longo multis noctibus lucens. Hoc anno mare retraxit quantum nullus meminit illud antea retraxiſſe, ita quod homines ibant, & equitabant ultra **Temese** ex orientali parte pontis *Londoniæ*. Anno iſto fuerunt magni venti in menſe Octobris, & in

Radulph. in Archiep. Cantuar. elect. & Turſtan. in Eborac. octavas Sancti *Martini* fuit mirabilis ventus, qui apparuit ubique in montibus & ſilvis. Eodem anno rex dedit Archiepiſcopatum *Cantuariæ Radulfo* Epiſcopo *Rouceſtriæ*, & *Thomas* Archiepiſcopus *Eboracenſis* obiit, cui ſucceſſit *Turſtanus*; fuerat Capellanus regis.

Abbatia Elienſis in ſedem Epiſcopalem conſtituta. Mortuo *Richardo* filio *Richardi* Comitis filii *Gilleberti*, Monacho *Beccenſi*, qui fuit ultimus Abbas in inſula **Heli**, *Henricus* rex conſtituit ibi primum Epiſcopum *Herveum*; & Comitatus unus, ſcilicet **Cantabrigeſcire**, ſubtractus *Lincolniæ* Epiſcopo, ſubditus eſt huic novo Epiſcopo. *Lincolnienſi* Epiſcopo remanſerunt octo Comitatus, ſive Provinciæ, *Lincolniæ*, *Legreceſtriæ*, **Norhamtun, Hertfort, Bedefort, Bucchingeam, Oxenford, Hundendune.**

MCXV.

1115 *Barones Norman. fidelitatem jurant Will. fil. Regis.* Anno decimo quinto regis *Henrici*, rex fuit in *Normannia*, & dum ibi foret fecit omnes Barones illius patriæ jurare fidelitatem *Willielmo* filio ſuo, & poſtea venit in *Angliam*. Hoc anno graviſſima hiems gelu & nivibus; ita quod nemo, qui tunc vivebat, meminit ita grave fuiſſe; & per hoc fuit maxima mor-

Paſchal. P. mittit pallium Radulp. Arch. Cant. talitas animalium. Anno illo miſit Papa *Paſchalis* Archiepiſcopo *Cantuariæ* pallium ſuum per *Anſelmum* Abbatem *Romæ*, qui fuit nepos *Anſelmi* Archiepiſcopi, & *Radulfus* Archiepiſcopus eum honorifice ſuſcepit.

MCXVI.

1116 *Eccleſ. S. Albani dedicat.* Anno decimo ſexto regis *Henrici*, rex ad Natale interfuit dedicationi Eccleſiæ Sancti *Albani*, quam dedicavit *Robertus* venerabilis Epiſcopus *Lincolnienſis* per *Richardum* memorabilem ejuſdem loci Abbatem. Hoc anno fuit longa hiems, & gravis animalibus, & cæteris rebus. Et poſt Paſcha venit rex

Francia & Normann. deprædationibus vexatæ. in *Normanniam*, & fuerunt ſæpe prædationes, & etiam Caſtella capta inter *Franciam* & *Normanniam*; fuitque iſta diſcordia ideo quia rex *Henricus* fuit in auxilium *Theobaldo* Conſuli *Bleſenſi*, qui tunc habebat Werram contra Dominum ſuum regem *Franciæ*. Iſte annus fuit valde gravis, & defecerunt fruges pro magnis pluviis quæ fuerunt. Fuitque terra iſta valde oppreſſa geldis, quos rex cepit in Burgis & extra.

MCXVII.

1117 *Franci & Flandren. ſine pugna à Norm. reced.* Anno decimo ſeptimo regis *Henrici*. Toto anno illo rex fuit in *Normannia* pro diſcordia regis *Francorum*, & aliorum vicinorum ſuorum. Et in æſtate venerunt rex *Francorum* & Conſul *Flandrenſis* cum exercitu in *Normanniam*, &

una

una nocte in ea fuerunt, in craſtino abſque pugna receſſerunt. Et *Normannia* multis geldis oppreſſa eſt,& *Anglia* ſimiliter. Anno illo fuerunt magnæ tempeſtates, & tonitrua, & pluviæ, & grandines in nocte Kal. Decembris: & in nocte XVII. Kal. Januarii apparuit Cœlum rubicundum tanquam arderet. Ad octavas Sancti *Johannis* Evangeliſtæ fuit magnus terræmotus in *Longobardia*, quo ceciderunt eodem & turres, & domus; & magnum damnum horum fecit. Hoc anno defecerunt ſegetes multum, pro pluviis quæ alio anno nunquam ceſſaverunt, Obiit *Ivo Carnotenſis* Epiſcopus.

Henric. 1. R. — *Cœlum ſanguineum.* — *Terræmotus in Italia.* — *Segetum defectus.*

MCXVIII. 1118

Anno decimo octavo regis *Henrici*. Rex fuit toto hoc anno in *Normannia* pro Werra regis *Franciæ*, & Conſulis *Andegavenſis*, & Conſulis *Flandriæ Baldwini*, & per iſtam diſcordiam amiſit rex *Henricus* multum pecuniæ terræ ſuæ, & homines ſui illi magis nocebant; qui ab illo recedentes, & inimicis ejus ſe jungentes in Caſtellis ſuis illos recipiebant, ad damnum & infidelitatem regis. Hæc omnia luebat *Anglia* per multos geldos, qui nunquam illis annis ceſſabant. Tunc venit Conſul *Flandriæ* in *Normanniam*, & ibi graviter vulneratus ad ſua receſſit.

Milites ab H. Rege deficiunt. — *Conſ. Flandriæ vulnerat.*

Obiit ſecunda *Matildis Anglorum* regina venerabilis uxor *Henrici* regis, & mater imperatricis; de cujus bonitate largiflua, & morum probitate multimoda dicere per ſingula ſi volumus, dies deficiet. Inter alia tamen bona multæ in *Anglia* & *Normannia* Eccleſiæ, & in aliis etiam provinciis, adhuc ſuis ſplendent beneficiis. Sepulta eſt apud *Weſtmonaſterium* Kal. Maii. Obiit *Robertus* Comes de 𝔐𝔢𝔡𝔩𝔢𝔫𝔱 vir ſapientiſſimus. Succeſſit *Walerannus* filius ejus, & *Robertus* filius ejus factus eſt Comes *Legreceſtriæ*. Obiit Papa *Paſcalis*. Succeſſit *Gelaſius*. Obiit *Baldwinus* rex *Jeruſalem*. Hoc anno in feſto Sancti *Thomæ* fuit tantus ventus, quod nemo tunc vivens majorem meminit.

Ob. Matild. Reg. — *Weſtmonaſt. ſepult.* — *Gelaſius Pap.* — *Baldwin. R. Jeru,al. ob.*

MCXIX. 1119

Anno decimo nono regis *Henrici*. Rex fuit toto hoc anno in *Normannia* pro Werra regis *Francorum*, & hominum ſuorum, qui per proditionem ab eo receſſerant,& multa damna illi faciebant: & in æſtate duo reges ſimul venerunt cum exercitu in *Normanniam*. Ibique rex *Francorum* fugatus eſt, & meliores Barones ſui capti ſunt. Tunc homines regis *Henrici*,qui prius Caſtella ſua contra eum tenebant, cum eo concordati ſunt, & ipſe quidem Caſtella eorum vi cepit. Hoc anno *Willielmus* filius regis *Henrici* & *Matildis* reginæ ivit in *Normanniam* ad patrem ſuum, & ibi deſponſavit filiam Conſulis *Andegavenſis*. Ad feſtum Sancti *Michaelis* fuit in *Anglia* magnus terræmotus in quibuſdam locis, & maxime in provincia *Glouceſtriæ* & *Wigorniæ*. Obiit Papa *Gelaſius* ex hac parte montium, & ſepultus eſt apud *Cluniacum* & *Wido Viennenſis* Archiepiſcopus electus eſt in Papam, & vocatus *Calixtus*. Ipſe autem ad feſtum Sancti *Lucæ* Evangeliſtæ venit in *Franciam*, & tenuit concilium ſuum *Remis*; & *Turſtanus* Archiepiſcopus *Eboracenſis* illuc venit: & quia ipſe contra rectum, & contra voluntatem Archiepiſcopi *Cantuarienſis*, & contra voluntatem regis *Henrici* ordinationem ſuam à Papa recepit, ideo rex prohibuit illi reditum in *Angliam*. Ipſe autem abiit cum Papa erga *Romam*. Obiit *Baldwinus* Conſul *Flandriæ* pro vulnere quod in *Normannia* recepit. Cui ſucceſſit *Carolus* cognatus ſuus filius 𝔆𝔫𝔲𝔱 ſancti regis *Danorum*.

H. R. fugat Regem Franc. — *Will. fil. H. R. uxorem ducit filiam Conſ. Andegavenſis.* — *Terræmotus in Anglia.* — *Gelaſ. P. ob.* — *Calix. Pap.* — *Concilium Remis.* — *Turſtanus Anglia interdicitur.* — *Baldwin. C. Fland. ob.*

MCXX. 1120

Anno XX. regis *Henrici*, concordati ſunt rex *Francorum* & rex *Anglorum*. Et illis concordatis, omnes homines regis *Henrici* cum eo concordati ſunt, & Conſul *Flandriæ*, & Conſul *Pontiæ*. Poſtea rex locavit *Normanniam*, & Caſtella ſua ad voluntatem ſuam, & cum gaudio venit in *Angliam*. In illo itinere naufragati ſunt duo filii regis *Henrici*, *Willielmus* & *Richardus*, & filia, & neptis, & *Richardus* Conſul *Ceſtriæ*, & 𝔒𝔱𝔲𝔢𝔩 frater ſuus, & multi de Curia regis, Dapiferi, Camerarii, Pincernæ, & alii miniſtri, & populus innumerabilis, in die Sanctæ *Katharinæ* Virginis. Mors iſta dupliciter fuit doloroſa amicis

Pax inter H. R. & Reg. Franc. — *H. R. duo filii cum filia naufragio pereunt.*

Henric. I. *R.* eorum, & quia ita subito perierunt, & quia corpora paucorum reperirentur.

Sic mare dum superans tabulata per ultima serpit
Mergit rege satos; occidit orbis honos.

Hoc anno venit ignis divinus bis ad sepulcrum Domini, primum in vigilia Paschæ, & post in assumptione Sanctæ *Mariæ*, sicut credibiles homines dixerunt, qui inde venerunt. Et *Turstanus* Archiepiscopus *Eboracensis* cum rege concordatus est, & venit in *Angliam*, & suscepit Archiepiscopatum suum, licet Archiepiscopo *Cantuariensi* multum displiceret.

Turstanus in Angli. venit.

1121 MCXXI.

Anno vigesimo primo regis *Henrici*. Rex ad Natale fuit apud Brantune cum *Teobaldo* Consule *Blesensi* nepote suo, & post ad festum Candelarum apud Windeshores desponsavit *Elizam* filiam Ducis *Luvaniæ*, & in uxorem accepit causa prolis & pulchritudinis. Tum autem rex ad Pascha fuit *Bercheleiæ*, & ad Pentecosten fuit coronatus cum nova regina apud *Westmonasterium*. In æstate vero ivit in *Walliam*, & *Walenses* contra eum venerunt, & ad voluntatem illius cum eo concordati sunt. Hoc anno venit Consul *Andegavensis* ab *Jerusalem* in terram suam, & misit in *Angliam* propter filiam suam, quæ data fuerat *Willielmo* filio regis in uxorem. Et in vigilia Nativitatis Domini fuit magnus ventus per totam *Angliam*, quod in multis rebus apparuit.

H. R. uxorem ducit filiam D. Lovaniæ.
Concordia cum Wallensibus facta.

1122 MCXXII.

Anno vigesimo secundo regis *Henrici*. Rex fuit ad natale apud Nordwic, & ad Pascha apud Norhamtun, & ad Pentecosten apud Windeshores duobus diebus, & inde fuit apud *Westmonasterium*, & fuit ibi tota hebdomade illa, & post ivit ad *Cantuariam*, & per totam Kent. Et ibi expectabat filiam suam Reginam *Alemanniæ*, quia mandaverat illi se velle venire in *Angliam*: sed disturbata fuit, quod venire non potuit (sicut homines aiebant) per Consulem *Flandriæ*, qui prohibuit illi transitum per terram suam. Eodem anno obiit *Radulphus* Archiepiscopus *Cantuariæ*. Et *Johannes* Episcopus *Batoniensis*. Et rex ivit Nordhumberland.

H. R. Cantuariam adit.
Archiep. Cant. ob.

1123 MCXXIII.

Anno vigesimo tertio regis *Henrici*. Rex fuit ad natale apud Dunstaple, & inde ivit ad Berchamested: & in via illa cecidit *Ranulphus* Cancellarius ejus de equo suo, & Monachus quidam equitavit super eum, unde ipse valde læsus est, & non post multos dies obiit. Inde ivit rex ad Wudestoche ad locum insignem, ubi cohabitationem hominum & ferarum fecerat. Ibique obiit *Lincolniensis* Episcopus. Et post ad festum Candelarum rex dedit Archiepiscopatum *Willielmo* de Curbuil, qui fuit Prior Canonicorum apud Chicester: & ad Pascha apud *Wintoniam* dedit Episcopatum *Lincolniæ Alexandro* nepoti *Rogeri* Episcopi Salesbiri, & Episcopatum *Batoniæ Godefrido* Cancellario reginæ. Atque circa Pentecosten mare transiit. Et anno illo recessit ab eo Comes de Medlent, & fecit ei Werram. Rex autem cepit super eum quoddam Castellum quod vocatur Pundaldemer.

Ranulp. Cancell. ob.
Will. de Corbuil. Archiep. Cant.
C. de Medlent à Rege deficit.

1124 MCXXIV.

Anno vigesimo quarto regis *Henrici*. Rex *Henricus* fuit toto illo anno in *Normannia*; & in quadragesima *Willielmus* de *Tancervilla* Camerarius regis, congregatis multis militibus, insidiatus est Comiti de Medlent, & cepit eum, & cum eo multos ex hominibus suis, & *Hugonem* de Muntfort, & sororium ejus, & *Hugonem* filium *Gervasii*, & tradidit eos regi. Rex autem misit eos in carcerem. Obiit *Calixtus* Papa. Successit *Honorius*: & *Tiulfus* Episcopus *Wigornensis*, & *Ernulfus* Episcopus *Roueceſtriæ* obierunt.

Com. de Medlent capt.
Calixt. P. ob.
Honorius Papa.

1125 MCXXV.

Anno vigesimo quinto regis *Henrici*. Toto anno fuit in *Normannia*; & ibi dedit Episcopatum *Wigorniæ Simoni* Cancellario reginæ, quem ipsa adduxerat secum

secum à *Luvainia*; & *Sufrido* Polokin Abbati *Glastoniæ* dedit Episcopatum *Cicestriæ*. Et *Willielmus* Archiepiscopus dedit Episcopatum *Roucestriæ Johanni* nepoti *Radulfi* Archiepiscopi. Eodem anno ad Pascha venit *Johannes Cremensis* Cardinalis in *Angliam*, & ivit perendinando per Episcopatus, & Abbatias istius terræ. Et ad Nativitatem Sanctæ *Mariæ* tenuit Concilium apud *Westmonasterium*; & postea ivit in *Normanniam*. Eodem anno iverunt *Romam Willielmus* Archiepiscopus *Cantuariensis*, & *Turstanus Eboracensis*, & *Alexander Lincolniensis*, & *Johannes Glesgoensis*, & Abbas Sancti *Albani*, & Abbas *Scirburnensis*. Obiit *Henricus* Imperator, qui duxerat *Matildem* filiam regis *Henrici Anglorum*.

Henric. I. R.

Jo. Cremensis Legatus in Angl. venit.

Henr. Imper. ob.

Operæpretium est audire quam severus rex *Anglorum Henricus* fuit in pravos; Monetarios enim fere omnes totius *Angliæ* fecit ementulari, & manus dextras fabricantes nequitiam abscindi, quia Monetam furtive corruperant. Iste est annus carissimus omnium, in quo vendebatur onus frumentarium e-qui VI. solidis.

Gravius in Monetarios animadversum est.

MCXXVI. 1126

Anno vigesimo sexto regis *Henrici*. Rex fuit ad Natale, & ad Pascha, & ad Pentecosten in *Normannia*; & facta pace cum rege *Francorum* venit in *Angliam* circa festum Sancti *Michaelis*. Adduxit siquidem secum filiam suam *Matildem* Imperatricem, tanto viro, ut prædictum est, viduatam. Quam cum vellent in patria illa animo libenti retinere Dominam, noluit. Obiit *Robertus Cestrensis* Episcopus.

H. R. in Angliam redit.

MCXXVII. 1127

Anno vigesimo septimo regis *Henrici*. Rex tenuit Curiam suam ad Natale apud Windeshores, & inde venit *Londoniam*. Et in Quadragesima, & ad Pascha fuit rex apud Wodestoke, & ad Rogationes rex tenuit Consilium suum apud *Londoniam*. Et *Willielmus* Archiepiscopus *Cantuariensis* tenuit Concilium apud *Westmonasterium*, & post Pentecosten rex misit filiam suam Imperatricem in *Normanniam*, & cum ea *Robertum* filium suum, & Brun filium Comitis. Ibique desponsata est *Gaufrido* filio Consulis *Andegavensis*. De eadem *Gaufridus* tres filios genuit, *Henricum*, *Gaufridum*, *Wilhelmum*. In Augusto venit rex post filiam suam in *Normanniam*. *Richardus* Episcopus *Londoniensis* obierat, cujus Episcopatum rex dedit magistro *Gilleberto* universali, viro doctissimo, qui regebat scholas apud *Novernis*. *Carolus* Comes *Flandrensis* occisus est in templo quodam ab hominibus suis apud Brigh. *Ludovicus* autem rex *Francorum* dedit *Flandriam Willielmo* filio Comiti *Normanniæ*, & etiam multa Castella in *Francia*, quia ipse ceperat in uxorem sororem reginæ *Franciæ*; *Willielmus* factus Consul destruxit omnes proditores *Caroli* Consulis.

Imperatrix desponsata est Galfrido fil. C. Andegav.

Carol. Com. Flandr. occisus, huic succed. Will. fil. Com. Norman.

MCXXVIII. 1128

Anno vigesimo octavo regis *Henrici*. Rex sapientissimus *Henricus* ad Natale, & ad Pascha, & ad Pentecosten moratus in *Normannia* perrexit hostiliter in *Franciam*, quia rex *Francorum* tuebatur nepotem suum & hostem. Perendinans apud *Esparlum* octo diebus tam secure ac si in regno esset, compulit regem *Ludovicum* auxilia Comiti *Flandrensi* non ferre. His igitur peractis reversus est *Henricus* rex in *Normanniam*. Advenit autem à partibus *Alemanniæ* quidam Dux *Theodoricus*, *Flandriam* calumnians, quosdam Proceres *Flandriæ*, secum habens, & hoc suasu regis *Henrici*. *Willielmus* autem Comes *Flandriæ* aciebus ordinatis obviam ei venit. Pugnatum est igitur acriter, *Willielmus* quidem Consul numerum suorum, cum pauci essent, solus supplebat probitate inæstimabili. Cruentatus igitur hostili sanguine hostium cuneos ense fulmineo findebat. Juvenili tunc brachii robore hostes sunt territi, & fugæ dediti. Victoriosus igitur Consul, dum hostile Castrum insideret, Deo volente, parvo vulnere sauciatus in manu, proh dolor! interiit. Nobilissimus autem juvenum ætate brevi famam promeruit æternam, unde

H. R. exercitum ducit in Franciam.

Pugna inter Will. C. Fland. & Theodor. Will. Com. Flandr. leviter vulnerat. ob.

Henric. I. R.

Vnicus ille ruit, cujus non terga sagittam,
Cujus nosse pedes non potuere fugam.
Nil nisi fulmen erat, quotiens res ipsa monebat,
Et si non fulmen, fulminis instar erat.

Theodor. Consul Flandriæ. *Theodericus* namque, auxilio regis *Henrici Anglorum*, Consul *Flandriæ* factus est. Anno isto venit in *Angliam Hugo* de *Pagans* magister militum templi *Jerusalem*, cum duobus militibus & duobus Clericis, & ivit per totam terram istam, & usque in *Scotiam* summonendo viam *Jerusalem*, & multi ceperunt Cruces, qui eodem anno & sequenti *Jerusalem* petierunt. Inter quos *Fulco* Consul *Andegavensis* rex futurus perrexit. *Expeditio in Jerusalem.*

Abbatia Waverleia fund. Hoc anno fundata est Abbatia de *Waverleia* à Domino *Willielmo* Giffard Episcopo *Wintoniensi* VIII. Kal. Decembris. Et ipse Episcopus *Willielmus* eodem anno obiit, & *Henricus Blesensis* successit frater regis *Stephani*, Abbas apud *Glastoniam*. Et *Johannes*, primus Abbas Waverley qui venit cum conventu, hoc anno mortuus est. Successit *Gillebertus* Abbas II. Obiit *Ranulfus Dunelmensis* Episcopus.

1129 MCXXIX.

Anno vigesimo nono regis *Henrici*. Rex *Anglorum Henricus* in omni pene bono fortunatus, pacificatis omnibus, qui in *Francia*, in *Flandria*, in *Normannia*, *Britannia*, *Cenomannia*, *Andegavia* erant, cum gaudio post Pascha in *Angliam* rediit. Tenuit magnum Concilium in Kal. Augusti apud *Londoniam* de uxoribus sacerdotum prohibendis. Intererant siquidem concilio illi *Willielmus Cantuariensis* Archiepiscopus, & *Turstanus Eboracensis*, & omnes Episcopi *Angliæ*, præter quatuor, qui præterito anno obierant, viz. *Wintoniensis*, *Dunelmensis*, *Cestrensis*, *Herefordensis*. *H. R. in Angliam red.* *Concilium Londini de sacerdotum conjugiis inhibendis.*

Illis quos *Hugo* de *Pagens* magister militum templi, de quo supra dictum est, secum adduxerat ad *Jerusalem*, male contigit; Deum siquidem offenderant sanctæ telluris incolæ variis sceleribus. In vigilia Sancti *Nicholai* autem à paucis paganorum multi *Christianorum* devicti sunt, cum antea soleret è contrario contingere. *Ludovicus* rex *Francorum* eodem anno fecit sullimari filium suum *Philippum* in regem. *Christiani à Paganis devicti.*

1130 MCXXX.

Anno trigesimo regis *Henrici*, fuit rex ad Natale apud *Wirecestriam*, & ad Pascha apud Wodestoke. Ubi fuit accusatus *Gaufridus* de Clintun, & infamatus de proditione regis falso. Ad Rogationes apud *Cantuariam* ad dedicationem novæ Ecclesiæ. Ad Pentecosten fuit apud Arundel. Mense Septembri transiit in *Normanniam*, & ad Nativitatem Sanctæ *Mariæ* fuit *Becci*; & adduxit secum *Hugonem* noviter electum *Rotomagensem* Archiepiscopum, qui fuit Abbas Radingis. Qui etiam sacratus est in festo exaltationis Sanctæ Crucis, die Dominica, Archiepiscopus *Rotomagensis*; quem consecravit *Richardus* Episcopus *Baiocensis* cum Episcopis suis in Ecclesia Sancti *Audoeni*. *H. R. in Norman. transf.*

Honor. P. ob. Innocent. suc. Obiit *Honorius* Papa. Cui successit *Innocentius*, & pecunia de presbyteris data est.

1131 MCXXXI.

H. R. cum filia in Angl. red. Anno trigesimo primo regis *Henrici*. Rex in æstate venit in *Angliam* secum adducens filiam suam. Fuit igitur ad Nativitatem Sanctæ *Mariæ* placitum magnum apud Northamtun, in quo, congregatis omnibus principibus *Angliæ*, deliberatum est quod filia sua redderetur marito suo, scilicet Consuli *Andegavensi* eam requirenti. Misit etiam mille Marcas argenti Papæ *Innocentio*, cui favebat. Receperat enim eum apud *Carnotum*, *Anacleto* subjici recusans. Hos enim utrosque *Romani* elegerunt. Expulsus vero ab urbe *Innocentius*, vi *Anacleti*, qui *Petrus Leonis* vocabatur, auxilio regis *Henrici* receptus est per totas *Gallias*. Missa autem post hoc filia regis viro suo recepta est fastu tanta viragine digno. Obiit *Reginaldus* Abbas *Ramesiensis* novæ auctor Ecclesiæ. Obiit *Herveus* primus Episcopus *Eliensis*. *Duo simul Papæ.*

MCXXXII.

MCXXXII. *Henric. I. R.*

Anno trigeſimo ſecundo regis *Henrici*. Rex fuit ad Natale apud Duneſtaple, & ad Paſcha apud Wudeſtok, Poſt Paſcha fuit magnum placitum apud *Londoniam*. Ubi de pluribus, & maxime de diſcordia Epiſcopi Sancti *Davidis*, & Epiſcopi de Landaf, de finibus Parochiarum ſuarum tractatum eſt. Obiit *Baldwinus* rex *Jeroſolimitanus*, & ſucceſſit *Fulco* Comes *Andegavis*, qui duxerat filiam prædicti *Baldwini*: & Abbatia de Fontibus fundata eſt. 1132 *Lis inter Ep. S. David & Landav.* *C. Andegav. R. Hieroſ.*

MCXXXIII. 1133

Anno trigeſimo tertio regis *Henrici*. Rex fuit ad Natale apud Windeſhores infirmus. Ad caput jejunii fuit conventus Epiſcoporum apud *Londoniam*, ſuper Epiſcopos Sancti *Davidis* & *Clamorgenſis*, & pro diſcordia Archiepiſcopi & *Lincolnienſis* Epiſcopi. Ad Paſcha fuit rex apud Oxenfort in nova Aula. Ad Rogationes fuit iterum conventus apud *Wintoniam*, ſuper rebus prædictis. Ad Pentecoſten dedit rex Epiſcopatum Help *Nigello*, & Epiſcopatum *Dunelmenſem Gaufrido* Cancellario, *Herefordenſem* Epiſcopatum vero *Roberto* de *Bectona Flandrenſi* viro religioſo, *Ceſtrenſem* vero *Rogero* Archidiacono *Lincolnienſi* nepoti *Gaufridi* de Clintun. Deceſſor ejus fuerat *Robertus* cognomento Peccum, Prædeceſſor *Robertus Normannus* de *Limiſia*. Hic ſecularibus intentus magis quam divinis à rege *Henrico Coventrenſe* Cœnobium obtinuit ibique capitalem cathedram *Merciorum* conſtituit. Habet itaque ille Epiſcopatus tres ſedes *Lichesfeldenſem*, *Ceſtrenſem*, *Coventrenſem*. Fecit rex *Henricus* novum Epiſcopatum apud Karduil, in finibus *Angliæ*, & *Scotiæ*; & poſuit ibi Epiſcopum *Adulfum*, priorem Canonicorum Regularium Sancti *Oſwaldi*, cui ſolitus erat confiteri peccata ſua. Hic autem Canonicos Regulares poſuit in Eccleſia ſedis ſuæ. Paſſus eſt ſol Eclipſin quarto Nonas Auguſti. Eodem die rex *Henricus* ivit in *Normanniam*, ſed non rediturus, multis hoc, propter ſignum quod acciderat, muſſitantibus. Natus eſt *Henricus* Primogenitus *Gaufridi* filius Comitis *Andegavis*, & *Matildis* Imperatricis. *Geroldonia* fundata eſt à *Roberto* Comite *Legreceſtriæ* v. Kal. Novembris. *Conventus Epiſcop. Londini.* *Carleolum fit ſedes Epiſcopalis.* *H. R. in Norman. tranſ.*

MCXXXIV. 1134

Anno trigeſimo quarto regis *Henrici*. Rex moratus eſt in *Normannia*, præ gaudio Nepotum ſuorum *Henrici* & *Gaufridi*. Hoc anno natus eſt iſte *Gaufridus* filius Comitis *Andegavis* & Imperatricis. Obiit *Robertus* Curta Hoſe Dux *Normannorum* filius *Willielmi* regis, qui *Angliam* ſibi ſubdidit, Primogenitus; & ſepultus eſt *Glouceſtriæ*. Obiit *Gillebertus* univerſalis Epiſcopus *Londonienſis* & *Landavenſis* in via *Romam*, pro cauſa tam diu agitata. *Willielmus* Archiepiſcopus *Cantuarienſis*, & *Alexander* Epiſcopus *Lincolniæ* transfretaverunt in *Normanniam* ad regem, pro diſcordia quæ inter eos erat. *Robertus D. Norman. ob.*

MCXXXV. 1135

Hic annus eſt ultimus Regis *Henrici* Senioris. Rex *Henricus* toto anno moratus eſt in *Normannia*, & ſæpe propoſuerat venire in *Angliam*, ſed detinuit eum filia ſua per ſeditiones, quæ oriebantur inter eam & Dominum ſuum. Quibus ſeditionibus rex in iram excitatus eſt, quæ à nonnullis cauſa necis ejus dictæ ſunt. Interea mortuus eſt rex *Henricus* magnus in *Normannia*, cum regnaſſet triginta & quinque annis, & quatuor menſibus; prima die Decembris. *Henr. R. ob.*

Quod medici præſtent, quod opes magnum nihil extent;
Rex probat Henricus, Rex vivens pacis amicus
Extiterat ſiquidem præ cunctis ditior idem,
Occiduæ genti quos prætulit ordo regendi.
Quippe pater populi, rex, & tutela pupilli,
Dum prius ipſe ruit, furit impius, opprimit, urit.
Anglia lugeat hinc, Normannia gens fleat illinc,
Occidis Henrice tunc pax, nunc luctus utrique.
Quo dum dura febris prima ſub nocte Decembris.
Mundum nudavit, multa mala multiplicavit.

Senſu,

Stephan. R.

Senſu, divitiis, aditu, feritate decenti,
Mire plus dictu vim perpeſſis ſceleroſis
Excellens, locuples, haut difficilis, reverendus,
Hic jacet Henricus, rex quondam, Pax, decus Orbis.

Henrici pia opera. Fundavit in *Anglia* Monaſterium **Radingis**, ubi pauſat ipſe, & Monaſterium Canonicorum Regularium apud **Cirecefter**, Monaſterium de *Prato* apud *Rotomagium*, Monaſterium de mortuo-mari; fecit & alia multa pietatis opera.

Stephanus Angliæ regnum occupat. Siquidem *Stephanus* Comes *Boloniæ* audita morte avunculi ſui transfretavit citiſſime in *Angliam*, vir magnæ ſtrenuitatis & audaciæ, & quamvis promiſiſſet Sacramentum fidelitatis *Anglici* regni filiæ Regis *Henrici*, fretus tamen vigore & impudentia, Regni Diadema audacia ſua invaſit. *Willielmus* Archiepiſcopus *Cantuariæ*, qui primus ſacramentum filiæ regis fecerat, eum in regem benedixit in die Sancti *Thomæ*, Aprilis IX. & poſt annum vixit. *Rogerus* magnus Epiſcopus *Salesbirienſis*, qui ſecundus hoc fecerat, & omnibus aliis prædicaverat Diadema ei, & vires auxilii ſui tribuit. Unde poſtea juſto Dei judicio ab eodem, quem creavit in regem, captus & excruciatus, miſerandum ſortitus eſt exterminium. Sed quid morer; omnes qui ſacramentum juraverant, tam præſules quam Conſules ad quid inde venerint perſpicuum eſt.

1136 MCXXXVI.

Henr. R. Radingis Sepult. Anno primo regis *Stephani*. Rex *Stephanus* tenuit Curiam ſuam ad Natale apud *Weſtmonaſterium*, & infra XII. dies ſepelivit regem *Henricum* avunculum ſuum apud *Radingis*, quod à fundamentis idem rex ædificaverat, & ornamentis, & poſſeſſionibus ditaverat. *Pax inter Steph. & David. R. Scot.* Rex *Stephanus* duxit exercitum magnum in *Scotiam*, & rex *David* pacificatus eſt cum eo. Homagium tamen non fecerat ei, quia primus Laicorum Sacramentum fecerat Imperatrici. Sed filius ejus *Henricus* Homagium fecerat regi *Stephano*. Ad Paſcha tenuit Curiam ſuam apud *Weſtmonaſterium* ſplendide cum ſummo honore. *Fama de Steph. R. morte.* Deinde ad Rogationes divulgatum eſt per *Angliam* regem fuiſſe mortuum. Quod audiens *Hugo* **Bigot** intravit in Caſtellum *Norwicenſem*, & cum armis & equitibus bene munivit. Quapropter rex illuc ivit, & redditum eſt illi Caſtellum, & ad *Steph. R. Exceſtriam expugnat & Vectim Inſ. vincit.* Pentecoſten moratus eſt in Provincia illa. Inde perrexit & obſedit *Exceſtriam*, audierat enim *Baldwinum* de **Rivers** inſurrexiſſe adverſus illum, & cepiſſe Caſtellum de *Exceſtria*, & ibi moratus eſt, quoaduſque Caſtellum redditum ſibi fuit. Inde profectus fuit ad Inſulam de **Wicht**, quam ſimiliter tenuit adverſus eum prædictus *Baldwinus*, & eam ſibi ſubjugavit, & *Baldwinum* de *Anglia* exulavit. Ad feſtum Sancti *Michaelis* venit ad **Bramtun**, & ibi tenuit Placitum de Foreſtis, quos ipſe novus rex primitus conceſſerat Baronibus ſuis. In vigilia Epiphaniæ factus eſt ventus maximus. Obiit *Willielmus* Archiepiſcopus *Cantuarienſis*, & ceſſavit Archiepiſcopatus per aliquantum tempus.

Forda fundata eſt quinto Nonas Maii.

1137 MCXXXVII.

Steph. R. Conciliat. R. Fran. Com. Andegav. & fr. Theobald. Anno ſecundo regis *Stephani*. Rex tenuit Curiam ſuam apud **Dunettable**, & poſtea in quadrageſima transfretavit, & cum eo *Alexander* Epiſcopus *Lincolniæ*, & multi Barones de *Anglia*, & venerunt in *Normanniam*, & ibi reconciliatus eſt regi *Franciæ*; per hoc filius ſuus effectus eſt homo regis *Franciæ*. Subſequenter reconciliatus eſt Conſuli *Andegavenſi*, qui habebat in uxorem filiam regis *Henrici*, quæ fuit Imperatrix *Alemanniæ*, acceptis inter eos induciis propter pecuniam. Inde obſedit *Granſilvam*: locutus eſt etiam apud *Ebroicas* cum fratre ſuo Comite *Theobaldo*, & pepigit ei duobus Millibus Marcis argenti annuatim, quia Comes *Theobaldus* indigne ferebat quod idem *Stephanus*, qui junior erat, acceperat Coronam *Angliæ*, quæ ſibi ut dicebat debebatur. His ita geſtis rex rediit in *Angliam*.

Ob. Rex Fran. Hoc anno Obiit *Lodowicus* ſenior rex *Francorum*, & ſucceſſit filius ejus *Lodowicus*, qui accepit filiam ducis *Aquitanorum* **Alienor** nomine, ex qua genuit filias duas. Iſto anno fuit ſiccitas magna.

MCXXXVIII.

Stephani R.

MCXXXVIII. 1138

Anno tertio regis *Stephani*. Rex obſedit **Bedford** tempore Natalis Domini, donec reddita eſt ei. Interea *Scotorum* rex *David*, quia Sacramentum fecerat filiæ regis *Henrici* quaſi ſub velamento ſanctitatis, per ſuos nefandam fecit Werram, occidendo mulieres, & pueros, & Presbyteros ſupra altaria detruncabat, & alia multa mala. Quæcunque *Scoti* attingebant, omnia erant plena horroris, aderat clamor mulierum, ejulatus ſenum, morientium gemitus, viventium deſperatio. Rex igitur *Stephanus* inſurgens combuſſit & deſtruxit, Auſtrales partes regni *Davidis*, ipſo quidem non audente cum eo congredi. Poſt Paſcha vero **Talebot** tenuit contra regem Caſtellum *Herefordiæ* in **Wales**, proinde rex obſedit Caſtellum donec redditum eſt ei. At vero *Robertus* Conſul filius regis *Henrici* Werram promovit in regem ad feſtum Sancti *Johannis*, in Caſtello ſuo apud **Briſtou**, & apud **Slede**. Conſortes quidem non affuerant. *Walchelvius* tenuit *Doveram* contra regem, & *Willielmus* **Sibel** tenuit Caſtellum de **Carri**, *Gervaſius* **Paganel** tenuit Caſtellum de **Ludelawe**. *Willielmus* de **Moiun** Caſtellum de **Duneſtore**, *Robertus Lincolniæ* Caſtellum de **Warham**, *Euſtachius* filius *Johannis* **Meltun**, *Willielmus* filius *Alani* **Slopeſbiri**, quod rex cepit armis, captorumque nonnullos ſuſpendit. *Walchelmus* **Mauniot** de **Dovere** hoc audiens reddidit Caſtellum reginæ ſe obſidenti. Occupato rege circa partes Auſtrales *Angliæ*, *David* rex *Scotorum* innumerabilem exercitum promovit in *Angliam*. Contra quem Proceres Borealis *Angliæ* ammonitione & juſſu *Turſtani* Archiepiſcopi *Eboracenſis* reſtiterunt viriliter fixo **Standart**, id eſt, Regio inſigni apud **Albertune**. Ibi XII. Millia *Scotorum* fama refert occiſa extra eos qui in ſegetibus & ſilvis inventi ſunt perempti. Cæteri vero nimio ſanguine ſuſo feliciter triumphaverunt. Hujus pugnæ Dux fuit *Willielmus* Conſul de **Albemarle**, & *Willielmus* **Deverel** de **Notingham**, & *Walterus* **Aſpec**, & *Gillebrtus* de **Lacy**, cujus frater ibi ſolus ex omnibus Equitibus occiſus eſt. Cujus eventus belli cum regi *Stephano* nunciatus eſſet, ipſe & omnes qui aderant ſummas gratias Deo exſolverunt. Hoc bellum Auguſti menſe factum eſt. *Theobaldus* factus eſt Archiepiſcopus *Cantuarienſis*. Hoc anno Abbatia de *Thamia* fundata eſt XI. Kal. Auguſti.

Rex Scot. invadit Angliam. Steph. R. vaſtat auſt. partes Scot.

Inteſtinæ commotiones.

Scotor. Exercitus ab Anglis victus:

Abb. Tham. Fund.

MCXXXIX. 1139

Rex *Stephanus* quarto anno regni ſui vexatus eſt per Werram de **Briſtou**. Cepit autem in quadrageſima Caſtellum de **Walendene** per proditionem. Poſt quod concordatus eſt cum rege *Davide Scotorum*, & in æſtate obſedit **Ludlove**, ubi filius regis *Scotorum Henricus* unco ferreo avulſus eſt ab equo & pene captus. Poſtea vero Caſtello regi concordato fuit magnum Placitum apud **Oxenford**; ubi rex proditione *Rogerum* Epiſcopum *Salesbirienſem* cepit, & *Alexandrum* Epiſcopum *Lincolniæ*; diſtrinxit eos fame ut redderent ei Caſtella ſua, & invaſit eos. In Auguſto ſedit magnum Concilium apud *Wintoniam*, ubi *Henricus* Epiſcopus *Wintonienſis* factus eſt Legatus *Romanus* totius *Angliæ*: & Archiepiſcopus *Cantuariæ*, & ipſe Legatus ſupplicaverunt regi, & ceciderunt ad pedes ejus ut redderet Epiſcopis prædictis ſaltem Caſtella ſua. Rex autem conſilio pravorum non adquievit eis. Poſtea venit Imperatrix in *Angliam*. Quam cum rex obſediſſet apud **Arundel** dimiſit eam ire apud **Briſtou** ad fratrem ſuum Conſulem *Glouceſtriæ* conſilio pravorum. Obiit *Rogerus* Epiſcopus *Salesbirienſis*.

Kingeſwoda fundata eſt, & **Kirgeſtede**, & **Parcum**.

Pax inter Steph. & R. Scot.

Concil. Wintoniæ celebr.

Imperatrix in Angliam venit.

MCXL. 1140

Anno quinto regis *Stephani*. Rex fugavit Epiſcopum *Nigellum Elienſem* de Epiſcopatu ſuo, qui erat nepos *Rogeri* Epiſcopi jam defuncti *Salesbiri*, à quo incentivum in progeniem ejus traxerat. Ubi autem ad Natale, vel ad Paſcha fuit, dicere non attinet. Jam quippe Curiæ ſolemnes, & ornatus regii ſcematis prorſus evanuerant; ingens theſauri copia deperierat, pax in terra nulla, cædibus, incendiis omnia exterminabantur, clamor & luctus & horror ubique. In media Quadrageſima ſedit Concilium apud *Londoniam*, ubi rex dedit

Steph. R. deponit Epiſc. Elien.

Concil. Lond. celeb.

Stephan. R. dedit Epiſcopatum Salesbiri *Philippo* Cancellario ſuo. Sed Epiſcopus *Henricus Wintonienſis*, qui erat Legatus, non aſſenſit. Ideoque cum *Romam Philippus* petiſſet nihil profecit. Ad Pentecoſten ivit rex cum exercitu ſuo ſuper *Hugonem* Bigodth in Sudfolc & cepit Caſtellum de Bunie. Item in Auguſto perrexit ſuper eum, & concordati ſunt, ſed non diu duravit. Obiit *Turſtanus* Archiepiſcopus *Eboracenſis*, & ſucceſſit *Willielmus* Theſaurarius ejuſdem Eccleſiæ.

Ob. Turſtan. Arch. Ebor.

MCXLI.

1141 Anno ſexto regis *Stephani*, rex ivit ad *Lincolniam* & obſedit Caſtellum quod *Ranulfus* Comes *Ceſtriæ* ceperat ab eo fraudulenter, cum autem obſediſſet illud à Nativitate uſque ad Purificationem Sanctæ *Mariæ* rex miſſam in tanta ſolemnitate audierat. Cum autem de more Cereum rege dignum Deo offerens manibus *Alexandri* Epiſcopi imponeret, confractum eſt; hoc fuit regi ſignum contritionis. Cecidit etiam ſuper Altare pixis cui corpus Domini inerat abrupto vinculo præſente Epiſcopo, hoc etiam fuit regi ſignum ruinæ. In prima die Purificationis venit *Ranulfus* Comes *Ceſtriæ*, & *Robertus* Comes *Gloceſtriæ*, & omnis familia Imperatricis, & pugnaverunt contra regem lege belli, & vicerunt eum & ceperunt, & ad Briſtou ductum eum in carcerem miſerunt. Imperatrix autem ſuſcepta eſt apud *Wintoniam*, ab ipſo, qui erat frater regis *Stephani* & Legatus, & Corona regni eſt ei tradita. Poſtea ſuſcepta eſt à *Londonienſibus*, & ab omni *Anglia*, exceptis *Centenſibus*. Ibi enim morabatur Regina, & quidam amici regis *Stephani*. Qui ita poſtea locuti ſunt cum *Londonienſibus* conſilio Epiſcopi *Wintonienſis* quod eam expulerunt ab urbe. Intime igitur dolens viribus coactis die Calendarum Auguſti obſedit Caſtellum Epiſcopi *Wintonienſis* in ipſa *Wintonia*, ipſa & *Robertus* Conſul frater ejus & omnes fautores ejus. Contra Epiſcopus congregavit exercitum magnum, & omnes fere Conſules, & Barones *Angliæ* converſi ſunt ad eum, ut regem à captione eriperent. Cumque ſæpiſſime militaribus anfractibus dimicarent, oppreſſa tandem multitudine fugit Imperatrix. Et captus eſt *Robertus* Conſul *Gloceſtriæ* frater ejus. Pro quo tandem redditus eſt rex liber, & à ſuis qui eum ſtrenuiſſime liberaverant cum gaudio eſt ſuſceptus. In adventu Domini ſedit Concilium apud *Londoniam* à Legato *Wintonienſi* Epiſcopo. Ubi rex fecit clamorem ſuum Epiſcopis, de ſuis qui eum proditione ceperant. Quibus juſſu Papæ *Innocentii* Chriſtianitas prohibita eſt.

Steph. R. ab Imperatrice victus capitur.

Fautores Imperat. male pugnant, Rob. C. Glouceſt. cap.

MCXLII.

1142 Anno ſeptimo regis *Stephani*. Rex obſedit Imperatricem apud Oxenfort poſt feſtum Sancti *Michaelis* uſque ad Adventum. In eo quippe termino haud procul à Nativitate receſſit inde Imperatrix nocte per *Tameſiam* glaciatam, circumamicta veſtibus albis reverberatione nivis & ſimilitudine fallentibus occulos obſidentium. Abiit autem Walingefort, & ſic Oxenfort regi reddita eſt.

Imper. obſeſſa Oxon. nocte elabitur.

MCXLIII.

1143 Anno octavo regis *Stephani*. Rex fuit ad Concilium apud *Londoniam* in Quadrageſima, ubi Legatus ſtatuit rigidiſſimos Canones contra eos qui Clericos capiebant, & res Eccleſiaſticas & Cimeteria frangebant. Poſtea in æſtate firmabat rex *Wiltunam*, venitque *Robertus* Conſul *Glouceſtriæ* ſuper eum, & fugatus eſt rex, & pene captus. Et captus eſt ibi *Willielmus* Martel qui pro captione ſua reddit Caſtellum de Sireburne prædicto Conſuli *Roberto*. In nocte Sancti *Martini* ſedit Concilium apud *Londoniam*, ubi Legatus ſummonuit Epiſcopos *Elienſem* & *Ceſtrenſem Romam* ire. Inde & ipſe *Romam* ivit, mortuo jam Papa *Innocentio*. Cui ſucceſſit *Celeſtinus*, ſedit autem menſes quinque, & dies quinque. Rex *Stephanus* eodem anno *Gaufridum* de *Mandevilla* in curia ſua cepit apud Sanctum *Albanum*. Igitur ut rex liberaret eum, reddit illi turrim *Londoniæ*, & Caſtellum de Waledene, & illud de Plaſeiz. Qui carens poſſeſſionibus, invaſit Abbatiam *Rameſeiam*, & Monachis expulſis raptores immiſit.

Steph. R. à Com Glouceſt. fugatus.

Celeſtinus Pap.

MCXLIV.

1144 Anno nono regis *Stephani*. Rex *Lincolniam* obſedit, ubi cum munitionem contra Caſtellum quod vi obtinebat Conſul *Ceſtrencis* conſtrueret, operarii ſui

Steph. R. Lincolniam obſidet.

fui ab hoftibus præfocati funt fere octoginta. *Gaufridus* de *Mande-villa* Conful regem validiffime vexavit, & in omnibus valde gloriofus effulfit. Menfe autem Augufti miraculum juftitia fua dignum Dei fplendor exhibuit. Duos namque, qui Monachis avulfis Ecclefias Dei converterant in Caftella, fimiliter peccantes, fimili pœna multavit. *Robertus* Marmiun vir bellicofus hoc in Ecclefia de Coventre perverfus exegerat. Porro *Gaufridus* in Ecclefia *Remefienfi*, ut diximus, fcelus idem patraverat. Infurgens igitur *Robertus* Marmiun in hoftes, inter fuorum cuneos coram ipfo monafterio de equo fuo cecidit in publica ftrata. Sutor quidam qui prope ftabat hoc videns cito cucurrit, & cultellum fuum in ventrem ejus rabide fixit, & folus mortuus eft, & excommunicatus morte depafcitur æterna. Corpus ejus delatum eft ad *Pollefwardam* & ibi extra Cœmiterium in pomario fanctimonialium longo tempore permanfit. Similiter *Gaufridus* Conful inter acies fuorum confertas à quodam pedite viliffimo folus fagitta percuffus eft, & ipfe vulnus ridens, poft dies tamen paucos ex ipfo vulnere excommunicatus occubuit. Ecce Dei laudabilis omnibus feculis prædicanda ejufdem fceleris eadem vindicta. Dum autem Ecclefia illa pro Caftello teneretur, ebullivit fanguis à parietibus Ecclefiæ & Clauftri, indignationem divinam manifeftans, fceleratorum vero exterminationem denuntians. *Stephani R.* *Rob. Marmiun. & Gaufr. de Mandevill cæsi.*

Puer *Willielmus* crucifixus eft à *Judæis* apud Norwitz. Fames magna. Obiit *Celeftinus* Papa, fucceffit *Lucius* qui fedit anno uno. *Puer à Judæis crucifixus. Lucius Pap.*

MCXLV. 1145

Anno decimo regis *Stephani*. Rex in agendis circa difcurfus *Hugonis* Bigot occupatus fuit, fed in æftate *Robertus* Conful, & omnis inimicorum Regalium coetus Caftellum conftruxerant apud *Ferendimam*, fed rex non fegniter viribus coactis advolat, & *Londonienfium* terribilem & innumerofum adduxit exercitum. Affilientes igitur totis viribus caftrum, (dum *Robertus* Conful, & fautores fui majores copias non procul ab exercitu regis expectarent) gloriofiffima probitate non fine magna fanguinis effufione ceperunt. Epifcopus *Lincolnienfis Alexander* iterum *Romam* pergit. Qui cum Papæ gratia fequenti anno rediens, cum gaudio à fuis receptus eft. Obiit Papa *Lucius*, cui fucceffit *Bernardus* Abbas Monafterii Sancti *Anaftafii* quod eft extra muros *Romæ*, ubi *Innocentius* Papa, qui quartus ante iftum fuerat, Abbatiam noviter fecerat de ordine Monachorum *Ciftercienfium*, & Sanctus *Bernardus* Abbas de *Claravalle*, quando illuc mifit conventum, hunc præfecerat; maxime quia Papa *Romanus* aliquando antequam ad Monachatum ifte veniret, ad facrum ordinem illum promoverat. Erat enim transmontanus, utpote civis *Pifenfis*. Fuit autem ordinatus prima Hebdomade menfis Martii, & vocatus eft *Eugenius*, Papa CLXXI. *Steph. R. expugnat Caftel. apud Ferend.* *Eugen. Pap.*

Voburna fundata eft hoc anno. *Robertus Pullus* factus eft *Romæ* Cancellarius. *Voburna fund.*

MCXLVI. 1146

Anno undecimo regis *Stephani*. Rex magnum congregans exercitum Caftellum conftruxit inexpugnabile, contra Warenfort fitum. Ubi *Ranulfus* Comes *Ceftrencis* jam regi concordia conjunctus, magnis interfuit copiis. Dehinc vero Conful ipfe ad regis Curiam cum pacifice veniffet apud *Northamtunam*, rex nihil tale metuentem cepit, & in carcerem trufit, donec redderet illi clariffimum *Lincolniæ* Caftellum, quod ab eo dolofe ceperat, & cætera quæcunque fuerant ditionis fuæ Caftella. Vifis miraculis quæ fiebant in locis religiofis, & afflictione cum humilitate multimoda certis venientibus audita, & conqueftione *Chriftianorum* de fanctis locis venientium fuper eruptione Paganorum, prædicatione etiam Sancti *Bernardi* Abbatis *Clarevallenfis* viri non contemnendæ autoritatis, cui Papa *Eugenius* injunxerat hoc officium, commoti *Ludovicus* rex *Francorum*, *Conradus* Imperator *Alemannorum*, *Fredericus* etiam dux *Suevorum* nepos ejus, *Galaranus* Comes Mellent, Tertius *Willielmus* de *Warama* Comes frater ejus, *Theodericus* etiam Comes *Flandrenfis*, & alii multi magnæ autoritatis & dignitatis viri, *Franci*, *Normanni*, *Anglici*, & de *Ranulf. Com. Caftrenfis incarcerat.* *Lud. R. Franc. Conrad. Imper. & alii crucem accipiunt.*

Stephani R. de aliis regionibus innumerabiles, non ſolum milites, ſed etiam Epiſcopi, Clerici, Monachi crucem in humeros aſſumentes ad iter *Jeroſolimitanum* ſe præparaverunt. Rex autem *Francorum*, & *Robertus* frater ejus, & Galeran**t** Comes Mellent & alii multi dominica in ramis palmarum crucem aſſumpſe-
Rex Sicil. capit urb. Tripolin. runt. Rex *Rogerus Siciliæ Tripolitanam* urbem & Provinciam in *Affrica* ſuper Paganos cepit. Obiit *Robertus Pullus*.

MCXLVII.

1147
Steph. R. Lincolniam intrat. Anno duodecimo regis *Stephani*. Rex *Stephanus* ad Natale Domini in urbe *Lincolnienſi* Diademate regaliter inſignitus eſt, quo regum nullus introire, prohibentibus quibuſdam ſuperſtitioſis, auſus fuerat. Unde comparet quantæ audaciæ, & animi pericula non formidantis fuerit. *Henricus* filius Comitis *Andegavis Gaufridi* & Imperatricis, in *Normanniam* veniens ſuſceptus eſt à
Conrad. Imper. & Lud. R. Franc. expedit. Hierosolym. conventu *Becci* ſolemni proceſſione die Aſcenſionis Domini. *Ludovicus* rex *Francorum* & Regina Alionoret ſocii ſui quos ſupra memoravimus, præſente Papa *Eugenio* in expeditionem *Jeroſolimitanam* ituri à *Pariſiis* receſſerunt. Quas tribulationes & miſerias in ipſo itinere dum per terram Imperatoris *Conſtantinopolis* tranſirent, à fame, peſtilantia, incurſione Paganorum perpeſſi ſunt, non eſt noſtri ſtudii enarrare. Quia enim de rapina pauperum, & Eccleſiarum ſpoliatione illud iter ex majori parte inceptum eſt, nec in eos qui ſe inhoneſte habuerant vindicatum eſt, fere nihil proſperum, nihil memoria dignum in illa peregrinatione agitatum eſt. Obiit *Alexander* Epiſcopus *Lincolniæ*, & *Robertus* Comes *Gloceſtriæ*. In Concilio *Remis* celebrato medianti gratia Sancti Spiritus, in præſentia Domini Papæ *Eugenii*, ordo *Saumienſis* vinculo caritatis conjungitur ordini *Ciſtercienſi*. Hoc anno *Brueria* fundata eſt. *Hilarius* factus eſt Epiſcopus *Ciceſtriæ*.

MCXLVIII.

1148
Chriſtianis male pugnat. in Ter. Sanct. Rex Hiſp. Almariam capit. Rex Galliciæ Liſebon. cap. Anno decimo tertio regis *Stephani*, pervenerunt *Chriſtiani* quocunque labore ad Sancta loca in *Jeruſalem*, & circa Auguſtum menſem *Damaſcum* obſidentes & dolo *Jeroſolimitanorum* parum proficientes repedare ſtuduerunt. Melius acciderat anno præterito *Chriſtianis* principibus in *Hiſpania*, nam Imperator *Hiſpanorum*, cujus Imperii caput eſt civitas *Toletum*, adjutus à *Piſanis* & *Gennenſibus Almariam* nobiliſſimam urbem ſuper Paganos cepit. Rex *Galliciæ* fretus auxilio *Normannorum*, & *Anglicorum*, & aliorum multorum qui navali exercitu *Jeruſalem* petebant, *Liſebonam* urbem *Agarenis* abſtulit, ſicut aliam civitatem *Samtarem* ſcil. anno præterito ſuper eoſdem ceperat. Comes etiam *Barcuonenſis Tortoſam* urbem eodem anno cepit, Eodem anno mortuo *Aſcelmo Roſenſi* Epiſcopo, *Theobaldus Cantuarienſis* Archiepiſcopus fratrem ſuum *Walterum* Archidiaconum *Cantuariæ* eidem Eccleſiæ ſubrogavit. Mortuo etiam *Rogero Ceſtrenci* Epiſcopo in itinere *Jeroſolimo* ſucceſſit illi *Walterus* Prior Eccleſiæ *Chriſti Cantuariæ*.

Henricus etiam Murdach Monachus ordinis *Ciſtercienſis* fit Archiepiſcopus *Eboracenſis*.

Concil. Remis celebr. *Eugenius* Papa in Quadrageſimam Concilium congregavit *Remis*, ad quod venit latenter, & contra prohibitionem regis *Stephani Theobaldus* Archiepiſcopus *Cantuariæ*, unde & favorabiliter à Papa acceptus eſt. Mortuo *Roberto* Epiſcopo *Herefordenſi*, ſucceſſit *Gilbertus* Abbas *Gloceſtriæ*. *Willielmus* etiam de Sancta *Barbara* Decanus *Eboracenſis* anno præterito factus eſt Epiſcopus *Dunelmenſis*. Hoc anno obiit Sanctus *Malachias* Epiſcopus de *Hibernia* apud *Claramvallem*.

MCXLIX.

1149
Imper. & R. Franc. red. à Terra S. Anno decimo quarto regis *Stephani*, Imperator *Alemannorum* reverſus eſt cum exercitu ſuo fame & ingenti *Gladio* pene conſumto. Et rex *Francorum Ludovicus* rebus non proſpere geſtis patriam regreditur.

Turbo mag. Eodem anno turbo factus eſt horribilis, ſubvertens domos, nemora & virgulta confringens, in quo etiam dæmones in ſpecie turpium animalium pugnaſſe aſſeruntur.

In

In feſtum Pentecoſtes *David* rex *Scotorum* accinxit armis militaribus *Henricum*, Primogenitum ducis *Gaufridi* & neptis ſuæ *Matildis* Imperatricis, qui anno præterito de *Normannia* in *Angliam* transfretaverat. Hoc anno obiit *Letardus* Abbas *Becci*.

MCL. 1150

Anno decimo quinto regis *Stephani* fuit hyems maxima tribus menſibus continua, & *Thameſis* fluvius circa *Londoniam* glacie induruit, & homines præ nimio frigoris dolore in membris ſuis lædebantur, in qua etiam remanſit ex maxima parte hyemalis Agricultura, & inde ſubſecuta eſt magna terræ ſterilitas.

Hiems aſperrima.

Hoc anno fundata eſt Abbatia de *Cumba* à viro nobili *Richardo Decanvilla* VI. Id. Julii.

Abb. de Cumba fund.

MCLI. 1151

Anno decimo ſexto regis *Stephani*. Obiit Comes *Gaufridus Andegavenſis*, & *Henricus* filius ejus receptus eſt in pace ab *Andegavenſibus* fidelitatem ſibi facientibus, & ſic factus eſt dux *Normannorum*, & Comes *Andegavenſis*.

Ob. Gauf. C. Andeg. Filius ejus H. ditiones ejus recipit.

Fames valida, & præ nimia abundantia pluviarum ſegetes perierunt.

Fames.

MCLII. 1152

Anno decimo ſeptimo regis *Stephani*. Apud *Londoniam Euſtachio* filio regis *Stephani* fide & jurejurando univerſi Comites atque Barones *Angliæ* ſe ſubdiderunt. Eodem anno die inventionis Sanctæ Crucis obiit *Matildis* regina regis *Stephani*. Obiit etiam venerabilis Comes *Theobaldus Bleſenſis* nepos *Henrici* regis, & frater *Stephani Anglorum*, Princeps magnæ Sanctitatis & largitatis in pauperes. Huic ſucceſſerunt tres filii ſui, *Henricus* primogenitus habuit Comitatum *Tricaſſinum* & *Campanienſem*, & quicquid pater ejus habuit trans *Sequanam*. *Teobaldus* ſecundus filius Comitatum *Carvotenſem*, *Bleſenſem*, pagum *Dunenſem*. *Stephanus* tertius filius honorem in pago *Biturienſi*.

Fid. jurat. Euſtachio fil. R. St. Matild Regina & Theob. C. Bleſen. ob.

Orta ſimultate inter regem *Francorum Ludovicum* & uxorem ejus **Alienor**, congregatis religioſis perſonis in Quadrageſimam apud *Balgenceium*, dato Sacramento coram Archiepiſcopis & Epiſcopis quod conſanguinei eſſent, ſeparati ſunt autoritate Chriſtianitatis.

Alienora thalamis R. Franc. relict. nub. Henrico. D. Norman.

Eodem anno circa Pentecoſtem *Henricus* dux *Normannorum* duxit **Alienor** Commitiſſam *Pictavenſem*, quam paulo ante rex *Ludovicus* propter conſanguinitatem dimiſerat. Quo audito rex *Ludovicus* commotus eſt contra eundem ducem. Habebat autem duas filias de ea, & non volebat ut aliquot illa filios acciperet, unde prædictæ filiæ exhæredarentur. *Eugenius* Papa *Johannem Romanæ* Eccleſiæ Cardinalem Presbyterum cognomento *Paparo* deſtinavit Legatum in *Hiberniam* cum quatuor palliis, quorum unum dedit Epiſcopo *Dunelmiæ*, & reliqua tria aliis Epiſcopis ejuſdem inſulæ, ſubjiciens unicuique eorum qui pallia acceperunt quinque Epiſcopos alios, & hoc factum eſt contra conſuetudinem antiquorum & dignitatem *Cantuarienſis* Eccleſiæ, à qua ſolebant Epiſcopi *Hiberniæ* expetere & accipere conſecrationis benedictionem.

Legatus à Papa in Hiberniam miſſus.

Gaufridus Arturus qui tranſtulit Hiſtoriam de regibus *Britonum* de *Britannico* in *Latinum*, fit Epiſcopus Sancti **Aſaph** in **Northwales**.

Gauf. Art fit. Ep S. Aſaph.

Sunt itaque hodie in **Wales** quatuor Epiſcopatus, in *Anglia* XVII, in octo eorum ſunt Monachi in ſedibus Epiſcopalibus. Hoc in aliis provinciis aut nuſquam aut raro invenies, ſed ideo in *Anglia* hoc reperitur quia primi prædicatores *Anglorum* St. *Auguſtinus*, *Mellitus*, *Juſtus*, *Lauretius* Monachi fuerant. In aliis novem Epiſcopalibus ſedibus Canonici ſeculares. In capello *Ciſtercienſi* ſtatutum eſt ne amplius aliquis novam Abbatiam conſtrueret, quia numerus Abbatiarum de illo ordine uſque ad quingentas Abbatias proceſſerat. Obiit *Conradus* Imperator, ſucceſſit *Fredericus* nepos ejus.

Ob. Conrad. Imper. ſucced. Frederic.

MCLIII. 1153

Anno decimo octavo regis *Stephani*, obiit *Euſtachius* filius ejuſdem regis. *Henricus* dux *Normannorum* infra octavas Epiphaniæ tranſiit in *Angliam* cum triginta & ſex navibus. *Gondreda* Comitiſſa *Warvicenſis* ejecit cuſtodes regis

Ob. Euſtach. fil. R.

Henric. 2 R. Castel. Warwic. Henrico D. Norman. tradit. R. Scot. ob. Stephani de Castello Warvici,& tradidit eandem munitionem Henrico duci Normanniæ. Mortuo Rogero Comite Warvicensi successit ei Willielmus filius ejus. Obiit etiam David rex Scotiæ admodum vir religiosus, successit ei Melcolmus filius ejus.

Mense Julio VII. Id. ejusdem mensis obiit venerabilis vir Eugenius Tertius Papa, vir admodum religiosus, in Eleemosynis largus, in judiciis justus, omnibus tam pauperibus quam divitibus affabilis & jucundus. Ad cujus tumulum, qui ei in Ecclesia Sancti Petri venerabiliter factus est, miracula post transitum ejus statim apparuerunt. Successit ei Conradus Episcopus Sabinensis, Apostolicæ sedis in urbe duntaxat, in agendis Episcopalibus dum Papa deest, ex antiqua consuetudine pro dignitate loci sui vicarius, vir grandævus, & apud Romanos authoritate præclarum; exinde vocatus Anastatius quartus, Papa viz. CLXXII. Anastasius 4. Pap.

Sanctus Bernardus primus Abbas Claræ vallis obiit XIII. Kal. Septembris relinquens sapientiæ suæ plurima documenta maxime in Commentariis in Cantica Canticorum. Cui successit Flandrita qui erat Abbas Dunensis. Obiit Henricus Murdac Archiepiscopus Eboracensis. Ranulfus Comes Cestrensis hoc anno obiit, cui successit Hugo filius ejus.

Pax inter St. R. & Henr. Concordia facta est inter regem Stephanum & Henricum Ducem apud Wintoniam. Obiit Ulfricus Haselbergensis.

1154 MCLIV.

Steph. R. ob. Anno decimo nono regis Stephani. Obiit rex Stephanus Anglorum VIII. Kal. Novembris, cujus corpus tumulatum est in Monasterio de Feureham, quod ipse & Matildis regina ejus à fundamentis ædificaverant, ubi ipsa & filius ejus primogenitus Eustachius sepulti sunt. Interim pax summa erat in Anglia timore & amore Henrici ducis, quem omnes venturum regem non dubitaverunt.

Henr. 2 Rex Angl. coron. Henricus dux Normanniæ VIII. Id. Decembris in Angliam veniens cum magno tripudio Clericorum, & Laicorum exceptus est XIV. Kal. Januarii, die dominica ante Nativitatem Domini apud Westmonasterium ab omnibus electus, & in regem unctus est à Theobaldo Archiepiscopo Cantuariensi. Affuerunt & omnes Episcopi Anglici Regni & plures de Normannia.

R. Fran. uxorem ducit fil. R. Hisp. Ludovicus rex Francorum dux uxorem filiam Anforsi regis Hispaniarum (Caput regni hujus regis est civitas Tholetum) Quem, quia principatur regulis Arragonum, & Galitiæ Imperatorem Hispaniarum appellant.

Will. Archiep. Ebor. veneno moritur. Mortuo ut prædictum est Henrico Archiepiscopo Eboracensi, Anastatius Papa restituit in eandem sedem Willielmum donans ei pallium, & consecrans Romæ in præsentia ejus Hugonem Depuisat Episcopum Dunelmiæ, nepotem Stephani Regis Anglorum. Hunc Willielmum Eugenius Papa Decessor Anastatii deposuerat. Qui veniens in Angliam,dum divina misteria consummat, hausto in ipso calice veneno ut aiunt, moritur. Cui successit Rogerus de Ponte Episcopi Archidiaconus Cantuariensis. Obiit Anastasius Papa, successit Adrianus vir quidem religiosus, & natione Anglicus, qui prius fuerat Abbas Canonicorum Regularium Sancti Ruphi in Provincia, sed ab Eugenio Papa prædecessore suo factus fuerat Episcopus Albanensis. Adrian. Pap.

1155 MCLV.

Henric. R. Flandrenses. Anglia pellit. Anno secundo Henrici regis,cœpit idem rex revocare in jus proprium urbes, Castella, villas, quæ ad Coronam regni pertinebant. Castella noviter facta destruendo, & expellendo de regno maxime Flandrenses, & deponendo quosdam imaginarios, & Pseudo-Comites, quibus rex Stephanus omnia pene ad fiscum pertinentia minus caute distribuerat. Item exhæredavit Willielmum Peverel de Pothingham causa veneficii quod fuerat propinatum Ranulpho Comiti Cestriæ. Circa festum Sancti Michaelis Henricus rex habito Consilio apud Wintoniam de conquirendo regno Hiberniæ, & Willielmo fratri suo dando, cum optimatibus suis tractavit. Quod quia matri ejus Imperatrici non placuit interim missa est ad tempus illa expeditio.

Henricus Epifcopus *Wintonienfis* clam præmiffo thefauro fuo per Abbatem *Cluniacenfem* abfque licentia regis, & quafi latenter receffit ab *Anglia*, ideo *Henricus* rex omnia Caftella ejus peffundedit. *Henric. 2. R. H. Ep. Wint. ab Ang. reced.*

Natus eft *Londoniæ* 11. Kal. Martii filius *Henrico* fecundo regi ex regina **Alienor** & vocatus eft *Henricus*. *Fil. R. natus. voc. Henr.*

Fredericus rex *Alemannorum* *Romam* perrexit, & ab *Adriano* Papa contra *Romanorum* voluntatem receptus & in Ecclefia beati *Petri* in Imperatorem ab eo confecratus eft. *Freder. à Papa confecr. Imp. Rom.*

MCLVI. 1156

Anno tertio *Henrici* fecundi regis, obiit *Willielmus* primogenitus filius *Henrici* regis & fepultus eft *Radingis* ad pedes *Henrici* regis Proavi fui. *Ob. Will. fil. H. R.*

Obiit *Gillebertus* **Degant.** Obiit *Nicholominus Aldulfus* primus Epifcopus de **Carduil.** Hoc anno fulgura & tempeftates menfe Julio frequenter acciderunt, fubfecuta eft abundantia pluviæ quæ cœpit medio menfe Augufti, quæ impedivit & collectionem meffium & fubfequentem feminis fparfionem. Ex qua jugi inundatione pluviarum, quæ diu duravit, multæ turres & Ecclefiæ, & antiquæ maceriæ corruerunt. *Pluviæ continuæ.*

MCLVII. 1157

Anno quarto *Henrici* fecundi regis. Hoc anno *Malcolmus* rex *Scotorum* reddidit *Henrico* regi quicquid habebat de Dominio fuo, id eft, civitatem **Carduil,** caftrum **Beneburch**, novum caftrum fuper *Tinam*, & Comitatum *Lodonenfem*, & rex reddidit ei Comitatum *Huntondoniæ*. Circa feftivitatem *Johannis Baptiftæ* rex *Henricus* præparavit maximam expeditionem, ita ut duo milites de tota *Anglia* tertium pararent ad opprimendum *Walenfes* terra marique; *Hugo Bigotus* reddit regi omnes munitiones fuas. *Henricus* rex fubjectis ad libitum *Walenfibus* & reftitutis terris & munitionibus Baronibus fuis, quas tempore *Stephani* regis *Walenfes* fuper eos ceperant, extirpatis nemoribus & viis patefactis Caftrum **Rotwelent** firmavit, & dedit *Hugoni* de *Bello Campo*, & aliud Caftrum fcil. **Bafingewerch.** *Concord. inter R. Scotiæ & Henr. R.* *Henr. R. Walenfes vincit.*

Menfe Septembri natus eft filius & vocatus eft *Richardus*.

MCLVIII. 1158

Anno v. *Henrici* Regis obiit *Gaufridus* frater Regis *Henrici* fecundi. Juftitia de monetariis. Nova moneta in *Anglia*. *Ob. Gaufr. fr. Hen. R.*

MCLIX. 1159

Henricus Rex duxit exercitum *Tolofam*. Obiit *Adrianus* Papa. Succeffit *Alexander* bonus. Scifma factum eft per *Octavianum*. *Ob. Alex. Pap. Oct. Antipap.*

MCLX. 1160

Anno VII. *Henrici* regis, *Henricus* ejus filius defponfavit filiam regis *Franciæ*. *Maria* Abbatiffa filia Regis *Stephani* nupfit *Matthæo* Comiti *Boloniæ*. *Hen. fil H. R. defp. fil. R. Fr.*

MCLXI. 1161

Obiit *Theobaldus* Archiepifcopus *Cantuarienfis*, *Richardus Peccatum* factus eft Epifcopus *Coventrenfis*. *Ob. Theob. Arch. Cant.*

MCLXII. 1162

Thomas Regis Cancellarius in Archiepifcopum eligitur, & confecratur III. Nonas Junii ab *Henrico Wintonienfi*. *Tho. fit. Arch. Cant.*

MCLXIII. 1163

Anno x. *Henrici* Regis, apud *Weftmonafterium* S. *Edwardus* Rex *Anglorum* tranflatus eft. *Alexander* Papa *Turonis* concilium celebravit. *Robertus Dunelmenfis* factus eft Epifcopus *Herefordenfis*. *Amularius* Rex *Hierofolymitanus* conftipatus agmine Chrifticolarum III. Non. Auguft. contra *Babyloniam* defcendit, eamque fubactam fibi tributariam fecit. *S. Edw. tranf. Concil. Turon. Rex Hierofol. Babyloniam vincit.*

MCLXIV. 1164

Anno XI. *Henrici* Regis S. *Thomas* Archiepifcopus *Cantuarienfis* exulatus eft. Juftitia de obfidibus *Wallenfium*. *Arch. Cant. exul.*

MCLXV.

Henric. 2. R.

MCLXV.

1165 H. Wall. intrat. Anno XII. *Henrici* Regis. Ipse duxit exercitum suum in *Waliam* tertio, & perdidit obsides Regis *Audoeni*.

1166

MCLXVI.

1167

MCLXVII.

Ob. Matild. Anno XIV. *Henrici* II. Regis Obiit *Matildis* Imperatrix mater Regis.

MCLXVIII.

1168 Cb. Rob. Com. Leicest. Anno XV. *Henrici* II. Regis obiit *Robertus* Comes *Legrecestriæ* senior, iste fuit fundator Abbatiæ *Geroldoniæ*, & Abbatiæ Sanctæ *Mariæ* de *Prato Legrecestriæ* Canonicorum regularium, ubi pausat ipse; & Prioratus de *Ethona* Sanctimonialium de ordine fontis *Ebraldi*.

Regis fil. nub. D. Saxon. Hoc anno *Henricus* II. Rex dedit filiam suam *Matildam Henrico* duci *Saxoniæ*, qui genuit ex ea filios tres *Henricum*, *Otonem*, & *Wilhelmum*.

MCLXIX.

1169 Anno XVI. *Henrici* II. Regis, obiit *Hilarius* Episcopus *Cicestriæ*.

MCLXX.

1170 Hen. fil. Regis coron. Anno XVII. *Henrici* II. Regis. Rex *Henricus* II. semetipsum deposuit, & filio suo *Henrico* III. diadema imposuit.

Francorum regis Philippus nascitur hæres.

C. de Strigul. Hibern. adit. *Richardus* Comes de 𝔖𝔱𝔯𝔦𝔤𝔲𝔩 adiit *Hiberniam*. Sanctus *Thomas* Archiepiscopus *Cantuariensis* in adventu Domini rediit in *Angliam* ab exilio.

MCLXXI.

1171 Tho. Becket occiditur. Anno VIII. *Henrici* II. Regis Sanctus *Thomas* Archiepiscopus *Cantuariensis* in basilica sedis suæ ob defensionem justitiæ percussus, feliciter migravit ad Dominum IV. Kalend. Januarii

Annus millenus. Centenus Septuagenus.
Primus, erat primas cum ruit ense Thomas.

Obiit *Henricus* Episcopus *Wintoniensis* grandævus, & plenus dierum, VI. Id. Augusti, & coram majori altare honorifice sepultus est.

*H. R. Hib. pet. *Henricus* II. Rex primo adiit *Hyberniam*, & in nocte natalis Domini tempestas tonitrui fuit.

MCLXXII.

1172 Hen. cum Regina coron. Anno XIX. *Henrici* II. Regis. Idem Rex rediit de *Hybernia* & filius ejus *Henricus* III. coronatus est, & filia *Lodowici* Regis *Franciæ* apud *Wintoniam*. In nocte natalis Domini auditum est tonitruum in *Anglia*, & in *Hybernia*, & in omni regno *Francorum* generale, subitum, & horribile.

MCLXXIII.

1173 Bellum inter H. R. & fil. Henr. Anno XX. *Henrici* II. Regis orta est discordia, & bellum inter ipsum, & filium ejus *Henricum*, decessitque à patre suo circa Kalend. Aprilis ad Regem *Lodovicum Franciæ*.

Leicest. destructa. Hoc anno *Legrecestria* destructa est, & *Robertus* II. Comes ejus, filius *Roberti* senioris, captus est circa Id. Octobris.

MCLXXIV.

1174 Hen. fil. reconc. Plures Episc. consecrati. Anno XXI. *Henrici* II. Regis. Rex, & filii ejus reconciliati sunt. Rex *Scotiæ* captus. Tota gens *Angliæ* tussi laborabat, & multi extincti sunt in mense Januarii. *Richardus* Prior *Doverensis* factus est Archiepiscopus *Cantuariensis*, & *Richardus* de *Juelcestria* factus est Episcopus *Wintoniensis*, *Gaufridus* 𝔕𝔦𝔡𝔢𝔩 *Eliensis*, *Regnaldus Lumbardus Batoniensis*, *Robertus* 𝔉𝔬𝔩𝔦𝔬𝔱 *Herefordensis*, Magister *Johannes Cicestriæ*. Hoc anno obiit Sanctus *Petrus* Archiepiscopus *Tharentaliensis* IV. Id. Septembris.

MCLXXV.

MCLXXV. *Henric. 2. R.*

Pax facta eſt inter *Henricum* & filios ejus. *Johannes* Oxeneford factus eſt E- 1175 piſcopus *Norwicenſis*. *Hugo Petroleonis* Sancti *Angeli* Diaconus, Cardinalis, *Card. S. An-* & Apoſtolicæ ſedis legatus, infauſta navigatione tranſvectus eſt in *Angliam* VI. *gel. Legat. in* Kal. Novembris, quia præſtitit autoritatem trahendi Clericos ante Judicem *Angl.* ſecularem, pro foriſfacto foreſtæ, & pro laico feudo.

MCLXXVI. 1176

Anno XXIII. *Henrici* II. Regis. Obiit *Wilhelmus* Comes de Arundel Senior, *C. De Arun-* apud *Waverleiam* IV. Id. Octobris. *del. ob.*

Obiit *Richardus* Abbas de *Brueria* XVI. Kal. Februarii apud *Mertonam*: cui ſucceſſit *Chriſtophorus* prior ejuſdem loci. Hoc anno pons lapideus *Londoni* *Pons Londin.* inceptus eſt à *Petro* Capellano de Colechurch.

MCLXXVII. 1177

Anno XXIV. *Henrici* II. Regis. Hoc anno facta eſt Pax inter Papam *Alex-* *Fred. Im.* *andrum*, & *Fredericum* imperatorem. Item confœderati ſunt *Lodowicus* rex *Alex. Pap.* *Francorum*, & *Henricus* Rex *Anglorum*. Tonitrus concuſſit ſegetes, & interfe- *reconc.* cit aves in die Sanctæ *Mariæ Magdalenæ*. Orta eſt ſuſpicio de *Antichriſto*. Obiit *Martinus* primus Abbas de *Cumba* V. Id. Maii. Succeſſit *Radulfus* cellararius ejuſdem loci. Amotis ab eccleſia *Waltamienſi* canonicis ſecularibus, ſubintroducti ſunt canonici regulares ſub præſentia *Henrici* in vigilia Pentecoſtæ. Ventus vehemens, ſilvas & ædificia ſubruens, venit ab Auſtro Kalend. Decembris

MCLXXVIII. 1178

Anno XXV. *Henrici* II. Regis. Erupit mare in Hollande, & ſubmerſit homi- *Mar. inund.* nes, villas, pecora innumerabilia pridie Id. Januarii.

MCLXXIX. 1179

Anno XXVI. *Henrici* II. Regis. *Philippus* filius *Ludowici* Regis *Francorum* *Lud. R. Fran.* unctus & coronatus eſt in Regem *Remis*, Kalend. Novembris. Hoc tempo- *coron.* re lavatorium noſtrum, & aquæductus parata ſunt.

Alexander Papa celebravit concilium CCC. Epiſcoporum *Romæ*. *Henricus* rex, *Concil. Rom.* & Alienor Regina reconciliati fuerunt. *Robertus* III. Comes *Legreceſtriæ*, filius *Roberti* Comitis *Leiceſtriæ*, abiit *Jeroſolimam*. Hoc anno *Wilhelmus* de *Toloſa* Abbas de *Sainneio* factus eſt Abbas *Ciſtercienſis*. *Lodowicus* rex *Francorum* venit ad Sanctum *Thomam*. Eodem anno coronatus eſt *Philippus* filius ejus. Synodus CCCX. Epiſcoporum habita eſt *Romæ*, media Quadrageſima, à Papa *Alexandro*, tempore *Frederici* imperatoris.

MCLXXX. 1180

Anno XXVII, apud Oxenford tranſlata eſt Sancta *Fredeſwida* virgo II. Id. Fe- *Reliq. Frid.* bruarii, in præſentia *Richardi* Archiepiſcopi *Cantuarienſis*, & aliorum plurimo- *Ox. tranſl.* rum Epiſcoporum. Hoc anno obiit *Lodowicus* rex *Francorum* III. Kalen. Maii. *Lud. R. Fran. ob.* *Baldewinus* Abbas *Fordenſis* factus eſt Epiſcopus *Wigornenſis* IV. Id. Auguſti. *Robertus* Prior *Norhamtuniæ* factus eſt Abbas *Rameſciæ*. Obiit *Robertus* Abbas *Glaſtonienſis*. Obiit *Johannes* Epiſcopus *Ciceſtrenſis*, ſucceſſit *Safredus* Decanus ejuſdem Eccleſiæ. Obiit *Radulfus* Abbas II. de *Cumba*, ſucceſſit *Ermifridus* Monachus. Depoſitus eſt *Hugo* Abbas de *Kingeſwoda*, ſucceſſit *Wilhelmus* cellararius de *Forda*. Hoc anno *Henricus* II. Rex mutavit monetam ad feſtum Sancti *Martini*. Nova moneta currit in *Anglia* poſt *Baſeleres* circa feſtum Sancti *Martini*.

MCLXXXI. 1181

Anno XXVIII. *Henrici* II. Regis. Exiit edictum à rege *Henrico* II. ut omnes *Ob. Alex.* haberent loricas & arma per *Angliam* univerſam. Obiit *Alexander* Papa XXII. *Pap.* anno .... papatus ſui, & *Lucius* ſucceſſit. Obiit piæ memoriæ *Wilhelmus* de *Tholoſa* Abbas *Ciſtercienſis*, quamquam denegavit miſericordiam petentibus eam. Succeſſit *Petrus* Abbas de *Pontiniaco*. *Gaufridus* filius Regis *Henrici* II. *Lincolnienſis* electus, ſed non ſacratus, intermiſſo Epiſcopatu, factus eſt Cancellarius.

Hoc anno obierunt *Rogerus* Archiepiſcopus *Eboracenſis*, & *Adam* Epiſcopus

Henric. 2. R. de Sancto Asaph, & *Henricus* Abbas de *Winchelcumba*; & fratres *Cartusiæ* ingressi
Ordo Cartusiæ. sunt habitacula sua primo in *Anglia*. *Wilhelmus* Abbas de *Chingeswoda* depositus est, successit *Eudo* prior de *Waverlia*. Obiit Magister *Serlo* Abbas de *Elemosyna*, successit *Gervasius* Abbas de Landefs.

1182 MCLXXXII.

Ob. Ep. Coven. & Abb. Waverl. Anno XXIX. *Henrici* secundi Regis. Obiit *Richardus Peccatum* Episcopus *Coventrensis*, qui,ante obitum suum renuntians Episcopatui, factus est canonicus apud *Thomam* de *Tinterna*, juxta Stafford. Obiit *Henricus* tertius Abbas *Waverliæ*, eique successit *Henricus* de *Cicestria* monachus ejusdem loci.

1183 MCLXXXIII.

Discord. Rex & fil. Com. Leicest. cap. Ob. Hen. fil. Regis Henr. Anno XXX. *Henrici* Regis. Orta est discordia inter regem & filios ejus secundo. *Robertus* Comes *Legrecestriæ* captus est secundo. Obiit vir illustris & miræ indolis *Henricus* tertius Rex, filius *Henrici* secundi Regis *Anglorum*. Obiit *Wilhelmus* Episcopus *Rouecestriæ*, successit *Waleranus*. *Walterus* de *Constantiis* factus est Episcopus *Lincolniensis* & *Gerardus Puella Coventriensis*. Obiit *Simon* de sancto *Albano*, successit *Warinus* prior. Sacerdos quidam *Joannis* nomine factus est Episcopus de Sancto Asaph. *Nicolaus* de Sancto *Albano* factus est Abbas Malmesbirie. Obiit *Wilhelmus* Comes *Glocestriæ*, eadem nocte qua & natus fuerat, hoc est in nocte Sancti *Clementis*. Depositus est Abbas *Erminfridus* de *Cumba*, successit *Wilhelmus* prior de *Woburna*.

1184 MCLXXXIV.

Plures Episc. ob. Anno XXXI. *Henrici* secundi Regis. Obiit *Richardus* Archiepiscopus *Cantuariensis*, Successit *Baldwinus* Episcopus *Wigorniensis* III. Non. Decembris, monachus ordinis *Cistercienfis*. Obiit *Wilhelmus* comes *Warenici*. Obiit *Gerardus Puella* Episcopus *Coventriensis*, & *Waleramus* Episcopus *Roucestriæ*. *Jocelinus* Episcopus *Salesburiæ*, dimisso Episcopatu, factus est monachus ordinis *Cisterciensis*. *Henricus* dux *Saxoniæ*, exulatus de terra sua, venit in *Angliam* cum uxore & liberis suis. Abbatia *Glastoniæ* simul cum tota villa combusta est. *Petrus* Abbas *Cisterciensis* factus est Episcopus *Atrebatensis*, & successit *Bernardus* Abbas de *Fontenia*. Obiit *Bartholomeus Exoniensis*. *Serlo* abbas de *Thama* demisit Abbatiam suam, & in loco ejus successit *Wilhelmus* monachus de *Forda*, quondam Abbas de *Kingeswoda*.

D. Saxon. in Angl. venit.

1185 MCLXXXV.

Patriar. Hierosol. in Ang. ven. Urban. 3. Pap. Joh. Hiber. pet. Anno XXXII. *Henrici* secundi Regis. *Heraclius* Patriarcha *Jerosolimæ* venit in *Angliam*, auxilium petens contra paganos. Obiit *Lucius* Papa in die Sanctæ *Katerinæ*, successit *Urbanus* tertius Papa. *Walterus* de *Constantiis*, Episcopus *Lincolniæ*, factus est Archiepiscopus *Rotomagensis*. *Johannes* filius Regis adiit *Hiberniam*. XVII. Kal. Maii factus est terræmotus magnus per multa loca *Angliæ*. Sol mutans vel simulans eclipsim Kal. Maii splendorem suum contra solitum mutavit. *Walleranus* successit fratri suo *Wilhelmo* in Comitatu *Warwici*. *Henricus* dux *Saxoniæ* cum uxore & liberis rediit ab exilio in *Saxoniam*. *Wilhelmus*, Prior Sancti *Augustini Bristoliæ*, factus est Episcopus *Landaviæ*. *Gilbertus* de *Glawvilla* factus est Episcopus *Rouecestriæ*.

1186 MCLXXXVI.

Ob. Galfr. Com. Britan. Anno XXXIII. *Henrici* secundi Regis. Obiit *Gaufridus* Comes *Britanniæ*, filius Regis *Henrici* secundi *Angliæ*. Obiit *Bernardus* Abbas *Cisterciensis*, successit *Willielmus* Abbas de *Pratta*. Obiit *Petrus* Abbas Clarevall. *Allanus* Prior *Cantuariensis* factus est Abbas *Theokesb*. *Hugo* Prior de Lewes factus est Abbas *Radingis*. *Hugo* Prior *Selewoda* factus est Episcopus *Lincolniensis*. Obiit *Johannes* Episcopus de Sancto Asaph, successit *Henricus* Canonicus de Haganian. Obiit *Robertus* Foliot Episcopus *Herefordensis*, successit *Wilhelmus* de Were. *Wilhelmus* de *Norhala* factus est Episcopus *Wygornensis*, & *Johannes Exoniensis*.

Plures Episc. consecr.

1187 MCLXXXVII.

Duo Legati à Papa. Anno XXXIV. *Henrici* secundi Regis missi sunt duo Legati à Papa *Urbano* in *Angliam*, *Octavianus* & *Hugo Novantius Coventriensis* electus, Hoc anno obiit
Greg. 9. Pap. *Urbanus Papa*, successit *Albertus* Cancellarius, & vocatus est *Gregorius* nonus qui

qui rexit Ecclesiam II. mensibus & dies quinque, & mortuus est, cui successit Clemens Papa. Obiit *Gilbertus* Foleot Episcopus *Londoniensis*. Obiit *Ranulfus* Abbas de *Bildeas* in itinere capituli. *Henricus* secundus Abbas *Waverlie* dimisit Abbatiam suam, cui successit *Christophorus Bruerie* Abbas, quintus Abbas Waverley. Tempore hoc erant in domo Waverley cxx. conversi, & Monachi LXX. Caruce autem arantes circiter xxx. Facta est maxima discordia inter *Baldewinum* Archiepiscopum *Cantuariensem*, & Monachos Sanctæ *Trinitatis*, propter Ecclesiam quam cœpit ædificare. Combusta est Ecclesia *Cicestriæ* & fere tota civitas, Proh dolor! Strages maxima Christianorum in terra *Jerosolimitana* perpetrata est. Insuper Sancta crux à *Sarracenis* capta & abducta. Et Rex terræ illius vivus captus & abductus, & multi alii cum eo, & terra Sancta à *Saracenis* possessa. Henric. 2. R. Clem. pap. Rex Hierosol. captus.

MCLXXXVIII. 1188

Anno XXXV. *Henrici* secundi Regis signatus est *Fredericus* Imperator *Romanorum*, & *Fredericus* filius ejus dux *Sueviæ*, & *Philippus* Rex *Francorum*, & *Henricus* secundus Rex *Anglorum*, & hic & filius ejus Comes *Pictavorum* juvenis bellicosissimus; signati sunt etiam cum prædictis principibusque Archiepiscopi nonnulli, Episcopi quamplurimi, optimatum vero & plebis innumera multitudo. Per hujus signationis occasionem, sub auctoritate *Romani* Pontificis exorta est quædam decimatio ab omni *Europa*. In qua exactione multi & maxime pauperiores angariantur & affliguntur. Ab hac decimatione liber fuit ordo *Cistercienfis*. Orta est tunc dissentio inter *Philippum* Regem *Francorum*, & *Henricum* secundum Regem *Anglorum*, propter *Richardum* Comitem *Pictavorum*. Hoc anno descenderunt in *Angliam* visitatores missi à capitulo *Cisterciensi*, in quorum visitatione dimiserunt Abbatias suas, *Wilhelmus* de *Tinterna*, & successit *Guido* Abbas de *Kingeswoda*, eique successit in *Kingeswoda Wilhelmus* Abbas de *Bordeslia* * dimisit abbatiam suam, successit *Richardus* supprior. Hoc idem fecit *Waleranus* Abbas de Cleve, & successit *Alanus* de *Bordeslia*. Obiit *Baldwinus* Comes *Cornubiæ* & consanguineus Regis. Hoc anno obiit *Richardus* Episcopus *Wintoniensis*, præ cæteris opibus eleemosynæ deditus tempore suo. Dispersit, dedit pauperibus, justitia ejus manet in seculum seculi, ædificia vero admiranda in Episcopatu faciens, quam in progenie ad progeniem nomen suum vocavit in terris suis: cujus animæ misereatur, qui post mortem solus medetur. Imp. Rom. RR. Franc. & Angl. cruce signati. Decimæ ab Europa. Ob. Com. Cornub.

MCLXXXIX. 1189

Anno ultimo *Henrici* secundi Regis *Anglorum*. Hoc anno prid. Non. Julii ingressus est viam universæ carnis *Henricus* secundus rex *Anglorum*, & sepultus est honorifice in monasterio sanctimonialium fontis *Ebraldi* II. Non. Julii. Successit *Richardus* filius ejus in regnum, & in regem unctus est & coronatus *Londoniæ* apud *Westmonasterium* à *Baldewino* Archiepiscopo *Cantuariensi*, iii. Non. Septembris in Dominica die. Interfuit etiam Archiepiscopus *Treverensis* & Archiepiscopus *Rotomagensis Walterus*, & Archiepiscopus *Hyberniæ* de Divelin *Johannes*, cum omnibus Episcopis *Anglici* regni & quibusdam de *Normannia*. Affuit autem Alienor regina mater ejus & comites & principes totius regni, & de regno *Francorum* plurimi, affuerunt *Judæi Londonienses* cum exeniorum plurimo apparatu ad perpetuam confusionem. Sed rege subinde indignante repulsi sunt, non sine corporum suorum vel vestimentorum dilaceratione, & subito Christiani repleti zelo, inconsulte tamen, irruunt in universam eorum multitudinem per civitatem, occidentes eos & bona eorum diripientes insuper; & ædificia eorum ignibus tradiderunt, per omnia benedictus Dominus, qui tradidit impios. *Gaufridus* filius Regis *Henrici* secundi electus est ad Archiepiscopatum *Eboracensem*, *Godefridus* ad Episcopatum *Wintoniensem*, *Hubertus Walterus* ad *Salesburiensem*, *Richardus* Thesaurarius ad *Londinensem*, *Wilhelmus* de *Longo Campo* ad *Eliensem*; & consecrati sunt à *Baldwino* Archiepiscopo *Cantuariensi* apud *Londoniam*, XI. Kal. Novembris. Obiit *Turstanus* Abbas *Geroldeniæ*, successit *Wilhelmus* Prior ejusdem loci, & *Henricus* Ob. Hen. 2. R. succed. Richard. Tumultus Londini adversus Judæos. Plures ad Episcopatus promoti.

Rich. I. R. *ricus* Abbas de *Stanlia*, ſucceſſit *Wilhelmus* cellararius de *Bordeſlya*. Hoc anno *Fam. & Peſt.* exſtitit magna fames & mortalitas hominum grandis.

MCXC.

1190 *Imperat. & R R. Angl. & Franc. verſus Hieroſ. pergunt.* Anno II. *Richardi* Regis *Anglorum*, motio *Chriſtianorum* ad *Jeroſolimam*. In qua motione primus, & præcipuus exſtitit *Fredericus* Imperator *Romanorum*, & *Philippus* rex *Francorum* & *Richardus* rex *Anglorum*, ſed minime hoc anno illuc pervenerunt. Pervenerunt illuc *Baldwinus* Archiepiſcopus *Cantuarienſis* & *Hubertus* Epiſcopus *Salesburienſis*, & *Ranulfus* de *Glanvilla*, & multi alii Principes & *Imperator ob.* Barones cum ingenti exercitu. Mortui ſunt ibidem Imperator,& Comes *Robertus* II. *Legreceſtriæ*,& *Baldwinus* Archiepiſcopus, & *Wilhelmus* Comes de *Ferariis*, & *Ranulfus* de Glanvil? *Hugo Nonantis* Epiſcopus *Coventrenſis* expulit Monachos de prioratu *Coventrenſi*, & introduxit Canonicos ſeculares. *Wilhelmus Elienſis* Epiſcopus factus eſt Legatus, & Cancellarius in regno *Anglorum*. Obiit *Wilhelmus* Epiſcopus *Wigornenſis*, ſucceſſit *Robertus* filius Dapiferi de *Normannia*.

MCXCI.

1191 *Cyprus & Acaron cap.* Anno III. *Richardi* Regis, Rex *Richardus* cepit *Cyprum* Inſulam, & Principem ejus in vinculis argenteis ſecum adduxit *Jeroſolimam*. *Acaron* capta eſt à regibus *Chriſtianis*, ſcil. *Philippo* & *Richardo*, atque ibidem inter eos orta eſt diſcordia, & ſtatim revertitur in terram ſiuam Rex *Francorum Philippus* cum indignatione magna. Facta eſt Eclipſis ſolis in die Dominica circa horam ſex- *Celeſtin. Pap.* tam. Obiit *Clemens* Papa, ſucceſſit *Celeſtinus*. Obiit *Johannes* Epiſcopus *Exonienſis*. *Robertus* electus *Wigornienſis* ſacratus eſt Epiſcopus, III. Nonas Maii apud *Cantuariam* ab Epiſcopo *Elienſi Wilhelmo*, & Legato. Eodem anno *Gaufridus* electus *Eboracenſis*, filius *Henrici* II. Regis, conſecratus eſt in Archiepiſcopum ab Archiepiſcopo *Turonenſi*, & veniens in *Angliam* captus eſt apud *Doroberniam*, in eccleſia ſancti *Martini*, à *Wilhelmo* Epiſcopo *Elienſi*, qui eo tempore erat Regis Cancellarius, & non multo poſt expulſus eſt idem Cancellarius ab *Anglia*,

MCXCII.

1192 *Richard. R. à Duce Auſtriæ captus.* Anno IV. *Richardi* Regis. Qui rediens ab *Jeroſolimis* menſe Decembre, & per fines *Alemanniæ* tranſitum faciens, in terram ducis *Oſtricenſis* fortuito appulſus, à quo & captus Imperatori *Henrico Alemanniæ* offertur, oblatus cuſtodiæ traditur, cuſtoditus tutiſſime tenetur. Obiit *Reginaldus Bathonienſis* Epiſcopus. Obiit *Wilhelmus* Abbas de *Cumba*, & *Wilhelmus Mirevallis*, & *Ricardus* de Betlesdene. Obiit *Franco* filius *Geldewini* III. Non. Octobris, & *Savaricus* frater ejus factus eſt Epiſcopus *Bathonienſis*.

MCXCIII.

1193 *Pecun. collect. in redempt. Ric. R.* Anno V. *Ricardi* Regis. Detentus eſt *Ricardus* Rex in *Alemannia*, donec pactam pro redemptione ſua pecuniam CM Marcas argenti perſolveret. Tunc primates *Angliæ* hanc colligentes pecuniam, præter laicorum exhibitionem, ſingularium decimaverunt redditus Eccleſiarum. Quicquid vero theſauri & auro, & argento, & lapidibus pretioſis in abbatiis & in aliis inventum eſt Eccleſiis, acceperunt, adeo ut cruces, & feretra decruſtarentur, ſacra etiam vaſa altaris diriperentur. Cum autem apud Monachos ordinis *Ciſtercienſis* more aliorum cœnobiorum non ſunt inventæ auri, argentive poſſeſſiones,totam unius anni Lanam dare compulſi ſunt. Præterea inſurrexit contra Regem *Ricardum* *Johan. Regn. Angl. affectat.* *Johannes* Comes frater ejus cum *Walenſibus*; conatus eſt ſe regem creare; conſilio fretus & auxilio Regis *Philippi Franciæ*. Archiepiſcopi vero, & Epiſcopi, Comites, & Barones ei viriliter reſtiterunt, qui curam regni gerebant. Et obſidione facta apud Windeshores, abſtulerunt ab eo caſtella, & munitiones quas occupaverat, tandem vero videns ſe non profecturum, ſuſpicanſque fratris ſui liberationem, in *Galliam* ſeceſſit; captione & detentione audita Rex *R. Gall. Norman. invadit.* *Galliæ Philippus* gaviſus eſt valde. Et veteri commotus odio,& invidia inſurrexit in *Normanniam*, *Gizorcium* obſedit, quod non vi ſed dolo cepit, traditum à cuſtode caſtelli nomine ſcilicet *Gilleberto* de Gaſcvil. Inde vero progrediens, quippe

quippe cui patria patuit, dum liber ingreſſus patefactus eſt, caſtella circa adjacentia quam plurima vi nulla, ſeditione obtinuit. Hoc anno *Hubertus Salesburienſis* Epiſcopus factus eſt Archiepiſcopus *Cantuarienſis*, & non multo poſt Juſtitiarius totius *Angliæ*. Obiit *Robertus* Epiſcopus *Wigornienſis*, ſucceſſit *Henricus* Abbas *Glaſtonienſis*. Obiit *Wilhelmus* Comes junior de Arundel nativitate Domini. *Rich. 1. R.*

MCXCIV. 1194

Anno VI. *Richardi* Regis. Hoc anno liberatus eſt rex *Richardus* II. Non. Feb. à captione ſua circa purificationem Sanctæ *Mariæ*, quam ei intulit dux *Auſtriciæ* redeunti de terra *Jeroſolimorum*, relictis obſidibus pro ſe, qui veniens in *Angliam* III. Id. Maii receptus eſt cum gaudio magno; Deinde venit Notingham, & caſtellum illud cum cæteris qui fratris ſui erant cepit; & ipſum fratrem ſuum *Johannem*, ſ. cum omnibus qui illi adhærebant exhæredavit. Exinde venit *Wintoniam*, & ibi coronam portauit in Oct. Paſchæ; & poſt adunavit exercitum ſuum, & cito tranſivit in *Normanniam* contra regem *Francorum Philippum*, & obſidionem, quæ erat circa Vernul, fugavit, Caſtellumque Luches nomine cum omnibus qui in eo erant cepit. *Robertus* Comes III. *Legreceſtriæ* captus eſt in terra illa ab hominibus regis *Francorum*. *Henricus* Mareſcallus factus eſt Epiſcopus *Exonienſis*, & *Herbertus* Pauper *Salesburienſis*. Obiit *Wilhelmus* Maldut VI. Non. Octobris, & ſepultus eſt ante oſtium Capituli apud *Waverleiam*. Obiit *Wilhelmus* Abbas *Ciſtercienſis*, ſucceſſit Abbas de valle Sanctæ *Mariæ*. *Rich. R. redempt. Winton. coron.* *In Norman. tranſ.*

MCXCV. 1195

Anno VII. *Richardi* Regis. Præ nimia abundantia pluviarum ſegetes hoc anno pene perierunt. Obiit *Hugo* Epiſcopus Dunelme, & *Henricus* Epiſcopus *Wigornenſis*, *Wilhelmus* Abbas *Geroldoniæ* dimiſit Abbatiam ſuam, ſucceſſit *Reginaldus* Abbas *Mirevallis*, & in loco ejus ſucceſſit *Henricus* ſupprior ejuſdem loci. Obiit *Warinus* Abbas Sancti *Albani*, ſucceſſit *Nicholaus* Prior de Walingford. *Ob. Epiſcop. Dunelm. & Wigorn.*

MCXCVI. 1196

Anno VIII. *Richardi* Regis. Exiit edictum à rege *Richardo Anglorum* ut omnium rerum venalium commercia per univerſum regnum ejus eſſent unius menſuræ, & ponderis, & pretii, panis videlicet, vinum, & cerviſia. violata ſunt induciarum fœdera inter *Chriſtianos*, & Paganos. Paganis primum irrumpentibus, & diripientibus caſtra *Templariorum*, & hoc in die Paraſceues. Civitas *Acharon* obſidetur, & ad tantam penuriam deducitur, ut in nullo præter in ſale, & aqua abundaverit. *Johannes* de *Conſtantiis* Decanus *Rotomagi* factus Epiſcopus *Wigornenſis*. *Johanna* vidua *Wilhelmi* Regis *Apuliæ*, ſoror *Richardi* Regis *Anglorum*, connubio ſtabili jungitur Comiti Sancti *Egidii* apud *Rotomagum*, ubi & nuptiæ factæ ſunt. Hoc anno amotus eſt *Chriſtophorus* Abbas *Waverleiæ* à villicatione ſua, ſucceſſit *Johannes* Hoſpitalis, Monachus ejuſdem loci. *Reginaldus* Abbas *Geroldoniæ* graviter vulneratus eſt in infirmitorio ſuo nocte, propter quod miſſum eſt per generale capitulum *Ciſtercii*, ut omnes converſi ejuſdem loci diſpergerentur. *Philippus* Clericus Regis factus eſt Epiſcopus *Dunelmenſis*. Obiit *Wilhelmus* Comes *Salesburienſis*. Ventus vehemens à mane uſque ad horam IX. III. Non. Novembris, *Ponderum & menſurar. reformat.* *Acaron obſidetur.* *Converſi Ord. Ciſterc. amoventur.*

MCXCVII. 1197

Anno IX. Regis *Richardi* Obiit *Henricus* Imperator *Alemanniæ*, & *Wilhelmus* Epiſcopus *Elienſis* Cancellarius Regis *Richardi*. Obiit *Wilhelmus* de Venuz V. Kalend. Maii. *Ob. Henr. Imper.*

MCXCVIII. 1198

Anno X. Regis *Richardi*. Præcepit idem Rex omnes cartas in regno ſuo emptas reformari, & novi ſigilli ſui impreſſione roborari, vel omnes caſſari cujuſcunque dignitatis, aut ordinis eſſent, qui vellent ſua protectione defenſari, vel univerſa bona ſua confiſcari. Hoc anno obiit *Celeſtinus* Papa, ſucceſſit *Innocentius*, & quatuor Epiſcopi in regno *Anglorum* obierunt, *Richardus Londonienſis*, *Cartæ de novo ſigill.* *Innocent. Pap.*

Johan. R. *nienſis*, *Johannes Wigornenſis*, *Petrus* de Sancto *David*, & *Hugo Nonantis Coventrenſis*, qui Monachos de prioratu de ſede ſua expulit, ſed ſtatim poſt mortem ejus ſunt reverſi. *Euſtachius* factus eſt Epiſcopus *Elienſis*, & *Gaufridus* de Muſcamp *Coventrenſis*. *Wilhelmus* Abbas de Betleſdene depoſitus eſt, & *Adam* Cellararius de *Brueria* ſucceſſit.

Oto. Imper. *Oto* minor filius *Henrici* ducis *Saxoniæ*, nepos *Richardi* Regis *Anglorum* electus eſt in Imperatorem *Alemanniæ*. Tempeſtas maxima XIII. Kalend. Auguſti hora meridiana, pluviæ, tonitrui, coruſcationum, & grandinis.

1199 MCXCIX.

Ric. R. Angl. ex vulnere moritur. *Richardus* illuſtris Rex *Anglorum* apud caſtrum *Limovicenſe* ſagitta percuſſus VII. Kal. Aprilis, XII. dies ſupervixit; tandem mortuus eſt VIII. Id. Aprilis, & ſepultus ad pedes patris ſui in monaſterio Sanctimonialium fontis *Ebraldi*, IV. Id. Aprilis, apud caſtrum *Limovicenſe* de Caluz.

Chriſte, tui calicis prædo fit præda Chalucis,
Ære brevi ruit is, qui tulit æra crucis.

Johannes ſuccedit. Cui ſucceſſit in regnum *Johannes* frater ejus, qui die aſcenſionis Dominicæ ſexto videlicet Kalend. Junii, proxima poſt ejus obitum, *Londonis* coronatus eſt à Domino *Huberto* Archiepiſcopo *Cantuarienſi*. *Hugo* Abbas Radingis, factus eſt Abbas *Clumacenſis*, vir. magnæ religionis, & honeſtatis vitæ. *Safridus* Epiſcopus *Ciceſtrenſis* dedicavit Cathedralem Baſilicam ſedis ſuæ cum VI. Epiſcopis aliis, menſe Septembri. *Wilhelmus de Eccleſia Sanctæ Mariæ* factus eſt Epiſcopus *Londonienſis*. *Richardus* Abbas de *Bordeſleia* dimiſit Abbatiam ſuam: Succeſſit *Wilhelmus* de *Stanleia*.

1200 MCC.

Johan. Iſabellam Engol. ducit in uxorem. Anno II. *Johannis* Regis *Anglorum*: *Johannes* Rex *Angliæ* deſponſavit Iſabel filiam Comitis *Engolemenſis*, & ſtatim poſtea fecit eam coronari apud *Weſtmonaſterium* à Domino *Huberto Cantuarienſi* Archiepiſcopo, VIII. Id. Octobris.

Pax inter RR. Angl. & Franc. R. Franc. Reginam recipit. Item matrimonium inter *Lodowicum* filium *Philippi* Regis *Francorum* & filiam Regis *Hiſpaniarum* cognomine parvi, neptem ſcilicet *Johannis* Regis *Angliæ*, qui deſponſavit eam apud *Rotomagum*. Pax compoſita eſt inter *Philippum* Regem, & *Johannem Angliæ*. Regina *Franciæ* filia Regis *Daciæ* recepta eſt thoro mariti ſui *Philippi* Regis *Franciæ*; & adultera ſuperinducta, ſcilicet filia Ducis *Auſteriæ*, juſſu Apoſtolico repudiata eſt condigne. Gallia, miſſarum ſollemnitatibus deſtituta, lætatur ſuam cum Divinis recepiſſe Reginam. Nundinæ ſunt ſtatutæ apud *Lameiam* per *Hubertum* Archiepiſcopum *Cantuarienſem*. Item forum inſtauratum eſt apud Walresford per *Godefridum* de Luci Epiſcopum *Wintonienſem*, appellavitque nomen villæ, novum forum. Obiit *Hugo* Epiſcopus *Lincolnienſis* & *Johannes Norwicenſis*, ſucceſſit *Johannes* de Grai. *Egidius* filius *Wilhelmi* de Breauſe factus eſt Epiſcopus *Herfordenſis*, *Savaricus* Epiſcopus *Bathonienſis* obtinuit in cauſa apud *Romam* contra Monachos

Wido fit Cardinalis. *Glaſtonienſes* ſuper Abbatia eorum. Hoc anno electus eſt *Wido* Abbas *Ciſtercienſis* in Cardinalem *Romanæ* Eccleſiæ & Epiſcopum *Preneſtinum*.

1201 MCCI.

Anno III. *Johannis* Regis *Anglorum*. Sanctus *Wulſtanus* Epiſcopus *Wigornenſis*, & ſancta *Modwenna* virgo, quæ pauſat in Abbatia de *Burtuna*, quæ ſita eſt ſuper ripam fluminis quod dicitur *Trenta*, hoc anno clarent multis, & magnis miraculis. Hoc anno miſſi ſunt legati, & viri religioſi à Papa *Innocentio*

Iter Hieroſolymit. prædicare, & injungere iter *Jeroſolymis* in remiſſione omnium peccatorum; unde factum eſt ut innumerabilis multitudo *Chriſtianorum* illud iter arriperet. Idem vero Papa cum ab ordine *Ciſtercienſi* ad illud iter pecunias violenter exigeret, à beata *Maria* ejuſdem ordinis advocata cum minis admonitus ab hac

Inund. magna. exactione quievit. Tempeſtas exorta grandinis, & pluviæ poſt octavas Sancti *Johannis* Baptiſtæ, id eſt VIII. Id. Julii, die decima, hora VI. luna IV. domos cum ſuis habitatoribus per loca, ſegetes, & fœnum, & limum ex magna parte delevit.

delevit. Abbatia vero de *Waverleiia* ex harum inundatione aquarum pene submersa vehementer est periclitata, Obiit *Johannes* Abbas Waverley VI. apud *Mertonam*, XVI. kal. octobris; successit Cellararius ejusdem loci, ejusdem nominis VII. abbas.

Johannis R. Ob. Abb. Waverl.

Hoc scriptum Simonis certum facit, ecce! futuris,
Qui fuit insignis Abbatis vita Johannis;
Corpore castus erat, simplex, sermone modestus,
Mitis mente, pius, humilis, devotus, honestus,
Compatiens miseris, jocundus corde, benignus:
Unde fuit tanti pastoris nomine dignus,
Omnibus in annis Abbatis certa Johannis
Virginis Eufemiæ mors memorata die

Dunkewelle fundata est. Capella de infirmitorio dedicata est VIII idus Novembris a domino Ablino Episcopo *Ternensi Hiberniæ*, monacho ordinis *Cistercensis*.

Abb Dunkewell. fund.

MCCII.

1202 Obsessa est Alienor Regina mater *Johannis* Regis in partibus *Pictaviæ*, apud castellum quod dicitur Mirabel, ab *Gaufrido* de Lizenan, & *Hugone* cognomento Le Brun. Eo adunata multa, & electissima manu militum, in quorum auxilium misit *Phillippus* rex *Francorum Arthurum* filium *Gaufridi* Comitis *Britanniæ*, filium videlicet obsessæ Reginæ cum grandi exercitu, & manu militari prævalida. Quod audiens *Johannes* Rex *Anglorum* in *Normania* constitutus, statim de nocte consurgens, & concito cursu illuc pervolans, insperatis hostibus supervenit, circumfusoque exercitu facta congressione factus superior solvit obsidionem, & intra muros ipsius oppidi præmisso trino bellico conflictu, in quo Rex strenuissime se agens hostes universos comprehendit, & spolia eorum distribuens, quosdam ex illis in *Angliam* transmittens, acriori custodiæ carceris mancipavit *Arturum* nepotem suum, & alios, qui caput belli esse videbantur, in *Normannia* incarceravit. Quo facto *Phillippus* Rex *Franciæ* in spiritu furens recessit ab obsidione castelli de Arches. Eodem anno a carcere, et captivitate liberati sunt *Hugo* Le Brun, & *Gaufridus* de Lizenan, datis obsidibus de terris & castris suis reddendis, & de firma pacis confœderatione. Per *Hubertum* Archiepiscopum, *Cantuariensem*, & alios Episcopos coacti sunt cruce signati totius *Angliæ* crucem resumere. Missus est Abbas de *Firmitate* a domino Abbate *Cistercìensi* in *Angliam*, ad suscipiendum Regium castrum de Ferndune cum omnibus pertinentiis suis. Quia *Johannes* Rex ad constituendam Abbatiam de ordine *Cisterci* inspiratione divina præventus, biennio ante ipsius Abbatis adventum apud *Lincolniam* constitutus concesserat. Ex superabuntia pluviarum anni præteriti seges ægre provenit, unde semen corruptum tantam sterilitatem fecit, ut summa frumenti quam equus portare consuevit, carius quam pro duodecim solidis in *Anglia* venderetur.

Johan. nepotem Arthurum & alios capit.

Sterilitas max.

MCCIII.

1203 Dominus *Wilhelmus* de Bradewatere cœpit jacere fundamentum novæ Ecclesiæ Beatæ *Mariæ* de Waverley, XIIII. Kalendis Aprilis, feria quarta. Sacerdos quidam *Rogerus* dictus, publice, & sollemniter sæpius excomunicatus, quia in Ecclesia de Boscham suspensa, contra prohibitionem Episcopi Diocesani, & Archidiaconi sui divinum celebravit officium, manum apposuit ad minuendum sanguinem cuidam mulieri de Boscham, quæ in principio fluxus sanguinis statim resoluta inter manus sacerdotis excomunicata expiravit. Magister *Wilhelmus* de Bleis electus *Lincolnensis*, consecratus est in Ecclesia *Cantuariensi* à *Wilhelmo* Episcopo *Londonensi*, contendente cum *Gileberto* Episcopo *Roffensi*, & vendicante jus consecrandi, ratione Decanatus provinciæ; *Gileberto Roffensi* ratione Capellaturæ Domini *Cantuarensis*. Tunc Archiepiscopus *Cantuarensis* gravi infirmitate detinebatur. Obiit *Radulfus* Abbas de *Fontibus*, successit ei

Sacerdos excommunicat.

Johannes

Johan. R. Johan. in Angl. ven.

Johannes Abbas de Parche. Obiit *Wilhelmus* Abbas Reival, et successit *Gaufridus* Monachus ejusdem loci. *Wilhelmus* de Stutevile, & *Hugo Bardulfus* obierunt. *Johannes* Rex ad festum sancti *Nicholai* venit in *Angliam*, aliquot castris terrarum suarum rege *Francorum* expugnatis; & postea in brevi occupavit Rex *Franciæ* per *Normaniam*, *Aquitaniam*, & omnes terras Regis *Angliæ* ultra mare. Fames magna, & mortalitas hominum fuit. Hoc anno dispersi sunt Monachi de Waverley per diversa cœnobia pro nimia frugum penuria. *Gaufridus* Prior *Lantomensis* factus est Episcopus sancti *David* in octavis sancti *Andreæ*.

Rex Franc. Normanniam occupat. Fames & Pestis.

MCCIIII.

1204 *R. Franc. cast. de Rupe cap. Normann. & Andegav. vincit.*

Ultimum pascha. *Philippus* Rex *Francorum* non modico stipatus exercitu castro cuidam in *Normania*, quod *Rupes Insula* nominatur, advenit, virumque venerabilem *Rogerum* de Laci cum suis in eo undique obsedit, ut à nulla parte potuit eis auxilium provenire, neque eis licitum fuit alicubi fugam arripere. Obsessus vero per unius fere anni circulum cum omnis resistendi copia excluderetur, & invalescente fame, ita ut eorum corpora pene viderentur esse consumpta. Muris undique dirutis tandem sese Regi *Philippo* subdiderunt. Sicque præfatus *Rogerus* cum militibus * sanctæ Associetati vinculis enormiter mancipatus est. Tandem se suosque sex marcarum millibus redemptus gratulabundus in *Angliam* remeavit. His ita gestis Rex *Francorum* universam *Normaniam*, & *Andegaviam* Ditioni suæ subjugavit, seditione *Wilhelmi* de Humat, qui sub Rege *Johanne* totius *Normaniæ* gubernaculum obtinuit, *Johanne* Rege in *Anglia* moram faciente. Rex *Johannes* quandam Abbatiam de ordine *Cisterci* construxit, quod *Bellum Locum* nominavit. Prope locum ubi *Wilhelmus* rex *Ruffus* occisus est. *Robertus* Comes *Leicestriæ* obiit. *Saufridus* Episcopus *Cicestriæ*, qui Ecclesiam *Cicestrensem* post incendium magnum sumptibus innumeris reædificavit, obiit. Succeslit *Simon* Archidiaconus de Welles. Alienor Regina obiit Kalendis Aprilis. *Godefridus* Episcopus *Wintonensis* obiit II. idus septembris. *Radulfus* Abbas *Elemosynæ* & *Wilhelmus* Abbas Bordesly obierunt.

Alienora. Regin. ob.

MCCV.

1205 *Joan. trans fretare parans ab optimat. detinetur.*

Hoc anno hiems gravissima fuit gelu, & nivibus, à nativitate domini usque ad Aequinoctium. Ubertas tamen fructuum subsecuta est. Facta est turbatio magna in regno per tonsuram sterlingorum. *Johannes* Rex infinitum convocavit exercitum militum,& peditum & magnam multitudinem navium apud Portesmue circa principium Jejunii,quanta non fuit in uno loco congregata in *Anglia*. Sed consilio Huberti Archiepiscopi Cantuariensis & Magnatum Anglorum quam plurimorum impeditum est iter ejus propositum transfretandi, sicque solutus est cœtus tum hominum quam navium, Rege in *Anglia* moram faciente. Obiit *Petrus* Capellanus de Colechurch, qui inchoavit pontem Lapideum *Londonensem*, & sepultus est in capella super Pontem. *Hubertus* Archiepiscopus *Cantuariensis* obiit III. idus Julii. *Savaricus* Episcopus *Bathonensis* obiit. *Petrus* de *Rupibus* Clericus curialis, Regis *Johannis* familiaris ad Episcopatum *Wintonensem* per Regem *Johannem* electus, *Romam* adiit, consecratus rediit; mandatum domini Papæ secum attulit ad Episcopos *Angliæ* directum, continens quod singuli sacerdotes parochiales, per parochias suas à singulis domibus inhabitantis à quibus ignis exit, singulos accipiant denarios sancti *Petri*, domos etiam, & denarios certo scripto commendent. Denarios cum scriptis Decanis tradant, Decani Archidiaconis, Archidiaconi Episcopis, Episcopi *Petro Wintoniensi* Episcopo: sed ab *Huberto* mandatum non est admissum vel à regno, vel à sacerdotio. In Ecclesia *Lincolniensi* interfectus fuit *Wilhelmus* De Bramford subdecanus ejusdem Ecclesiæ à quodam clerico, qui fuerat Vicarius ejusdem Ecclesiæ, ante altare beati *Petri*, VII. kalendis Octobris: idem autem clericus in eadem Ecclesia à servientibus prædicti subdecani, & aliis statim membratim discerptus est, & extra Exclesiam tractus extra urbem suspensus est, quod totum factum est in Dominica, Dominicali litera B. *Johannes* de

Denarii S. Petri solvi prohib.

de Grai Episcopus *Norwicensis* electus est ad Archiepiscopatum *Cantuariensem* à monachis ejusdem ecclesiæ, & in eadem ecclesia, nullo Episcopo præsidente, assentiente, vel præsente * collocarunt. *Rich. I. R. Ep. Nor. fit Arch. Cant.*

MCCVI. 1205

Johannes Florentius Diaconus Cardinalis venit Legatus in *Angliam*, celebravitque concilium apud *Redinges*. *Jocelinus* Episcopus *Bathoniæ* consecratus est apud *Redinges* in die Sanctæ Trinitatis. Obiit *Henricus* Episcopus *Exoniensis*. Obiit *Wilhelmus* de Bleis Episcopus *Lincolniæ*. Uacante tam sede *Cantuariense*, quam sede *Lincolniæ*. *Johannes* Rex cum exercitu multo mare ingressus est apud Portesmue, transitum faciens ab *Anglia* in *Pictaviam* ivit; in adjutorium ejus convenerunt multi viri potentes, & exercitus multus militum & aliorum armatorum, ejusque iter & actus ita prosperavit Deus ut multas sibi subjugaret civitates, castra, & munitiones. Armata etiam manu multos cepit milites & plures eorum misit in *Angliam* incarcerandos. Non multo post inter Regem *Franciæ Philippum* & Regem *Angliæ* acceptis treugis per biennium, & pluribus obligationibus confirmatis, venit Rex in *Angliam* ante Natale Domini cum turba multa militum præcedentium & subsequentium. *Joan. in Pictaviam transfretat.* *Joan. in Angl. red.*

MCCVII. 1207

Rex *Johannes* post reditum suum a transmarinis, convocatis Episcopis, Abbatibus, & Prioribus, Comitibus, & Baronibus, & Magnatibus regni celebravit concilium *Londoniis* in octavis Circumcisionis; ibique convenit Episcopos & Abbates, ut permitterent personas & beneficiatos Ecclesiarum dare regi certam summam redituum suorum. In quod cum non consentirent Prælati Ecclesiarum, data est dilatio usque ad sequens concilium celebrandum *Oxoniæ* in octavis Purificationis beatæ *Mariæ*, ibique congregata infinita multitudine Prælatorum Ecclesiæ & Magnatum regni; exegit ab Episcopis & Abbatibus quod prius exegerat ab eis. Sed consilio inito omnes tam *Cantuarienses* quam *Eboracenses* Metropolitæ unanimiter responderunt, *Anglicanam* Ecclesiam nullo modo sustinere posse, quod ab omnibus seculis prius fuit inauditum, Rex ergo saniori usus consilio exactionem illam penitus relaxavit. Postea generaliter statuit per universum regnum, ut omnes homines de cujuscunque feudo, jurarent pretium catellorum suorum de immobili & mobili, & de suis darent decimam tertiam partem Regi, ad recuperandam hæreditatem suam in *Normannia* & in aliis terris suis. Ad quam colligendam misit ministros suos per universos comitatus *Angliæ*: Ab hac exactione liber fuit ordo *Cisterciensis*. Magister *Stephanus* de Langeton Apostolicæ sedis Cardinalis in Archiepiscopum *Cantuariensem* per Priorem & Monachos Ecclesiæ Sanctæ Trinitatis, contra voluntatem Regis, in curia *Romana* est electus, & apud *Viterbium* à domino Papa *Innocente* tertio consecratus xv. Kal. Julii. Qua propter Prior & Conventus *Cantuariensis* sunt expulsi in transmarinas partes exules. Totum vero Archiepiscopatum Rex in manu sua detineri fecit, prohibens ne aliqua ejus terra in culturam redigeretur. Natus est *Henricus* primogenitus filius *Johannis* Regis in die sancti *Remigii* apud Wanton. Obiit *Simon* Episcopus *Cicestrensis* apud sanctum *Egidium*. *Gaufridus* Archiepiscopus *Eboracensis* ab Ecclesia sua & à regno recessit propter prædictam exactionem, & ideo confiscavit Rex omnia bona sua. Facta est hoc anno prohibitio domini Regis, ne placita domini Papæ, in Anglia teneantur. Obiit *Joselinus* Episcopus *Bathoniæ*, cui successit magister *Simon* de Welles. Et tempore brevi sequenti *Hugo* Archidecanus de Welles, frater ejusdem *Simonis* senior, ad Episcopatum *Lincolniæ* promotus in transmarinis partibus consecratur. *Joan. decimam tertiam regni extorquet.* *Steph. Langton fit Archiep. Cant.*

MCCVIII. 1208

Excluso ab Ecclesia *Cantuariensi* & à Regno *Angliæ Stephano* Archiepiscopo, & cunctis Monachis, terrisque eorum sub tyrannica custodia *Reginaldi* de Cornhulle & *Fulconis* de Cantelu omnino incultis, dominus Papa Innocens tertius sæpius scripsit Regi *Angliæ Johanni* primo affectum monens & benigne supplicans, ut Archiepiscopum in curia *Romana* canonice electum, & ab eo conse-

 cratum

Johannis R. cratum admitteret, & Monachos ejectos redire permitteret. Scripsit etiam tam Papa, quam Archiepiscopus Suffraganeis *Cantuariæ Angliæ*, ut omnibus quibus possent modis Regem inducerent ad parendum petitioni domini Papæ. Tandemque post multas petitiones tam Regi quam Episcopis factas, cum nullatenus exaudiri possent, auctoritate domini Papæ injunctum est Episcopis totius regni, ut ni Rex *Archiepiscopum* & Monachos admitteret, per universam *Anglicanam* Ecclesiam interdictum generale facerent totius officii divini, præter baptisma parvulorum & pœnitentias morientium. Hujusque mandati speciales executores facti sunt *Willielmus Londinensis*, *Eustachius Eliensis* & *Maugerius Wigorniensis* Episcopi. Qui accepto hoc mandato sæpius convenerunt Regem, aliquando & flexis genibus & lacrimis, ut misertus *Anglicanæ* Ecclesiæ Archiepiscopum *Stephanum* permitteret ad Ecclesiam suam *Cantuariensem* redire, plura & literarum ostendentes eis à domino Papa, & ab Archiepiscopo transmissa super hoc negotio. Sed cum induratum cor ejus non eos exaudiret, exhibuerunt ei mandatum domini Papæ de vniverso interdicto divini officii per Ecclesiam *Anglicanam* faciendo, nisi Archiepiscopum admitteret. Tandem pluribus dilationibus datis regi de interdicto pernunciando, eoque sæpe in contumacia persistente, proxima die lunæ post dominicam, qua cantatur, *isti sunt dies*, scilicet in vigilia Annuntiationis dominicæ IX. kal. Aprilis, indictum est generaliter interdictum divini officii, & ostia Ecclesiarum clausa authoritate domini Papæ. Rex igitur, hoc edicto generaliter pernunciato per *Angliam*, miro modo turbatus præcepit confiscari per universum regnum suum omnes possessiones Episcoporum & Clericorum & virorum religiosorum, & omnia bona Ecclesiastica & misit per singulas provincias ministros suos tam clericos quam laicos, ad confiscanda bona Ecclesiarum. Qui circumeuntes regionem saisiaverunt bona clericorum mobilia & inmobilia intra & extra, committentes curam rerum illarum in singulis villis vicinis hominibus, per quorum manus clerici perciperent de rebus suis necessaria; Pluribus & in locis serras appenderunt in horreis clericorum. Propter hæc ergo enormia peccata, præcepto Episcoporum data est sententia excommunicationis per omnes Ecclesias *Angliæ* majores & minores, in omnes eos, qui manus violentas injicerent in possessiones Ecclesiasticas, exceptis personis Regis & Reginæ & Justitiarii domini Regis. Cum ergo ad tam lacrimabiles petitiones Episcoporum nullo modo posset revocari à tanta sævitia, mare transierunt primo *Wilhelmus Londinensis*, *Eustachius Eleensis*, *Gauffridus Roffensis*, postea *Maugerus Wigornensis*, & *Egidius Herefordensis*. Nec dum sedata est Regis ira sed acrius exacerbata. Militibus & ministris ad confiscanda bona Ecclesiastica & clericorum missis, præcepit ut concubinas & focarias & amasias presbyterorum & clericorum inventas comprehenderent, & detinerent, quoadusque a presbyteris & clericis pecuniæ redemptione redimerentur, quod & factum est. Episcopis in transmarinis moram facientibus, Rex Abbates & alios nuncios misit propter Archiepiscopum, ut veniret in *Angliam*: sed non ut Archiepiscopus. Quod cum diffuasum esset Archiepiscopo, mandavit tribus Episcopis *Londinensi Eliensi*, *Wigornensi*, ut venirent in *Angliam*, qui vocati venerunt, & per octo hebdomadas expectantes præsentiam Regis tandem infecto negotio redierunt.

Anglia interdicitur.

Joann. Clericorum bona confiscat.

Dux Saxon. in Angl. venit.

Flagrante maleficio isto venit *Henricus* Dux *Saxoniæ* in *Angliam* ad avunculum suum Regem *Johannem*, supplicans pro pace Ecclesiæ reformanda & pro Archiepiscopo reconciliando. Postea scripsit Rex *Otho* Regi *Johanni* & pro pace Ecclesiæ & pro Archiepiscopo reconciliando. Postmodo vero misit rex in *Alemanniam* ad *Othonem* quatuor magnos viros, post quorum reditum cœpit Rex animum suum aliquantulum mitigare & temperare versus Ecclesiam. Dominus Rex egit in exilium *Wilhelmum* de *Breosa* cum uxore sua & filiis, & totam substantiam suam & terram occupavit.

Philippus Dunelmensis & *Gaufridus Coventrensis* Episcopi obierunt.

1209 MCCIX.

Post ejectionem *Willielmi* de Breose cum uxore sua & * modica à regno *Angliæ*,

Angliæ, Rex cum exercitu magno intravit *Walliam* ad expugnandos Reges duos qui ſibi invicem adverſabantur. Eodem anno Rex cum infinito exercitu proficiſcitur verſus *Scotiam* contra Regem, qui dicebatur fœdus iniiſſe cum inimicis ſuis, ſed cito revertitur, pace inter eos firmata, datis duabus filiabus Regis *Scotiæ* obſidibus Regi *Anglorum*. Liberi homines per totam *Angliam* Regi ligantiam faciunt. Rex ut diximus contra Regem *Scotiæ* progrediens, miſit nuncios *Doroberniam*, ſcilicet Epiſcopos & Comites & Archidecanos & Barones, ut ibi occurrerent tribus Epiſcopis *Londonienſi*, *Elienſi*, *Wigornenſi*, executoribus Domini Papæ, propter quos Rex & Juſtitiarius litteras ſuas tranſmiſerant, ut venirent, tractaturi de pace Eccleſiæ & Domini Archiepiſcopi. Venientes autem Epiſcopi in *Angliam* Cantuariæ occurrerunt magnatibus à Rege miſſis, qui ibi per aliquot dies moram facientes de pace ſacerdotii & regni tractaverunt, pacemque formaverunt, & formam pacis ſcripſerunt, ſigilla ſua ex utraque parte appendentes. Redeuntibus ergo nuntiis ad Regem facta eſt reſtitutio maneriorum Domino Archiepiſcopo & quatuor Epiſcopis *Londonienſi*, *Elienſi*, *Wigornenſi*, *Herefordenſi*, & eiſdem quatuor Epiſcopis, & Archiepiſcopo ſingulis centum libras * principium reſtitutionis ablatorum. Revertentibus ergo prædictis nuntiis cum forma ſcripta, à Rege ad Epiſcopos, per eos denuntiatum eſt Epiſcopis, formæ præſcriptæ pacis aliquem articulum diſplicere regi, ſcilicet de integra reſtitutione ablatorum. Epiſcopi vero noluerunt illum articulum aut aliquem alium de præſcripta forma mutare, ſed breviſſimas litteras ſcripſerunt Regi, quarum continentia erat, quod ſi Dominus Rex & ſui integre reſtituerent ablata Eccleſiis & Eccleſiaſticis viris omni occaſione poſt poſita, adducerent Dominum Archiepiſcopum ad Eccleſiam ſuam, & hoc modo ab invicem receſſerunt, data dilatione, ſententiæ in perſonam Regis uſque in oct. Sancti Michaelis. Poſtea modico elapſo tempore miſit Archiepiſcopus ſeneſcallum ſuum *Alexandrum* ad Dominum Regem, quem benigne audivit, & muneribus ditatum remiſit. Non multo poſt miſit Rex propter Archiepiſcopum, mandans ut cum eo loqui veniret *Doroberniam*, & de ſecuritate tuti conductus litteras patentes ei miſit, & multos & magnos viros regni conſtituit fidejuſſores de ſecuro conductu, de quo omnes illi litteras ſuas ſcripſerunt patentes, & ſe fidejuſſores conſtituerunt. In hac ſecuritate promiſſa venit Dominus Archiepiſcopus *Doveram* VI. nonis Octobris, cum duobus Epiſcopis *Londinenſi* & *Elienſi*, quorum adventu nunciato Regi, Rex cum multis & magnis viris occurrens venit **Chileham**, & inde miſit juſtiarium ſuum, *G.* filium *Petri* cum Epiſcopo *Wintonienſi*, *Petro* & multis aliis magnis viris, per quos petiit ab Archiepiſcopo & Epiſcopis aliquos articulos, quos ipſi non ad miſerunt, nolentes recedere à forma pacis prælocuta inter nuntios Regis & Epiſcopos executores; quod quia Domino Regi non placuit, Dominus Archiepiſcopus cum ſuis, in conductu Juſtitiarii, & *Wilhelmi Briweriz*, & aliorum qui ſecuritatem ei promiſerant veniendi & recedendi transfretavit. Poſtea miſit rex nuntios propter Archiepiſcopum & quatuor mille marcas miſit *Londinum* ad templum novum cuſtodiendas, donec reddantur Archiepiſcopo ad reſtaurationem ablatorum ſuorum: ſed nec Archiepiſcopus nec Epiſcopi per nuntios illos venire voluerunt. Præterea miſit Rex *Johannem* filium *Hugonis* apud *Ciceſtriam* in craſtino omnium ſanctorum, qui præcepto Regis miſit duos milites per totam *Suſſexiam* ad ſaiſiandos omnes redditus Nigrorum Monachorum in manus Regis, & ad faciendam æſtimationem omnium redditum ſuorum, ita tunc quod Monachi perciperent neceſſaria victui per manum laicorum. *Otho* filius Ducis *Saxoniæ* nepos Regis *Johannis* proxima dominica poſt feſtum Sancti *Michaelis* diademate Imperiali coronatus eſt *Romæ* à Domino Papa *Innocente* III. & cito inter Imperium & ſummum Pontificem orta eſt diſcordia. *Hugo* Archidecanus *Wellenſis* eligitur in Epiſcopatum *Lincolnienſem*, & *Henricus* Archidiaconus de **Stafford** in Epiſcopatum *Exonienſem*.

Johannis R. Johan Wall. intrat, ducit exercit in Scot.

Tractatur de Rege & Archiep. reconcil.

Otho Imper Romæ coronat.

Menſe Januarii apud **Winton**, peperit Regina **Iſabel** filium ſecundum, qui vocatur *Richardus*.

Johannis R. 1210

MCCX.

Joan. pecuniam extorquet. *Johannes* Rex ſub prætextu recuperandæ *Normanniæ* & aliarum terrarum quibus eum Rex *Franciæ Philippus* ſpoliaverat, inæſtimabilem & incomparabilem fecit pecuniæ numeratæ exactionem, nullis viris Clericis vel laicis, nulli religioni cujuſcunque ordinis parcens. Monachi vero Nigri & Canonici Hoſpitalarii & Templarii circa Paſcha ſingulariter finem fecerunt.

Doveram adit. Idem *Johannes* Rex miſit litteras ſuas & magnatum *Angliæ* ſignatas propter Archiepiſcopum & nuntios intercurrentes, ſed non venit, miſſis itaque multoties nuntiis cum litteris magnatum de ſecuro conductu, Rex in propria perſona venit *Doveram* ut Archiepiſcopo occurrat, ſed audito quod nullus magnatum, qui per litteras ſuas Archiepiſcopum convocaverant, cum Rege venerat, non venit Archiepiſcopus. Unde Rex plurimum motus à *Dovera* Judæos vexat. receſſit. Rex captivavit omnes *Judæos* per totam *Angliam* & ſpoliavit eos catallis ſuis uſque ad valentiam LXVI. Marcarum.

Transfretat in Hibern. Idem rex collecto multo exercitu in menſe Junio transfretavit in *Hiberniam*, & hoſtibus ad votum ſubactis, dimiſſis ibi Epiſcopo *Norwicenſi*, *Johanne* de Gray, & *Wilhelmo Mareſcallo*, menſe Septembri nimis infeſtus omnibus viris Ordinem Ciſtercienſem vexat. *Ciſtercienſis* ordinis rediit, convenerat enim eos antequam transfretaret, ſicut & cæteros, de auxilio ipſi præſtando contra inimicos ſuos, & qui iidem *Ciſtercienſes* pecuniam ei ad libitum ſuum contra libertatem ordinis ſui dare noluerunt, in immenſum eos afflixit, & à ſingulis domibus breviſſimo temporis ſpatio indulto, multum valde cenſum * Rex, ut ſummam XXXIII. & CCC. Marcarum collectio illa excederet. Ipſi vero per diverſas domos Monachorum & Canonicorum diſperſi ſunt. *Waverleia* vero, omnibus facultatibus ſuis diſtractis & ablatis, facta ſimiliter diſperſione Monachorum & Converſorum circumquaque per *Angliam*, Regis iram patienter ſuſtinuit. Abbas ejuſdem loci *Johannes* tertius timore Regis perterritus domum ſuam reliquit, & de nocte latenter aufugit, acta ſunt circum feſtum beati *Martinii*. Prohibuit etiam Rex ut nullus de ordine *Ciſtercienſi* transfretaret, aut de alienis in *Angliam* veniret.

Præcepit Rex omnia nemora Archiepiſcopatus *Cantuarienſis* vendi & dari, & funditus eradicari, ut nulla ſupereſſet arbor. Eodem tempore *Matildis* Uxor Will. de Breuſe fame perit. matrona nobilis cognomento de Lahaie, uxor *Wilhelmi* de *Breoſa* cum *Wilhelmo* filio ſuo milite & Hærede, Regis *Johannis* præſentiam fugiens in *Galwaitha* capta eſt, & ejuſdem ferali Regis imperio juſſa eſt diro ergaſtulo recludi apud Windeſhores ; in quo aliquandiu tenebroſi carceris caligines & ſqualores perpeſſa, tandem fame & ſiti cruciata miſerabiliter vitam finivit, *Wilhelmus vero* de *Brauſa* maritus ejus, fugiens apud Sorham devenit, & ibidem mutatis veſtibus, quibus mendicus cladeſtine transfretavit, & non multo poſt apud Paris obiit.

Otho Imp. excommunic. *Otho* Imperator invadens Regnum *Siciliæ* contra *Frethericum* Regem tutelæ Eccleſiæ *Romanæ* derelictum, & alia patrimonia ejuſdem Eccleſiæ contra juramentum & ſcripta ſua & alia munimenta, excommunicatur a ſummo Pontifice, & hoc notificato *Alemanniæ*, omnes à fidelitate ipſius abſoluti.

Variis infirmitatibus homines per *Angliam* vexantur & multi moriuntur.

1211

MCCXI.

Portus Angl. clauſi. *Johannes* Rex pene omnes portus *Angliæ* prohiberi fecit, ne quem trans mare portarent nec venientem admitterent. Idem contrario mandato præcepit per totam *Angliam*, ut omnes tam Epiſcopi quam Clerici redditum haben-Joan. in Wall. pergit. tes in *Anglia*, & extra Regnum exiſtentes, infra quindenam Sancti *Johannis* Baptiſtæ redirent, aut ei ſuis in *Anglia* redditibus privarentur. Rex cum magno exercitu pergit in *Wallıam* contra *Levelinum* generum ſuum uſque ad Snaudon. Redeunte illo ad pacem, & præſtita inde ſecuritate, occurrit Rex nuntiis Domini Papæ, quos impetraverunt mitti in *Angliam*, ob reformandam pacem inter regnum & ſacerdotium ; ſed quia pactis ſtare noluit, nil tunc de negotio Eccleſiæ actum eſt. *Saraceni* multi applicuerunt in *Hiſpania*, & terram ipſam

Johannis R.

ſam violenter occupare cœperunt. Martyrizatus eſt Sanctus *Simon* in *Vecte* Inſula, ad cujus tumbam creberrime miracula fiunt. Hortante Domino Papa populus *Chriſtianus*, quibus præfuit Dominus Abbas *Ciſterci*, & *Simon* miles inſignis de *Monte-forti*, congreſſi ſunt adverſus Hæreticos *Albugenſes*, eoſque pro magna parte viriliter expugnarunt. Plures autem Epiſcopi, & aliæ perſonæ Eccleſiaſticæ, Optimates etiam terræ, ut dicitur, eiſdem Hæreticis adhæſerunt. Poſt feſtum Sancti *Jacobi* venerunt in *Angliam Pandulfus*, & *Durandus* nuntii Domini Papæ, ad faciendam pacem inter Regem, & Archiepiſcopum.

Albigenſes expugnati.

MCCXII. 1212

Schiſma inter Pap. & Conſtantinop.

Ortum eſt ſchiſma inter Dominum Papam, & *Conſtantinopolitanos*, ita quod fere omnes ei extiterunt rebelles, & Sanctæ *Romanæ* Eccleſiæ inobedientes, ſed Domino auxiliante convicti ſunt à Domino Papa, & coacti cum *Romana* Eccleſia ſtare, & ei, ſicut debent, obedire. Obiit *Gaufridus Eboracenſis* Archiepiſcopus. Obiit *Maugerus Wigornenſis* Epiſcopus apud *Pontiniacum*, ſuſcepto habitu monachi. Obiit *Johannes Cuminus* Archiepiſcopus de Divelin. *Henricus* de Bineduin promovetur in Epiſcopatum in *Hibernia* * in hæc verba, *Rex omnibus vicecomitibus Præcipimus vobis quod ſine dilatione diſtricte prohibeatis per ſedes Epiſcopales, & omnes Abbatias, & prioratus, & domos religionis in ballia veſtra, ne quis ſuſcipiat aliquod mandatum Apoſtolicum, quod contra nos ſit, & ſi quis ſuſceperit illud, non exequatur. Si quis vero hoc fecerit, corpus ejus capiatis, & ſine dilatione nos habere faciatis. Præcipiatis etiam omnibus Abbatibus ordinis Ciſtercienſis baillivæ veſtræ, quod omni occaſione poſtpoſita ſint apud* Winton, *ad inſtans clauſum paſchæ parati facere præceptum noſtrum.* Idem ſcripſit vicecomitibus, *ut per ſingulos Hundredos facerent homines jurare, quæ terræ eſſent de dominio prædeceſſorum ſuorum Regum antiquitus, & qualiter à manibus Regum exierint, & qui eas modo tenent, & pro quibus ſervitiis.*

Johan. prohibet Papæ mandata recipi.

Johan. ſe in Caſtrum Notting. recipit.

Idem Rex præcepit omnibus vicecomitibus, ut confiſcarentur redditus, & omnia benficia clericorum data eis à *Stephano* Archiepiſcopo, & ab Epiſcopis *Angliæ* moram facientibus in tranſmarinis poſt interdictum *Anglicanæ* Eccleſiæ, in hæc verba *Præcipimus vobis quod capiatis in manum noſtram omnes Eccleſias, & redditus quas Archiepiſcopi, & Epiſcopi Angliæ vel prior* Cantuarienſis, *qui ultra mare ſunt, dederunt in Bailvia veſtra, in abſentia ſua, & præcipiatis omnibus illis qui ea de dono eorum receperunt, quod ſine dilatione exeant de terra noſtra, & ſcire faciatis diſtincte in craſtino Sancti Johannis Baptiſtæ anno regni noſtri* XIV. *Baronibus noſtris de ſcaccario, ut fuerunt redditus illi, & quantum ſinguli valeant, & qui illi ſunt, qui eos receperunt. Datum* VII. *Id. Junii.*

Rex *Johannes* cum magno exercitu parat rebellionem *Walenſium* compeſcere. Sed *Euſtachio* de *Veſci*, & *Roberto* filio *Walteri* ab eo clam recedentibus, ab incepto deſiſtit. Et omnes fere ſuos ſuſpectos habens caſtello de Nothingham per aliquantum tempus incluſit ſe: Baliſtarios alienigenas conducens ad ſe tuendum. Idem Rex viros religioſos, & maxime *Ciſtercienſes* per plegiationes ſervientium ſuorum, & caretarum exactionem affligit: Chartas etiam falſiſſimas ab eiſdem & Clericis, & Eccleſiarum Prælatis extorquens ſub hac forma; [*noverit univerſitas veſtra nos bono animo remiſiſſe, & omnino gratuita voluntate quietum clamaſſe dilecto, & venerabili Domino noſtro* Johanni *Regi* Angliæ, *totam pecuniam, & quicquid honoris, & obſequii domus noſtra ei contulit, à prima coronatione ſua uſque ad feſtum nativitatis beatæ* Mariæ, *anno Regni ejuſdem Regis Domini noſtri* XIV. *videlicet quicquid ei contulimus, ſive ad petitionem ejuſdem Domini noſtri* Johannis, *ſive ſine petitione ejus aliqua, ſive alio quocunque modo de facultatibus domus noſtræ illud habuit, & ei prædicta omnia quieta clamavimus, & de cætero non repetimus. Et ne aliquis hæc prædicta dona, & obſequia gratuita exactiones apellare valeat, vel extorſiones, hanc chartam noſtram prædicto Domino noſtro regi* Johanni *in teſtimonium prædictæ gratuitæ voluntatis noſtræ contulimus.*] *Londonia* ex magna parte circa pontem cum prioratu de Sudwirch combuſta eſt, ex qua combuſtione inventa ſunt humana corpora ſemiuſta & alia in *Tameſem* fluvium ſubmerſa ad tria

Urbs Londin. combuſta.

 millia,

Johannis R. Wallia ab interdicto ſoluta.

millia, exceptis his quos ignis ex toto combuſſit, qui multi eſſe creduntur. Hoc anno abſoluta eſt *Wallia* ab interdicto, & à jugo ſervitutis Domini *Johannis* Regis *Angliæ*, & etiam præceptum tale accepit, ut eum non tanquam filium Sanctæ Eccleſiæ, ſed ſicut inimicum conſtituta prædeceſſorum ſuorum adnihilantem, totis viribus oppugnaret.

Joh. R. à Papæ Legato Northamptoniæ excommunicatus.

Die Martis proxima poſt feſtum Sancti *Bartholomæi* Anno Domini Milleſimo Ducenteſimo duodecimo venientes nuntii Domini Papæ apud Northampton, ſcilicet *Pandulphus* & *Durandus*, coram Rege convocatis omnibus Comitibus & Baronibus *Angliæ*, Dominum Regem in hunc modum alloquuntur. *Domine, de longinquo venimus huc per petitionem tuam pro pace Sanctæ Eccleſiæ reformanda, & audituri ſuper hoc voluntatem tuam*, Rex ait, *Neſcio quid petitis*, Et illi, *Nihil niſi jus commune, ſcilicet, quod jures te ſatisfacturum ſanctæ Eccleſiæ, & perſoluturum omnia quæ de rebus Eccleſiaſticis rapuiſti, &* Stephanum Cantuarienſem *Archiepiſcopum, & omnes ſuos, & Coepiſcopos ſuos cum ſociis ſuis, qui in tranſmarinis ſunt ſuſcepturum bene & in pace.* Quod audiens Rex vultu protervo reſpondit, *de cætero cor meum & ſecreta cordis mei vobis revelabo, vos poteſtis facere me jurare, & reddere, & omnia quæcunque vultis faciam, ſed nunquam* Stephanus *talem conductum habere poterit, quin ipſum & quo terram meam intraverit faciam ſuſpendi;* Hec audientes nuntii reſponderunt, *Modo ſcimus voluntatem tuam, dices ne aliud?* Reſpondit Rex, *Dixi;* Tunc illi, *Verum eſt quod nos mandaſti Romam, quod veniremus cauſam tuam & juſtiſſimam, ut aſſerebas, & jus tuum audituri, quod ſi nos cauſam tuam, tam juſtam, ut aſſerebas, invenire poſſemus, quod interdictum* Angliæ *relaxaremus, ſed nihil proponis, quare debeamus relaxare, ſed potius affirmare*, Tunc Rex, *tantum faciam pro amore Domini Papæ; reſignet, Magiſter* Stephanus *Archiepiſcopatum, & Dominus Papa conferat Archiepiſcopatum cuicunque voluerit*, & ego *ipſum recipiam tanquam Archiepiſcopum, & roget me ut concedam illi Epiſcopatum in terra mea & forſitan concedam illi*, Pandulphus, *Sancta Eccleſia non conſuevit degradare Archiepiſcopum ſine manifeſta cauſa, ſed eſt aſſueta principes ſibi Rebelles à ſummo ruere deorſum.* Rex, *profertis minas: Non poteſtis magis mali facere quam dicere*, Pandulphus, *ſecreta cordis tui jam revelaſti, & ſecretum cordis noſtri jam tibi revelabimus, ſcias quod Dominus Papa te excommunicavit; ſed ſuſpendit effectum ſententiæ uſque ad adventum noſtrum ad partes iſtas; ſed de cætero ſcias te excommunicatum & ſententiam in te latam habere effectum;* Rex, *& quid magis*, Pandulphus, *abſolvimus omnes unanimiter* Anglos, *die hac, qui tecum communicaverunt, & qui de cætero tecum communicaverint, ſciant ſe eſſe excommunicatos*, Rex, *quid magis*, Pandulphus, *Abſolvimus omnes unanimiter, Comites, Barones, Milites, Francos, Clericos, Laicos, & omnes fidei Chriſtianæ per terras tuas tibi ſubjectos, à fidelitatibus tuis & homagio, & ad hoc exequendum per* Angliam *vices noſtras committimus* Wintonienſi & Norwicenſi *Epiſcopis, & in* Scotia Roffenſi, & Salesburiæ *Epiſcopis jam, commiſimus exequendum, & in Wallia tribus preſentibus Epiſcopis* Wallenſibus, *& per univerſum Orbem Epiſcopis qui in tranſmarinis ſunt mittimus cum ſententiæ vinculo, & jus tuum, quod te dicis habere, oſtenſuros, & abſoluturos omnes qui contra te, viz. inimicum Eccleſiæ, velint inſurgere, nec opus eſt tantum facere, quoniam, duobus annis jam elapſis, Reges, Duces, Comites, & Barones Dominum Papam rogaverunt, ut ipſos abſolveret, & ipſi terram iſtam cum manu forti intrarent, & cuicunque Dominus Papa vellet, Regnum committerent, quoniam paucos habes Amicos vicinos; plurimos autem Inimicos, ſi Sancta Eccleſia vult jus ſuum declarare & una cum filiis ſuum vendicare; præcipimus autem omnibus, quod cum Dominus Papa exercitum miſerit in* Angliam *vos omnes adeatis, & fidem Duci exercitus faciatis; ſin autem, ſciatis vos in debitam & perpetuam ſervitudinem eſſe redigendos.* Ad hoc Rex, *quid poteſtis plus facere?* Pandulphus, *In verbo Dei, tibi dicimus; ne: tu, nec Hæres tuus quem poſſis habere, ultra diem hunc poteritis Coronari.* Ad hoc Rex, *Hic vero percipio, quod cauſam meam non fovetis, & quod velletis me nunquam de cætero Regnaturum, ſed per ipſum qui cuncta Regit, ſi terram meam intraſſetis talia mihi monituri ſine mandato meo, vos & veſtros facerem per annum equitare; ſed talia mihi nunciaturos non mandavi; ſed ut cauſam meam defenderetis.* Pandulphus

Cauſam

Causam tuam secundum Deum promovimus, & te dileximus, & per mandatum tuum huc venimus, credentes te Deo & patri tuo Papæ obediturum & Sanctæ Ecclesiæ satisfacturum, sed malam spem de te in hoc concipimus & pro dilectione quam erga te habuimus, fere omne malum tibi & terræ tuæ futurum præmuniendo nunciavimus; & non futurum, quia jam presens est, & ideo jurasti nos equitaturos, adeo decenter, posses dixisse, suspensuros, sed Deum invocamus testem, quod pro alio non venimus terram tuam intraturi, nisi pro causa Ecclesiæ mortem passuri, nec aliam à te credimus asportare mercedem. Deinde præcepit Rex Vicecomiti, & Forestariis, ut ducerent incarceratos suos coram se, præsente *Pandulpho*, & protinus sic factum est, & ad terrorem *Pandulphi*, quosdam præcepit suspendi, quosdam oculis orbari, quosdam pedibus truncari. Inter hos vero erat quidam Clericus falsarius, quem præcepit Rex suspendi, quod audiens *Pandulphus* statim volebat eos excommunicare, qui in eum manus imponebant, & statim egressus quæsivit Candelam. Rex vero veniebat post eum, & commisit ei Clericum ut de eo faceret Judicium, & sic liberatus est; *Pandulphus* vero recessit, & transfretavit, & Rex in Excommunicationis sententia adhuc remansit. Item hoc anno Dominus Papa concessit in *Anglicana* Ecclesia omnibus fidelibus in extremis laborantibus sacrum dari viaticum, sed & hoc præcepit, ut ab Ecclesiis Conventualibus sacerdotes cum reverentia magna deportarent, quibus tamen permissum erat propter Eucharistiam conficiendam celebrare. *Johannis R.*

Divulgatum est per *Angliam* quod *Miramumelinus* Rex *Marrochenensis* cum magna multitudine, & fortitudine, (qui, sicut audivimus à plerisque, bellum indixerat omnibus illis qui crucem adorant,) ab illis eisdem qui crucem colunt bello campestri devictus est, & fugatus. Siquidem cum de diversis mundi partibus fideles *Christi*, propter remissionem quæ à Domino Papa indulta, proficiscentes ad subsidium Christianitatis, contra bellum Christianis indictum in *Hispaniæ* partibus, *Toletum* convenissent, ubi debebant in die VIII. Pentecostes, ex condicto Regis *Castellæ* & *Aragoniæ* convenire.(Affuerunt inter eos qui convenerant, *Wilhelmus* venerabilis Archiepiscopus *Burdegalensis*, Barones quoque ac milites de partibus *Pictaviæ*, *Andegaviæ*, *Britanniæ*, & de *Lemovicensi*, & *Petragorcensi* & *Santonensi* & *Burdegalensi* diœcesibus, & aliquot, * & de aliis partibus ultra-montanis, cum Comitatu militum, ac peditum satis honesto, & bene armato. De *Lugdunensi*, & *Vienensi*, & *Valentiensi*, diœcesibus.) Hi omnes sic congregati ad prædictum Castellum venerunt. Cumque residentiam fecisset exercitus apud *Toletum* ultra IV. dies, & jam fatigatus ex mora, desiderio arripiendi iter contra *Sarracenas* nationes æstuaret, venerunt ad quoddam castrum *Maurorum* quod *Mattalon* appellatum est, & nondum fixis tentoriis, statim ultra-montani aggressi sunt ipsum castrum, quod incessanter sagittis, & lapidibus per totam diem & noctem impugnarunt. Tandem IV. Turribus expugnatis, testudinibusque prominentibus ad nostrorum impedimentum subactis: *Mauri* castri illius habitatores sub hujusmodi conditione se reddere gestiebant ut semper essent captivi, sed non placuit nostris. Acceptum est ergo castrum, ita scilicet, quod servata illi vita qui castrum habebat cum duobus filiis, cæteri essent in voluntate peregrinorum. Interfecti sunt ergo omnes qui ibi inventi sunt præter paucos. Nostri quidem non interest omnia referre quæ acta sunt in illo bello, sunt enim plura, quæ hic propter brevitatem narrationis intermittimus; ad summam redeamus, de qua magnus sit sermo. Plures civitates, & castella obtinuerunt Christiani, venientes igitur nostri ad aciem quandam fortem in qua fertur fuisse Rex *Miramomelinus*, scilicet ultimam, sed valde restiterunt filii scelerati, & ipse *Miramomelinus* eadem die demonstravit plenius posse suum, ita scilicet quod nostri versi sunt in fugam omnes, præter unum Regem & suos. Rarus erat qui remaneret, sed dispositione divina redeuntibus tandem ad cor Regibus, & principibus strenuissime se agentibus, & fortiter resistentibus, Deo auxiliante, repulsi sunt *Sarraceni*; ita quod omnes qui erant in illa forti acie occisi sunt, & ex tunc fugit exercitus *Sarracenorum* irreparabiliter post Regem suum, qui prius aufugit. Qui etiam

Mauri in Hispania à Christianis vincuntur.

Johannis R. am, ut dicitur & creditur, in nocte præcedenti præsentiens quod devincendus esset, præmiserat ante se, super camelos & mulos, inæstimabiles divitias quas habebat. Nostri igitur *Sarracenos* insequuntur per media tentoria sua fugientes, ad quæ cum nostri venissent plurima ex eis ad terram deposita invenerunt. Insequuti sunt autem eos bene per leugas, & tot ex eis occiderunt, quod, qui in bello & post bellum sunt interfecti, plus quam sexaginta millia æstimantur fuisse, & quod est valde mirabile, ut credimus, non sunt de nostris mortui homines quinquaginta; in tribus vero locis vel quatuor tot lanceæ confractæ sunt inventæ, quod omnes qui viderunt, multum inde mirati sunt. Archæ vero parvæ, sagittis & quarellis plenæ, tot similiter in tribus locis vel IV. sunt inventæ, quod, sicut plures æstimant & contendunt, duo millia summariorum non sufficerent ad portandum. Benedictus per omnia Dominus noster Christus, qui per suam misericordiam in nostris temporibus sub felici Domini Papæ *Innocentis* III. Apostolatu, de tribus generibus hominum, pestilentium scilicet inimicorum Ecclesiæ suæ Sanctæ, videlicet orientalibus schismaticis, occidentalibus hæreticis, meridionalibus *Sarracenis* victoriam contulit catholicis *Christianis*: super tantis ergo bonis & donis nobis ab eo collatis, qui dat omnibus affluenter, & non improperat, gratias ei, & si non dignas, tamen quales & quantas possumus, referamus. Fuit autem istud bellum anno Dominicæ Incarnationis MCCXII. XVII. Kalendis Augusti feria secunda, ante festum Sanctæ *Magdalenæ*, in loco qui dicitur *Havas de Tholosa*; erat quippe quoddam castrum *Maurorum* prope, quod *Tholosa* nuncupatur, quod nunc per gratiam Dei redactum est in potestatem *Christianorum*. Benedicamus ergo Deum universi, & laudemus, & confiteamur ei qui fecit nobis misericordiam suam magnam, super tanto bono quod Deus contulit populo *Christiano*. Datum *Tholeti* Sabbato ante Assumptionem beatæ Virginis *Mariæ*.

Hoc anno obiit Dominus *Gilbertus* de *Basevilla* XVI. Kalendis Junii, cujus filius *Gilbertus* videlicet de *Basevilla* secundus dedit Deo, & beatæ *Mariæ* de *Waverlya*, & Monachis ibidem Deo servientibus, in puram & perpetuam Eleemosynam pro salute animæ suæ, & antecessorum, & hæredum suorum in Manerio de Werplesdone, quandam platiam terræ in villa de Werpleston, sicut in charta ipsius inde facta plenius continetur, quam terram Monachi domus de Waverley vocant La Newe Rude.

1213 MCCXIII.

Henricus Archidiaconus de Stafford factus est Archidiaconus de Divelme. Obiit *Baldwinus* Comes de Aubemare. Obiit Magister *Robertus* Episcopus de Bangor, & sepultus est in medio foro apud *Salopesbiriam*, sicut desideravit in vita sua. Obiit *Willielmus* Abbas de Burtune. Obiit *Gaufridus* filius *Petri* Comes *Essexiæ* & Justitiarius totius *Angliæ*, tunc temporis cunctis in *Anglia* præstantior. Abbas de Cirencester & Radings obierunt. Mortuo Comite de *Engolesmensi*, patre *Isabellæ* Reginæ *Joannis* Regis *Angliæ*, mater ejusdem Reginæ in *Angliam* veniens posuit se sub custodia *Joannis* Regis. Hoc anno exiit edictum generale à Domino Papa per *Angliam*, ut omnes Episcopi & Abbates & Prælati magnæ auctoritatis, exceptis duobus aut tribus qui agant vices eorum, ad generale concilium *Romam* parati venirent post expletionem, II. Annorum in Kal Nov. modeste tamen & sine scurrilitate, & sine nimiis expensis, de pace Regni & Ecclesiæ tractare, & maxime de Sancta Civitate Jerusalem, & aliis pluribus negotiis. Mox etiam subsecuta est generalis prædicatio de susceptione signaculi Sanctæ Crucis. *Johannes* Rex sæpe & frequentius ammonitus & minatus, & etiam Excommunicatus à Domino Papa, nondum voluit se emendare. Tandem videns se de jure fore convictum, & nihil iniquitates suas & industrias prævalere, totius etiam *Franciæ* exercitum ex præcepto Domini Papæ super Regnum suum concurrere paratum, expavit vehementer, tunc demum hujusmodi perterritus timore, Regni quoque destructionem videns, convenire fecit maximam multitudinem *Anglicanæ* gentis ad se, circa Maritimam quinque portuum, contra Regem *Franciæ* qui præpara-

Ob. Com. Engolesm.

Concil. Romæ indicitur.

bat

bat se venire in *Angliam:* ipse vero Rex armatorum Militia circumseptus, ad Domum Militiæ Templi prope Dovor commorabatur, Legatos quos *Romam* miserat, expectans, nec fuit consilium procul inde divertere. Deinde Legati Regis redeuntes de Curia duxerunt secum subdiaconum Domini Papæ *Pandulphum*, ad cujus instantiam & consilium prestitit Rex cautionem XIII. die Maii apud Dovor, quod staret mandatis summi pontificis, coram Legato vel subdelegato ejus super omnibus, pro quibus excommunicatus fuerat ab ipso, & quod de Ablatis restitutionem, & de damnis recompensationem impenderet sufficientem tam Clericis quam Laicis, ad illud negotium pertinentibus, non solum rerum, sed etiam libertatum. Magnates etiam *Angliæ* ad illud observandum ipsum omnes compellerent. *Johannis R.* *Pandulphus Legat. in Angl. venit.*

Offert preterea Rex Ecclesiæ *Romanæ* totum Regnum *Angliæ*, & *Hiberniæ*, tenenda ea sibi & Hæredibus suis, tanquam feudarius per annuum redditum Mille Marcarum. His verbis Coronam Regni resignans, & Legi Sanctæ Ecclesiæ, misericordiæque Domini Papæ se submittens coram Domino *Pandulpho.* *Johan. Regnum Angliæ Papæ submittit.*

Universitati vestræ notum facimus, quod cum Dominum, & Matrem Sanctam Ecclesiam in multis offenderimus, & propter hoc ipsum divina misericordia plurimum indigere noscamus, nec quod digne offerre possimus pro satisfactione Deo & Ecclesiæ debita facienda, nisi nos ipsos habeamus & Regna nostra; volentes humiliari pro illo qui se humiliavit pro nobis usque ad mortem, gratia spiritus sancti inspirante, ad optimum Consilium Baronum nostrorum offerimus & libere concedimus Deo, sanctisque Apostolis ejus Petro & Paulo, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Matri nostræ, ac Domino nostro Papæ Innocentio tertio, ejusque successoribus, omne jus patronatus quod habemus in Ecclesiis Anglicanis, totumque Regnum Angliæ & totius Hiberniæ, cum omni jure & pertinentiis suis, pro remissione peccatorum nostrorum, & totius generis nostri, tam pro vivis quam pro defunctis. Et à modo illa à Deo & Ecclesia Romana, tanquam feudarius, recipientes, & tenentes in presentia viri prudentis Pandulphi, *Domini Papæ subdiaconi & familiaris, fidelitatem exinde Domino Papæ* Innocentio *tertio, ejusque successoribus Catholicis, & Ecclesiæ* Romanæ *secundum scriptam formam facientes, & homagium Ligium in presentia Domini Papæ si coram eo esse posemus, eadem facere-mus, successores nostros, & Hæredes de uxore nostra in perpetuum obligantes, simili modo summo pontifici qui pro tempore fuerit Ecclesiæ sine contradictione dictam fidelitatem præstent, & homagium recognoscant, & nos insuper vacantium Ecclesiarum custodiam perpetuo amittamus, Ad indicium autem perpetuum hujus nostre obligationis, & concessionis, volumus, & stabilimus ut de propriis & spiritualibus redditibus prædictorum Regnorum nostrorum, pro omni consuetudine, quam pro ipsis facere debemus, salvo per omnia Denario Sancti* Petri, *Mille Marcas Sterlingorum Ecclesia* Romana *percipiat annuatim, scilicet, in Festo Sancti* Michaelis *D. Marcas, & in pascha D. Marcas, septingentas scilicet Marcas pro Regno* Angliæ, *&* CCC. *pro Regno* Hiberniæ, *salvis nobis & hæredibus nostris, justitiis ac Libertatibus, & Regalibus nostris, quæ omnia, sicut supradicta sunt, rata esse volentes & perpetua atque firma, obligamus nos & successores nostros contra non venire; & si nos vel aliquis successorum nostrorum hoc attemptare præsumpserit, quicunque fuerit ille, nisi ammonitus resipuerit, cadit à jure Regni, & ut hæc Charta Obligationis & Concessionis nostræ semper firma permaneat* ——— "[a] Ego *Johannes* Dei gratia Rex Angliæ Dominus *Hiberniæ* ab "hac hora in antea fidelis ero Deo, & beato *Petro*, & Ecclesiæ *Romanæ*, ac Do-"mino meo Papæ *Innocentio* tertio; ejusque successoribus Catholicis contrarius "non ero, in Facto, Dicto, Consensu, vel Consilio; ut vitam perdant, vel Mem-"bra, vel mala captione capiantur, eorum damnum si scivero, impediam, & "manere faciam si potero; alioquin quam citius potero, eis intimabo, vel ta-"li personæ dicam, quam credo pro certo dicturum. Consilium quod mi-"hi crediderint per se, vel nuncios, seu literas suas secretum tenebo, & ad "eorum damnum nulli pandam me sciente. *Patrimonium beati* Petri, *& specialiter Regnum* Angliæ, *& Regnum* Hiberniæ *adjutor ero ad tenendum, & defendendum contra omnes homines pro posse meo, sic Deus me adjuvet & hæc Sancta Evan-gelia.* *Desunt in Annal. Waverl.*

Johannis R. *gelia.* [a] "De quibus ne poffit impofterum alioquin dubitari, ad majorem fe-"curitatem prædictæ obligationis & conceffionis noftræ, præfentem Char-"tam noftram fieri fecimus, & Aurea Bulla noftra fignari, ac pro cenfu hujus "præfentis & primi anni Mille Marcas Sterlingorum, per manus prædicti Le-"gati, Ecclefiæ perfolvimus, Teftibus, &c.

Defunt in Annal. Waverl.

Joh. R. recepto Archiep. &c. ab anathemate abfolvitur.

Carta fic peracta, mifit Rex propter Archiepifcopum, & Epifcopos, & Laicos omnes, qui pro Sanctæ Ecclefiæ pace fuerunt in Exilium depulfi, ficque Ecclefia *Anglicana*, fex annis fuo Metropolitano orbata, Archipræfulem cum fuis omnibus recepit. Quod cernens Rex elongavit fe, fugiens ab eis, cupiens adhuc folitarius effe in confiliis & operibus. Propofuerat enim apud fe refiftere velle, fi aliquo modo potuiffet, ne quod prius fpoponderat, confummaret; quid plura? Coegerunt eum Comites & Barones dicentes, *quoniam oportet te, O Rex, jusjurandum quod tu & nos in amneftiam tuam juravimus, firmiter fine dilatione tenere.* Hoc audiens Rex, ftatim cum Archiepifcopus ei appropinquaffet, cadens ad pedes ejus, ait, *Bene venifti pater*, & ofculatus eft eum ore tantum. Duxitque Archiepifcopus ad oftium Ecclefiæ Beati *Swithini* apud **Winton** & ab Anethamatis vinculo eum ibidem abfolvit, die fcilicet Sanctæ *Margaretæ* Virginis, & continuo Archiepifcopo celebrante audivit Rex Miffam, ad quam offerebat unam Marcam Auri, Et fic recepti funt finguli atque reftituti in fuis poffeffionibus.

Inquifitio in bona ab Ecclef. ablata.

Nondum tamen fit Relaxatio interdicti, eo quod Dominus Papa per fcripta fua mandavit, Archiepifcopo & Epifcopis, quatenus conceffiones, exactiones, vel promiffiones, quam Clerici feu viri, cujufcunque Religionis vel profeffionis feu ordinis fuerint, *Johanni* Regi *Angliæ*, fuper ablatis vel extortis poft interdictum fecerint, denuncient irritas, & plene finguli reftituant, ne forte tranfeant præfumptoribus in exemplum; fi qui vero prædictorum noluerint vel extorta repetere, eifdem nihilominus ipfa reftituere compellantur, in Terræ Sanctæ fubfidium refervanda. His autem peractis Archiepifcopus cito poft adventum ejus in *Angliam*, primum concilium, ex viris Ecclefiafticis apud *Weftmonafterium* in craftino Sancti *Bartholomæi* convocavit; fed in primis apud Sanctum *Paulum* fermonem fecit ad populum, quo fic incepto, *in Deo fperavit cor meum, & adjutus fum & refloruit caro mea*, &c. Surgens quidam verbis hujufmodi alta voce refpondit, *per mortem Dei* (inquit) *mentiris, nunquam cor tuum fperavit in Deo, nec refloruit caro tua;* Hoc audito tacuit Archipræful, obftupefcentibus omnibus, nec mora irruente in eum populo, flagellatus eft, cuftodiæque traditus, ut in die fequenti, qua temeritate hujufmodi proferret fermonem, innotefceret. Archipræful vero profecutus eft fermonem quo nobiliter peracto, perfonis Ecclefiafticis in unum apud *Weftmonafterium* convocatis, præcepit Archipræful ut unufquifque diligenter fummam rerum oftenderet, quæ à fe extortæ vel irrationabiliter conceffæ Regi fuerant, Rex namque per fuos, Archiepifcopus per fuos inquifitiones faciunt fuper ablatis per *Angliam*: Summam omnium iftorum volentes audire, ut uterque ipforum fciret in quibus, & quantis obligaretur; Alter fcilicet expofcendo, & alter pro fatisfactione plene perfolvendo, non enim *dimittantur peccata, nifi prius reftituantur ablata.*

Nich. Ep. Tufcul. & Cardinalis, Legat. in Angl.

Dominus *Nicholaus* Epifcopus *Tuskulanenfis*, & Cardinalis, *Romanæque* Curiæ pœnitentiarius, Domino Papa *Innocente* III. jubente, v. Kal. Octobris veniens legatus in *Angliam*, v. Non. Octobris apud *Londoniam* homagium Domini *Johannis* Regis fufcepit, *ut ipfe, & hæredes fui Regnum* Angliæ, *atque* Hiberniæ *cum pertinentiis eorum abfque dolo, & fimulatione à Deo, & beato* Petro *&* Paulo, *prædictoque Papa, & fucceforibus fedis Apoftolicæ per juramentum obligati, libera poffeffione tenerent in perpetuum, annuatim reddendo ex Regno* Angliæ, *&* Hiberniæ *ut fupra dictum* M. *Marcas.* Inquifitione igitur diligentiffime facta, tam de ablatis, quam de damnis per violentiam Regalium illatis, in fefto Sancti *Nicholai* per præceptum *Nicholai* Legati, & Archiepifcopi, congregati funt apud **Reding** omnes Ecclefiaftici Prælati, certiffime fperantes aliquam reftitutionem.

Ubi

Ubi per tres dies commorati, infecto negotio propter quod venerant, Rege diffimulante, & auditis præceptis Apoftolicis nimium turbati ad propria remearunt nil accipientes; fiquidem in illis diebus ibidem acceperat literas Domini Papæ, ut redderet Reginæ *Berengariæ* Regis *Ricardi* tertiam partem redditaum omnium de *Anglia* poft mortem ejus retentam. Infuper & Domino *Symoni* de Montford omnia ablata in integrum reftitueret. Quibus auditis commotus & iratus, cæteris omnibus in nullo fatisfaciens, Epifcopis tamen xv. Marcas poft difceffum aliorum reddidit, & hoc forte, ut animum eorum inclinaret ad fovendam ejus fimulationem erga minores. *Johannis R.*

Petrus quidam de Wakefeld juxta *Pontem fractum* habens fpiritum prophætiæ, in præfentia Regis *Johannis* ac totius Curiæ prædicabat, quod ni Rex ante Afcenfionem dominicam *Anglicanæ* Ecclefiæ, quam ancillaverat, fatisfaceret, ulterius Rex non exifteret. His dictis Rex ira fuccenfus eum cuftodiri juffit, completifque omnibus ficut prædixerat, nam ipfe Rex jam tributarius factus fuit, eum poftea & filium ejus à Caftello de Corf ufque ad Warham equis tractos, & retractos fufpendi fecit v. Kal. Junii. *Pet. de Wakefeld fufpend.*

Rex *Aragoniæ* diabolico inftinctu deceptus collecto exercitu copiofo, nefandus etiam Comes Sancti *Egidii* cum omni exercitu fuo, & alii quam plures ex illis provinciis infideles prælium inierunt contra *Symonem de Monte-forti*, & obtinuerunt civitates, & Caftella quædam quæ ipfe *Symon* prius fuper Hæreticos adquifierat; unde *Symon* fuper hoc nimis contriftatus, & in paucitate virorum fuorum refpectu multitudinis adverfariorum pavore perterritus, confidens tamen in mifericordia omnipotentis, fuos confortans ne formidarent ad adventum *Vafcionum*, fed in mente haberent adjutoria fibi facta de cœlo, & non defperarent ab Omnipotente affuturam fibi victoriam: admonens etiam ad memoriam certamina quæ anno præcedenti fecerant revocare; iftis & multis aliis verbis animos eorum corroboravit, ut cum fervore caritatis inceptum negotium peragerent. Hæc ipfo proferente nunciatus eft ei adventus *Johannis* de Bares militis nobilis, quem Rex *Franciæ* cum aliis pluribus mifit in auxilium, unde *Symon* gavifus eft, & hi qui cum ipfo erant; Rex vero *Aragoniæ* in multitudine peditum, & equitum confidens ad bellum præparabat. Cui in obviam venit *Symon* virtute Dei magni, qua roboratus firmiter fuis præcipiendo dixit; *Ictibus à prima fronte pugnæ pugnare nolite contra inimicos, fed fortiter, ut Chriftiani milites acies fuperborum penetrate fecuri.* Accedentibus ergo ad certamen omnes uno impetu ut imperatum fuit, nuda peditum deferuere præfidia, & ufque ad Regem penetraverunt, ficque demum contritus eft exercitus Regis, & undique gladio cæfus. Ipfe quidem Rex per manum *Johannis* captus eft, qui per vifum eum cognoverat, quamvis regalia arma quæ prius habebat depofuerat, alia affumens. Quidam vero ex comitatu volebant ducere eum vivum, fed milites cuncti, qui *de prædicatione milites* vocabantur, illum in frufta conciderunt, dicentes non debere Apoftatam vivum ducere, fed ftatim interfici. Quo interfecto exercitus omnis difperfus eft, multis fimul interfectis abfque numero. Ipfe etiam Comes Sancti *Egidii* de prælio vix evadens cum paucis, cum quo fe verteret præ confufione nefciret; in *Angliam* ad nepotem fuum *Johannem* Regem venire deliberavit, & fecit fic, fed inde non multo poft per *Nicholaum* Legatum Domini Papæ, aliofque fideles tanquam Sanctæ Ecclefiæ inimicus expulfus eft. Fuit autem iftud bellum infra oct. nativitatis beatæ *Mariæ*. *R. Arragon. prælio cum Sim. Monte-forti captus interficitur.*

Innocens III. Papa hoc anno conftituit domum hofpitalem in urbe *Roma*, quam Hofpitale Sancti fpiritus appellari fecit, in loco ubi quondam peregrinantibus de *Anglia* domicilium erat ædificatum, & *Anglorum Schola* dictum, eamque ditavit opibus, & redditibus, & ne quid ei deeffet, mifit prædicatores cum literis fuis tam per *Angliam*, quam per alias terras, ut ex largitione, & donatione mediocrum magis, ac magis ad omnem copiam abundaret. *Hofpital. S. Spiritus fundat.*

MCCXIV.

1214 *Johannis R.* *C. C. Fland. & Bonon. homagium faciunt Johan.* Hoc anno ante Purificationem beatæ *Mariæ* Ferrant Comes *Flandriæ*, & *Johannes* Comes *Bononiæ*, & quidam alii magnates de partibus illis appulerunt in *Angliam*, & homagium *Johanni* Regi in civitate *Cantuariæ* fecerunt. Qui benevolentiam, & favorem Regis captantes festinanter cum *Wilhelmo* Comite *Saresburiensi* fratre Regis, & Comite Wilkin in *Flandriam* remearunt ut insidiarentur quo modo Regem *Franciæ*, dolositate comprehenderent, & interim Rex *Johannes* thesaurum multum, & arma multa in *Pictaviam* præmisit, sed & ipse mox cum grandi exercitu secutus est, ut quasi ex improviso undique præliaretur, sed *Lodowico* filio Regis *Franciæ* occurrente cum multis, expensa pecunia sua ex magna parte, & parum proficiens post festum Sancti *Michaelis* reversus est. Comites autem *Flandriæ* & *Boloniæ*, & *Saresburiæ* cum *Othone* Imperatore ipsum Regem die Dominica impugnantes capiuntur cum multis, *Othone* vix evadente: adjudicati sunt autem Comites *Flandriæ* & *Boloniæ* nunquam terram tenere debere de Rege, ni de misericordia Regis.

Johan. in Pictav. transit.

P. Ep. Wint. fit Angl. Justitiar. *Petrus* Episcopus *Wintoniensis* factus est totius *Angliæ* Justitiarius, ut paulatim potentiores terræ voluntati Regis subjiceret, & resistentes edomaret, sed potestate sua non bene utens iram Baronum converti fecerat contra Regem, neque est sedatus furor ille usque adhuc.

Plures crucem suscipiunt. Mox etiam secuta est prædicatio per *Angliam* de Sanctæ crucis signaculo, quamvis longe ante literæ Domini Papæ super hoc negotium ad tres executores pervenissent, & infra annum Dei nutu in tantum prosperatum est negotium, ut incredibilis multitudo virorum, & mulierum, nec non & infantium Christum sequentes, & crucem sibi assumere, & portare gauderent, & cum crucifixo vivere simul, & mori parati, & se ipsos sibi abnegare ut sequantur Christum.

Interdictum Angliæ relaxatur. In oct. Sancti *Johannis* Baptistæ celebratum est concilium apud *Londinum* à Domino *Nicholao* Legato, & *Symone Cantuariensi* Archiepiscopo, & aliis Episcopis *Angliæ*; ubi solutum est interdictum *Angliæ*, Anno ejusdem interdicti VII. VI. Non. Julii, feria IV. in festum Sanctorum *Processi*, & *Martiniani*, & in crastino per omnes Ecclesias pulsatum est, & celebratum, viris tantum religiosis, aut aliis mediocribus Ecclesiarum personis, nulla ablatorum facta restitutione vel damnorum recompensatione.

R. Scot. ob. Obiit *Wilhelmus* Rex *Scotiæ*, successit ei *Alexander*, filius ejus. Obiit *Johannes* de Gray Episcopus *Norwicensis* in transmarinis, & allatum est corpus ejus in *Angliam*, *Waltero* de Gray fratre ejus antea in Episcopum *Wigornensem* consecrato. Obiit *Gilbertus* Episcopus *Roffensis*. Obiit *Johannes* Abbas de *Forda* XI. Kal. Maii, successit *Rogerus* supprior ejusdem loci. Obiit *Robertus* Abbas de Boxle.

Sexto Id Julii feria V. in festum VII. fratrum, dedicata sunt quinque altaria à Domino *Albino* Episcopo *Ternensi*, in præsentia Domini *Petri* Episcopi *Wintoniensi*, & cœmiterium super interdictos defunctos benedixit, & omnes cruces Ecclesiæ sancta unctione linivit, & benedixit.

Magister *Symon Eboracensis* Ecclesiæ Decanus ad Episcopatum *Exoniensem* consecratur.

MCCXV.

1215 *Episcopi Cicest. Covent. & Roff. consecrati.* Magister *Ricardus* Decanus *Saresburiensis* ad Episcopatum *Cicestrensem*, & *Wilhelmus* de Cornhul Archidiaconus de Huntendon ad Episcopatum *Coventrensem*, in die Conversionis Sancti *Pauli*, apud Reding, à Domino *Simone* Archiepiscopo consecratur. *Benedictus* Cantor *Londoniensis* ad Episcopatum *Roffecestriæ* consecratur. Obiit *Eustachius* Episcopus *Eliensis* circa Purificationem beatæ *Mariæ* apud Reding. Obiit *Egidius* Episcopus *Herefordensis*. Obiit *Gaufridus* de *Mandevilla* Comes de *Essexia*.

Discordia inter Joh. & Barones. Hoc anno magna orta est discordia inter Regem *Angliæ*, & Barones: his exigentibus ab eo leges Sancti *Edwardi*, & aliorum subsequentium Regum libertates, & liberas consuetudines. Nam tempore patris sui, & maxime suo tempore

pore corruptæ nimis, & aggravatæ fuerant, nam quofdam abfque judicio parium fuorum exhæredebat, nonnullos morte duriffima condemnabat. Uxores, filiafque eorum violabat, & ita pro lege ei erat tyrannica voluntas. Illoque negante, & obftinate illis refiftente, confœderata eft multitudo procerum, & in brevi regio univerfa commota. Congregatufque eft exercitus valde decorus apud civitatem *Londinenfem*, eamque capiunt XVI. Kal. Julii. Ad hanc difcordiam fedandam conveniunt, Rex, & Archiepifcopus *Cantuarienfis*, & Epifcopi, Magnates, & Barones die Martis, ante feftum fancti *Johannis* Baptiftæ, prope Stanes, in prato quod vocatur Runnemed, & fecit eis ibi chartam libertatum, qualem volebant, fed in brevi poftmodum ipfo veniente contra eam, maxima pars Baronum, & Magnatum confœderati funt adverfus eum, & Civitatem *Londinenfem*, quam prius occupaverant, firmiffime munientes, Dominica Regis, & terras ei adhærentium rapinis, & incendiis devaftantes, modis omnibus nituntur ipfum expellere, & *Lodowicum* filium Regis *Franciæ* loco ejus creare. Rege vero è contra per alienigenas, & alios fibi cohærentes fæviffime debacchante, multiplicata funt mala fuper terram *Anglicanam*. Moram autem faciebant Barones in Civitate *Londinenfi* per annum, & amplius cum civibus confœderati, promittentes fe nullam pacem facturos cum Rege ni affenfu utriufque partis. Interim applicuerunt in *Anglia* alienigenæ Barbari, & magna multitudo diverfarum linguarum, errorem Regis pertinaciter confoventes. His autem vifis, fuperdicti magnates obftinationem Regis punire defiderantes, communi confilio *Lodowicum* filium Regis *Franciæ* in Principem *Anglicanæ* Infulæ unanimiter elegerunt, mittentes ad Regem *Franciæ Philippum* ut eum in ducem, & principem eis præficeret, & qui miffi fuerant, de nobilioribus, & eloquentioribus effe conftat, verum auditis adventus eorum caufis, & obfidibus utrinque datis, & fua fefeque cum tota terra *Anglicana* in perpetuum quoad poffe fuum fpoponderunt, & ftatim qui præfentes aderant homagium *Lodowico* fecerunt.

Johannis R.

Barones Ludovicum eligunt in Regem Angl.

Tunc temporis *Johannes* Rex omnia caftella, & munitiones habebat fub manu fua, fub cuftodia tamen alienigenarum, qui frequenter perambulabant terram, vaftantes eam, & prædam ubicunque poterant capientes, infuper Faukes quidam furiofus, genere *Normannus*, & multi alii in Ecclefiis, & cœmiteriis bona tam Clericorum, quam Laicorum indifferenter rapuerunt. Hinc dolor, & gemitus, planctus, & luctus, vaftitas, & contritio, quia divites perterriti, pauperes afflicti nufquam tute confiftunt, quippe ex omni parte mala crefcere viderunt; nec evadere potuerunt.

Celebratum eft concilium *Romæ* in Ecclefia falvatoris, quæ *Conftantiniana* vocatur, menfe Novembri, præfidente Domino *Innocente* III. Papa, pontificatus ejus anno XVIII. in quo fuerunt Epifcopi CCCCXV. Inter quos extiterunt de præcipuis duo, videlicet *Conftantinopolitanus* & *Jerofolymitanus*; Primates autem, & Metropolitani LXXI. Abbates, & Priores ultra Octingentos, Legatorum vero Regis *Siciliæ*, Imperatoris *Conftantinopolitani*, Regis *Franciæ*, *Angliæ*, *Hungariæ*, Regis *Jerofolimitani*, Regis *Cipri*, Regis *Aragoniæ*, nec non & aliorum Principum, & Magnatum, civitatum etiam, aliorumque locorum ingens affuit multitudo.

Concilium Romæ.

MCCXVI. 1216

Gualo Presbyter Cardinalis Sancti *Martini*, à Domino Papa *Innocente* Legatione fufcepta, in *Angliam* venit, ut Regias partes per omnia contra Barones foveret.

Gualo Legat. in Angl.

Hoc anno non fine multorum admiratione exinanitus eft fere omnino, & exficcatus fons lavatorii noftri videlicet Ludewell, cujus ubertas, per multorum curricula annorum, diverfis officinis in Abbatia aquas largiffimas profluo curfu miniftraverat abundanter, fonte igitur deficiente, & per officinas more folito minime difcurrente, pro prædicti fontis inopia vehemens nimirum infra Abbatiam oritur moleftia, hujus igitur infortunii incommoditatem quidam Monachus ex noftris frater *Symon* confiderans, & graviter ferens fubtiliter

Fons Ludewell exficc.

Henricus R. liter cœpit mente tractare, animoque difponere qualiter prædicto incommodo poffet citius, & congruentius fubvenire, excogitato itaque confilio utili, & tandem reperto, accingens fe fortiter, aggreffus eft opus fatis durum, fcilicet exquirere, & indagare novas aquarum vivarum venas, quibus cum magna difficultate inquifitis & inventis, atque in unum non fine multo labore, & fudore redactis, induftria fua coegit omnes eafdem venas fimul per quendam ductum fubterraneum ad unum locum defcendere, & in eodem loco fontem vivum, & perpetuum non natura, fed arte conficere; cujus perenne opus, ficut patet cernentibus, prædictis officinis Abbatiæ aquarum copiam fuam largitum utiliter fubminiftrare non ceffat. Vocabulum fontis eft *Sanctæ Mariæ fons*.

Vena novi fontis ope Symonis in pede montis
Fixa, fluit jugiter, fiftula format iter.

Ludovicus Angliam invadit. In Menfe Maio, fcilicet die Sabbati proxima poft Afcenfionem Domini, quæ fuit XII. Kalend. Junii, *Lodowicus* primogenitus Regis *Francorum* venit primo in *Angliam*, ficut promiferat, & applicuit apud *Tanathos* infulam, ftatimque Caftellum *Roffeceftriæ* obfedit, & ipfum, feria II. in Pentecoften, fcilicet III. Kal. Junii, cœpit. In eadem hebdomada, feria V. venit *Londinum*, & honorifice fufceptus, homagium Baronum, qui ex multo tempore eum ibi expectabant, recepit. Cives etiam ejufdem civitati Baronibus fide copulati fub Dominio ejus eodem modo funt mancipati: feria III. poft feftum Sanctæ Trinitatis recepit Caftellum de **Reigate**, & in craftino Caftellum de **Guilford**, & Caftellum de **Fernham** feria VI. cepit. Item feria II. fecundæ hebdomadæ, fcilicet XVIII. Kalend. Julii, reddita fuit civitas **Winton**, & in craftino Sancti *Johannis* Baptiftæ Caftellum, & domus Epifcopi de **Winton**. In Sabbato poft oct. Apoftolorum *Petri*, & *Pauli* caftrum de **Odiham**. Item feria II. poft feftum Sanctæ *Margaretæ* movit cum magno exercitu apud *Doveram*, ubi moratus eft XV. hebdomad. fed nil profecit. Deinde reddita eft ei turris *Londinenfis* feria VI ante feftum Sancti *Leonardi*.

Ob. Innoc. P. fucced. Honorius. Obiit *Innocens* III. Papa apud *Perufium* XVII. Kalend. Augufti; ibidemque honorifice tumulatus eft, anno Papatus fui XVIII. menfe V. die V. fucceffit *Honorius* III.

Obiit *Johannes* III. Abbas VII. **Waverley** in Nonis Augufti. Succeffit *Adam* I. fupprior ejufdem loci.

Ob. Johan. R. Menfe Octobri, fcilicet XIV. Kalend. Novembris Rex *Johannes*, quia res ei minime cefferant ad votum, non plus quam III. aut IV. diebus infirmatus in craftino Sancti *Lucæ* in fata difceffit apud caftrum de **Newerc**, & *Wigorniæ* fepultus eft.

Henric. 3. Coron. Coronatus autem *Henricus* III. filius ejus primogenitus puer IX. annorum in fefto Apoftolorum *Symonis* & *Judæ*, cum magna feftinatione, volentibus fic parentibus, & amicis ejus qui fideliter patri viventi adhæferant. A Domino Legato *Gualone* apud *Glouceftriam* affiftentibus ibidem Epifcopis *Wintonienfi*, *Wigornenfi*, *Coventrienfi*, *Bathonienfi*, & Comitibus qui puero adhæferunt, fcilicet Comes *Ceftriæ*, *Wilhelmus Marefcallus*, Comes **Striguil**, & **Penbroc**. Comes de *Ferariis*, *Wilhelmus* **Briwere**, *Savaricus* de *Malolacu*: reliqui omnes Comites, & Barones fequebantur *Lodowicum*, nec multo poft *Gualo* legatus concilium celebravit apud **Briftoll**, in feftivitate Sancti *Martini*, in quo coegit XI Epifcopos *Angliæ* & *Walliæ*, qui præfentes erant, & alios prælatos inferioris ordinis, fcilicet & Comites, & Barones, ac milites qui convenerant

Wallia interdicta. *Henrico* Regi fidelitatem jurare. *Walliam* totam interdixit, quia cum Baronibus tenuit, & ipfos Barones cum omnibus complicibus fuis excommunicavit, in qua pofitus eft *Lodowicus* in capite. Igitur poft obitum *Johannis* Regis cepit *Lodowicus* caftrum de **Hereford**, & de **Bercamftede** in die Sanctæ *Luciæ*.

Walterus

Walterus de Grai Episcopus *Wigornensis* promotus fuit *Romæ* in Archipræsulem *Eboracensem*. *Henric 3. R.*

Magister *Hugo* de Mapenoure Decanus *Herefordiæ* consecratus apud *Glouverniam*, in die Sancti *Nicholai*, consecratur in *Herefordensem* Episcopum. *Herebertus* Episcopus, cognomento Pauper *Saresburiæ*, obiit, & sepultus est apud Wilton.

MCCXVII. 1217

Plures tam nobiles quam Plebei acceperunt signum dominicæ crucis in pectore suo, ut ejicerent *Lodowicum* & *Francos* de *Anglia*, malentes habere Regem de terra sua quam de aliena? Eodem anno XIII. Kalend. Junii, in hebdomada Pentecostes apud *Lincolniam* occisus est in bello Comes de Perches, vir in armis strenuus & Regali sanguine exortus, qui nondum ad XXX. ætatis annos pervenerat. Et *Saerius* de *Quinci* Comes *Wintoniensis*, & *Henricus* de Bohun Comes *Herefordiæ*, & *Robertus* filius *Walteri*, & multi Barones cum pluribus aliis, qui guerram moverant, à Regiis militibus capti sunt, & vinculis mancipati. Post hoc Regalium complices Sacrilegio ducti in majorem Dei genitricis Ecclesiam irruentes, eam cum cæteris Ecclesiis de sacra suppellectili usque ad ultimum depopulando, totamque civitatem nudaverunt. Igitur Regales communi consilio, & Legati præcepto, agmina sua disposuerunt, ut *Lodowico* bellum inferrent. Quo audito *Lodowicus* civitatem *Londinensem* intravit, & portas civitatis una tantum excepta obstruens iterum à *Londoniensibus* homagium recepit. Interea Regales quosdam ex civibus de reddenda civitate conveniunt, spondentes omnes libertates suas Regio sigillo, & communi assensu renovando confirmare. Quod *Lodowico* minime latuit, & quia deprædatio *Lincolniæ* illi fuerat intimata, magis timuerunt. Vigilia Sancti *Bartholomæi* Apostoli, X. Kalend. Septembris *Eustachius*, cognomento Monachus, cum multis aliis in mari decapitatus est, & X. magnates cum pluribus nobilibus *Franciæ* capti sunt, & omnes naves hostium fere centum quæ ibi erant, aut captæ sunt, aut submersæ, XV. tantum de omni navigio fuga elapsis. Autores hujus facti fuerunt *Ricardus* filius *Johannis* Regis, & *Hubertus* de *Burgo*, & nautæ quinque portuum cum XVIII. navibus tantum. Hoc infortunio *Lodowicus* compulsus paci adquievit, & relaxatis ex utraque parte captivis, accepta etiam pro damnis suis, & expensis non modica quantitate pecuniæ, libertatibus, quas Barones petebant, ad voluntatem regalium militum ex parte concessis, sine spe reditus ab *Anglia* recessit.

Plures Baron. cæsi & capti.

Ludovicus victus in Galliam redit.

Richardus de *Mareis*, *Johannis* quondam Regis *Angliæ* summa veneratus gratia, prædicti Regis consiliis, seu regni sui dispositionibus, quia astutissimus, præfuit à secretis. Hunc Rex *Johannes* omnibus viris Ecclesiasticis & maxime religiosis, quando eos gravissimis exactionibus infestavit, per singula præpositum constituit. Hic igitur nacta libertate manus suas in filios matris suæ aggravans, nullius egestatis misertus, vel miseriæ condescendit. Vacantibus interea quibusdam Episcopatibus, procuratorem suum Rex promovere voluit in Pontificem, sed Clero reclamante, & electionem canonicam instantius exequente, ne simia in aula sacerdos fieret in Ecclesia, à pastorali dignitate prostratus, quoad potuit privatim, & publice in clerum desævit, hic vero, in die Sanctorum *Processi* & *Martiniani*, à *Waltero* de Grai *Eboracensi* Archiepiscopo, *Walone* Legato præcipiente, apud *Glouceftriam* ob præclara ipsius merita, ut ita dicam, ne os meum ponam in abissum, in *Dunelmensem* Episcopum promotus est, sed utinam sublimitatis culmen pro vero pastoris regimine, non pro solius honoris ambitione, in sede tam dulci, & tam reverenda, tot sanctorum Pontificum meritis suffulta, tot etiam virtutibus Monachorum ornata, in candore castitatis inviolabiliter obtineat. Magister *Richardus* quondam Decanus *Saresburiæ* & postea Episcopus *Cicestrensis*, de voluntate Domini Papæ, post decessum fratris sui in Episcopatum Sarum ei successit, cujus consilio & auxilio, nova Ecclesia *Saresburiæ*, novo in loco incepta est, Ecclesia veteri infra castelli mœnia sita prius effracta, atque submota. Obiit *Robertus* de Quinci filius

Ric. de Mareis fit Ep. Dunelm.

Nova Ecclef. Sarisburiæ incepta.

Henric. 3. R. filius *Seeri* de Quinci. Obiit Isabell Comitissa *Glouceſtriæ*. *Raudulfus* Monachus Sanctæ Trinitatis *Norwicenſis* Eccleſiæ, ex voluntate *Gualonis* Legati factus eſt Epiſcopus *Ciceſtriæ*. Magiſter *Alexander* cognomento *Nequam* Abbas *Ciceſtriæ* literarum ſcientia clarus obiit. Obiit Claræ memoriæ Aaliz de Saleme, incluſa de Pitchcham, mulier auſteræ vitæ, quæ virtutibus eſt amica.

1218 MCCXVIII.

Expedit. in Terr. S. Hoc Anno ad Pentecoſten *Robertus* Comes *Ceſtriæ*, & *Willielmus* Comes de *Ferrariis*, & Barones, cum cætera multitudine promiſcui ſexus, iter verſus *Jeroſolimam* arripuere. Multi tamen, pro defectu ſubſtantiæ, ſeu Corporis debilitate, remanſerunt; partemque pecuniæ ſuæ ad ſubſidium Terræ Sanctæ mittentes, à voto ſuo per Dominum Papam abſoluti ſunt.

Eccleſ. Wigorn. dedic. Feria v. in Pentecoſte, ſcil. vii. Id. Junii, dedicata eſt Eccleſia *Wigorniæ* à v. Epiſcopis, tunc *Silveſtro* Epiſcopo præſidente; & eodem die Reliquiæ Sanctorum Epiſcoporum, beati videlicet *Vulſtani*, Sanctique *Johannis*, honorifice in loculo ex Auro & Argento conſtructo, & gemmis ornato, prout meruerunt, à prædictis præſulibus condita ſunt. Quadrageſimo vero die ſequente, delatum eſt corpus ejuſdem *Silveſtri* Epiſcopi ad eandem Eccleſiam, & in eadem humatum, ut multi ſuſpicati ſunt, in ultione *Oſſium* Sancti *Vulſtani*, quæ ipſe propria manu cum ſecuri ſecuit, & per loca multa diviſit, ac de hoc facto ſemetipſum laudavit.

Cui ſucceſſit Magiſter *Willielmus* de Bleis, Archidiaconus de Buking-ham.

Otho Imper. *Otho* Imperator *Alemanniæ*, Nepos *Richardi*, & *Johannis* Regum *Angliæ*, obiit.

Hic, dum vixit, potens & inclitus erat; ſeditque ſub *Innocentio* III. & *Honorio* annis VIII. Qui, accepta Corona à Papa *Innocentio*, ſtatim pugnam habuit cum *Romanis*, & contra voluntatem Domini Papæ intravit Regnum *Apuliæ*, auferens illud, & *Fretbericum* Regem *Sycilie* fugans; unde propter hoc excommunicatus eſt; principes autem *Alemanniæ*, per Dominum Papam, quarto anno Imperii ſui *Fretbericum* prædictum in *Romanorum* Imperatorem elegerunt. Qui, veniens per mare uſque *Romam*, à Domino Papa & populo *Romano* honorifice ſuſcipitur, & in *Alemanniam* mittitur contra *Othonem*, ibique mirifice triumphavit, & Regnat proſpere uſque in hodiernum diem.

Freder. Imp. coronatur. *Fredericus* hic ſub *Honorio* primo electus Imperator, & ab illo poſt mortem *Othonis* Coronatur.

Sim. de Mon. forti cæſus. *Simon* de *Monteforti* militia, pulchritudine, & ſapientia commendabilis, dum obſideret Urbem *Toloſam*, lapide percuſſus ex hoc ſeculo migravit, cui datum eſt, ut creditur, pro labore gaudia Cœli poſſidere.

Dominus *Walterus* Prior de *Meritona*, divitias & pompam ſeculi ſpernens, & ſolitudinem quietam diligens, abjecto paſtorali pondere, ſuis fere omnibus ignorantibus, ad Ordinem *Cartuſiæ* ſe tranſtulit, & Habitum Monachi accepit.

Charta Johannis R. confirmata. Poſt Feſtum Sancti *Michaelis* convenerunt apud London ſapientes *Angliæ*, & renovaverunt Leges & Libertates ſecundum Chartam Regis *Johannis*, quam fecerat Baronibus, & in modum chirographi ſcripſerunt, & ſigillo *Gualonis* Legati, & *Simonis* Archiepiſcopi *Cantuarienſis*, & *Walteri* Archiepiſcopi *Eboracenſis*, & *Willielmi* Epiſcopi *Londonienſis*, & *Willielmi Mareſcalli* confirmaverunt, donec Rex juvenis ſigillum curſale habere videretur.

Henricus Rex uti cœpit ſigillo ſuo circa Feſtum Sancti *Leonardi*.

Pandulfus Legat. *Gualo* Legatus ab *Anglia* receſſit, circa Feſtum Sancti *Clementis*, & ſtatim ſucceſſit ei Dominus *Pandulfus* Legatus.

Conradus fit Epiſc. Portuenſis. Abbas *Ciſtercienſis Conradus* nomine vadit *Romam*, cum aliis Abbatibus, pro negotiis Ordinis, ibique eligitur & conſecratur in Epiſcopum *Portuenſem*, qui non multo poſt, Legatione ſuſcepta, contra *Albigenſes* pergit, ſucceſſitque ei apud *Ciſtercium* Abbas de *Longa Ponte*.

Richardus

Henric. 3. R.

Richardus quondam Prior **Waverly** factus est Abbas **Bruer.**

C. De la Marche ux. ducit Regin. Angl.

Abbas *Pontiniaci* fit Episcopus *Carnotensis*. Comes de La **Marche** *Hugo*, viz. Filius *Hugonis* de **Brun**, ducit Reginam *Angliæ* **Ysabel** nomine in uxorem, fuit ipsa uxor *Johannis* Regis, & filia Comitis *Angolismi*.

Hugo fit Episc. Carleol.

Dominus *Hugo* quondam Abbas *Belli Loci* Regis, factus est Episcopus de **Carduill** ex voluntate *Gualonis* Legati, in * conditionem depositionis ejusdem, sicut nonnullis visum est, quia quasi inimicus à jurisdictione Ordinis videretur, si in Episcopum promoveretur.

MCCXIX. 1219

Justitiarii itiner. per Angl.

Hoc anno pace reddita in *Anglia* & stabilita, Justitiarii, qui vulgo dicuntur Itinerantes, post Natale Domini ibant per totam *Angliam*, renovationes Legum observantes in placitis suis, & observari facientes secundum chartam Regis *Johannis* prædictam. *Hubertus* de *Burgo* factus est Justitiarius totius *Angliæ*.

Frater Reg. Scot. ob.

Eccles. Geroldon. dedic.

Willielmus Marescallus obiit apud **London**, 11. Id. Maii Comes *David* frater *Willielmi* Regis *Scotiæ* obiit. Dedicata est Ecclesia *Geroldoniæ*, XVII. Kal. Maii, à Domino *Reinero* Episcopo de Sancto **Asaph**, procurante Domino **Seer** de *Quinci*, prædictæ Domus Advocato, dotavitque eam terra bona, quam habuit juxta Abbatiam.

Plures suscipiunt iter Hierosol.

Eo tempore *Robertus* Filius *Walteri*, & Dominus **Seer** de *Quinci*, & *Willielmus* de **Harecourt**, & *Willielmus* Comes de **Arundel** iter *Jerosolimitanum* arripuere cum multis aliis; unus autem ex ipsis, *Seerus* viz. de *Quinci*, postquam in Terram Sanctam venerat, gravi infirmitate corripitur. Convocatis igitur privatis suis, eosdem adjuravit, juramentoque constrinxit, quod cor ejus & vitalia post obitum ipsius comburerent, & secum in *Angliam* asportarent, & apud **Geroldon** sepelirent: cognoverat enim quia moreretur: quod & factum est. Ipse vero post IV. an. V. dies, scil. in Non. Novembris ex hac luce subtractus est & apud **Acres** sepultus. *Hugo* cognomento **Foliot** in **Hereford** Episcopum consecratur.

H. Foliot Ep. Heref.

Dominus *Adam* Abbas VII. **Waverly**, relicta Pastorali cura, cessit: cujus consilio & auxilio major campana, anno præcedenti, comparata est. Nunquam enim, usque ad tempus illud, in prædicta Domo nisi una tantummodo habebatur. Successit ei *Adam* Abbas *Geroldoniæ*. Abbas **Waverly** VIII.

Damieta à Christianis capta.

Nonas Novembris *Damieta* Civitas *Egypti* valde munita, quæ quondam *Memphis* dicebatur, diu obsessa à Christianis, virtute divina, cum multis & magnis opibus, & sine effusione sanguinis Christianorum, in intempestæ noctis silentio miraculose capta est.

H. Ep. Linc. Canoniz.

Sanctus *Hugo* pontifex *Lincolniensis Romæ* solemniter Canonizatus est, & Sanctorum Catalogo Deo adjuvante insertus.

MCCXX. 1220

Johannes Abbas de *Fontibus*, factus est *Eliensis* Episcopus.

Henr. R. secundo Coron.

Hoc anno, secundo Coronatus est *Henricus* III. Rex *Angliæ*, in die Pentecostes, apud *Westmonasterium*: Accepit etiam Tailagium per *Angliam* de singulis Carucis II. sol.

Reliq. Thomæ Arch. Cant.

Hoc anno, Nonas Julii, translatum est corpus gloriosi Martyris *Thomæ Cantuariensis* Archiepiscopi à venerabili viro *Stephano*, ejusdem sedis Archiepiscopo, anno à passione ejus quinquagesimo, de cripta Ecclesiæ, ubi jacuerat, fere per L. annos, ad eminentiorem locum, videlicet retro majus Altare Ecclesiæ, & reconditum in loculo ex auro & argento miro opere constructo, gemmisque pretiosis mirifice insignito.

Ad cujus translationem tam grandis conventus utriusque sexus de diversis mundi partibus convenerat, ut nunquam retroactis temporibus, ut dicitur, tam magna multitudo hominum ad unum locum in *Anglia* coadunata fuerat. Exierat namque edictum à præfato Archiepiscopo, & divulgatum fuit per diversa Regna, & loca terrarum, ante fere per biennium, de translatione facienda; sed & ipse Dominus Archiepiscopus, per diversa Maneria sua, & possessiones,

Henr. 3. R. fiones, fecundum poffibilitatem virium fuarum, mira charitate & larga benevolentia jufferat præparari neceffaria hominibus, & jumentis, & tam in Civitate *Cantuarienfi*, quam per circuitum advenientibus exponi. Et quamvis tanta præparatio minime potuerit fufficere omnibus, vel fingulis; oftendit tamen affectum, quia voluerat neceffaria procuraffe univerfis. Contigit autem quoddam memorabile, quod ad Martyris gloriam, procurante Domino, creditur accidiffe. Martyr enim fuit ea die de terra tranflatus, qua Rex *Henricus*, cujus tempore paffus eft, fuit in terra fepultus, ut impleretur hoc modo quod legitur in Scriptura, *Mons cadens defluit, & Saxum de loco fuo transfertur*. Montes funt qui terram planam altitudine fua tranfcendunt, & in fublime cacumen fuum attollunt. Montes itaque funt Reges & Principes, qui Terrarum Dominium obtinent, & fublimiores funt cæteris eminentia poteftatis. Mons ergo magnus cecidit, cum Rex *Henricus* occubuit. Mons autem ifte defluxit, cum Regem mortuum finus terræ fufcepit. Defluente igitur monte, Saxum eft de loco fuo tranflatum: quia, Regis corpore in terra depofito, Martyris corpus eft honorifice fublevatum.

Steph. Arch. Cant. Romam pergit. Dominus *Stephanus* Archiepifcopus *Cantuarienfis* profectus eft Romam; & cum eo *Richardus* de *Marifco Dunelmenfis* Epifcopus.

MCCXXI.

1221

Epifc. Lond. Epifcopatum refignat. Venerabilis Epifcopus **London**, nomine *Willielmus* de Ecclefia Sanctæ *Mariæ*, vir magni nominis, & non modicæ auctoritatis, vicefimo tertio Epifcopatus fui anno, tam ex propria voluntate, quam ex fummi Pontificis permiffione, refignat Epifcopatum in Eccclefia Sancti *Pauli* Apoftoli de **London**, in die viz. converfionis ejufdem Apoftoli, coram Domino *Pandulpho* Apoftolicæ fedis Legato, nec non & plurimis Epifcopis, qui forte tunc aderant, Epifcopali tamen dignitate de jure fibi remanente. Ex hoc omnibus, tam majoribus, quam minoribus, non mediocre humilitatis exemplum derelinquens. Qui & ipfe, tempore interdicti & afflictionis *Anglicanæ* Eccclefiæ, perfecutiones, tribulationes, diverfas injurias, rerum difpendia, longa exilia pro libertate Sanctæ Ecclefiæ tuenda, cum multis aliis injufte perpeffus eft.

Com. de Arundel ob. *Willielmus* Comes de **Arundel** rediens de Civitate *Damieta*, poftquam Dei virtute capta eft, moritur ultra *Romam*, apud quoddam oppidulum **Raintel** nomine, cujus corpus membratim divifum, ex ipfius juffione, in *Angliam* tranfportatum eft, & apud *Wimundham* fepultum.

Euftac. de Faucunberg. fit Ep. Lond. *Euftachius* de **Faucunberge**, Thefaurarius Regis *Henrici* III. in Epifcopum **London** confecratur apud *Weftmonafterium*, à *Benedicto Roffenfi* Epifcopo, quia Dominus *Stephanus Cantuarienfis* Archiepifcopus, anno præcedenti *Romam* perrexerat, & nondum reverfus fuerat.

Rex Scot. ux. ducit fororem Henrici R. *Alexander* Rex *Scotiæ* duxit in uxorem filiam *Johannis* Regis *Angliæ*, nomine *Johannam*, fororem fcil. Regis *Henrici* III. Obiit Abbas *Abendoniæ*, & fucceffit Camerarius ejufdem Ecclefiæ. *Pandulfus* ceffat à Legatione fua in *Anglia*, cito poft Feftum Apoftolorum *Petri* & *Pauli*.

Steph. Arch. Cant. in An. redit. Dominus *Stephanus Cantuariæ* Archiepifcopus revertitur in *Angliam* de *Roma*, in Autumno.

Peftis maxima. Hoc anno extitit tam grandis mortalitas hominum in trafmarinis partibus, tam Religioforum, quam cæterorum, ut in aliqua Abbatia IX. defuncti fimul una die haberentur; in pluribus vero Abbatiis tot languidi & ægroti, ut reliqui, qui fani & incolumes videbantur, vix fufficerent Officium concelebrare Divinum. In Civitatibus nihilominus, vicis, & villis veniens clades tantum invaluit, ut non nifi tres aut quatuor, ficut dicebatur, in aliqua villa invenirentur, qui potentes exifterent defunctorum corpora tradere fepulturæ.

Damieta à Paganis capta. Proh dolor! Pagani, orta diffentione & difcordia inter *Chriftianos*, aliifque infortuniis ingruentibus, Civitatem *Damietam* inopinato eventu recuperant, atque eandem fibi fubjugant, quam *Chriftianorum* populi non fine multo labore & fudore, Dei tamen virtute ceperant, & per biennium & eo amplius jam poffederant, & depopulaverant.

Epifcopus

Episcopus *Coventrensis*, nomine *Willielmus* de **Cornhill**, mense Septembri cum in Episcopatu suo cœpisset ordines * jam Acolitis, Subdiaconibus,& Diaconibus; & ventum esset ad Presbyteros ordinandos, subito percussus paralysi, non sine multorum admiratione, obmutuit, & sic officio inchoatæ ordinationis minime consummato, lingua etiam ejus deinde nimium intumescente, mutus permansit. *Petrus* de *Rupibus* Episcopus **Winton** cruce signatus est XIII. Kal. Octobr. Sigillum Domus nostræ mutatum est, in crastino viz. Beati *Kalixti* Papæ & Martyris. *Henric. 3. R. Ep. Covent. paralys. affectus.*

MCCXXII.

Obiit piæ memoriæ *Willielmus* Rector Ecclesiæ de **Bradewate**, qui inchoavit novam Ecclesiam de **Waverley**, vicesimo viz. anno postquam inchoata fuerat; & sepultus est foris juxta murum Australem ejusdem Ecclesiæ; cujus animæ misereatur, qui solus post mortem potest præstare medicinam. Amen. 1222 *Will. Rect. de Bradwate ob.*

Dominus *Stephanus Cantuariæ* Archiepiscopus celebravit concilium suum primum apud **Oxon**, XV. Kalend. Maii. In hoc concilio quidam Diaconus Apostata, qui duxerat quandam Judæam, degradatus est, & postea combustus. Quidam etiam Rusticus, qui se crucifigebat, immuratus est perpetuo. *Concil. Oxon.*

Nix permaxima in Mense Aprili prostravit multas arbores, & gelu superveniente, arbores mortificavit, ita quod folia non apparebant anno illo in pluribus locis terrarum, fructus etiam pomorum pluribus in locis omnino deperiit. *Nix & gelu max.*

Hoc etiam anno tanta extitit siccitas, quod omnia fere tarde seminata deperibant. Obiit piæ memoriæ *Walterus* quondam Prior **Meriton**, IV. anno ex quo susceperat habitum ordinis *Cartusiæ*. Obiit *Johannes* cognomento **Suthil** Abbas de *Hyda*, & successit ei Monachus quidam ejusdem loci *Walterus* nomine. *Siccitas max.*

Pandulfus quondam Legatus in Anglia consecratur *Romæ* in Episcopum *Norwicensem*, IV. Kal. Junii. *Pandulf. fit Ep. Norwic.*

Hoc anno concessit Rex *Henricus* III. de tota *Anglia*, per consilium Domini *Stephani Cantuariæ* Archiepiscopi, & aliorum Magnatum Terræ, in subsidium Terræ Sanctæ adquirendæ, de Comite quolibet III. Marc. de quolibet Barone I. Marc. de quolibet Milite XII. den. de quolibet libero homine I. den. de quolibet homine habente catallum ad valentiam dimid. Marc. I. den. Sed concessio ista parum aut nihil profuit, quia cito post contradictum est, & ad effectum minime perductum. *Subsid. in terram S. concessum.*

Exorta quadam tumultuosa seditione in Civitate **London**, ex occasione injuriæ & contumeliæ *Londoniensibus* apud *Westmonasterium* illatæ, præsumta nihilominus cujusdam transgressionis temeritate, à quibusdam pestilentibus Civitatis ejusdem, quæ ad perturbationem & violationem pacis esse videbatur, unus de primoribus & nobilioribus Civitatis, *Constantinus* nomine, causa illius, ut ferebatur, ad liquidum minime discussa, & sicut nonnullis visum est, velociori judicio quam decuit vel oportuit, cum quibusdam aliis suspenditur. Quidam vero alii ex urbe dehonestati sunt, & ignominiose tractati: quo facto, tota Civitas confunditur vehementer & conturbatur: sed latet adhuc quem finem res gesta sortiatur. Obiit *Thomas* Prior **Meretone**, & successit ei Canonicus quidam ejusdem Ecclesiæ, *Egidius* nomine. Obiit *Randulfus* Episcopus *Cicestriæ*. Stella magna & insolita apparuit in Autumno. *Londinenses tumultuantur.*

Dracones visi sunt à nonnullis huc illucque per aera volantes, a quibusdam etiam visi sunt quasi intra se pugnantes. *Dracones in aere.*

Circa Festum Sancti *Andreæ* Apostoli facta sunt tonitrua valde terribilia, & fulgura, & coruscationes, ex quibus multa multis modis incommoda homines perpessi sunt. *Tonitrua magna.*

Per idem etiam tempus ventus validissimus factus est, horribilis, mentes hominum valde deterrens, turres & domos subvertens, silvas & virgulta eradicans, multos quoque utriusque sexus diversis in locis, maxime tamen in Pago *Ventus mag. & inundatio.*

 Warewicensi,

Henric. 3. R. *Warewicensi*, miserabiliter in mortem dejiciens; postea vero nimia aquarum inundatio subsecuta est, quæ multis in locis damno & periculo fuit.

MCCXXIII.

1223 Plures Abbates ob. Hoc anno nonnulli tam in regulari quam in seculari habitu constituti, subito infirmitate correpti, mortui sunt. Abbates etiam de Coggeshal, de Dunkewell, de Bordesly, de *Certeseia* obierunt.

Puer quidam parvulus circiter VIII. sive VII. annorum, ad portam *Waverleiæ* degens, cecidit in aquam portæ contiguam, die inventionis Sanctæ crucis, quem mox unda rapuit, & fere in unius sagittæ cursum, videlicet, subtus quatuor pontes lapideos secum traxit; fluctuans igitur super aquam compertus est à quodam, & ab aquis ilico extractus, paululum aquæ, quam absorbuerat, evomuit, crastino vero die, Deo miserante, non solum pristinæ sanitati & incolumitati restituitur, verum etiam usque hodie ad eandem portam intrans & exiens, sicut heri & nudius tertius, etiamsi non quæritur, invenitur.

Episc. Carleol. ob. *Hugo* quondam Abbas *Belli Loci* Regis *Angliæ*, postea Episcopus de Cardul, rediens de *Roma* venit ad Abbatiam de Trinitate, ubi fere per III. dies infirmatus, quarto die obiit, III. Nonas Junii. Ecce quam repente tollitur è medio, cujus linguam nonnulli mirati sunt, pectus non ita. *Hamericus* Abbas IX. Elemosinæ obiit, cui successit quidam Monachus ejusdem Domus, *Sanctius* nomine.

Phil. Rex Franc. ob. *Philippus* Rex *Francorum*, princeps sapiens, & prudens, Regno suo pacato, & sapientia atque prudentia sua multipliciter dilato, obiit II. Id. Julii, anno Regni sui XLV. Fertur idem Rex vocasse *Lodowicum* filium suum primogenitum ante obitum suum, & præcepisse ei coram nonnullis Principibus Regni sui, ut Deum diligeret & timeret, & Sanctam Ecclesiam exaltaret & honoraret, & judicium & justitiam faceret populo suo, & præcipue ut pauperes & mediocres in Regno suo, contra superborum insolentiam, & præsidiis attollere t, & defensionis suæ auctoritate protegeret. Ludov. R. Franc. coron. Idem vero *Lodowicus* non multo post *Remis* Coronatus est, & unctus in Regem, viz. in die Sancti *Sixti* Papæ & Martyris.

Rex Hierosol. in Ang. venit. *Johannes* de Breines Rex *Jerosolimitanus* venit in *Angliam*, in Autumno.

Episcopi Exon. & Covent. ob. *Simon* de *Apulia Exoniensis*, *Willielmus* de Cornhell *Coventrensis* Episcopi mortem pertulerunt. Obiit *Willielmus* Abbas *Glastoniæ*, & successit ei Prior *Bathoniæ*. Iste *Willielmus* primus abbatizavit ibidem, postquam Episcopalis cupiditas illud juste meruit amittere, quod injuste præsumpsit invadere.

MCCXXIV.

1224 Obiit *Willielmus* Abbas Rievallis, & successit ei Abbas de Wardun. *Walterus*, Cognomento *Malus-Clericus*, factus est Episcopus de Carduil. Nonnulli Alienigenarum ejecti sunt, & amoti de Castellis & Custodiis suis in *Anglia*. Obiit *Willielmus* de Ecclesia Sanctæ *Mariæ*, Episcopus London, VI. Kalend. Aprilis.

Plures Episcopi consecrat. *Radulfus* de *Nova-villa* Thesaurarius Regis factus est Episcopus *Cicestrensis*. *Willielmus* Briwere Præcentor *Exoniæ*, factus est Episcopus ejusdem Ecclesiæ; consecrati sunt autem ambo London IX. Kalend. Maii, à Domino *Stephano Cantuariensi* Archiepiscopo.

Alexander de Staneby fit Episc. Covent. Magister *Alexander* de Staneby, Clericus de Camera Domini Papæ, consecratur ab eodem *Romæ* in Episcopum *Coventrensem*, die Sanct. Pasch. (id est) XVIII. Kal. Maii. *Willielmus Marescallus* duxit uxorem filiam *Johannis* Regis *Angliæ*, Elianor nomine, sororem scil. Reg. *Henr.* III. Obiit *Willielmus* Comes de Arundel adolescens, quarto anno post mortem patris sui, & sepultus est apud Wimundeham.

Cast. Bed. expugnatur. Falkesius in suam patriam cum dedecore dimittitur. *Lodowicus* Rex *Franciæ* subjugat ditioni suæ terram *Pictaviæ*. *Falkesius*, unus ex Alienigenis, quos aliquando *Johannes* Rex *Angliæ* in perniciosum auxilium sibi asciverat, roborato post mortem dicti Regis Castello de Bedeford, quod ab eodem Rege in custodiam acceperat, nonnullis etiam de Majoribus

Angliæ

Angliæ, ſicut dictum eſt, eidem *Falkeſio* conniventibus, tenuit idem Caſtellum contra Regem *Henricum* III. præfati Regis filium; ad quod expugnandum non ſolum Rex, verum etiam Dominus *Stephanus* Archiepiſcopus *Cantuarienſis*, & Epiſcopi, atque omnes fere Magnati *Angliæ*, licet fortaſſis non uno eodemque anno, pariter convenerunt. Quo tandem capto, omnes fere, qui ſponte ingreſſi in Caſtello inventi ſunt, ſuſpenſi ſunt in patibulis, in die viz. Aſſumptionis *Beatæ Mariæ*, homines circiter octoginta. Ipſe vero *Falkeſius* paulo poſt in Eccleſia *Coventrenſi* deprehenſus & captus, tandemque jure Eccleſiaſtico dimiſſus, non ſine confuſione & dolore in patriam ſuam reverſus eſt. Uxor autem ejus, per quam poſſeſſionibus, divitiis, & honoribus multipliciter fuerat exaltatus & ditatus, tradita eſt cuidam Magnato *Angliæ* cuſtodienda cum filiis ſuis.

Henric. 3. R.

Obiit *Symon* Abbas de **Tame**; ſucceſſitque ei quidam Monachus ejuſdem Domus, *Laurentius* nomine. Siccitas magna Hyemalis, unde & ſatio impedita, & fames ingens ſecuta eſt.

Siccitas hyemalis, unde fames ſubſecuta eſt.

MCCXXV. 1225

Obiit *Hugo* **Bigot** Comes **Norfolch**.

Henricus Rex *Anglorum* conceſſit & dedit hominibus de Regno *Angliæ*, libertates & conſuetudines, ſicut erant in diebus antiquis, & fecit eis inde Chartas duas, unam de Libertatibus, & liberis Conſuetudinibus Regni, aliam vero de Libertatibus *Foreſtæ*, & ad *Foreſtam* pertinentibus. Pro hac igitur conceſſione & donatione, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Abbates, Priores, Comites, Barones, Milites, & Homines libere tenentes de Regno conceſſerunt, & dederunt eidem Regi quindecimam omnium mobilium ſuorum. Monachi vero *Ciſtercienſis* ordinis tam pro libertatibus, quam pro gratia, & benevolentia Regis habenda, dederunt ei duo Millia Marcarum Argenti; *Judæi* autem exiſtentes in *Anglia* dederunt ei eodem tempore quinque Millia Marcarum Argenti.

R. H. 3. pro conceſſione magnæ Chartæ, & de Foreſta magnam pecuniæ ſummam à ſuis ſubditis recipit.

Obiit *Johannes Helyenſis* Epiſcopus, prius Abbas de *Fontibus*, cui ſucceſſit *Gaufridus* Archidiaconus *Norwicenſis*, frater *Huberti de Burgo*, Juſtitiarii *Angliæ*. Conſecratur autem *Londoniæ* à Domino Sancto *Cantuarienſi* Archiepiſcopo, in Natal. Apoſtolorum *Petri* & *Pauli*. Cedente Sanctio, ſucceſſit *Martinus* IX. Abbas Elemoſynæ, qui & ipſe prius bis abbatizaverat.

Johan. Ep. Elienſ. ob. ſuccedit Gaufridus.

Henricus III. Rex *Anglorum* ſuſceptus eſt in Domo noſtra, ſextodecimo Kalend. Januarii, cum ſolemni proceſſione. Craſtina vero die Capitulum introivit, & ſocietatem, fraternitatem, atque participationem beneficiorum Domus noſtræ petiit & accepit.

MCCXXVI. 1226

Hoc anno IV. Nonas Octobris, die Dominico, Beatiſſimus *Franciſcus* in Civitate Aſſiſii, in qua ortus eſt, apud *Sanctam Mariam de Portiuncula*, ubi ordinem fratrum minorum ipſe primo plantavit, expletis xx. annis ex quo perfectiſſime adhæſit Chriſto, Apoſtolorum vitam & veſtigia ſequens, egreſſus de carnis ergaſtulo ad Cœleſtium Supernorum manſiones, perfecte quæ cœpit conſummans, feliciſſime convolavit; cum Hymnis & Laudibus in ea Civitate ſacroſanctum corpus ipſius collocatum eſt, & honorifice reconditum, ubi ad gloriam Omnipotentis multis coruſcat Miraculis.

S. Franciſcus obiit.

Quidam converſus de **Bodelo**, inſtigante Diabolo, Abbatem ſuum interfecit, propter quod omnes ab eadem Domo ſunt ejecti, de cætero minime revocandi, & ſtatutum eſt ut Domus ipſa de cætero ſit quinque contenta.

Tertio Kalend. Februarii, VI Feria, dedicata ſunt Altaria duo, in craſtino ſubſequenti, viz. Sabbato, unum in Aquilonari Cruce Eccleſiæ noſtræ, à Domino *Johanne* Epiſcopo, tunc Vicario Domini P. *Wintonienſis*, in præſentia ejuſdem *Wintonienſis*. Obiit *Symon* Abbas de **Rading**. Obiit *Willielmus* cognomento *Longa Spata* Comes *Saresburienſis*. Cedente *Willielmo*, ſubrogatur *Reginaldus*, Prior *Geroldoniæ*, ejuſdem Domus Abbas decimus. Obiit *Richardus* de *Mariſco* Epiſcopus de *Dunelmo*.

Rich. de Mariſco Ep. Dunelm. ob.

Henric. 3. R. *Johannes* de Munemuhe construxit quandam Abbatiam de ordine *Cister-*
Abbatia Gratia Dei dicta in Wallia extruitur à Johanne de Monmuth. *ciensi* in *Wallia*, quam *Gratiam Dei* nominavit, veneruntque ibidem Monachi primo, VIII. Kal. Maii. *Lodowicus* Rex *Francorum*, tam rogatu quam jussu summi Pontificis, profectus est cum exercitu grandi ad Civitatem quandam vocabulo *Avinion*, & obsedit eam, quæ Romanæ Ecclesiæ, superbiendo vel potius apostatando, inobediens erat & rebellis. Illi autem, qui in urbe erant, arbitrantes non esse tutum diu tanto resistere Principi, reddiderunt se summo Pontifici. Legati vero Apostolici, qui in exercitu erant, tradiderunt urbem prædicto Regi. Rex igitur acceptis obsidibus ab his, qui in civitate erant, muris tunc ejusdem urbis fortioribus in locis per girum destructis atque deletis, cœpit reverti in Terram suam: sed in ipso itinere morbo correptus ex hac luce vel potius caligine subtractus est, anno Regni sui quarto, sicque cito gaudium conversum est in luctum & lamentum; *Lodowicus* autem filius ejus, puer circiter annorum XII. non multo post *Remis* coronatur, & ungitur in Regem, in die viz. Sancti *Andreæ* Apostoli.

Pandulf. Ep. Norwic. ob. succed. Thom. Obiit *Pandulfus* Episcopus *Norwicensis Romæ*, successitque ei *Thomas* de *Blumwilla* Clericus curialis; Consecratur autem *Londoniæ* à Domino S. *Cantuariensi* Archiepiscopo. Obiit *Johannes* Goddard de *Newentia*, primus Prior de *Novo Loco*; qui & ipse circiter LVII. ann. sacerdotio functus est. Obiit *Willielmus* Bruwer Fundator & Canonicus Ecclesiæ Sanctæ *Mariæ* de Dunckewelle. Obiit *Benedictus* Episcopus *Roffensis*.

1227 MCCXXVII.

Annus à Fundatione Abbatiæ de *Waverlea* Centesimus. Obiit *Willielmus* de *Mandevilla* Comes *Essexiæ*. *Hubertus* de *Burgo*, Justitiarius *Angliæ*, factus est Comes *Cantiæ*. Obiit *Honorius* Papa, successitque ei *Hostiensis* Episcopus, & vocatus est *Gregorius*. *Henricus* de Samford Archidiaconus *Cantuariæ* Consecratur ibidem in Episcopum *Roffensem*, VII. Id. Maii, à Domino Sancto *Cantuariensi* Archiepiscopo. *Henricus* Rex *Angliæ* fecit *Richardum* fratrem suum Comitem *Cornubiæ*, in die *Pentecostes*, III. viz. Kalend. Junii, apud London.

Fredericus Imp. ad Terram Sanctam ire nolens à Papa excommunicatur. *Petrus* de *Rupibus Wintoniensis*, *Willielmus* Bruer *Exoniensis* Episcopi, aliique nonnulli Episcopi, Clerici, & Laici de diversis Mundi partibus, arripuerunt iter, ituri in Terram Sanctam, cum multitudine maxima Christianorum, qui omnes, ut credimus, divinitus inspirati, Apostolicisque literis & monitis animati atque roborati, necnon virtute & ligno Sanctæ Crucis signati & armati, punire volebant injurias Dei in hostes nominis Christiani. *Fredericus* autem Imperator *Roman.* qui & ipse cruce signatus, &, ut sperabatur, dux & princeps exercitus Christiani, simulabat se cum cæteris profecturum: sed corruptus, ut fertur, muneribus & xeniis *Paganorum*, & de terra sua minime egressus, non mediocre intulit impedimentum exercitui Christiano. Peregrini siquidem, qui in *Syriam* adventum ejus jam prævenerant, audientes quod dictus Imperator, secundum quod promiserat, nequaquam veniret; plusquam XL. Millia in eisdem navibus, in quibus transierant, redierunt; pro quo facto postea *Romæ* multisque locis aliis solemniter excommunicatus est.

Greg. IX. Romam relinquit. *Gregorius* Papa, qui hujus nominis nonus dictus est, orta dissentione inter ipsum & *Romanos*, tum propter Imperatorem, quem excommunicaverat, tum propter alia quædam, quæ *Romani* non recte, ut sibi visum est, ab ipso exigebant, transtulit se Perusium, ubi non modico tempore moram fecit. Monachi *Belli-loci-Regis* intraverunt in novam Ecclesiam cum magno gaudio, in vigilia Assumptionis Beatissimæ *Mariæ*.

Fred. Imp. vexat Papam. *Fredericus* Imperator, adductis circiter XV. Millia *Saracenorum* in Imperium, Ecclesiam Dei conculcat, atque perturbat, confundit etiam miserabiliter negotium Terræ Sanctæ, &, post innumera fraudum commenta, contra *Romanam* Ecclesiam publice prosilit, in persecutionem ejus totaliter se conflando.

MCCXXVIII.

MCCXXVIII.

1228 Lodowicus Rex *Francorum* adhuc adolefcens conftruxit in Gallia, confilio Dominæ *Blanchæ* Reginæ Matris fuæ, quandam Abbatiam de Ordine *Ciftercienfi*, quam *Regalem Montem* nominavit. Veneruntque Monachi ibidem primo, in octavis pafchæ, IV. viz. Nonas Aprilis: conftituit etiam ut effent ibi 100 Monachi & *. Obiit *Richardus* Abbas **Bruere**. Obiit *Stephanus Cantuariæ* Archiepifcopus, in Scientia Theologica fuo tempore nulli fecundus.

Henric. 3. R.

Steph. Archiep. Cant. ob.

Præful virtutis Stephanus documenta falutis,
Vivens multa dedit, moriens à morte recedit.
Forma Gregis Clerique decus, vitæ fpeculator,
Et fpeculum, Chriftique fuit devotus Amator,

Richardus Epifcopus *Saresberienfis* tranflatus eft ad Epifcopatum de *Dunelmo*. Obiit *Euftachius* de **Faukeberge** Epifcopus *Londonienfis*. Obiit *Gaufridus* Epifcopus *Helienfis*.

Hoc anno canonizatus eft Beatus *Francifcus*, Epifcopis, Cardinalibus, aliifque Ecclefiarum Prælatis, numerofifque plebibus aftantibus, à Domino Papa *Gregorio*, altifona voce, protenfis ad Cœlum manibus, ita dicente: *Ad Laudem & gloriam Omnipotentis Dei, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, & gloriofæ Virginis* Mariæ, & *Beatorum Apoftolorum* Petri & Pauli, & *ad honorem* Ecclefiæ Romanæ, *Beatiffimum* Francifcum, *quem Dominus glorificavit in Cœlis, venerantes in Terris, de Confilio fratrum noftrorum, & aliorum Prælatorum, in Catalogo Sanctorum decrevimus adnotandum, & feftum ejus die obitus fui celebrari.* Facta funt autem hæc in Civitate *Affifi*, fecundo anno Pontificatus Domini Papæ *Gregorii*, 17. die Kal. Menfis Augufti. *Fredericus* Imperator applicuit excommunicatus in Terram Sanctam, circa Nativitatem Beatæ *Mariæ* femper Virginis.

Canonizatio S. Francifci.

Fred. Imper. ad Terram S. proficifcitur.

MCCXXIX.

1229 *Gregorius* Papa, directo Nuncio in *Angliam*, exegit ab Epifcopis, Abbatibus, Prioribus, aliifque Ecclefiarum Prælatis & Clericis, decimam omnium redditum, & proventuum ad fuftentandum exercitus, quos fub amplis ftipendiis miferat, ad recuperandum patrimonium Beati *Petri*, & Caftella, & Terras, à *Frederico* Imperatore invafas, & ut diffiparet & minueret, ubicunque poffet, poteftatem dicti Imperatoris, quià Deo & *Romana* Ecclefia videbatur averfus. Prædictus igitur Nuncius veniens in *Angliam*, dictam decimam, tam per fe quam per alios, diftrictiffime colligi fecit & adunari.

Cui abfenti Papa, decimis redit. ecclef. aft. per totam Angliam exactis, bellum infert.

Obiit Dominus *Adam* quondam Abbas *Waverleienfis*, vir religione, vita, & doctrina commendabilis. Hic inftituit ut una privata Miffa diceretur pro fingulis hofpitibus in infirmitorio Scolarium morientibus, in die fepulturæ eorum, five in craftino, quod antea in Domo noftra non fiebat.

De ftatu Sanctæ Terræ cunctos incertos cupientes reddere certos, ad *Jefu Chrifti* laudem, & nominis fui gloriam, Chriftianitatis exaltationem, & inimicorum Crucis Chrifti confufionem, *Sidonis*, & *Cæfareæ* Caftris ante adventum Imperatoris in Terram Sanctam bene firmatis, &, prout decuit, competenter munitis, & apud *Jopen*, quæ eft porta *Jerufalem*, poft prædicti Imperatoris in Terram Sanctam adventum, quodam Caftro pulcherrimo & fortiffimo firmato, & foffato in magna parte penato, fciatis quod *Keniel Soldanus Babyloniæ*, qui omnibus præeft *Soldanis*, multis per internuncios inter eos habitis confiliis, & colloquiis, tandem per treugas, inter eos per decem annos captas, reddidit Sanctæ Chriftianitati Sanctam Civitatem *Jerufalem*, & Sanctum Sepulcrum Domini, & *Bethleem* & *Nazareth* Civitates, & cheminum ufque ad flumen *Jordanis* cum quibufdam cafalibus, dictis civitatibus & chemino prædicto pertinentibus; nec non & Civitatem Beati *Georgii* in *Rhamis*, & planas de *Rhamis* in parte, & planas *Sydonis* in parte, & *Turonum Winfridi*, ita quod Deo gratias fecurum patet ire & redire omnibus peregrinis, tam illis fcil. qui modo funt in Terra Sancta, quam illis, qui in eandem infra treugas prædictas proceffu

Pax 10. annorum inter Saracenos & Chriftianos Terræ Sanctæ.

temporis

Henric. 3. R. temporis sunt venturi, ad peregrinationem suam faciendam, ab *Acon* usque *Tyronem* & *Sidonem*, & usque *Nazareth*, & usque ad Sanctam Civitatem *Jerusalem*, & usque flumen *Jordanis*, & usque *Bethleem*, per antiquam stratam peregrinorum, sicut inter perpetuæ memoriæ Dominum nostrum *Richardum*, quondam Regem *Anglorum*, & inter *Saladinum*, *Damasci* & *Babiloniæ* quondam *Soldanus*, fuit prolocutum; prædictus etiam *Fredericus* Imperator, die Dominica proxima ante Annuntiationem Domini, portavit Coronam Regalitatis in Civitate Sancta *Jerusalem*. Quoniam vero *Soldanus Damasci* qui Infans est, & malum habet consilium voluntati & sapientiæ prædicti *Keniel Soldani Babiloniæ*, in parte noluit, & in parte voluit prædictis treugis assentire. Prædictus *Soldanus Babyloniæ* hoc moleste tulit, & Civitatem *Damasci* una cum *Soraph Soldano* partium Orientalium, & fratre prædicti *Soldani Babyloniæ*, & prædicti *Soldani* avunculo, cum centum & quinquaginta ammirallis potenter obsedit, & etiam Castrum *del Crak*, quod est quoddam Castrum fortissimum & jus Christianorum. Ità quod in recessu latoris præsentium in Terra Sancta à nobis, fuerunt adhuc prædicti *Soldani* in obsidione prædicta Civitatis *Damasci*, Dat. apud *Acon* xx. die Aprilis.

Robertus de Bingeham, Canonicus Ecclesiæ Sarum, consecratur in Episcopum ejusdem Ecclesiæ à *Simone* Episcopo *Bathoniensi*, apud Wilton, VI. Kalend Junii.

Richardus cognomento magnus fit Archiep. Cantuariensis. *Plurimi Episcopi consecrantur.*

Richardus, cognomento *Magnus*, *Lincolniensis* Ecclesiæ Cancellarius, factus est Archiepiscopus *Cantuariensis*; consecratus est etiam apud *Cantuariam* ab *Henrico Roffensi* Episcopo, in die Sanctæ *Trinitatis*, IV. viz. Id. Junii. Notandum sane quod omnes Archiepiscopi *Cantuarienses*, qui istum præcesserunt, diversa habuere vocabula, nec quisquam illorum hoc vocabulo nuncupatus est, præter unum duntaxat, qui hujus vocabuli exstitit primus, iste vero hujus nominis dignoscitur esse secundus, Consecrantur etiam eodem die, apud prænominatam urbem, à *Simone Bathoniensi* Episcopo *Rogerus* cognomento *Niger*, Archidiaconus *Colecestriæ*, in Episcopum *Londoniensem*; Abbas Sancti *Edmundi* in Episcopum *Eliensem*. *Stephanus* Abbas de *Stanleia* factus est Abbas de *Sammaco*.

Comes de Sancto Ægidio ab Albigensibus descifcit.

Raymundus Comes de Sancto *Egidio*, per longum jam tempus excommunicatus, propter Hæreticos, qui vocantur *Albigenses*, quibus, sicut dictum est, favebat, venit in *Franciam*, ubi coram summi Pontificis Legato à vinculo anathematis absolutus, reconciliatus est Sanctæ Ecclesiæ. Interdictum vero, quod tempore patris sui cœperat, & jam per xx. annos in terra sua duraverat, eodem quoque tempore relaxatum est, qui viz. prædicti Comitis *Raymundi* pater præfatis, ut dictum est, Hæreticis favens, consiliis atque monitis Sanctæ Ecclesiæ nullatenus adquiescere voluit. Qua de causa solemniter excommunicatus est. Ipse autem, excommunicatione contempta, non solum non reliquit, verum etiam in erroris sui perversitate, usque ad finem vitæ, permansit, tandem excommunicatus interiit. *Fredericus* Imperator rediit de Terra Sancta. Sexagesimus annus à Passione Sancti *Thomæ* Martyris.

Fred. Imper. redit de Terra Sancta.

MCCXXX.

1230

R. Henric. 3. in Galliam transfretat.

Henricus III. Rex *Anglorum* transfretavit mare, ductore Comite *Britanniæ*, circa festum Apostolorum *Philippi* & *Jacobi*; applicuitque in *Britanniam* cum exercitu magno Procerum & Magnatum *Angliæ*; spe recuperandi terras quas ipse & pater suus, sive juste, sive injuste amiserant. Quod vero ibi gesserit superfluum est dicere, cum res sit in propatulo omnibus fere scire volentibus. Rediit autem in *Angliam*, circa Festum omnium Sanctorum. In ipso vero reditu obiit *Gilebertus* de *Clara* Comes *Glouceftrensis*, cujus corpus transportatum est in *Angliam*, & apud Theokesbury sepultum. Prædictus autem Comes *Britanniæ* longo jam tempore excommunicatus, propter quendam sacerdotem, quem vivum fecerat sepeliri, & propter nonnullas alias querelas, hoc eodem anno absolutus est, & Terra ejus ab interdicti sententia relaxata.

Re infecta redit.

Berengaria quondam Regina *Angliæ* (ipsa *Berengaria* filia Regis *Navarræ*, uxor

uxor *Richardi* I. Regis *Angliæ*) conſtruxit quandam Abbatiam de Ordine *Ciſtercienſi* in pago *Cenomannenſi*, quam nominavit *Pietatem Dei*. Ipſa vero non multo poſt obiit, atque ibidem in Eccleſia ſepulta eſt. *Henric. R. 3.*

Petrus de *Rupibus Wintonienſis* Epiſcopus, rediens de Terra Sancta, venit *Romam*, circa feſtum Sanctæ *Mariæ Magdalenæ*.

Pax & concordia facta eſt inter Papam *Gregorium* & Imperatorem *Fredericum*. *Leulinus* præfectus *Walliæ*, ſimulata dilectionis gratia, *Willielmum* de Brebiſa Baronem Nobilem ad Paſchalia Feſta ſecum agenda invitans, eundem poſt epularum & poculorum abundantiam, ſuper perpetrato adulterio, & violatione uxoris ſuæ malitioſe aggreſſus eſt, eumque aliquantis diebus vinculis irretitum carcere retrudens, ad ultimum, ut dicitur, turpiſſima morte damnavit. In qua maligna præſumtione Domino Regi *Angliæ*, cunctiſque Optimatibus Terræ non modicam intulit confuſionem, ſed proprio collo reſtem paravit in iſto facto, ſi juſtus ſit Rex ultorque fidelis. *Pax inter Papam & Imperatorem.*

Orta diſcordia inter *Richardum* Archiepiſcopum *Cantuarienſem* & Regales, qui violenter ejecerant homines Archiepiſcopi de quadam Cuſtodia, quæ, ſicut nonnullis viſum eſt, proprie ſpectat ad jus *Cantuarienſis* Eccleſiæ; excommunicatis etiam qui violentiam perpetraverant, aliis quoque cauſis emergentibus, profectus eſt Archiepiſcopus *Romam*. Rediens vero ab urbe ad Sanctam *Geminam*, morboque correptus obiit, atque ibidem apud Eccleſiam fratrum *Minorum* honorifice tumulatus eſt. *Rich. Archiep. Cant. ob.*

Quam brevis & fallax hujus ſit gloria vitæ,
Præſulis iſtius mors demonſtrat ſine lite.

Richardus Frater *Henrici* III. Regis *Anglorum* duxit relictam *Gileberti de Clara* Comitis *Glouceſtriæ*, ſororem ſcilicet *Willielmi Mareſcalli*, qui viz. *Willielmus Mareſcallus* non multo poſt obiit, atque apud *Londoniam* juxta patrem ſuum ſepultus eſt. *Rich frater Hen. 3. ducit in uxorem relictam Comitis Gloceſt. Guil. Mareſc. obiit.*

Militis iſtius mortem dolet Anglia; *Ridet*
Wallia, *viventis bella minaſque timens.*

In die Sancti *Barnabæ* conſecrata ſunt duo altaria, in craſtino vero unum in Auſtrali Cruce Eccleſiæ noſtræ, à Domino *Johanne* Epiſcopo, tunc temporis Domini *Wintonienſis* Vicario. Dies quoque conſecrationis eorum venerantibus x. dies remiſſionis conceſſit, totidem vero dies Indulgentiæ idem Epiſcopus conceſſit, quando tria Altaria in Aquilonari cruce dedicavit.

N. *de* Verdona *temptans evadere mortem,*
Mortis non potuit in equis tranſcurrere ſortem.

Petrus de *Rupibus Wintonienſis Epiſcopus*, rediens de Terra Sancta, applicuit in *Angliam*, circa Feſtum Sancti *Jacobi* Apoſtoli. Obiit *Martinus* Abbas XI. Elemoſynæ, cui ſucceſſit *Gaufridus* Abbas de Land.

Egidius Prior *Maritonæ*, relicta paſtorali cura, factus eſt Monachus *Ciſtercienſis* Ordinis; cui ſucceſſit quidam Canonicus dictæ Domus *Henricus* nomine.

Monachi de Waverly intraverunt in novam Eccleſiam de prima veteri Eccleſia, cum ſolenni proceſſione & magnæ devotionis gaudio, in Feſto Sancti *Thomæ* Apoſtoli, anno XXX. ab inchoatione novæ Eccleſiæ, cujus inceptor fuit bonæ memoriæ *Willielmus* de Bradewatere.

MCCXXXII. 1232

Hoc anno *Henricus* III. Rex *Anglorum* accepit ab Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, Prioribus, & Clericis, Terras habentibus, quæ ad Eccleſias ſuas non pertinebant, Comitibus, Baronibus, Militibus, Liberis hominibus, & Villanis de Regno *Angliæ*, in auxilium, quadrageſimam partem omnium Mobilium *Quadrageſima pars mobilium apparentium ſolvitur Regi.*

 bilium

Henric. 3. R. bilium suorum apparentium, sicut ea habuerunt in crastino Beati *Matthæi* Apostoli, anno videlicet dicti Regis XVI. Nihil vero capiebatur ab aliquo, qui non haberet ad minus hujusmodi bona ad valentiam XI. Denariorum. Monachi vero *Cistercienfis* Ordinis in *Anglia* ab hac exactione & servitute nequaquam immunes extiterunt.

Iste est annus octavus, à quo Dominus *Henricus* III. Rex *Angliæ*, communi assensu & voluntate Magnatum, tam Clericorum, quam Laicorum totius *Angliæ*, quintamdecimam partem omnium Catallorum universaliter accepit, concedens & Chartis suis irrefragabiliter corroborans omnes libertates *Anglicanas*, temporibus proavorum suorum liberius & quietius usitatas, tam in Forestis, quam extra, à se & suis inposterum firmiter observandas. Et ne quis ausu temerario prædictas libertates infringere in perpetuum acceptaret, Dominus *Stephanus Cantuarienfis* Archiepiscopus, cum suffraganeis suis astantibus & consentientibus, Domino Rege & Regni Magnatibus, anathematis sententiam candelis accensis in publico promulgavit; sed, proh dolor! aggravatum est jam jugum servitutis, & maxime de Foresta fit novissimum pejus priori.

Hubertus de Burgo officio Justitiarii pellitur, cui succedit Stephanus de Segrave.

Hubertus de *Burgo* Regis & Regni Rector, & pro libitu dispositor & dispensator, Comes *Cantiæ* & totius *Angliæ* Justitiarius; cui nihil Regiæ defuit potestatis, præter solius Regii Diadematis dignitatem, super multiplicibus & enormibus criminibus Domino Regi accusatus, à latere Regis, & ab omni potestate semotus, etiam ex improviso persecutus, captus, & catenatus, carcerali custodiæ apud *Divisas* est mancipatus, cui communi assensu & consensu Domini Regis, & Magnatum totius Regni, successit *Stephanus* de Seigrave in Justitiariam potestatem inmediate

Hujus ad exemplum caveat sibi falsa potestas,
Ne pro delictis, Rege jubente, ruat.

Obiit *Randulfus* Comes *Cestriæ* apud Walingeford.

In Terris gaudens fuit iste Comes, Deus illi
Subveniens tribuat gaudia summa Poli.

Quæstio Prioratus inter Abbatem de Waverly & Abbatem de *Furnesio* terminatur hoc modo; videlicet quod Abbas de *Furnesio* habeat Prioratum, in tota Generatione *Elemosinæ* in *Anglia*, & in Generatione *Saviniaci* in *Anglia* tantum. Abbas autem Waverly habeat Prioratum ubique tam in congregationibus Abbatum, quæ fuerint per *Angliam*, quam alias per Ordinem universum.

MCCXXXIII.

1233 *Maxima inundatio.*

Hoc anno mense Julio, V. Id. ejusdem mensis, hora diei sexta, feria II. Luna XXX. facta est per *Angliam* aquarum inundatio subita & inæstimabilis in plerisque locis, & præcipue in partibus Australibus pernix & intolerabilis, in hominum & animalium submersione lamentabilis: in ædificiorum ripis adjacentium, molendinorum, & pontium subversione irreparabilis, in fœnorum & fructuum vastatione irrecuperabilis. In Domo vero de *Waverlea* tempestas terribilis supra modum vehementissime defæviens, pontes lapideos, muros & calceta diruens & confundens, claustrum & omnes officinas impetuose transcurrens, & etiam usque in novum Monasterium excrescens, in pluribus locis usque ad altitudinem fere VIII. pedum ascendit, damna autem & incommoda ejusdem Domus tam in ædificiis, quam variarum rerum intus & exterius amissionibus, non est qui pro certo audeat vel valeat æstimare.

Abbatia de *Gratia Dei Cistercienfis* Ordinis, à *Johanne* de Monemue fundata, à *Wallensibus* funditus eversa est, ita quod de ea jam dici possit. *Jam seges est ubi Troja fuit.* Causam prætendentibus & asserentibus, quod prædictus *Johannes*,

hannes prædictam Abbatiam in fundis suis ab ipso violenter præoccupatis, eisdem reclamantibus fundare præsumsit. *Henric.* 3. R.

MCCXXXIV. 1234

Edmundus Thesaurarius Sarum à Domino *Rogero Londoniensi* Episcopo, consistentibus & congratulantibus XIII. Episcopis, Domino Rege & IV. Comitibus, & cæteris innumeris communiter congregatis in Ecclesia *Cantuariæ*, in Archiepiscopum honorifice consecratur, Dominica qua canitur *Lætare Jerusalem*, IV. viz. Nonas Aprilis. *Edmundus Thesaur. Sarum in Archiep. Cant. consecratur.*

Fulget in Edmundo *pia mens in Corpore mundo,*
Gratia quem mundo dedit omine summa secundo.

Seditio quorundam Magnatum Ang.

Orta dissentione inter Dominum *Henricum* III. Regem *Angliæ* Filium Regis *Johannis*, & quosdam Magnates Regni sui, maxime *Huberto de Burgo* vinculis carceralibus in Castro de *Divisis* mancipato, *Gileberto* Basset, *Richardo* Ward cum eorum complicibus, Edicto Regio profugis & exulibus, *Richardus Marescallus* vir omnium morum honestate præditus, nobilitate generis insignis, artibus Liberalibus insigniter eruditus, in armorum exercitio strenuissimus, in omnibus operibus suis Deum habens præ oculis, Regis & Regni prævidens & verens excidium, ut pacem & concordiam reformaret se ipsum exponens discrimini, se murum inter Dominum Regem & Magnates opposuit. Sed hostis antiqui prævalente versutia Dominus Rex sinistro circumventus consilio, in ipsum cœpit omnem exercere tyrannidem, terras, homines, hortos, ædificia, sed & omnes possessiones suas in potestate sua destruere procuravit. Ille vero hæc omnia patienter sustinens, Dominum Regem ut à talibus desisteret, & se Regno suo conformaret, per viros Religiosos suppliciter hortabatur, cui super hoc indignanti, & eum in virtute magna persequenti, tandem vi vim viriliter reprimens in *Wallia* restitit. Nec tamen quantum potuit Domino Regi damnum intulit, quia reverentiam, quam Domino debuit, consideranter conservavit; fuit tamen inter eas dura minisque durans decertatio, & dubius, ut esse solet, bellorum eventus; Interim vero *Richardus* Siward, & *Gilebertus* Basset, & eorum complices, pro se & terris suis perditis & destructis, tanquam lupi rapaces desævientes, terras Consiliariorum Domini Regis destruere non cessabant, maxime Domini *Wintoniensis* Episcopi, *Richardi* fratris Regis, *Petri* de *Rivallo*, & *Stephani* de Segrave tunc Justitiarii & eorum complicium. *Hubertum* autem de *Burgo* de Castro de Divisis evasum, & ab Ecclesia violenter extractum, & iterum privilegio Sanctæ Matris Ecclesiæ sub anathematis sententia restitutum, in manu forti, in conspectu omnium eduxerunt, & de omni Regia potestate conduxerunt. Tandem bonorum virorum interventu, maxime Domini *Edmundi* Archiepiscopi & aliorum, treugis inter Dominum Regem & *Marescallum* positis; *Richardus Marescallus* ammonitione & consilio hominum suorum, de quibus tanquam de se ipso confidebat, cum paucis hominibus *Hyberniam* ingredi festinavit, ibique suorum fraudulento malefretus consilio etiam contra propositum proprium eorum consentiens voluntati, licet se solum & omni fideli confortio destitutum non ignoraret, campestri prælio se contra Inimicos & etiam innumerabiles exponere non formidavit. Quia suis continuo derelictus, & hostium suorum multitudine circumseptus, de virtute virium suarum confidens, quasi leo rugiens in bestias desævit à dextris & sinistris, quotquot attingere potuit interficiens, inter hostes suos quasi securus & alacer discurrens, subnervato tandem equo suo, eoque nimia multitudine compresso, quidam maligno spiritu vegetatus eum à posteriori parte latenter aggrediens, eidem ex improviso in inferiore corporis regione, quo nudum & inermem recognovit, lethale vulnus inflixit. Ipse vero proh dolor! lethaliter sauciatus, & jumento suo sibi deficiente, crebris impulsus ictibus solo prostratus, & in excessu mentis effectus, per aliquantulum spatium ab ipsis hostibus mortuus reputabatur. Tandem respi-

Henric. 3. *R.* rante fpiritu vivum videntes, affumentes eum cum magna reverentia in Caftellum deportaverunt, ubi curis medicinalibus plagis adhibitis, xv. diebus, quos ei Deus ad pœnitentiam providerat, expletis, in cordis contritione, veraque confeffione, facrofancta Dominici Corporis & Sanguinis . . . . communione debitum humanæ naturæ perfolvit, cujus animæ propitietur Deus Amen. Quo cognito, totoque præfumptionis progreffu diligenter inveftigato, quando Rex pœnitentia ductus, mifericordia motus, vehementi dolore turbatus, amotis à latere fuo cunctis Alienigenis cæterifque, quorum Confiliis ufus fuerat, omnes profcriptos exules revocavit, & in hæreditatibus fuis fine dilatione collocavit, *Gilebertum* vero *Marefcallum*, fratrem & hæredem prædicti *Richardi*, Domini *Eadmundi* Archiepifcopi aliorumque Magnatorum confilio liberaliter recipiens, eidem omnia jura fibi pertinentia gratanter reftituit. Nec moveat Lectorem, fiquæ in principio narrationis iterentur, quæ in anno præterito contigerant. Hoc enim fit propter narrationis continuationem.

Livor edax, morum fubverfio, fax vitiorum,
Vitricus Anglorum, rapuit folamen eorum.
Principis abfque pare, Gens livida, mentis avaræ
Præfumpfit, claræ decus indolis anticipare.
Anglia plange, Marefcallum *plangens lachrymare*
Caufa fubeft, quare, quia pro te planxit amare.
Virtus militiæ, patriæ protectio, gentis
Fraude ruit propriæ miferere Deus morientis. Amen.

Stephanus de Segrave amotus eft à poteftate Júftitiaria Regni *Angliæ*, quia ficut dictum eft, confentiens erat cum quibufdam Alienigenis iniquæ proditioni, in qua *Richardus Marefcallus* lethale vulnus accepit, quo tandem ingravefcente . . . . luce vel potius caligine fubtractus eft.

Cedente *Michaele* Abbate de *Cumba*, fucceffit ei quidam Monachus de Swinefheved, *Robertus* nomine, quo celeriter de medio fublato, fubrogatur *Willielmus* fupprior de *Geroldonia*.

Cedente *Reginaldo*, fubrogatur *Andreas* Prior de Gerud, ejufdem Domus Abbas XI.

Hugo Ep. Heref. ob. fucced. Radul. Obiit *Hugo* Epifcopus *Herefordenfis*, & fucceffit *Radulphus* de Maydenestan, Decanus ejufdem Ecclefiæ. Confecratus eft autem *Cantuariæ* ab *Edmundo* Archiepifcopo.

1235 MCCXXXV.

Hug. Ep. Linc. ob. Obiit *Hugo Lincolnienfis* Epifcopus, & fucceffit *Robertus* cognomento Grofeteste. Confecratur autem apud Rading ab *Edmundo Cantuarienfi* Archie-*Hen. Roff. ob.* pifcopo. Obiit *Henricus Roffenfis* Epifcopus.

Ifab. Fred. Imp. nupta. *Henricus* III. Rex *Anglorum*, filius *Johannis* Regis, maritavit hoc anno *Yfabellam* fororem fuam *Frederico* Imperatori *Romanorum*.

1236 MCCXXXVI.

R. Henric. 3. *ducit in uxorem Alienoram filiam Comit. Provinciæ.* Hoc anno ad petitionem *Henrici* III. Regis *Anglorum*, Filii *Johannis* Regis, adducta eft in *Angliam Alienora* filia Comitis *Provinciæ*, poft Natale Domini, & in craftino Sancti *Hilarii* dicto Regi *Henrico* defponfata, in Civitate *Cantuariæ*, à venerabilis memoriæ *Edmundo Cantuarienfi* Archiepifcopo, & in Octavis Sancti *Hilarii*, convocatis fere totius *Angliæ* Magnatibus, Clericis viz. diverfarum dignitatum, & variorum ordinum, & Laicis utriufque fexus apud *Weftmonafterium*, cum tanta folemnitate una cum Domino Rege coronata, quod à nemine qui viderit, vel audierit digne valeat vel dimidia pars explicari.

Cedente *Gauchero* Abbate *Ciftercienfi*, fucceffit *Johannes* Abbas de *Boxlea*, Abbas vicefimus *Ciftercienfis*, *Anglicufque* fecundus.

Cedente

Cedente *Rogero* Abbate de *Forda*, ſucceſſit quidam Monachus ejuſdem Domus *Johannes* nomine.

Henric. 3. R.

Cedente *Adam* Abbate de *Waverlea*, ſucceſſit *Giffardus* Abbas de **Betlesdene**, Abbas x. de *Waverlea*. Iſte inſtituit unam Miſſam privatam celebrari in Anniverſariis illorum; qui per ſpeciale beneficium refectioni fratrum annuatim aſſignatum, memoriam ſui reliquerunt, cum ſpeciali miſericordia in poſterum merito recolendam.

Hic etiam inſtituit, ut in Natali Domini, & in Feſto *omnium Sanctorum*, ad omnia altaria, quæ ſunt in Eccleſia noſtra, habeantur candelæ ardentes, dum in ea Divinum Officium celebratur, viz. ad utraſque veſperas, & ad noctes, & ad Laudes, & ad Miſſas. Quod etiam totus Conventus noſter inviolabiliter in poſterum obſervari deſiderat.

Obiit *Thomas* de **Blumvill** Epiſcopus *Norwicenſis*. Obiit *Willielmus* de **Bleis**, Epiſcopus *Wigornienſis*. *Johannes* de **Mounnie**, conſtruit vel potius reædificat Abbatiam de *Gratia Dei*, quam *Wallenſes* funditus deſtruxerant, tempore diſcordiæ inter *Henricum* III. Regem & *Richardum Mareſcallum*, alio tamen in loco, quam prius conſtructa fuit.

Thom. Ep. Norwic. Willielmus Ep. Wigorn. ob.

MCCXXXVII. 1237

Rogerus Monachus de *Waverlea* factus eſt Abbas de *Cumba*.

Henricus Rex *Anglorum* fecit hoc anno inquiri per *Angliam*, ſi quid latenter ſubtractum eſt de Dominicis ſuis. Inquiſitione autem facta per lagales homines provinciarum, inventi ſunt nonnulli tenere quaſdam Terras, de quibus quomodo, vel de quo illas tenerent, nec certam rationem reddere, nec ſufficiens munimen potuerunt oſtendere; niſi quod ipſi & patres eorum eaſdem Terras quamvis occulte per longa jam tempora tenuiſſent & poſſediſſent.

R. Hen. inquiſitionem fieri curat in ſuas Dominicas Terras.

Obiit *Richardus* Epiſcopus de *Dunelmo*, & ſepultus eſt in Eccleſia Monialium apud *Tarentum*. Hic primo fuit Epiſcopus apud *Ciceſtriam*, poſtea apud *Saresberiam*, deinde apud *Dunelmum*, denique iſte idem eſt, cujus conſilio & auxilio nova Eccleſia de *Saresberia* incepta eſt.

Rich. Ep. Dunelm. ob.

Henricus III. Rex *Anglorum* accepit hoc anno in auxilium Triceſimam Mobilium per totum Regnum *Angliæ*.

R. H. accip. triceſ. mobil.

Gualterus de **Cantelon** conſecratus *Romæ* in Epiſcopum *Wigornienſem*, & venit in *Angliam* circa Feſtum *Sancti Petri ad vincula*, cum *Othone* Legato Domini Papæ. Iſte *Otho* Diaconus Cardinalis tenuit poſtea generale Concilium *Londoniæ*, in craſtino Octavar. Sancti *Martini*, exiſtentibus ibidem *Cantuarienſi*, *Eboracenſi* Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, Prioribus, aliiſque Eccleſiarum Prælatis fere totius *Angliæ*; de Ordine vero *Ciſtercienſi* pauci admodum Abbates ibi fuerunt: Sane de conſtitutione, quam paulo ante Concilium fecerant Abbates Ordinis Sancti *Benedicti* per *Angliam* conſtituti, de carnibus non comedendis, ſacro approbante Concilio, his verbis definitum eſt; *Audivimus & lætati ſumus, quod Religioſi Viri Abbates Ordinis Beati* Benedicti *per* Angliam *conſtituti, convenientes nuper in ſuo Capitulo generali, tanquam Filii juxta ſermonem propheticum ad ſuos terminos revertentes, provide ſtatuerunt, ut de cætero ſecundum Beati* Benedicti *Regulam ab eſu carnium debeant abſtinere, exeptis debilibus & infirmis, quibus debet ſecundum ejuſdem Regulæ continentiam in Infirmitorio provideri, quod utique approbantes, ſtatuimus inviolabiliter obſeruari.* Siquis autem plenius ſcire deſiderat hujus ſtatuta Concilii, ex ſcriptis quæ ibi in audientia omnium publice recitata ſunt, pleniſſime poterat edoceri.

Otho Legatus Concilium Celebrat Londini.

Uſus carnium interdicitur.

MCCXXXVIII. 1238

Simon de *Monteforti* duxit uxorem *Alienoram* Comitiſſam de **Penbroc** Relictam *Willielmi Mareſcalli*, ſororem viz. *Henrici* III. Regis *Angliæ*. *Richardus* de *Clara* adoleſcens vita comite futurus Comes *Glouceſtriæ*, duxit uxorem filiam *Johannis* de **Lacy** Comitis *Lincolniæ*. Obiit *Johanna* Regina *Scotiæ* in *Anglia*, ſoror viz. *Henrici* III. Regis *Anglorum*, & ſepulta eſt in Eccleſia Monialium de *Tarento*. Obiit *Adam* Abbas de **Rading**, ſucceſſitque ei *Richardus* Subprior ejuſdem Domus.

Joan. Regin. Scotiæ moritur in Angl.

Henric. 3. R.

Quidam Nobilis Candidatus Imperii Constantinopol. venit in Angl.

Quidam adolescens futurus, ut sperabat, Imperator *Constantinopolitanus*, venit in *Angliam*, acceptisque à Rege muneribus reversus est in patriam suam. Controversia inter Archiepiscopum *Cantuariensem* & Monachos *Roffenses* de electione sua, terminata est in præsentia Domini Papæ, existente ibidem Archiepiscopo *Cantuariensi*, hoc modo viz. quod de cætero habeant Monachi electionem suam.

Petrus Ep. Winton. ob.

Obiit *Petrus* de *Rupibus* Episcopus *Wintoniensis* in oppidulo suo de Farnham, cujus cor cum visceribus sepultum est in Ecclesia Beatæ *Mariæ* de Waverly. Corpus vero ipsius delatum est *Wintoniam*, ibique in Basilica sedis suæ honorifice tumulatum. Obiit *Philippus* Abbas de *Quararia*, subrogatur *Augustinus* Prior ejusdem Domus. *Fredericus* Imperator exercens tyrannidem obsidet & impugnat Civitatem *Mediolanensem*; cui illi fortiter atque viriliter resistunt. Orta dissentione quadam, in Ordine *Cisterciensi* per quorundam insolentiam, *Johannes* Abbas *Cisterciensis* eligens magis solitudinem & quietem, quam lites & contentiones, relicta pastorali cura cessit; cui successit *Willielmus* Abbas de *Firmitate* Abbas vicesimus primus *Cistercii*. Obiit *Rogerus* Abbas de *Cumba*, successitque ei *Rogerus* Cantor ejusdem Domus.

Inundatio.

Hoc anno statutum est in Capitulo generali *Cisterciensi*, ut per totum Ordinem fieret commemoratio Beatorum *Benedicti* & *Bernardi* in Conventu,ad Vesperas, & ad Laudes tantum, quod nequaquam antea fiebat in Ordine. Cedente *Gaufrido* subrogatur *Robertus* Abbas de Begar, Abbas tertius decimus *Elemosynæ*.

Rich. Ep. Roff. consecratur.

Hoc anno in *Adventu Domini* nimia aquarum inundatio facta est per *Angliam*, quæ multis in locis damno & periculo fuit.

Richardus de Wendoner factus est Episcopus de Roff. Consecratus est autem *Cantuariæ* ab *Edmundo* Archiepiscopo in crastino Sancti *Edmundi* Regis & Martyris. Obiit *Henricus* Prior *Meritonæ*, cui successit quidam Canonicus ejusdem Domus *Robertus* nomine. Obiit *Alexander* Episcopus *Coventrensis*.

Alex. Ep. Coventr. ob.

Lites inter Archiepisc. Cant. & Monachos ejusdem ecclesiæ.

Orta dissentione inter *Edmundum* Archiepiscopum & Monachos *Cantuarienses*, profectus est idem Archiepiscopus *Romam*, ibique causis utriusque partis coram Domino Papa propositis atque discussis, inventum est atque probatum Monachos reos existere in quibusdam, de quibus pro reverentia tantæ Ecclesiæ magis decet silere quam loqui; quamquam rei veritas multorum jam notitiam minime lateat; his itaque gestis & auditis, *Johannes* Prior *Cantuariensis* sibi præcavens, & rigorem fortassis discussionis canonicæ metuens,transtulit se ad quandam Domum Ordinis *Cartusiæ*, atque non multo post defunctus est. Igitur Archiepiscopo de *Roma* jam regresso, Monachi sine Priore existentes mandaverunt ei, quatenus veniret atque Priorem sibi ordinaret. Illo autem diutius moram faciente, atque negotium protelante, Monachi dilationem ægre ferentes ordinaverunt sibi Priorem absque illius consilio, atque assensu. Quo audito Archiepiscopus excommunicavit tam Priorem qui creatus fuerat, quam illos qui in ordinatione illius auctores, & fautores extiterant, & Ecclesiam interdixit; Monachi vero innitentes & adhærentes appellationibus atque privilegiis suis, non magnopere curantes de excommunicatione sive interdicto, aliquatenus à divinis cessare nolebant, sed more solito pulsatis campanis Officium Divinum solemniter agentes usque hodie celebrare non desistunt.

Rad. Ep. Heref. relicto Episcopat. fit Monachus.

Radulfus de Maydestan Episcopus *Herefordensis* non immemor Scripturæ dicentis, *vovete & reddite*, & iterum, *melius est non vovere, quam votum non reddere*, relicto Episcopatu transtulit se ad ordinem Fratrum Minorum, sicut ante Episcopatum in proposito habuit & in voto.

MCCXXXIX.

1239

Simon. de Monteforti fit Comes Leycestriæ.

Henricus III. Rex *Angliæ* fecit *Simonem* de *Monteforti* Comitem *Leycestriæ*, in die Purificationis gloriosæ Virginis *Mariæ*. Hoc anno comparata est major campana Domus nostræ, tempore Domini *Giffardi* Abbatis, cœpitque pulsari

ſari primum ad horas, in die ſancto Paſchæ, cujus nomen his verſibus ſciri poteſt, qui in eadem Campana ſcribuntur. *Henric. 3. R.*

Dicor nomine quo tu Virgo domeſtica Chriſti,
Sum Dominæ præco cujus tutela fuiſti.

Hoc anno menſe Junio, in craſtino Sancti *Botulfi* natus eſt *Londoniæ* filius *Henrico* Regi *Anglorum* ex uxore ſua Regina *Alienora*, & vocatus eſt *Edwardus*. *Edvardus princeps naſcitur.*

Anglorum Regis, Edwardus naſcitur Hæres.

Inquiſitione jam facta per *Angliam* ex præcepto Regis *Henrici* III. ſiquid latenter ſubtractum eſſet de Dominicis ſuis, idem *Henricus* Rex *Anglorum* recuperavit hoc anno, menſe *Junio*, per conſiderationem Curiæ ſuæ, quaſdam Terras cum pertinentiis in **Netham**, quas quidem terras cum pertinentiis in eadem Curia ſua clamavit ut jus, & dominium ſuum, atque eaſdem terras cum pertinentiis dedit Domui noſtræ in perpetuam, liberam, & puram eleemoſynam; de quibus etiam terris cum pertinentiis plenam ſeiſinam nos habere fecit, in craſtino Sanctorum Martyrum *Gervaſii* & *Prothaſii*, anno Regni ſui viceſimo tertio. Breve autem Regis de ſeiſina, in quo terrarum particulæ continentur in Rotulo ejuſdem Regis inrotulatum eſt.

Omnes Magnates *Angliæ* faciunt fidelitatem *Edwardo* filio Regis *Henrici* adhuc in cunis jacenti.

Fredericus Imperator, qui quondam *Puer Apuliæ* appellatus eſt, multa & magna mala fecit, ſicut ex conſequentibus liquido poteſt Lector advertere. Ipſe ſiquidem movit ſeditionem in urbe, per quam intendebat *Romanum Pontificem* & fratres ſuos à ſua ſede repellere, & contra privilegia, dignitates, & honores *Apoſtolicæ ſedis* Libertatem Eccleſiaſticam conculcare. Item Epiſcopum *Prœneſtinum* Apoſtolicæ ſedis Legatum, ne in Legatione ſua procederet, cui in *Albigenſibus* partibus pro corroboratione Catholicæ Fidei Dominus Papa vices ſuas commiſerat, per quoſdam fideles ſuos impediri mandavit. Item non permittat quaſdam Cathedrales & alias vacantes Eccleſias in Regno ordinari, & hac occaſione periclitatur libertas Eccleſiæ, perit fides, quia non eſt qui ponat Verbum Dei, nec qui regat animas, deficiente Paſtore. Item Clerici in Regno capiuntur, incarcerantur, proſcribuntur, & occiduntur; Eccleſiæ, Domino conſecratæ, deſtruuntur & profanantur. Item non permittit Sacras Eccleſias reparari. Item terras quorundam Nobilium de Regno, qui Eccleſiam tenebantur defendere, ad manus ſuas occupavit & devaſtavit. Quaſdam Eccleſias Cathedrales bonis ſuis ſpoliavit. Item multæ Eccleſiæ Cathedrales, & aliæ Eccleſiæ & Monaſteria de Regno per iniquam inquiſitionem fuerunt per eum fere omnibus bonis ſpoliatæ. Item Talliæ & Exactiones contra formam pacis ab Eccleſiis & Monaſteriis per ipſum extorquentur in Regno. Item in Regno Prælati Eccleſiarum, & Abbates *Ciſtercienſes*, & aliorum Ordinum compelluntur per ſingulos menſes dare certam ſummam pecuniæ pro conſtructione novorum Caſtrorum. Item contra tenorem pacis, hi qui adhæſerunt Eccleſiæ bonis omnibus ſpoliati exiliari coguntur tanquam proſcripti, liberis & uxoribus captivatis. Item impeditur negotium Terræ Sanctæ, & reparatio Imperii *Romani*. Pro his omnibus, & hujuſmodi, & multis aliis malis, pro quibus dictus *Fredericus* à Papa *Gregorio* fuerat diligenter ammonitus, & frequenter, & parere non curavit, eundem *Fredericum* idem Papa *Gregorius* excommunicationis & anathematis vinculo innodavit. Omnes autem qui juramento fidelitatis ei tenentur aſtricti, ab ejuſdem juramenti obſervatione decrevit abſolutos, ne ſibi fidelitatem obſervent diſtrictius inhibendo, quamdiu vinculo excommunicationis fuerit aſtrictus. Cæterum idem *Fredericus* de dictis, & factis ſuis multis, & fide dignis clamantibus quaſi per uniuerſum Orbem, quod de Catholica fide recte non ſentiat, eſt graviter infamatus. *Author papicola Imperatorem calumniatur.*

Imperator

Imperator ad Papam.

Fata monent, stelleque docent, aviumque volatus
Totius subito malleus Orbis eris.
Roma diu titubans variis erroribus acta
Concidet, & mundi definet esse caput.

Papa ad Imperatorem.

Fama refert, Scriptura docet, peccata loquntur,
Quod tibi vita brevis, pœna perennis erit.

Ecclesia de *Forda* dedicata est à Domino *Willielmo Exoniensi* Episcopo. Ecclesia de Fermesham transponitur hoc anno de loco, ubi prius sita fuit, ad alium locum consilio & auxilio *Lucæ* Archidiaconi *Surriæ*, & hoc eodem anno dedicata est.

Petrus de Rupibus Wintoniensis Episcopus habuit in proposito adhuc vivens fundare duas Abbatias Ordinis *Cisterciensis*, sed morte præventus propositum suum nequaquam mancipavit effectui. Veruntamen ante mortem suam assignavit non modicam quantitatem pecuniæ, quæ ad illarum fundationem & alia necessaria juxta considerationem rationis posset sufficere. Denique post mortem ipsius, viz. hoc anno, procurantibus ejusdem Episcopi Executoribus, fundatæ sunt, una in *Anglia*, & vocata est *locus Sancti Edwardi*, venitque Conventus ibi primum de *Bello loco Regis* in die Sancti *Jacobi* Apostoli; altera in partibus Transmarinis, quæ *Claritas Dei* nominatur.

Willielmus de Rale fit Ep. Norwicen.

Willielmus de Rale factus est Episcopus *Norwicensis*. Consecratus est autem *Londoniæ* ab *Edmundo* Archiepiscopo *Cantuariensi* mense Septembri. Cum sedis Cathedralis Ecclesiæ Winton jam per Annum integrum vacasset & ultra, obiit *Walterus* Prior ejusdem Ecclesiæ, cui subrogatur quidam Monachus præfatæ Ecclesiæ *Andreas* nomine, auctoritate & præcepto *Henrici* Regis *Angliæ*, paucissimis, ut fertur, de Conventu assentientibus, cæterisque vero reclamantibus atque contradicentibus. De quo facto diversi diversa sentiunt, sed quem finem res gesta sortiatur, scit ipse qui nihil potest nescire.

Narratio originis morum & reuum gestarum Tartarorum.

De facto Tartareorum *vobis scribo, quod venerunt prope confinium Regni* Hungariæ *per* V. *dietas, cum invenerunt aquam* Damaii, *quam transire non poterant in æstate, volentes exspectare hiemem ut possent supradictam aquam transire in glacie, iverunt retro bene* XX. *dietas, & ibi exspectant hiemem. Miserunt autem quosdam exploratores in* Russiam, *ex quibus fuerunt capti duo & missi Regi* Hungariæ. *Et ego diu eos habui in Custodia mea, & ab eis didici ista nova quæ ad* Franciam *mandavi sigillo meo sigillata. Quæsivi ubi esset terra illorum, dixerunt quod erat ultra quosdam montes, & juxta populum qui vocatur* Gog; *& ego credo quod populus sit* Gog *&* Magog. *Quæsivi de fide eorum, & ut breviter dicam, nihil credunt, sed tamen literas* Judæorum *habent, & cœperunt eas discere, quando exierunt ad pugnandum mundum. Quia ipsi credunt expugnare totum mundum. Et literas proprias nunquam habuerunt. Quæsivi qui essent illi qui docerent eos literas, dixerunt, quod sunt quidam homines pallidi qui multum jejunant, & longas vestes portant, & nullos offendunt. Et quia multas circumstantias dixerunt de hominibus istis, qui concordant cum superstitionibus* Pharisæorum *&* Saducæorum, *credo illos esse* Pharisæos *&* Saducæos. *Quæsivi utrum discernerent cibos? dixerunt quod non, comedunt enim Ranas, Serpentes Canes & omnia animantia indifferenter. Quæsivi qualiter exierunt de montibus ultra quos erant? dixerunt quod Antecessores sui bene per trecentos annos & plus laboraverunt scindendo arbores & lapides, ut possent exire antequam exierunt. Quæsivi quantum habent exercitum? dixerunt quod* XX. *dietas durat longitudo, & latitudo* X. *dietas,* XIII. *enim Millia supersunt in equis qui custodiunt exercitum. Et equos bonos habent sed furiosos, & equi multi sequuntur ipsos absque ductore, ita*

quod

quod quando Dominus equitat, xx. *vel* xxx. *equi ſequuntur ipſum. Loricas habent de coriis, & ſunt fortiores quam loricæ de ferro, & coopertoria equorum. Pedites vero crura habent breviora, & corpus longum, & ſunt optimi ſagittarii, nulli ſimiles eis, & fortiores arcus trahunt quam* Turci. *Et quamcunque intrant terram omnes interficiunt habitatores terræ, præter parvulos,quibus* Churchitan (*qui interpretatur Rex Regum) ſignum ſuum ponit confirmando eos in facie, & ſunt* XLII. *conſiliarii quibus dictus* Churchitan *Conſilium ſuum committit, & nullus de toto exercitu audet loqui niſi clamando, & nullus audet interrogare quo vadit Dominus eorum, vel quid facere intendit. Et lac jumentorum & aliorum animalium brutorum bibunt & inebriantur. Alia nova de ipſis prædictis duo volebant dicere, qua via præcedunt eos quædam gentes quæ* Mordam *dicuntur, quæ indifferenter interficiunt homines, quos invenire poſſunt, & nullus audet calceare pedes ſuos, donec interfecit aliquem hominem. Et per illos credo quod jam interfecti ſunt quidam Fratrum Minorum & Prædicatorum: & alios Nuncios quos miſit Rex* Hungariæ *contra eos, occiderunt, Præterea ſciatis quod venient quam citius poterunt: Omnes autem terras & facultates, quas inveniunt, devaſtant. Omnia deſtruxerunt uſque ad aquam prædictam. Caveant omnes qui hoc audierint, & pro certo hoc habeant, & hoc videbitur, & oculis probabitur, ut credo ego dico Epiſcopus* Hungariæ *infra* v. *annos. Et ut hoc ſciatur* Pariſiis, *& conſilium bonum apponatur, ſi fieri poteſt, gratia Dei permittente. Cuidam Archidiacono meo qui erat ſcholaris* Pariſiis *tranſcriptum iſtud miſi ſigillatum.* *Henric.* 3. R.

MCCXL. 1240

Richardus Comes *Cornubiæ*, frater Domini Regis noſtri *Henrici* III. Cruce ſignatus iter arripuit cum omni Comitatu ſuo apud Terram Sanctam, circa Feſtum Sanctæ *Trinitatis*.

Tempore Paſchali adveniens quidam adoleſcens ſutoriæ artis, in ſutrino noſtro ſuſceptus eſt. Comperto proceſſu temporis & cognito, quod ibidem detineretur, à latere Domini Regis quidam Miles directus eſt cum Miniſtris multis, qui eum tanquam homicidam comprehenderet, & vinctum adduceret. Cum ergo VI. Id. Auguſti audiſſemus eum comprehendi, & de ſutrino noſtro educi & ligari, *Dompnus* Abbas cum ſenioribus Domus proprius acceſſit, violentiam redarguit, & ne infra Abbatiam hujuſmodi injuriam attemptarent ſub anathemate prohibuit, proteſtans privilegia noſtra, quæ loca noſtra, ſicut altaria Eccleſiarum, reddunt libera & quieta. Illi vero nec Deo nec Sanctæ Religioni deferentes adoleſcentem vinculis conſtrictum ſecum duxerunt, & cuſtodiæ carcerali tradiderunt. Nos igitur tam enormi facto ſtupefacti, maxime propter periculum quod imminebat univerſo Ordini noſtro, quia ſi ſic, ſpreta Ordinis libertate,impune poſſent homines comprehendi, & ligari in Abbatiis noſtris, vel Grangiis, nulla de cætero eſſet diſtinctio inter loca Religioſorum, & loca ſecularium, ſed ita publice conculcarentur Abbatiæ & Grangiæ noſtræ, ſicut forum conculcatur in Civitate. Quapropter communicato ſeniorum conſilio, incontinenti verſa eſt in luctum lætitia noſtra, quia Miſſarum ſolemnia & Divinorum Myſteria ceſſaverunt in Abbatia noſtra. Et cum omni feſtinatione *Dompnus* Abbas Legatum adiit, qui tunc temporis in *Anglia* fuit, violentiam ei expoſuit, deprecans ut ſecundum privilegia noſtra nos protegeret, & libertates Ordinis illæſas conſervaret: Quo diſſimulante, & remiſſius agente, *Dompnus* Abbas acceſſit ad Regem, querelam lugubrem in præſentia ipſius ſuſpiriis & lachrymis propoſuit,libertatem & pacem Sanctæ Eccleſiæ, & Sanctæ Religionis perturbatam indicavit, nec poſſe aliter Deo & Ordini ſatisfieri, niſi ille qui enormiter, & irreverenter ab Abbatia per violentiam eductus eſt, ipſo imperante reduceretur & loco reſtitueretur. Quod ſine dilatione à Domino Rege impetraſſet; ſed obſtante ejus Conſilio, & reclamantibus magnis, & magnæ potentiæ viris, data eſt ei dies altera proferendi privilegia Ordinis, & munimenta libertatis. Veruntamen ſuſpenſionem noſtram cum audiſſet, licet inchoatam in tali diſcrimine approbaſſet, non permiſit fieri; unde *Dompnus* Abbas in craſtino, hoc eſt die Sancti *Laurentii*, mandavit Divina ſolemniter celebrari; proſequente vero *Dompno* Abbate *Privilegia Abbatiarum.*

 cauſam

Henric. 3. R. causam tam arduam, non tantum die præfixa, sed diebus pluribus ostensa sunt privilegia nostra, & lectæ sunt libertates nostræ coram Domino Rege & Consilio ejus; ubi perverse perversi scripta Apostolica interpretantes, & maligne exponentes, non pro Ordine sed contra Ordinem dederunt responsa; unde de facili non potest intelligi nec exponi, quanto cordis dolore, quanta animi amaritudine, *Dompnus* Abbas se opposuit pro defensione suæ libertatis. Postremo tandem, opitulante Divina clementia, post multos labores & fatigationes, viri veraces, & Sanctæ Religionis amatores, privilegia nostra veraciter intelligentes, & vero intellectu exponentes, Domino Regi & Consilio ejus aperte ostendebant *septa Abbatiarum & Grangiarum nostrarum auctoritate Apostolica esse libera, & ab omni pravorum incursu quieta, sicut altaria Ecclesiarum, & omnes locorum nostrorum violatores, & violentiam in eis operantes, & eisdem consentientes, à summo Pontifice esse excommunicatos;* Quo audito Dominus Rex magna auctoritate præcepit, ut ille Miles cum Ministris suis, qui per violentiam hominem in Abbatia comprehensum ligaverat & eduxerat, eundem secundum privilegia Ordinis reduceret, & ad honorem Ordinis, Abbatiæ restitueret. Quod & ita factum est, gaudente patria, & magnificante privilegia nostra. Ipsi etiam postmodum violatores Abbatiæ sicut violatores Sanctæ Ecclesiæ excommunicati, per Literas Domini Legati ad portas Abbatiæ sunt citati tam Miles quam alii: ubi primo facta satisfactione Deo & Abbatiæ, à Decano loci illius, & à Vicario de **Farnam** sunt publice verberati, & à vinculo sententiæ absoluti, & pœnitentia injuncta discesserunt, Ordini nostro facti de cætero humaniores.

Edmund. Archiep. Cant. ob. Beatus *Edmundus* Archiepiscopus *Cantuariæ*, plenus virtutibus & sanctitate, migravit ab hoc seculo, XVI. Kalend. Decembris, & apud *Pontiniacum* sepultus est. Cujus merita Miracula testantur.

Hic erat Edmundus *anima cum corpore mundus,*
Quem non immundus poterat pervertere mundus,
Anglorum *Genti faveas* Edmunde *petenti.*

Obiit *Johannes* Abbas de *Forda* in transmarinis partibus, apud quandam Abbatiam Ordinis nostri, in redditu Capituli generalis; cui successit quidam Monachus de *Waverlea Adam* nomine.

Nich. de Farnam fit Ep. Dunelm. Hugo de Pateshul Ep. Cest. Multæ Ecclesiæ per *Angliam* tam Conventuales quam Rurales jussu prædicti Legati dedicantur. Magister *Nicholaus* de **Farnam** factus est Episcopus *Dunelmensis*. *Hugo* de **Pateshulle** factus est Episcopus *Cestriæ*.

1241

MCCXLI.

Litera Dominical. F. dies Paschæ II. Kalend. Aprilis. *Otho* Legatus Domini Papæ recessit de **London** IV. die Natalis Domini, rediens in patriam suam; & conduxerunt eum honorifice Dominus *Henricus* Rex *Angliæ*, & multi Episcopi, & alii Magnates Terræ. *Willielmus* de *Cestr.* Monachus de **Waverly** factus est Abbas de *Cumba*. Justitiarii itinerantes viz. *W.* de **Eborum** cum aliis sederunt apud **Beremundese**, circa Festum Sancti *Johannis ante portam Latinam.* Quinto Kalend. Julii accidit mirabilis casus Domino *G. Marescallo*, in Tornamento extra Villam **Hertford**, post prandium, quia, dum armatus fuit, ex nimio calore suffocatus est, & fractis habenis dextrarii sui, & cadens in terram diu tractus est ad pedes equi, vivus tamen deportatur apud **Ware**, & vixit usque ad mediam noctem, deinde deportatum est corpus ejus apud **London**, & sepultum est in Novo Templo.

Hierosolyma Christianis restituitur. Hoc Anno factæ sunt treugæ inter Christianos & Paganos per X. annos, procurante hoc *Richardo* fratre Regis *Henrici Angliæ*, & reddita est Civitas *Jerusalem*, & omnes terræ circumjacentes, & omnes Esclavi liberati sunt. Dominus *Henricus* Rex *Angliæ* duxit exercitum suum super *Griffinum* Regem *Wallensem*, illumque una cum cæteris *Walliæ* Magnatibus jurisdictioni suæ subjugavit.

Sexto

Sexto Non. Octobris Magifter *Rogerus* Epifcopus **London** cognomento *Niger* Obiit. *Henric. 3. R. Rog. Ep. Lond. ob.*

Obiit Papa *Gregorius* circa Feftum Sancti *Bartholomæi*, & tunc vacavit *Sedes Romana* poft multum tempus. Poft enim circa Feftum Sancti *Michaelis* electus & ordinatus novus Papa, viz. Magifter *Gaufridus Mediolanenfis*, & duravit in Papatu per XVIII. dies. Hoc anno innovatum eft figillum argenteum Domus **Meriton**, & receptum in vigilia Sanctæ *Luciæ* Virginis. *Greg. P. ob.*

In craftino Sanctæ *Luciæ* nix permaxima defcendit, &, cum nimio pulfu ventorum undique exagitata, homines & beftias in domo & extra per totum diem graviter fatigabat; ita quod vix aliquo loco morari permitteret; & duravit nix cum ingenti gelu ufque ad vigiliam Natalis Domini. *Nix infolita.*

MCCXLII. 1242

Litera Dominical. G. dies Pafchæ XII. Kal. Maii. XVIII. Kalend. Februarii apud *Doroberniam* applicuit *Richardus* Comes *Cornubiæ*, rediens de Terra Sancta, & venit poft *Cantuariam*, ibique occurrerunt ei obviam *H.* Rex *Angliæ* frater ejus, & Regina, necnon & Epifcopi multi, & Majores totius Terræ, donantes ei dona magna, & munera pretiofa. Poftea venerunt Canonici Beati *Pauli* fimul cum eo **London**; in qua Urbe, plateis circumquaque cortinatis, & fericis veftibus circumtectis, à fingulis & univerfis cum magna gloria quafi Angelus fufceptus eft, & ad Ecclefiam Beati *Pauli* cum magna veneratione, habita proceffione folemni deductus, eodem etiam die receptus eft apud *Weftmonafterium* venerabiliter cum proceffione.

Die Veneris poft Inventionem Sanctæ Crucis mifit fe in mare Dominus Rex *Angliæ*, & venit apud **Burdans**, & ibi moram fecit aliquantulum. Poftea venit apud **Ponz**, & ibi perendinavit ufque ad Feftum Sancti *Johannis Baptiftæ*. *R. Angl. mare trajicit.*

Circa Feftum Sancti *Johannis Baptiftæ* captus *W.* de *Marifco* in infula quæ vocatur **Lunday**, & multi qui ibi fecum fuerunt, deprædantes circumquaque omnes qui per eos tranfierunt, & adducti funt **London**, & ibi incarcerati ufque ad vigiliam *Jacobi* Apoftoli, quo die præfatus *W.* accepto fuo judicio, tractus eft de *Weftmonafterio* per majores plateas Civitatis ufque ad Gibettum, eoque ibi fufpenfo, iterumque dimiffo, corpus ejus in quatuor partes divifum miffum eft ad IV. Majores Civitatis particulatim. Alii vero qui cum eo capti fuerunt tracti funt de *Weftmonafterio* ad Gibettum, & ibi viliffime fufpenfi. *W. de Marifco capt. & fufpenfus.*

Maxima ficcitas in Æftate. Eodem anno circa Feftum Sancti *Michaelis*, Obiit *Jocelinus* Epifcopus *Bathonienfis*. *Jocel. ob.*

MCCXLIII. 1243

Factæ funt treugæ inter Dominum *Henricum* Regem *Angliæ*, & Regem *Franciæ* per quinquennium. Confecratus eft Papa *Innocentius* IV. vigil. Apoftolorum *Petri* & *Pauli*. Nata eft Regi Filia apud **Burdens**. Septimo Kalend. Septembris applicuit Dominus *H.* Rex *Angliæ*, & Regina fua apud **Portumue**. *Treugæ inter RR. Gall. & Angl.*

Decimo Kalend Decembris, die fcil. Dominica, defponfavit Archiepifcopus **Eborum** tertiam filiam Comitis *Provinciæ*, fororem fcil. **Alienor** Reginæ *Angliæ*, *Richardo* Comiti *Cornubiæ* fratri Regis *Henrici* apud *Weftmonafterium*, in quibus nuptiis factum eft convivium in Aula Regis, ficut fieri folet in ejus coronatione. *Fil. C. Prov. nubit Rich. C. Cornub.*

Vacante per multum tempus fede **Winton** tandem *Dompnus W.* de *Baleya*, tunc *Norwicenfis* Epifcopus, à Suppriore & Conventu **Winton** in ejufdem Ecclefiæ Paftorem canonice eft poftulatus; illifque pro eodem Nuncios fuos ad fedem *Romanam* mittentibus, ac prout volebant expedientibus, à Domino Papa *Innocentio* IV. Pontificatus fui primo anno, Id. Septembris, Epifcopus **Winton** datus eft & confirmatus. Venientes etiam Nuncii circa Feftum Sancti *Martini*, fuper hoc eidem literas Domini Papæ afferentes, ftatim literis infpectis & perlectis, ac fecundum Mandatum Apoftolicum fede *Norwicenfi* renunciata, ad **Winton** Epifcopatum fe tranftulit, mittens literas fuas viris Religiofis fuæ Diœcefis circa *London* exiftentibus, eifdem in vir- *Dompn. fit Ep. Winton.*

 tute

Henric. 3. R. tute obedientiæ injungens, quatenus apud *Weſtmonaſterium* Mandatum Domini Papæ audituri comparerent. Quo lecto, omnes, qui ad hoc venerunt, ſibi ſicut Patri ſuo **Winton** canonicam jurarunt obedientiam. Quo etiam die ibidem, ſuper Epiſcopatu recipiendo, gratiam Regis expectante, Clericos ſuos ſimul cum Prædicatoribus Fratribus, ad Dominum Regem miſit, rogantes, ut ſiquid dictus Epiſcopus ſibi in aliquo deliquiſſet, pro Dei amore condonaret. Conſilio etiam accepto Rex Clericos ſuos ſimul cum aliis Epiſcopo remittens mandavit, quod non liceret ipſum ad aliquem Epiſcopatum deſcendere, invito Rege. Qui per Clericos ſuos reſpondens dixit, quod hoc non faceret, niſi præceptum Domini Papæ haberet, cui in aliquo contraire non auderet: taliter autem illis adinvicem Clericos ſuos mittentibus, nihil profecerunt, ſed tandem ad Epiſcopum quidam Clericus nomine *Henricus* de **Suſe** ſcil.. cum aliis adveniens, qui quaſdam exceptiones contra ipſum ex parte Regis fabricaverat, licet improbabiles, ipſas in quadam Cedula ſcriptas, coram Epiſcopo legit, quibus lectis ridens ſtatim à Curia receſſit, & in craſtino verſus Civitatem **Winton** iter arripiens properavit. Sed Dominus Rex, cum quanta potuit velocitate, Nuncios ſuos Majori **Winton** mittens ſibi diſtricte per literas ſuas injunxit, ne dictum Epiſcopum **Winton** aliqua ratione intrare permitteret. Quo audito Epiſcopus Civitati adveniens, & antequam intrare proponeret ſe diſcalceans, cum magna humilitate ad unam portam Civitatis advenit, ſed illa contra eum firmiter obſerata, nequaquam, Majore prohibente, ac ſingula & varia opprobria inferente, in dictam Civitatem introitum invenit; & ſic ad ſingulas Civitatis portas pergens diſcalceatus ingreſſum humiliter poſtulavit, ſed ne cauſam intrandi inveniret, ad ſingulas portas Majorem cum aliis multis obvium habuit & rebellem. Potuit ſiquidem dictus Epiſcopus dictæ Civitati ſuper illam flens & ejulans veraciter dixiſſe, quod legimus Dominum dixiſſe Civitati *Jeruſalem*, cum ſuper illam flevit dicens, *ſi cognoviſſes & tu*, ſubaudis, *fleres*, cum hoc factum permaximus dolor ſit ſubſecutus. Dicto namque Epiſcopo Civitatem ingredi non auſo, illam interdixit die Sancti *Thomæ* Martyris, & ſic uſque ad Feſtum Sancti patris noſtri *Auguſtini* interdicta remanſit, propter quod Dominus Rex ira motus minatus eſt ſacerdotes, dicens quod ſiquem inveniret qui à celebratione ſubtraheretur, protinus illum deputaret, ſed Epiſcopalem prohibitionem magis timentes quam Regalem, Civitatem ſunt egreſſi. Cum autem Epiſcopus ſic humiliatus videret ſe pro voluntate non poſſe proficere, reverſus eſt **London** in Prioratu Sanctæ *Mariæ* de **Suwerk** in pace perendinaturus. Quo ibidem pervento, ibi per multum tempus perendinavit, ſed inſidiantium ſibi timens inſidias . . . . in Tamiſiam ſe miſit, & cum feſtinatione transfretavit, & in tranſmarinis partibus per multum tempus in honore perendinans, tandem à Domino Papa eſt mandatus; qui in *Angliam* veniens Regem adiit, qui erat tunc temporis verſus *Scotiam*, & à Rege ad pacem inter ſe confirmandi dies ſtatus eſt, ſcil. . . . . poſt Nativitatem Beatæ *Mariæ* apud **Windeſhores**. Quibus ibidem venientibus & de pace tractantibus, non illo die, ſed craſtino, pax inter eos plenarie, Epiſcopo ſuſcipiente Epiſcopatum **Winton**, eſt cum gaudio reformata.

Confirmationem à Rege Dompnus ægre impetrat.

MCCXLIV.

1244 Litera Dominical. B. dies Paſchæ III. Non. April. Tertio Non. Februarii apud **London** Obiit piæ memoriæ Dominus *R.* de *Nova Villa* Cancellarius Domini Regis, Epiſcopus *Ciceſtrenſis*, & ad Eccleſiam ſuam deportatus eſt, & ibidem honorifice tumulatus.

R. de N. Vill. ob.

Dominus *Bonifacius* filius Comitis de *Sabaudia* aſſenſu Capituli *Cantuariæ*, ad ſedem *Cantuariæ* canonice electus, & à Domino Papa *Innocentio* IV. confirmatus x. Kalend. Maii venit primo in *Angliam*, Subdiaconus tunc exiſtens. Qui ſine aliqua mora adiit Dominum Regem, qui fuit tunc apud *Weſtmonaſterium*, & ibidem fecit ei Homagium ſuum, & poſtea eodem die divertit ad Domum ſuam apud **Lamehith**, & ibidem hoſpitatus eſt. Nam antea non manducavit

Bonifac. fit Arch. Cant.

ducavit ad aliquam domum Maneriorum ſuorum. In die Sanctorum *Marcelli* & *Petri*, congregati ſunt apud Meriton Dominus *Bonifacius* Electus *Cantuariæ*, & cum eo quinque Epiſcopi ſuffraganei ſui, ad examinationem facien-dam de *Roberto* Paſſelewe Electo *Ciceſtriæ*, & de aliis Electis examinandis, confirmandis vel caſſandis; & circa horam nonam facta eſt tam valida tempeſtas, qualis non fuit viſa apud Meriton ante, per multa tempora. In craſtino vero congregatis ibidem Epiſcopis caſſata eſt electio *Roberti* Paſſelewe, & ipſo caſſato, ſtatim electus eſt Magiſter *R.* de *Wicio* ad ſedem *Ciceſtrenſem*, & ab Electo *Cantuariæ* cum magna ſolemnitate, Dei inſpirante clementia, confirmatus. *Henric.* 3. *R.*

Hoc anno Dominus *Henricus* III. Rex *Angliæ* duxit exercitum ſuum contra Regem *Scotiæ*. Qui verſus *Scotiam* veniens, & uterque utrique cum magno exercitu obvians, cum Rex *Angliæ* à Rege *Scotiæ* multa & varia interrogaſſet, tandem inter eos pax eſt reformata; ſcil. quod filius Regis *Scotiæ* filiam Regis *Angliæ* duceret uxorem. Eodem anno fuit Autumnus omnino ſine pluvia, uſque ad Feſtum Decollationis Beati *Johannis*, & eo die tantummodo pluit, & poſt per multum tempus ceſſavit pluvia. *Bellum Scot. indictum, & pax eiſd. data.*

Tertio Idus Septembris, conſecratus eſt apud Rading Magiſter *Rogerus* Præcentor Sarum in Epiſcopum *Bathonienſem*. Die Sancti *Dionyſii* conſecratus eſt *Fulco* Baſſet in Epiſcopum London, apud Sanctam *Trinitatem* London. *Roger. Bathon. & Fulco Lond. Epiſc. conſec.*

Hoc anno cum Soldanus *Damaſci* & *Naſcar* & Soldanus *Traci*, qui prius adverſarii Chriſtianorum erant, in principio Æſtatis proximo præteritæ confœderationem treugarum cum Chriſtianis feciſſent in hunc modum, quod Chriſtiani totam Regni *Jeruſalem* terram circa flumen *Jordanis* in pace haberent, præter quaſdam Villas quas prædicti Soldani ſibi in montibus retinebant, & quod Soldani cum Chriſtianis in expugnationem Soldani *Babyloniæ* toto poſſe aſſiſtere deberent, & cum iſtæ treugæ inter dictos Soldanos & Chriſtianos factæ fuiſſent, Civitas Sancta cum ſuis quibuſdam adjacentiis à Chriſtianis cœpit habitari, Chriſtiano exercitu commorante in comitatura Soldanorum præſcriptorum apud *Gazaram* in gravamen Soldani *Babylonis*. Cumque per tempus aliquod in expeditione ipſa perſtitiſſent; Patriarcha *Jeruſalem* applicuit veniens à tranſmarinis partibus, viſitandumque ſepulchrum Domini inſpiratus iter peregrinationis arripuit, properantibus ſecum Hoſpitalariis atque Templariis; Cumque voto orationis ſuæ completo, in Civitate *Jeruſalem* manerent, accidit quod infinita multitudo gentis Barbarorum, quæ *Choroſmia* vocatur, in vicinis partibus, vocante & mandante Soldano *Babylonis*, ſupervenit, quæ univerſam terræ ſuperficiem occupans omnem animam viventem per ignem & gladium occidebat, & populum Chriſtianum in Sanctam Civitatem obſidentes, & quotidie in ipſam impetum facientes, undique eis exitum & ingreſſum percluſerunt, diverſis afflictionibus ipſos ita miſerabiliter coarctantes, quod per anguſtiam famis, tribulationis, & doloris deficientes, in caſu & periculo mortis ſe omnes univerſaliter commiſerunt, & de Civitate exeuntes per devia & ſecreta montium, donec ad anguſtum exitum venientes, in inſidiis hoſtium inciderunt, qui eos undique circundantes, cum gladiis lapidibus & ſagittis irruentes occiderunt, juxta æſtimationem VIII. Millia virorum & mulierum, cui facto ſimile nunquam auditum eſt. Sed & proh dolor! Sepulcrum Domini diſtractum & confractum eſt. *Treugæ inter Soldan. Damaſci & Chriſtianos.* *Jeruſal. à Sold. Babyl. obſeſſa captaq.*

Eodem anno, cum inter Dominum Papam *Innocentium* IV. & Dominum *Fredericum* Imperatorem fuiſſet mota diſcordia, dictus Papa dicti Imperatoris timens inſidias, ejectis gentibus dicti Papæ per Imperatorem ab urbe *Roma*, fugit timore perterritus, venitque circa Feſtum omnium Sanctorum *Lugdunum*, ibique per multum tempus multa & varia mirabilia faciens perendinavit. Circa Feſtum autem Sancti *Andreæ* Apoſtoli acceſſerunt ad ipſum ex Anglicanis partibus transfretantes Dominus *Bonifacius Cantuariæ*, & Dominus Epiſcopus *Herefordenſis*, & Dominus *Richardus* de *Wicio* Electus *Ciceſtriæ*, cui, cauſa conſecrationis dicti Electi *Ciceſtriæ*, ibidem acceſſerant. Conſecratus eſt à dicto Domino Papa dictus Electus *Cantuariæ* in Archiepiſcopum, *Diſcordia inter Pap. & Imperat.*

Henric. 3. R. pum, Dominica prima poſt Octav. *Epiphaniæ* proximo ſequente; & Dominus *Richardus* de *Wicio* in Epiſcopum *Ciceſtrenſem*, circa Quadrageſimam immediate ſequentem.

Eodem anno conſecratus in Epiſcopum *Norwicenſem* Magiſter *Walterus* de Suffeld, Dominica Quinquageſimæ apud *Norwicum*.

MCCXLV.

1245 *Radulfus fit Ab. Doneke-well.* Litera Dominical. B. dies Paſchæ xvi. Kal. Maii. Eodem anno Dominus *Randulfus* Monachus Sanctæ *Mariæ* de *Waverlea*, qui quondam abbatizaverat in Domo de *Tinterna*, electus eſt in Abbatem de Donekewell; vir quidem morum gravitate ac ſapientiæ fulgore non mediocriter adornatus.

Alienora C. Leyceſtr. Abbat. Waver. ingreditur. Hoc anno, Dominica in Ramis palmarum, quæ primo die Aprilis illuxit, *Alienora* Comitiſſa *Leyceſtriæ* ſoror viz. Regis *Henrici* iii. Domus noſtræ ſinceriſſima amatrix, per indulgentiam ſummi Pontificis devotiſſime ingreſſa eſt Abbatiam noſtram, habens in comitatu ſuo piiſſimum virum maritum ſuum *Simonem* de *Monteforti* Comitem *Leyceſtriæ*, & duos filios ſuos *Henricum* & *Simonem* cum tribus ancillis; ad cujus ingreſſum illud nonnullis notabile noſcitur contigiſſe, quia cum intra oſtium Eccleſiæ pedem poſuiſſet, ſtatim è contra ad magnum altare, ubi Miſſa de Beata Virgine tunc celebrabatur à ſacerdote, Hoſtia ſalutaris in hora conſecrationis elevabatur, quod non caſui ſed divinæ diſpoſitioni credimus aſcribendum; ut cujus amor eam illuc adduxit, benigniſſima ipſius præſentia prompte ſe offerret requirenti. Obtulit illico pannum ſatis pretioſum, quem aſſignavit ad ſuperponendum altari, diebus quibus Reliquiæ ibidem ponuntur. Interfuit ſermoni in Capitulo, proceſſioni & Miſſæ majori, & Ligno Domini deoſculato, plurimum ædificata receſſit. Poſt quidem habuimus ex dono ipſius quinquaginta Marcas, & ad fabricam Eccleſiæ decem & octo Marcas; & ad perquiſitionem centum & quinquaginta Acrarum apud Petham per ipſius auxilium attigimus.

Eccleſia Weſtmonaſt. fundata. Hoc anno cœpit *Henricus* iii. Rex *Anglorum* jacere fundamentum Novæ Eccleſiæ de *Weſtmonaſterio* in London, quam ob honorem & amorem Sancti *Edwardi* Regis & Confeſſoris, quem præ cæteris Sanctis ſpecialiter diligebat, propriis ſumptibus propoſuit omnino perficere. Hoc anno inſtitutum eſt à Capitulo generali ut Octavæ Nativitatis Beatæ *Mariæ* fierent per Ordinem univerſum.

MCCXLVI.

1246 *Eccleſ. Belli-Loci-R. dedicata.* Dedicata eſt Eccleſia *Belli-loci-Regis* xv. Kal. Julii, à Domino *Willielmo Wintonienſi* Epiſcopo, præſentibus venerabilibus *Bathonienſi*, *Exonienſi*, *Ciceſtrienſi* Epiſcopis, præſente etiam Domino Rege *Anglorum Henrico* iii. cum Regina & Liberis, ac Magnatibus multis. Peracta dedicatione, primogenitus Regis, *Edwardus* ſcil. infirmatus eſt, cum quo Regina Mater ejus *Alienora* fere per tres hebdomadas in eadem Domo contra *Ciſtercienſis* Ordinis ſtatuta pernoctando perendinavit. Quam ob cauſam in proxima viſitatione ſequenti, Prior & Cellerarius depoſiti ſunt, quia eorum permiſſione hæc tranſgreſſio videbatur fulciri. Inſuper & quia tempore dedicationis ſecularibus contra Ordinis diſciplinam carnes adminiſtrabantur.

Abbatia de Tray fundata. *Richardus* Comes *Cornubiæ* vi. Frater *Henrici* Regis iii., divina inſpiratione præventus, Ordinis etiam *Ciſtercienſis* pro modulo ſuo cultor præcipuus, quandam Abbatiam de Tray ejuſdem Ordinis in Dioceſi *Wigornienſi* fundavit, fundatamque viros cœnobialis vitæ inſtitutionibus exercitatos introducendo honorifice decoravit. Sumſit autem in Domo *Belli-loci-Regis* viginti Monachos & x. converſos ad hoc opus ſibi aſſignatos, xv. Kalend Julii, die viz. dedicationis Baſilicæ *Belli-loci*; Vocatur autem Cœnobium prædictum Heyles.

Ep. de Card. fit Monach. *Walterus* Cognomento Malwclerc Epiſcopus de Carduil divinitus, ut creditur, inſpiratus reſignato Epiſcopatu tranſtulit ſe ad Ordinem Fratrum Prædicatorum: ſucceſſit autem ei *Silveſter* Cancellarius Domini Regis.

Obiit

Obiit Magister *Robertus* de Bingeham Episcopus *Salesburiensis* in crastino omnium Sanctorum, die qua fit commemoratio omnium Fidelium defunctorum. Succeffit autem ei Dominus *Willielmus* de *Eboraco*. Obiit *Richardus* de Berkinges Abbas *Westmonasteriensis* successit, ei Archidiaconus ejusdem Domus scil. *Richardus* Crockelee. *Henric. 3. R. Ep. Salesb. obiit.*

Hoc anno scil. v. Idus Decembris canonizatus fuit Beatus *Edmundus Cantuariæ* Archiepiscopus à Domino Papa *Innocentio* IV. Hoc anno statutum est ut in Festo Sancti *Johannis* Evangelistæ *ante portam Latinam*, & in Sancto *Lamberto* fierent XII. lectiones. *Edmund. Cant. Arch. canoniz.*

Hoc anno fundata fuit Abbatia de Niweham filia tertia *Belli-Loci-Regis Angliæ*. *Abbatia de Niweh. fund.*

MCCXLVII. 1247

Hoc anno scil. x. Kalend. Martii, circa horam diei nonam, per universam fere *Angliam* factus est Terræmotus adeo magnus, ut ejus impulsu in diversis Provinciis, muri, Castella, & parietes domorum fere usque ad præcipitationem excuterentur; cifi quoque & scutellæ, & cætera quæ mensis edentium & bibentium erant apposita penitus everterentur. Ita quod multi seculares & Religiosi tanto timore erant perterriti, ut de mensis surgentes, & mortem evadere cupientes à domibus suis egrederentur. Fertur etiam à nonnullis quorum testimonio fides adhibenda est, qui hoc se vidisse testantur, quod eodem die in Comitatu *Cestriæ* Globi sanguinei magni & mirandi de nubibus ad terram ceciderunt. Qui usque hodie ibidem permanentes, in modum lapidum ardore solis, ut creditur, adeo jam sunt indurati, ut nec ferro nec aliquo alio ingenio, nulla hominum industria frangi possunt vel penetrari. Hæc & multa alia, quæ ipso die contigisse noscuntur, aliquod præsagium credimus esse futurorum. *Terræ motus ingens.* *Globi sanguinei in terram decidunt.*

Hoc anno statutum fuit à Capitulo generali ut de Beato *Edmundo Cantuariensi* Archiepiscopo fierent XII. lectiones, cum duabus Missis per Ordinem universum.

Quinto Idus Junii celebrata est apud *Pontiniacum* Translatio Corporis Beatissimi Confessoris *Edmundi Cantuariæ* Archiepiscopi, cum magna & mira Cleri & populi devotione, venerabili patre *Albanensi* Episcopo Sanctæ *Romanæ* Sedis Cardinali, Archiepiscopo *Senensi*, Episcopo *Antisiodorensi*, * *Calenensi*, & *Cicestrensi*, & aliis Episcopis quamplurimis ad ipsum Officium devote assistentibus, illustri etiam Rege *Franciæ Lodowico*, Regina & matre ejus, multisque de *Galliæ* & *Angliæ* partibus tunc ibidem præsentibus, cum innumera plebis utriusque sexus multitudine. Inventum est autem illud sanctissimum corpus gemina incorruptionis viz. & integritatis stola vestitum, per cujus merita dies illa pluribus miraculorum signis refulsit gloriosa. *Translatio reliquiar. Edmund. Cant. Arch.*

Tanta superfluitas monetæ, retunsæ & depravatæ, ubique per totam fere *Angliam* habebatur, ut inter xx Marcas vix reperiri possent xx. denarii, qui non essent adeo turpiter retunsi & depravati, ut III. ex his in statera publica positi, duobus sanis & integris vix aut nullatenus æquipollere possent. Unde *Henricus* III. Rex *Angliæ* instinctu & petitione multorum, maxime fratris sui *Richardi* Comitis *Cornubiæ*, ex denariis retunsis novam fecit fabricare monetam, cujus Circulus, Crux, Literæ, & Imago usque ad singulas extremitates circumquaque ita se extendunt, ut non sine evidenti, & valde notabili dispendio aliquid inde radi possit vel abscindi. *Monetæ reformatio.*

MCCXLVIII. 1248

Lodowicus Rex *Francorum* divinitus, ut creditur, inspiratus, pridie Idus Junii in Civitate *Parisiensi* Deo & Beatæ *Mariæ*, & Sancto *Dionysio* se commendans cum maxima & ferventissima devotione, humilibus vestibus indutus, discalceatus & discinctus, cum ingenti processione per medium Civitatis incedebat, iter versus Terram Sanctam arripiens, ut, sibi divina miseratione succurrente, inimicos Crucis *Christi* ab ea expelleret, & eam Christianæ ditioni perpetualiter subjugaret. Habuit vero idem Rex secum Reginam suam, & duos fratres *Ludovici R. Franc. in Terr. S. expeditio.*

Henric. 3. R. fratres suos cum uxoribus eorum: sed & duos alios Reges, scil. Regem *Hungariæ* & Regem *Aragoniæ*, Comites etiam, & Barones, equites & pedites Religiosos & seculares tot & tantos, quod eorum incertus est numerus. Apparatum insuper & omnia necessaria ad xx. Millia Hominum per sex annos sustinenda.

Rog. Bath. Ep. ob.

Obiit *Rogerus Bathoniensis* Episcopus, successitque *Willielmus* de **Button** Archidiaconus de **Welles**.

A passione Sancti *Thomæ* Martyris annus LXXVIII. Annus Regni Regis *Henrici* III. XXXIII. A fundatione Domus de *Waverleia* annus CXXI. Annus ætatis suæ XLII.

Adolesc. à summ. turris labitur illæsus.

Quidam adolescens à summitate turris Ecclesiæ nostræ, scil. à tabulatu lapideo, lapsu miserabili, usque ad terram, absque tamen alicujus membri fractione, præcipitando cecidit, & aliquamdiu exanimis, ut putabatur, ibi jacuit, sed paulo post resumpto spiritu loqui cœpit, & non multo tempore postea transacto, nullum dolorem sentiens omnino convaluit.

1249

MCCXLIX.

Damieta à Christianis capta.

Damieta nobilissima Civitas *Ægypti*, operante Christo, cui nihil impossibile, à Christianis est capta & possessa, hoc scil. modo. Cum Christianissimus Rex *Francorum Lodowicus*, petitione multorum moram in *Cypro* faciendo, iter suum versus Terram Sanctam aliquamdiu distulisset, & multa memoria valde digna, quæ brevitatis causa omittimus, per idem tempus ibidem fecisset, tandem non immemor propositi sui, præcepit suis, ut omnes naves ascenderent, & gressus suos versus *Damietam* festinanter dirigerent: cum ergo omnes naves ascendissent, & prope *Damietam* navigando pervenissent, cogitantes Saraceni necis suæ causa eos illuc advenisse, armis copiosis sufficienter muniti, cum innumera multitudine litus circumquaque occupare cœperunt, parati Christianos aut aquis submergere vel armis interficere. Quod videntes Christiani calore fidei vehementer succensi, arreptis gladiis, balistisque extentis, habentes secum vivificæ Crucis lignum, cum mare ibi profundum non esset, omnes tam Rex quam alii audacter in mare saltaverunt, & adjuvante Christo usque ad terram sani & incolumes pervenerunt. Mox igitur à Saracenis undique circumvallati, cum omnes pedites essent, Domino nostro Jesu Christo eos protegente, & pro eis manifeste pugnante, tres valde nobiles Admiraldos, qui quasi Reges inter Saracenos habebantur, multosque alios Saracenos, absque alicujus Christiani læsione incontinenti occiderunt. Saraceni vero postea tanto timore divinitus erant perterriti, quod omni consilio & auxilio destituti ignorantes omnino quid agerent, vel quo se verterent, se & sua desperantes, Civitatem succenderunt, & cum magna festinatione & confusione fugam omnes inierunt. Cernentes autem eos fugisse Christiani, cum ingenti lætitia Civitatem confestim sunt ingressi, armis, & divitiis supra æstimationem satis nobiliter locupletatam. Discalceati ergo omnes, & in modum processionis ordinati lætabundis vocibus laudes Deo conclamantes, magnum Oratorium Saracenorum, quod in alia captione in honore Beatæ *Mariæ* Virginis fuerat decoratum, nudis pedibus intraverunt: ibique omni spurcitia Idolorum prius eliminata, sermonem populo faciebant, & divina mysteria celebrabant. Et hoc modo nobilem illam Civitatem, nullo læso Christiano, dedit Christus Christianis; Annus XXXI. ex quo alia vice capta est *Damieta* Civitas. Annus XXXVI. ex quo relaxatum fuit interdictum in *Anglia*. Annus XXXII. ex quo recessit *Lodowicus* ab *Anglia*. Hoc anno divulgatum fuit per totam fere *Angliam*, quod dies judicii isto anno, scil. in die Sancti *Lamberti*, omni dubietate postposita, futurus esset; unde *Henricus* Rex, & alii quam plurimi noctem illam penitus insomnem ducentes, cum magno timore & devotione vigilando & orando diem illum expectabant.

Nic. de Farisham Episcopat. resignat.

Magister *Nicholaus* de **Farisham** *Dunelmensis* Episcopus propria voluntate, & Domini Papæ permissione Episcopatum suum hoc anno resignabat, percipiens tamen de eodem Episcopatu singulis annis Mille Marcas.

MCCL.

MCCL. 1250 Henric. 3. R.

Permiſſione & voluntate Domini *Willielmi* de Raley, Epiſcopi *Wintonienſis*, & Domini *Petri* de Rycval Rectoris Eccleſiæ de Aultun, conceſſum fuit nobis hoc anno divina celebrare in Oratorio, quod eſt infra ſepta Grangiæ noſtræ de Netham, ſalva in omnibus auctoritate *Wintonienſis* Epiſcopi, & ejuſdem Eccleſiæ dignitate, necnon indemnitate Matris Eccleſiæ de Aultun & Capellæ de Halyburne, hoc modo ſcil. quod abſque campanarum pulſatione & ſacramentorum diſtributione fratribus noſtris ibidem celebremus, confeſſiones ſecularium perſonarum nequaquam ibi recipiamus, niſi in mortis articulo: ſed omnis familia illius Grangiæ more ſolito Capellam de Halyburn pro .... audiend. & ſacramentis Eccleſiaſticis recipiendis adibit & eidem ut prius ſubjecta manebit.

Obiit *Willielmus* de Raley *Wintonienſis* Epiſcopus in *Gallia*, & ſepultus eſt in Eccleſia Sancti *Martini* in civitate *Turonenſi*. Hic antequam transfretaſſet, conceſſit & Carta ſua nobis confirmavit ſitum unum, ad vivarium faciendum, in Brueria ſua, infra Warennam ſuam de Farnham. Qui ſitus incipit à parvo ponte ultra Tilleford, extendens ſe per ductum aquæ, qui vocatur Crikeledeburn verſus Cherte: reddendo annuatim pro dicto vivario ſibi vel ſucceſſoribus ſuis dimidiam Marcam, fuit autem hoc anno illud vivarium inchoatuum ſed non penitus conſummatum.

Rex *Henricus* III. & Regina Alienor, multique alii nobiles hoc anno acceperunt Crucem. *Multi cruce ſign.*

Infortunium miſerabile, & ab omnibus Chriſtianis cum maxima cordis anxietate merito plangendum, hoc anno in Terra Sancta contigit, proh dolor! *Damietam* Civitatem quam Chriſtiani anno præterito ceperant, & in ſuo Dominio per annum integrum poſſederant, Saraceni, interfectis Chriſtianis innumerabilibus, inopinato eventu recuperabant. Regem tamen *Lodowicum* captum & ſpoliatum, mortemque vix evadentem, de terra illa cum paucis admodum Chriſtianis ſatis turpiter & ignominioſe exire permittebant. *Damieta à Saracenis capta.*

MCCLI. 1251

Dedicata fuit Eccleſia de Cumba hoc anno, ſcil, pridie Idus Octobris, omnibus igitur vere pœnitentibus, & Eccleſiam illam die illo annuatim, cauſa relaxationis obtinendæ, venerantibus XL. dies indulſit Epiſcopus, qui illam dedicavit. *Eccleſ. de Cumba dedicata.*

Obiit *Fredericus* quondam Imperator *Alemanniæ*, qui ſacroſanctam Eccleſiam multis perſecutionibus in omni vita ſua graviter vexabat, ob quam cauſam à ſummo Pontifice *Innocentio* IV. multoties fuerat excommunicatus, & ante mortem per ejus licentiam nequaquam abſolutus; cujus perſecutiones, cum idem ſummus Pontifex jam per annos VII. devitando apud *Lugdunum* moram feciſſet, tandem audito quod tam immanem inimicum Eccleſiæ *Romanæ* Dominus è medio abſtuliſſet, *Romam* adiit, & Apoſtolicam ſedem, ſicut prius obtinuit. *Fredericus Imperator ob. Innocent. P. Romam redit.*

Dedicata fuit hoc anno Non. Novembr. Eccleſia de Heles, præſentibus XIII. Epiſcopis, à quibus XIII. Altaria eo die in ipſa Eccleſia dedicata fuerunt, præſente etiam Domino Rege *Henrico* III, & Regina Alienor, multiſque aliis Proceribus *Angliæ*, à Nobili *Richardo* Comite *Cornubiæ*, qui Eccleſiam illam cum toto Cœnobio propriis ſumtibus conſtruxit, invitatis. Dedicatione itaque cum ſumma celebritate peracta, dedit idem Comes Monachis in eodem *Cœnobio* Deo ſervientibus, ad terras emendas, ſive domos conſtruendas, Mille Marcas; ſed & Rex prout Regalem decuit munificentiam redditum viginti Librarum eiſdem conceſſit, & Charta competenti confirmavit. *Eccleſia de Heles dedicatur.*

Paſtorum circiter ſexaginta Millia ex diverſis mundi partibus in Gallia hoc anno fuerant congregati, propoſitum habentes Sanctam Terram de manibus Saracenorum eripere, & eam cultui Chriſtiano reſtituere. Nec non divinitus, ut primo putabatur, inſpirati, immo, ut verius creditur, aliqua Arte Magica ſeducti, cum ductorem aut principem non haberent, deficientibus ſibi *Paſtores prætextu Terræ S. recuperandæ latrocinia exercent.*

Henric. 3. R. victui necessariis, cœperunt rapinas & latrocinia circumquaque exercere; insuper & homicidia crudeliter perpetrare, unde multi ex eis laqueo sunt suspensi, cæteri vero omnes in exterminium deducti.

Aymerus frater Domini Regis *Henrici* III. juvenis fere XXIII. annorum, & adhuc existens acolytus, in Episcopum *Wintoniensem* canonice est electus, & à summo pontifice confirmatus.

Æstus intolerabilis. *Maxima hominum mortalitas.* Æstus immoderatus, & supra modum intolerabilis circa Festum Apostolorum *Petri* & *Pauli*, diebus, & noctibus fere per quindenam continue perseverans, multos tam Religiosos quam seculares subito suffocabat. Postea vero hoc eodem anno, tanta mortalitas hominum, præ nimietate illius caumatis, in diversis provinciis noscitur contigisse, quod in aliqua parœcia C. homines, vel & amplius, infra unum mensem referantur obiisse. Natura siquidem humana in cunctis fere hominibus ita nimirum extitit corrupta, ut pauci essent, qui se nihil mali hoc anno pertulisse gauderent. Post prædictum vero fervorem subsequutus est autumnus circa Festum Beati *Swithini* Episcopi satis maturus, qui multis retroactis temporibus in partibus istis tam cito non recolitur contigisse.

Isabella C. de Arundel Abbatiam Marham fundat. *Isabella* Comitissa de **Arundell** morum quidem gravitate non mediocriter adornata, circa salutem animæ suæ diligens & solicita, divina, ut creditur, inspiratione præventa, quandam Abbatiam Monialium Ordinis *Cistercienis* **Marham** vocatam cum summa devotione hoc anno construxit. Cujus rei causa Abbatem nostrum duxit consulendum, ac permissione Domini Papæ Domum nostram intravit, societatem Ordinis in Capitulo nostro devote petiit, & obtinuit, IV. Marcas, & unum dolium vini Conventui ad pitancias donavit.

Walt. Abb. Wav. ob. Annus ex quo *Lodowicus* Rex recessit ab *Anglia* XXXV. Obiit *Dompnus Walterus*, cognomento *Giffardus* Abbas *Waverleiæ* X. Cui successit *Dompnus* **Rad** Abbas de **Dunekwell**, qui quondam abbatizavit in Domo de *Tinterna*, Abbas *Waverleiæ* XI.

Annus à fundatione Domus de **Waverly** CXXV. Annus Regni Reg. *Henr.* III. XXXVII. Annus ætatis suæ XLVI. Obiit *Blancha* mater *Lodowici* Regis *Franciæ*.

MCCLII.

1252 *Libertat. Anglicanæ renovantur à Rege.* Cum Chartæ, Libertates *Anglicanas* tam in Forestis quam extra continentes, quorundam perversitate & malitia jam adeo cassatæ, & ad nihilum essent redactæ, ut fere nullum robur aut firmitatem obtinerent. Quidam Proceres *Angliæ* Regi *Henrico* III ad memoriam reducentes, qualiter pro ipsis libertatibus concedendis, & confirmandis, quintamdecimam partem omnium mobilium, ab universis libere Tenentibus, anno Gratiæ MCCXXV. acceperat, obnixe petebant ut prædictas Chartas renovando, ad pristinum robur revocaret. Rex vero petitioni eorum libenter annuens non solum Chartas illas renovavit, sed etiam ut omnino stabiles & irrefragabiles in perpetuum perseverarent, XII. fecit Episcopos excommunicare & anathematizare omnes, qui ipsas ausu temerario infringere aut infirmare de cætero præsumerent.

Episc. Cicestr. obiit. Obiit Magister *Richardus* de **Wiz** Episcopus *Cicestrensis* Cui successit Magister *Johannes* cognomento **Bissupp.**

Henr. R. Gasconiam petit, & Riole obsidet. *Henricus* III. Rex *Angliæ* ad subventionem *Gasconiæ* quam quidam ei conabantur auferre, immensam pecuniæ quantitatem ab omnibus Religiosis per totam *Angliam* hoc anno violenter extorsit. Collecta igitur inæstimabili pecunia cum magno exercitu *Gasconiam* perrexit, ibique tantum unam Civitatem quæ vocata est **Riole** sibi resistentem, & contra se undique firmiter observatam atque munitam invenit. Quare statim valida manu obsedit, sed eam adhuc anno præsenti capere minime prævaluit.

MCCLIII.

1253 *Henricus* III. Rex *Angliæ*, cum in *Gasconia* Civitatem quæ vocatur **Riole** diu obsedisset, & eam capere nullo ingenio potuisset, tandem fame cogente, qui intus

tus erant inclusi se, & sua omnia, cum Civitate illa, quasi sponte Regi tradiderunt, ipso tamen Rege sub juramento prius promittente, quod nullum ex eis occideret, nec cuiquam aliquam vindictam inferret. Post traditam vero Civitatem, cum idem Rex ob amorem & devotionem, quam habuit erga Beatum *Edmundum Cantuariæ* Archiepiscopum, iter faceret versus *Pontiniacum*, transitum fecit per Civitatem *Parisios*, ubi ab illustri Rege *Lodowico*, cum summo honore & solemni processione, præsentibus quatuor Episcopis, susceptus est, & ad Regis petitionem tribus ibi diebus commoratus. Ac postea, facta peregrinatione, Dominica infra Natale Domini rediit in *Angliam*. *Henric. R. 3.*

Edwardus primogenitus Regis *Henrici* III. cepit uxorem, sororem viz Regis *Hispaniæ*. *Lodowicus* Rex *Francorum*, rediens de Terra Sancta venit in *Franciam*. Obiit Papa *Innocentius* IV. Cui successet *Alexander* IV. *Edward. R. ducit uxor. Innoc. Papa ob.*

MCCLIV.

1254

Judæi Christianæ Religionis inimici, puerum quendam *Hugonem* nomine in *Lincolnia*, multis ac variis cruciatibus miserabiliter affligentes, tandem ad opprobrium & contemtum nominis Christi cruci affigentes, crudeli morte interemerunt. Qui postea tantum scelus Christianos latere nimirum cupientes, gloriosum corpus de crucis patibulo deponebant, & in fluvium quendam submergendum projiciebant; sed aqua illa tantam sui Creatoris injuriam non ferens, continuo illud in siccum exposuit. Quod videntes inimici Christi, tutius ac secretius sub terra occultandum inaniter æstimantes, sepulturæ illico illud tradiderunt. Sed in crastino Beati Martyris corpus super terram positum, sicut prius, repererunt. Unde non immerito pro tantæ rei novitate vehementer stupefacti, & ut digni erant fere in amentiam conversi, omni consilio & auxilio destituti, quid agerent, vel quo se verterent penitus ignorabant. Tandem altiori, ut putabant, utentes consilio, in puteum quendam aquam ad potandum continentem illud projecerunt. Sed nec ibi defuit Divina clementia, puero suo tam crudeliter pro se afflicto & occiso non parum compatiens; nam tanti luminis splendor continuo ibi cœlitus refulsit, tantaque fragrantia miri odoris totum locum illum replevit, ut satis palam cunctis daretur intelligi, aliquid sanctum & mirificum in puteo illo contineri. Istis vero indiciis excitati Christiani festinabant ad puteum illum certatim confluere, cernentesque venerabile corpus super aquam natare, statim cum summa cordis devotione cœperunt illud inde extrahere. Manibus autem & pedibus perforatis, capite etiam in modum coronæ diversis punctionum aculeis cruentato, cæterisque cicatricibus circumquaque per totum corpus patentibus, jam omnibus manifestum fuit tanti sceleris auctores detestandos fuisse Judæos. Cum autem Beati Martyris corpus ad Ecclesiam, vocibus lætabundis, processionaliter cum magna veneratione deferrent, quædam mulier cæca feretrum devote tetigit, desideratumque lumen, quo jam septem annis caruerat, meritis Beati *Hugonis* statim recipere meruit, quod etiam audiens quidam hydropicus, eadem nocte, in Ecclesia circa sacratissimum corpus causa salutis obtinendæ vigilavit, & salutem quam quæsivit, omni tumore inordinato depulso, impetravit. Patrantur etiam ibi alia multa beneficia, ad fidem & spem corroborandam Christianorum, ad confusionem & opprobrium Judæorum. Et tanto scelere postea convicti, quorum decem & octo, & ore proprio confessi, per medium Civitatis *Londoniæ* equis distracti, & laqueis sunt suspensi.

Judæi, puero Christiano cruci affixo, condignam pœnam luunt.

Miracula ad S. Hugonis corpus patrata.

Hoc institutum est à Capitulo generali, ut de Beato *Dominico* Institutore Ordinis Fratrum Prædicatorum, & de Beato *Petro* Martyre Ordinis ejusdem, fiant XII. Lectiones per Ordinem nostrum universum.

Hoc anno contigit Eclipsis solis, in die Sancti *Dominici* Confessoris, circa horam nonam, & duravit spatio unius refectionis & amplius, & fuit tunc Luna XXVII. *Eclips. Solis.*

MCCLV.

1255
Henric. 3. R.

Pugna inter Reg. & Baron.

Decretum contra Alienigenas, & bellum civile inde secutum.

Hoc anno facta est quædam pugna inter Regem *Henricum* III. & quosdam Barones Regni apud **Lewes**, cujus circumstantias, ne posterorum pereant notitiæ, hic breviter & summatim duximus inserendas.

Rex Alienigenarum, plus quam oportuit, utebatur consilio, qui Regni Magnatibus illudebant,& illos à consilio Regis repellebant, in multis articulis statuentes quæ sibi placebant. Ex hoc surrexit Indigenarum indignatio & turbatio, unde Rex & Proceres regni apud *Oxoniam* convenerunt, & quandam *providentiam* inter se statuerunt, qua perversas evertere leges possent, & ad hanc observandam omnes juraverunt, Rex, Comites, Barones fere plus quam centum, fecerunt & Episcopi idem Sacramentum, & excommunicaverunt omnes, qui contravenirent. Quidam tamen nitebantur ut à prædicto juramento absolverentur, mittentes ad summum Pontificem, impetrantes ut dictæ *provisioni* non tenerentur, & sic per Domini Papæ Literam à sacramento præstito se exoneratos opinabantur, quod ad commune regni commodum hujus *providentiæ* spectaret efficacia, minus quam oportet, attendentes, & ideo à nullo esset infringenda. Præterea *Henrici* quidem *provisio* imprimis placuit Reginæ, dum quidam barbari sibi displicentes *Angliæ* cogerentur valefacere. Sed cum suos compatriotas à regno ejiciendos cognosceret, ne *providentia* supradicta amplius staret Regi suadebat, cujus suasioni Rex præpropere favens, suum primogenitum, & quoscunque potuit ad consensum illexit. Præterea *Johannes* **Mansel** quidam Clericus Curialis voluntati Reginæ pro posse obtemperans, ad partem prævaricatorum quosdam prece vel pretio attraxit, quam ob causam, fama & redditibus amissis exul obiit. Hinc moti sunt cæteri qui flectere noluerunt, & transgressoribus minas intulerunt. Contra, reliqui his minime parcebant, sed rancores mutuos inter se fovebant. Denique in tantum odium hæc motio excrevit, ut priore fœdere ex una parte corrupto, partes in se invicem insurgerent, & maximis impugnationibus sese impeterent, prædia deprædando, prædas rapiendo, mansiones optimas igne comburendo, & ad humum aliqua castra prosternendo. Turbato sic regno quotidie malum aliquod generabatur, quod nisi prælio non poterat sedari, ut quibusdam videbatur; unde Rex congregato exercitu acceleravit *Quinque Portus* adire, & tribus ex illis in obsidionem sumptis, sibi arctius eos vincire, qui videbantur suæ voluntati non consentire; quibus compertis pars senior, viz. cum reverentia nominandus Dominus *Simon* de *Monteforti* Comes *Leicestriæ*, & *Gilbertus* Comes *Glovverniæ* cum suis complicibus ad *Portus* maturabant gressus dirigere, quo audito venit Rex de *Portibus* ad **Lewes** cum suo exercitu, continente fere LX. Mil. virorum belligerantium; porro in parte saniori erant L. Millia virorum, in quibus duces erant strenui, sed maxima pars juvenum. His Cives *Londonienses* associabantur, in prælio quidem minime probati, videntes enim bellum in fugam se dederunt. Hæc quidem pars, scilicet Barones regi scripserunt, quod ei libenter servirent. Rex rescribens salute omissa, mandavit quod de eorum ministerio nihil curaret, sed tanquam suos adversarios eos reputaret, & ut hostes publicos illos diffidaret. *Edwardus* etiam Regis primogenitus, & avunculus ejus *Richardus* dictus quondam Rex *Alemanniæ* mandaverunt quod destruerent bona eorum, & suorum, nec non & corpora. Doluerunt cæteri pacem cupientes, & pro eadem multa offerentes, quæ omnia regis Consiliarii abominabantur, & illos confusioni se tradituros minabantur. Cum ergo nec per oblata, nec per internuncios pacem possent habere, ad conflictum bellicum sese paravere, & montis verticem cujusdam ascendentes, villam in qua adversarii eorum erant, intuebantur, & illos in lectis cepissent, nisi quorundam urbanitate impedirentur. Dicebant enim hic eos expectemus, & spatium surgendi eis præstemus, nam si dormientes invaderemus, nobis improperium faceremus. Expectantes igitur faciebant novos milites, & ordinaverunt per acies suam gentem, donec viderunt adversarios venientes. Inito autem conflictu *Londonienses* fugam inierunt, quos *Edwardus* turba militum magna

magna comitante insequebatur, per quos pars magna fugientium perimebantur. Interim autem Rex capiebatur, suis enim armorum, equorum & hujusmodi lucris inhiantibus, debellatus est Rex cum quibusdam Magnatibus, quorum tamen plurimi fugæ se dederunt, & in campo suum Dominum reliquerunt. *Gilebertus* Comes *Glovernia* Regem cepit, quem quasi nobiliorem & cæteris potentiorem tunc Rex habuit, eique in signum gladium suum reddidit quamvis Dominus *Simon* de *Monteforti* Comes *Leicestriæ* ejus animo displicuit. Huic tamen Comiti excellentiores quique ex illa parte sese reddiderunt. His ita gestis *Edwardus* desistens ab insectatione *Londoniensium* revertitur, putans se cum suis obtinuisse triumphum, sed villa jam flammis tradita venerunt victores ei obviam, quibus visis cæteri fugere conabantur, quorum plurimi prosternebantur, pluresque milites Prioratum intraverunt, arma pro colobiis commutantes. *Edwardus* etiam intravit Ecclesiam Fratrum Minorum quem sequebatur multitudo suorum. Quidam & fugientes per quendam pontem sic se invicem constrinxerunt, quod multi corruerunt, & se submerserunt, evadentes autem partes transmarinas adierunt. Porro numerus erat in bello occisorum fere tria millia fortium virorum, præter numerositatem prius interfectorum, nec non & submersorum. Hæc autem pugna facta est pridie Id. Maii. *Henric. 3. R.*

Orta dissensione in Ordine sc. inter *Cistercienses* & *Clarevallenses* Abbates de derivatione *Claræ Vallis* hoc anno non apud *Cistercium* sed apud *Claram Vallem* tempore Capituli generalis convenerunt. Causa autem discordiæ hæc erat, videbatur multis quod *Cistercienses* in electionibus & depositionibus, nec non & aliis quibusdam casibus à forma Ordinis & observatione Cartæ caritatis exorbitarent. Tandem vero querelæ quæ inter eos urgebantur in Curia *Romana* discutiebantur & determinabantur. *Dissidium inter Cisterciens. & Clarevallenses.*

MCCLVI. 1256

Cum *Henricus* III. Rex *Angliæ* jam per biennium, permissione Domini Papæ, decimam ab universo Clero, excepto ordine *Cisterciensi*, per totam *Angliam* accepisset, hoc anno graviter ferens, & vehementer indignans, quod *Cistercienses* de rebus suis nihil sibi conferrent, primo eos blanditiis, postea minis & terroribus ad hoc conabatur inducere, ut saltem aliquam pecuniæ summam inter se colligerent, & sic quasi spontaneam sibi facerent donationem, qui tamen minus quam XXV. Mil. libras se ab eis minime accepturum jurejurando asseruit ..... vero metuebant valde ne forte, si Regi super tam gravi exactione ad præsens quasi sponte satisfacerent, eos in posterum ad illud idem faciendum nolentes & invitos, quotiescunque vellet, compelleret ex consuetudine; & ita antiquas Ordinis sui libertates amitterent, & summum Pontificem, qui, speciali quodam dilectionis privilegio, à prædicta decimatione eos fecerat immunes, non mediocriter offenderent. Omnes ergo ad invicem confœderati, & quasi firmissima castrorum acies impenetrabiles & invicti regis conatibus hujusmodi responso obviabant, dicentes quod absque licentia Capituli sui geneneralis, & omnium Abbatum consensu tale quid attemptare non auderent. Videns vero Rex eorum invictam constantiam, & se in suo proposito nil posse proficere, nimio furore commotus cum minis & opprobriis omnes jussit à sua Curia decedere. Uniformitas igitur & integritas atque constantia Ordinis *Cisterciensis* ab omnibus fere circumquaque prædicabatur, laudabatur, venerabatur in tantum, ut secundum multorum æstimationem, non esset aliquis Ordo sub cœlo, qui in constantia unitatis, in fervore religionis huic Ordini posset comparari. *Rex decimam ab ordine Cisterciensi frustra extorquere conatur.*

Dissensio magna facta est inter Dominum *Simerum* Electum *Wintoniæ* & Monachos Sancti *Swithuni* ejusdem loci. Quia iidem Monachi nullum alium haberent Abbatem præter Episcopum loci illius, voluit prædictus Electus ut nulli Monacho sine nutu ipsius aliqua committeretur obedientia, & ut omnes obedientiales sibi tanquam proprio Abbati computationes redderent de receptis & expensis. Monachi vero antiquas Domus suæ consuetudines relinquere *Discordia inter Electum Winton. & Monach. S. Swithuni.*

 linquere

Henric. 3. R. linquere nolentes, Electo constanter restiterunt, *Romam* miserunt, privilegia contra eum impetraverunt. Sed tandem post magnas & graves expensas, ipsis cedentibus, Electi voluntas prævaluit.

MCCLVII.

1257 *Rich. C. Cornub. fit. Imp. Alem.* *Richardus* Comes *Cornubiæ* frater Domini regis *Henrici* III. factus est rex *Alemanniæ*.

Statutum est hoc anno à generali Capitulo ut de cætero XII. sint rasuræ in Ordine nostro, cum antea non essent nisi VII. Et ut Abbates utantur Capis & Ministri altaris Dalmaticis, sicut in usibus continetur.

Exon. Ep. ob. Obiit *Richardus* de Blund *Exoniensis* Episcopus, cui successit *Walterus* Archidiaconus *Surriæ*.

MCCLVIII.

1258 *Alienigenæ ex Anglia expulsi.* Tot Alienigenæ diversarum linguarum jam per plures annos multiplicati erant in *Anglia*, tot redditibus, terris, villis & cæteris facultatibus ditati, quod *Anglicos*, quasi se inferiores, maximo contemtu habebant. Ferebatur vero à nonnullis, qui secreta ipsorum noverant, quod si potestas eorum procederet, omnes Majores *Angliæ* veneno extinguerent. Regeque *Henrico* regno privato, loco ipsius alium ad suum arbitrium constituerent, & sic demum totam *Angliam* suæ ditioni perpetuo subjugarent. Quatuor etiam fratres Regis *Henrici*, *Almericus* scilicet Electus *Wintoniæ*. *Willielmus* Comes *Wallensiæ*, *Guido* & *Gaufredus*, præ cæteris Alienigenis dignitatibus & divitiis supra modum elevati, intolerabili fastu superbiæ in *Anglos* sævientes, multis ac variis injuriis & contumeliis crudeliter eos afficiebant, nec ausus fuit aliquis præsumtuosis eorum actibus propter Regis timorem obviare. Non solum autem isti, sed quod magis dolendum est, *Anglici* in *Anglos*, majores scilicet in minores insurgentes, cupiditatis igne succensi: Placitis, & Merciamentis, Tallagiis, & Exactionibus variisque aliis incommodis, unicuique quod suum est conabantur auferre. Leges & consuetudines antiquæ aut nimis corruptæ, aut penitus cassatæ, & ad nihilum erant redactæ, & quasi pro lege erat cuique sua tyrannica voluntas, & nisi mediante pecunia de facili rectum nusquam fiebat judicium. Non sufficit aliquis enumerare omnia mala quæ tunc temporis fiebant in *Anglia*. Tandem hoc anno Comites & Barones, Archiepiscopi, Episcopi & cæteri Magnates *Angliæ* quasi de somno divinitus excitati, videntes miserabilem regni dejectionem, omnes ad invicem unanimiter confœderati vires & animos, ad modum leonis nullius occursum paventis, audenter sumserunt. Et primo prædictos fratres Domini Regis *Henrici* Alienigenas violenter ex *Anglia* expulerunt, ac postea leges & consuetudines antiquas renovare & reformare cœperunt. Et ne eas de cætero ausu temerario quis violare præsumat in modum Cartæ conscriptas sigillo regio, ipso Rege annuente munierunt.

MCCLIX.

1259 *Hen. R. Angl. terras suas in Gall. Hæreditarias à Rege Galliæ petit, & impetrat.* Cum *Henricus* III. rex *Angliæ* quasdam terras magnas & satis opulentas in partibus *Gallicanis* jure hæreditario ad se pertinentes, quas pater suus *Johannes* quondam Rex *Angliæ*, ob mortem *Arturi* amiserat, quandoque bellis, quandoque precibus, aliisque pluribus ingeniis de manu Regis *Francorum* multoties conaretur eripere, & in suo conamine nil posset proficere, tandem hoc anno multis amicis consulentibus, & intervenientibus, Regem *Lodovicum* in propria persona pacifice adiit, & ut terras illas, omnibus controversiis cessantibus, sibi benigne concederet, humiliter supplicavit. *Ludovicus* vero, propter mutuam in Christo dilectionem inter eos inposterum conservandam, petitionibus ejus absque ulla difficultate adquievit, & ei terras illas homagium sibi facienti, præsentibus Archiepiscopis, Episcopis, Comitibus, Baronibus, aliisque nonnullis, libenter donavit. *Henricus* vero Rex cum jam terras illas accepisset, & eas in suo dominio cum omnibus pertinentiis integre & pacifice possedisset, absque consensu *Edwardi* primogeniti sui, cæterorumque Magnatum in *Anglia*, quasdam vendendo, quasdam donando statim antequam rediret in *Angliam*, se & suos eisdem terris in perpetuum privavit.

Statutum

Statutum fuit hoc anno in Capitulo generali ut de Beato *Francifco* inftitu- *Henric.* 3. *R.*
tore Fratrum Minorum de cætero fiant XII. lectiones, & de Beato *Roberto* Abbate duæ Miffæ fint in Conventu per Ordinem univerfum.

MCCLX. 1260

Siccitas tam magna, & tam diutina erat in æftate, quod hordea & avenæ, fe- *Siccitas magna multi pernicies fuit.*
re ufque ad Autumnum, in multis locis fub terra latebant. Poftea vero imbribus fuper terram fatis affluenter ftillantibus, jam fero crefcere & fpicas emittere cœperunt, fed, naturali calore folis deficiente, cum maturefcere non poffent, circa feftum Sancti *Michaelis* in fua viriditate non fine magna & inæftimabili jactura metebantur, & animalibus in pabulum præbebantur. Quidam autem homo in villa quæ vocatur Hungurford prope *Newbirriam* prædicta ficcitate ad fuam perniciem nimis irritatus, dolium aqua plenum in campum fuum ad illum irrigandum deferri fecit; & pluribus audientibus fubfannando & blafphemando dixit, fe facturum, quod Deus facere non potuit, & cum manum unam furfum ad dolium tenendum, aliam vero deorfum ad clepfydram extrahendam mififfet, ilico ultio Divina non defuit. Nam ut difce- *Miraculum.*
ret non blafphemare, ita manus fuperior dolio adhæfit, inferior vero adeo firmiter clepfydram tenuit, quod eas ad fe trahere aut inde evellere nullo ingenio potuiffet. Sentiens igitur mifer ille Divinam potentiam, & fuam arguens præfumtionem, magnis vocibus clamare, & miferabiliter cœpit ejulare. Multis ergo occurrentibus, & præ novitate miraculi vehementer ftupefactis, quafi quoddam fimulacrum, ftupentibus brachiis, aliquandiu fic ftabat ligatus, & non mediocriter afflictus vel confufus.

Tandem vero cum nutu Divino manus fuperior dolium deferuiffet, reliqua vero clepfydram dimittere non poffet, brachiis inflexibiliter extenfis, ad Ecclefiam de Eſtun à vicinis fuis feftinanter deducitur, & ante altare Beati *Edmundi* Archiepifcopi, ubi crebra & infignia miracula fiebant, nova oblatio & mirum fpectaculum fiftitur. Ubi poftea meritis, & precibus Beati *Edmundi*, brachiis fibi reftitutis, clepfydra de manu Divinitus elapfa, ab hujufmodi vinculo plene abfolvitur, & fui compos ut antea efficitur. Obiit *Aymerus* Elect. *Wintonienfis* apud S. *Genoveram Parifiis*, nondum ab exilio revocatus.

MCCLXI. 1261

Hoc anno ftatuta fuit à Capitulo generali oratio fpecialis per univerfum *Oratio contra Tartar. inftit.*
Ordinem, contra ingruentem *Tartarorum* fævitiam. Statutum etiam fuit ut in provinciis illis, in quibus Epifcopi vel alii Ecclefiarum Prælati communia privilegia, & indulgentias Ordinis infringere molirentur, tres Abbates, qui in illa provincia in Ordine Priores exifterent, ad inftantiam Abbatum afflictorum, inquifita prius caufa, & caufæ merito, viz. fi dicti afflicti bonam haberent caufam, & communia Ordinis privilegia, & indulgentiæ impeterentur, univerfos Abbates ejufdem provinciæ convocarent ad locum medium, auctoritate Capituli generalis, & ibi, facta competenti contributione in communibus expenfis ejufdem provinciæ per fe vel per procuratorem idoneum, in ipfa caufa procederent, prout melius & falubrius viderent expedire.

MCCLXII. 1262

Magifter *Johannes Exonienfis* confecratus à Domino Papa in Epifcopum *Joh. Exon. fit Epifc. Wint.*
Wintoniæ, venit in *Angliam* circa feftum Sancti *Michaelis*.

Dominus *Guido* Abbas *Cifterciæ* factus eft Cardinalis Ecclefiæ *Romanæ*. Obiit *Richardus* Comes *Glouceftriæ*. Obiit Dominus *Petrus Bevallus* Rector Ecclefiæ de *Aultone*, cui fucceffit *Petrus Exonienfis*. Obiit Magifter *Egidius* Epifcopus *Saresburiæ*. Obiit Dominus *Willielmus* Abbas de Cumba, quondam Monachus *Waverleiæ*. Obiit Dominus *Willielmus* Abbas de *Forda* apud *Waverleiam*, ibidemque in Capitulo fepultus eft. *Guido Ab. fit Cardin. & multi Viri Celebr. obeunt.*

MCCLXII. 1263

Recolendum præfentibus, & pofterorum eft memoriæ recondendum, quod cum piæ recordationis *Matildis*, mater quodammodo Monachorum de *Waverleia*, in Capella Infirmitorii eorundem humata, II. Id. Februarii, quæ tunc *Matildis omnia bona fua Waverleiæ legat.*
Dominica

Henric. 3. R. Dominica habebatur; anno Domini MCCLXIII. fere omnia bona sua, tam in vita, quam in morte, *Waverleiæ* contulisset, & per officinas diversas distribuendo legasset, inter cætera testamentario jure centum Marcas Sterlingorum taliter ordinavit, viz. quod de eisdem duæ in Conventu pitanciæ annis singulis haberentur, quæ ex certo reditu de eadem pecunia perquisito perpetuo provenirent. Una viz. panis specialis & piscis die obitus sui, qui est VI. Id. Februarii, & altera in anniversario *Leberti*, quondam mariti sui, de *Pisce*, quod est die Sanctæ *Luciæ* virginis. Nec non & unde lampas una, in Capella * Sancti Infirmitorii omnibus noctibus, pulsato ad vigilias horologio, mox accendenda, usque post Missas tempore hiemali in eadem celebratas. In æstivali vero usque post Laudes valeat sustentari. Quæ quidem lampas cæteris temporibus sic debet ardere. Ad omnes scilicet Missas in dicta Capella celebrandas. Et in præcipuis solemnitatibus ad utrasque vesperas, quando tres in choro lampades accenduntur. In omnibus, & tam diebus quam noctibus Sanctorum illorum & Sanctarum, quorum in honore eadem Capella dignoscitur consecrari. Sic & in anniversariis suis, sine intermissione, die ac nocte, prout ipsa *Matildis* in suo testamento plenius ordinavit. Præterea diebus ac noctibus in solemnitatibus viz. Natalis Domini, Paschatis, Pentecostes, & Ascensionis Domini, Purificationis Beatæ Virginis, Annunciationis ejusdem, Assumtionis ejusdem, Nativitatis ejusdem, & omnium Sanctorum. Sciendum igitur quod cum *Richardus* de **Cotteford** Clericus totum tenementum suum in **Herweton** in terris, redditibus, pratis, & omnibus aliis ad illud pertinentibus nobis emendum obtulisset, conveniente Domino .... tunc Abbate, totiusque Conventus consilio seniorum, voluntate concordi dictum tenementum pro centum Marcis memoratis emerunt, reservato totaliter & specialiter viginti & novem solidorum & VI. denariorum redditu, de eadem emtione assiso, ad duas pitancias præmissas, & lampadem prænotatam, si sufficere possit; vel de supplemento emtionis totalis sustinendam, modo & ordine superius annotato. Ut igitur notum posteris fieret ordinatio tam lampadis, quam pitanciarum, tunc temporis seniores Domus illius sanioris consilii, ad eadem perpetuanda securiùs, summam pecuniariam, prout eis videbatur, sufficienter taxarunt; & emtionem promulgarunt in scriptum: posteris suis relinquentes, ut & eorum corda circa dictæ *Matildis* memoriam devotius excitarent, & pacificatio Conventus firma & stabilis præservaretur. Insuper, ut & inposterum de modicitate conqueri non possent, ad præfata complenda, queruli successores. Actum die Sancti *Thomæ* anno præmisso.

1264

MCCLXIV.

Parlamentum Londoniæ habitum ad pacem Regni stabiliendam.

Hoc anno in crastino Sancti *Hilarii* factum est Parlamentum magnum *Londoniæ*, ubi pacificati sunt Comes *Glocestriæ* & Comes *Leicestriæ Simon* de *Monte-forti*. Tenuit etiam Dominus *Simon* de *Monte-forti* milites Alienigenas in terra, & Comitatu suo, & in munitione castrorum de **Dowere**, de **Windesore**, de **Walingeford**; & noluit hoc pati Dominus *Gillebertus* de **Clare**, sed ut omnes Alienigenæ exirent communiter, quod & factum est. Ad prædictum Parlamentum voluit Rex damnare, & ad mortem adjudicare Dominum *Robertum* de *Ferrariis* Comitem de **Derbi**, propter damna & incendia enormia, quæ gessit post bellum de **Lewes** & ante. Volens autem Dominus *Simon* de *Monte-forti* prædictum Comitem liberare, & Domini Regis animum pacare, prædictum *Robertum* Comitem cœpit, & in turri *Londoniæ* incarceravit. Unde multi suspicabantur, quod idem de Comite *Glocestriæ* perficere proposuisset. Cum autem hæc ad aures *Gilleberti* de *Clara* pervenissent, & *Leulinus* Rex *Walliæ* terras suas in *Marchia* vastasset, & destruxisset, secreto cum *Marchiensibus*, licentia non requisita, versus *Marchiam* à *Londonia* secessit. Ad prædictum Parliamentum liberatus est Dominus *Edwardus* Regis filius, & Dominus *Henricus* filius Regis *Alemanniæ*, tali sub forma. Henricus *Rex* Angliæ, *Dominus* Hiberniæ, *dux* Aquitaniæ, *omnibus de communitate, salutem. Cum propter hostilem turbationem habitam in Regno nostro,*

stro, de unanimi assensu nostro, & voluntate Edwardi filii nostri primogeniti, Prælatorum, Comitum, Baronum, & Communitatis Regni nostri, pro Regni ipsius pace, pro cujus securitate Dominus Edwardus & Henricus filius Regis Alemanniæ nepos noster obsides dati fuerunt, concorditer sit provisum, quod quædam ordinatio de unanimi assensu nostro, & voluntate Edwardi filii nostri primogeniti, Prælatorum, Comitum, & Baronum prædictorum, super nostro & Regni nostri statu Londoniæ, mense Junii, anno Regni nostri XLIX. facta, inviolabiliter observetur: Universitatem vestram scire volumus, quod nos ordinationem ipsam, & tranquillitatem Regni observare bona fide, & in nullo contravenire, ad Sancta Dei Evangelia juravimus. Hoc adjecto in eodem Sacramento specialiter, & quidem expresse, quod ex occasione factorum præcedentium, tempore turbationis & guerræ præcedentis, neminem occasionabimus, aut inculpabimus, de illis aut ex parte illorum, quos tanquam inimicos desidavimus, puta, Comites Leicestriæ & Glocestriæ & alios sibi adhærentes, ac Barones seu cives nostros Londoniæ & Quinque Portuum, nec alicui de prædictis damnum faciemus, aut fieri procurabimus, vel per Ballivos nostros fieri permittemus. Juravimus insuper, quod ea omnia, quæ propter liberationem dictorum filii nostri & nepotis, sunt provisa, & sigillo nostro sigillata, quantum ad nos pertinet, inviolabiliter observabimus; & ab aliis pro posse nostro faciemus observari. Volentes & consentientes expresse, quod si nos vel Dominus Edwardus filius noster contra prædictam ordinationem, & promissionem nostram seu juramentum, quod absit, in aliquo venire, seu pacem & tranquillitatem Regni nostri turbare, seu occasione factorum præcedentium, tempore turbationis aut guerræ præcedentis, aliquem de prædictis, aut de parte prædictorum, quos desidavimus occasionare, seu alicui de eis damnum facere, aut fieri procurare præsumserimus, Liceat omnibus de Regno nostro contra nos insurgere, & ad gravamen nostrum opem & operam dare juxta posse. Ad quod ex præsenti præcepto nostro omnes & singulos volumus obligari, fidelitate, & homagio nobis facto non obstante. Ita quod nobis in nullo intendant, sed omnia, quæ ad gravamen nostrum respiciunt, faciant, ac si in nullo nobis tenerentur; donec quod in hac parte transgressum fuerit, seu commissum, cum satisfactione congrua in statum debitum, secundum prædictorum, ordinationis & promissionis nostræ, & juramenti formam, fuerit reformatum; quo facto, nobis sicut prius intendentes existant. Et si aliquis alius de Regno nostro contra prædicta venire, seu pacem & tranquillitatem Regni nostri perturbare præsumserit; seu nobis vel Edwardo filio nostro, aut alicui alteri contra prædicta, vel aliquid prædictorum venientibus, opem, consilium, consensum, vel auxilium quoquo modo præstiterit, si hoc notorium fuerit, aut de hoc per considerationem consilii nostri, & Magnatum terræ nostræ convictus fuerit, de unanimo assensu nostro, Edwardi filii nostri, Comitum, Baronum, ac Communitatis Regni nostri provisum est, quod corpus ipsius, si inventum fuerit, capiatur, alioquin à Regno nostro utlagetur. Et si inventus fuerit, sive non, tam ipse quam hæredes in perpetuum exhæredentur, ac de terris & tenementis ipsorum fiat, prout de terris eorum, qui de felonia convicti sunt, secundum leges & consuetudines Regni nostri fieri consuevit. Ad hoc de unanimi assensu & voluntate nostra, Edwardi filii nostri, Prælatorum, Comitum, Baronum, Communitatis Regni nostri concorditer provisum est, quod Cartæ antiquæ communium libertatum & Forestæ, communitati Regni nostri per nos dudum concessæ, in quorum violatores, ad petitionem nostram, sententia excommunicationis dudum lata est, & per sedem Apostolicam specialiter confirmata; nec non & omnes articuli, de nostro & Magnatum terræ nostræ communi assensu dudum provisi, quos nuper apud Wigorniam existentes, per singulos Comitatus sub sigillo nostro transmisimus, inviolabiliter observentur in perpetuum. Ad quorum observantiam, sacramento ad Sancta Dei Evangelia præstito, sponte nos obligamus, & omnes Justitiarios nostros Vicecomites, & quoscunque Bailivos de Regno nostro, tam nostros quam alios, simili sacramento volumus obligari, ita quod nullus teneatur alicui Bailivo obedire, donec prædictum Sacramentum præstiterit. Et si quis contra Cartas ipsas, vel articulos prædictos venire præsumserit, propter perjurii reatum & excommunicationis sententiam, quam incurret, per considerationem Curiæ nostræ graviter puniatur, salvo in præmissis, prout debet, privilegio Clericali. Et quia volumus, quod hæc omnia firmiter & inviolabiliter observentur, Universitati vestræ firmiter injungendo, & præcipiendo manda- Henric. 3. R.

Henric. 3. R. *mus, quatenus omnes & ſinguli prædicta omnia & ſingula faciatis; teneatis, & inviolabiliter obſervetis, & ad ea omnia facienda, tenenda, & obſervanda; ad Sancta Dei Evangelia ſacramento præſtito, ad invicem vos obligetis. In cujus rei teſtimonium Cartas, & ordinationes prædictas, cum præſentibus literis noſtris patentibus; vobis ſub ſigillo noſtro tranſmittimus, in Comitatu veſtro, ſub cuſtodia fide dignorum ad hoc electorum, ad rei memoriam ſalvo cuſtodiendas. Contra quas ne quis ignorantiam prætenderet in futurum, ad minus bis in anno, in pleno Comitatu tuo, ipſas præcipimus publicare, ita quod prima publicatio fiat in proximo Comitatu poſt inſtans feſtum Paſchæ. Secunda vero publicatio fiat in proximo Comitatu poſt feſtum Sancti* Michaelis, *& ſic deinceps fiat annuatim. Volumus etiam quod ſalvis omnibus ſupradictis omnes aliæ ordinationes & articuli per nos & conſilium noſtrum hactenus proviſi, qui poterunt ad honorem Dei & Eccleſiæ, fidem noſtram, & Regni noſtri commodum obſervari, inviolabiliter obſerventur & teneantur. Ut autem præmiſſa omnia & ſingula firma maneant & inconcuſſa, Reverendi Prælati & Epiſcopi per Regnum noſtrum conſtituti, ad inſtantiam noſtram, ſententiam excommunicationis fulminaverunt in omnes illos, qui contra præmiſſa, vel aliquod præmiſſorum ſcientes veniunt, vel venire temptaverint cum effectu. Quorum juriſdictioni ſeu coertioni ſpontanea voluntate, quantum ad præmiſſa, nos ſubmiſimus, privilegiis noſtris omnibus impetratis, aut impetrandis, ſeu proprio motu Domini Papæ nobis conceſſis, aut in poſterum concedendis; in hoc pure renunciantes, prout in literis noſtris ſuper hoc confectis, penes dictos Prælatos reſidentibus, plenius continetur. In cujus rei teſtimonium has literas noſtras vobis tranſmittimus Patentes. Dat.* London. *anno Regni noſtri* XLIX.

Rex Angl. bellum infert Comiti Glouceſtriæ.

Circa vero Feſtum Sancti *Marci* Evangeliſtæ Dominus Rex, una cum Domino *Simone* de *Monte forti*, & Domino *Edwardo* Regis filio, exercitum duxit erga *Marchiam*, adverſus Comitem *Glouceſtriæ*, & *Marchienſes*, qui fidem nec juramentum ſuum obſervaverunt. In villam *Gloceſtriæ* venit Rex cum prænominatis, urbem & caſtrum optime præmunientes, quia Comes *Glouceſtriæ* fuit eodem tempore in foreſta de **Dene** maximo cum exercitu, vindicari cupiens de Domino *Simone* de *Monte forti* & filiis ſuis; & fuit Dominus *Johannes Giffard* cum *Gilleberto* de *Clara*. Cum autem Dominus Rex cum Domino *Simone* de *Monte forti* in prædicta urbe jam per quindenam reſiderent, & nunciis hinc & inde venientibus, inter Dominum *Gillebertum* de *Clara* & Dominum *Simonem* de *Monte forti* quodam die Matris, XII. die Maii pacificati ſunt duo Comites, ponentes ſe ſuper quatuor arbitros viz. Magiſtrum *Walterum* de **Cauntelo** *Wigornienſem* Epiſcopum, Dominum *Hugonem* **Deſpenſer**, Dominum *Johannem* filium *Johannis*, Dominum *Willielmum* de *Munchaneſi*. Tali igitur ſub forma reformati prædicti Comites; Dominus Rex verſus **Hereford**, in craſtino iter arripuit, cum Domino *Simone* de *Monte forti*, quem Dominus *Gillebertus* de *Clara* capere propoſuiſſet ſeditioſe. Sed per exploratores Domini *Simonis* de *Monte forti* vix in villam *Herefordenſem* evaſerunt illæſi. Quo effugientes, obſeſſa eſt tota illa provincia à Domino *Gilleberto* de *Clara* & exercitu ſuo tribus in locis, ita quod Dominus Rex nec Dominus *Simon* de *Monteforti* per multum tempus à civitate *Herefordenſi* amovere ſe non poſſent. Cum autem hæc ita agerentur, quadam die Dominus *Edwardus*, petita licentia à Domino *Simone* de *Monte forti*, ut extra Civitatem ſpatiatum iret ſub cuſtodia. Et exercitus Comitis *Glouceſtriæ* in quadam ſilva eſſet abſconditus: dictus *Edwardus* duces ſuos & cuſtodes deſeruit, eoſque illæſos & indemnes abire & redire fecit, ipſeque Domino *Gilleberto* de *Clara* adveniens, cum gaudio inæſtimabili ab ipſo & ſuis ſuſceptus eſt. Hinc inter ſe confœderantes, ſtatim cum exercitu maximo villam *Gloceſtriæ* adierunt, & eam infra duos dies ceperunt, Caſtrum hoſtiliter per tres ſeptimanas obſidentes, illique intrinſecus repugnantes viriliter, quam plures interemti ex utraque parte ſuccubuerunt; ſed factum eſt circa Feſtum Apoſtolorum *Petri* & *Pauli* quod redditum eſt Caſtrum Domino *Edwardo* tali ſub forma, viz *quod omnes qui vellent exire, pacifice exiſſent, & irent quocunque voluiſſent libere cum equis & armis indemnes, jurantes quod per quadraginta dies contra Dominum* Edwardum *arma non portarent.*

Edwardus Regis fil. Comit. de Monteforti deſerit.

portarent. Cum igitur villam & Castrum obtinuerunt, relictis ibidem ad voluntatem custodibus, Dominus *Edwardus* & Dominus *Gillebertus* de *Clara* duxerunt iterum exercitum suum versus Hereford: ut Dominum Regem & Dominum *Simonem* de *Monte forti* pro posse & velle caperent ibidem, & confracti sunt pontes, & naves submersæ, & vada profundius confossata atque observata, ne Rex nec *Simon* de *Monte forti* possent transire. Et ex alia parte mare munitum est à prædictis, ne apud Bristow confugerent ab inimicis suis undique vallati. Quod videns Dominus *Simon* de *Monte forti* Comes *Leicestriæ Lewelinum* Regem *Walliæ* adiens, auxilium petens ab ipso, cui *Lewelinus* auxilium benigne annuit, si Dominus Rex hæreditatem suam & Antecessorum suorum, sibi & hæredibus suis concederet, quam Dominus Rex eidem concessit. Et statim *Lewelinus* cum suis super *Marchienses*, & *Gillebertus* de *Clara* ex una parte, & Dominus *Simon* de *Monte forti* ex alia, multa mala perpetrantes bona eorum in *Marchia* ad nihilum redegerunt. *Henric. 3. R.*

Junii XVI. factum est tonitruum magnum & horribile, ita quod una turris *Abendoniæ* versus Aquilonem fulgure & coruscatione succenderetur, & magna pars parietis cum cœmeterio asportaretur, & vix extingueretur. *Tonitru magn.*

Eodem tempore Dominus *Simon* de *Monte forti* mandavit filio suo *Simoni* juniori, ut exercitum perquireret, & Domino Regi & ei in auxilium veniret. Audito igitur mandato, obsidium de *Pevenesseia* mox deserens, maximum colligens exercitum XII. Julii, viz. pridie Sancti .... *Wintoniam* causa hospitandi venerunt ibidem, ac cives Civitatis nolentes eum recipere, sed & quendam de suis coram oculis suis occidendo, introitum negaverunt. Quo prodiens *Simon* indignatus Civitatem incontinenter obsessam hostiliter intravit, ipsam sine misericordia spoliando propter eorundem proterviam, judæos occidendo, & ad nihilum redigendo. Hinc *Oxoniam* pacifice veniendo, & ibidem per tres dies moram faciendo, in recessu suo duxit exercitum suum apud Chelintworthe, elevatumque est cor ejus ultra modum propter exercitus ejus multitudinem, & stetit ibidem per VI. dies. Quo audito mandavit ei Dominus *Edwardus* filius Regis, qui tunc temporis apud *Wigorniam* extitit, quod eum visitaturus veniret. Quod ille audiens gaudio repletus magno, minus caute quam deceret castrum exiens cum suis, per totam noctem vigilando, adventum prædicti *Edwardi*, non sine magno labore & tædio præstolabatur; sed versus auroram, sopori se omnes in Prioratu & in villa dederunt ultra modum fatigati. Quod audiens dictus *Edwardus* per exploratores suos, festinus ibidem adveniens cum suis, omnes dormiendo miserabiliter invasit, & arma, & equos, & omnia capiendo; & vix Dominus *Simon* juvenis cum paucis sese in Castro recepit. Ibidem captus est Comes *Oxoniæ*, & *Robertus* de Uer, Dominus *Wilhelmus* de Munchanesy. Dominus *Adam* de *Novo-Foro*, Dominus *Walterus* de Colewile, & multi alii. Ignorans igitur Dominus *Simon* Comes *Leycestriæ* casum fastidiosum Domini *Simonis* filii sui, partes *Herefordiæ* deseruit, & *Sabrinam* viriliter transiit in die Sancti *Petri ad vincula*, scilicet die Dominica, & in crastino apud Kemesye moram faciendo, proposuit prædictum *Edwardum*, & *Gilbertum* de Clare ex uno latere includere, & filius suus includeret ex altero. Die Martis igitur, scilicet pridie nonas Augusti mane versus Evesham iter arripuit, cumque ibidem advenisset Dominus Rex cum suis, voluit jentaculari; quod & factum est, noluit autem Dominus *Simon* de *Monteforti* ibidem aliquid cibi capere, post jentaculum igitur Domini Regis iter arripuerunt omnes versus Kelinetworthe, & credidit Dominus *Simon* de *Monte-forti*, quod *Simon* filius suus eis in obviam venisset, cum extra villam de Evesham pervenissent, invasit eum dictus *Edwardus* cum exercitu magno, & statim Dominus Rex viso Domino *Edwardo* filio suo, Dominum *Simonem* de *Monte forti* deseruit, & initum est prælium hinc & inde, & factum est quod in eodem prælio succumberet Dominus *Simon* miles emeritus, Comes *Leycestriæ*, & Dominus *Henricus* filius ejus, & Dominus *Hugo* le Despenser, & Dominus *Petrus* de *Monte forti*, & Dominus *Radulfus* Basset, & multi alii. Dominus vero *Simon*

Simonis fil. patri in auxilium venit, & cum Edwardo infeliciter pugnat.

Simon de Monte forti captus & capite truncatus.

 de

Henric 3. R. de *Monte forti*, capite truncato, membratim decifus, pudibundis fuis proh pudor! ablatis, martyrium pro patriæ terræ & Regni reparatione, & matris Ecclefiæ, ut credimus, confummavit gloriofum, quia fi vellet apud **Kelineworthe** peroptime confugiffet. In eadem igitur hora qua fuccubuit, facta funt tonitrua magna, & fulgura, & corufcationes, & fol obfcuratus eft per univerfam terram. Et capti funt in eodem prælio Dominus *Guido* filius Domini *Simonis* de *Monte forti*, Dominus *Vmfridus* de **Boun** juvenis, Dominus *Johannes*, filius *Johannis*, Dominus *Henricus* de **Haftinge**, Dominus *Johannes* de **Vefci**, Dominus *Nicolaus* de **Segrave**, Dominus *Baldewinus* **Wake**, duo filii Domini *Petri* de *Monte forti*, videlicet Dominus *Petrus* & Dominus *Robertus* de **Munfort**, & multi alii, & tumulata funt corpora Domini *Simonis* de *Monteforti*, & *Henrici* filii fui, & Domini *Hugonis Defpenfatoris*, per licentiam Domini Regis, in Ecclefia Conventuali de **Evefham**, ante magnum altare, ante gradum inferiorem.

Eodem tempore Barones *Hyberniæ*, & Nobiles venerunt in auxilium Domini *Edwardi*, ad mandatum ejus, videlicet Dominus *Mauricius* filius **Geroud**, Dominus *Mauricius* filius *Mauricii*, Dominus *Walterus* de **Burg**, Dominus *Theobaldus* le **Boteiller**, & alii quam plures.

Cum igitur Dominus *Simon* juvenis, nimio dolore & pavore perterritus in Caftro de **Kelincworthe** confifteret, per confilium fuorum, & forte proprio motu ductus, de captivitate carceris dimifit Regem *Alemanniæ* avunculum fuum, & Dominum *Reginaldum* filium *Petri*, & alios, quos in cuftodia fua poffidebat apud **Kelinewortlhe**, & facta funt hæc VIII. Id. Septembris, dominica videlicet die proxima poft Feftum Sancti *Egidii* Abbatis.

Parlamentum Magnum habit. Wint.

Ad feftum exaltationis Sanctæ crucis factum eft Parliamentum magnum apud *Wintoniam*, quo vocati funt omnes Magnates terræ, & omnes uxores Comitum, Baronum, Militum in bello occiforum, vel captivorum in perfona exiftentium. Mandati funt infuper omnes Epifcopi, Abbates, Priores, Baronias tenentes cum fervitio Domini Regis debito. Exceptis quatuor Epifcopis, qui vocati ibidem non fuerant, fcilicet Epifcopus *Lincolniæ*, Epifcopus *Londoniæ*, Epifcopus *Wyrceftriæ*, Epifcopus *Ciceftriæ*. Nec potuit illud Parliamentum ibidem determinari, quia *Lewelinus* maximo cum exercitu fuorum in partes *Ceftriæ* defcenderat, omnia quæ poterat vaftando, & deftruendo, & Caftrum de **Hamectlin** ufque ad terram fubvertit, & hac de caufa prolongatum fuit prædictum Parliamentum, ufque ad Feftum Sancti *Edwardi* apud *Weftmonafterium*. Eodem tempore mifit Dominus Rex, & Dominus *Edwardus*, Dominum *Mauricium* filium **Geroud**, & Dominum *Hamonem* extraneum contra *Lewelinum*; ibidemque advenientes, inito conflictu, hinc inde prædictus *Mauricius*, & *Hamo* in fugam verfi evaferunt, militibus fuis cum cæteris fervientibus fuis fine mifericordia occifis.

Lewelin. duces Regis fuperat.

Cum igitur eodem tempore circa feftum Sancti *Michaelis*, Dominus Rex & omnes fere Magnates terræ apud **Windefores** exifterent. Quibus **London** mandaverat ut ei Civitatem fuam redderent pacifice, ponentes fe fuper mifericordia fua, at illi continuo, inito confilio communi, miferunt ad Dominum Regem Majores Civitatis circiter XL. ut ipfi pacificum finem pro omnibus facerent, cum ergo ad **Windefhore** veniffent conductu Domini *Rogeri* de **Leyburne**, ftatim mandavit Dominus Rex omnes incarcerari. At illi continuo reddentes claves **London**, communitate Civitatis ejufdem in . . . . & fic miferabiliter deftructi funt omnes Majores Civitatis illius, & ad nihilum reddacti pro dolor!

Majores Civ. L. incarcerantur.

Comitif. Leicest. exhæred.

In Fefto Sanctorum *Simonis* & *Judæ* redditum eft Caftrum **Kenelworthe** Regi, quod Comitiffa de **Leyceftre** tenuit ad illud tempus, & adjudicata eft exhæredationi, quod & factum eft.

Simon de Monte forti. & alii Rebelles Regi excommunicantur, & exhæredantur.

Circa Feftum omnium Sanctorum rediit Regina in *Angliam*, una cum Legato à Domino Papa miffo nomine *Ottobone*, qui excommunicavit Dominum *Simonem* de *Monte forti* Comitem *Leyceftriæ* mortuum, & omnes fibi adhærentes contra juftitiam, & pacem Regni, & ad feftum Sancti *Edwardi* exhæredati

funt

funt omnes apud London, qui arma contra Regem & *Edwardum* filium fuum portaverunt, & omnes Domino *Simoni* juniori adhærentes, & confilium præbentes poft bellum de Eveſham, & eodem tempore juffit Dominus Rex removeri omnes poftes, & catenas in Civitate London, & ita actum eft. *Richardus* Rex *Alemanniæ*, nec Comes *Marefcallus*, nec Dominus *Philippus* Baſſet, nec alii Magnates affenfum præbebant exhæredationi eorum. Circa Feftum Sancti *Edmundi* Regis & Martyris, dimiffi funt de carcere omnes cives London præter VII. Circa Feftum Sanctæ *Katharinæ* virginis combufta eft villa de Portefmeye à Civibus *Quinque Portuum*, qui nullatenus ad pacem Domini Regis, nec *Edwardi* venire volebant; eo quod Dominus *Edwardus* concives illorum de Winchelefe fufpendiffet, & cives London fic miferabiliter & viliter tractaffet, fibi præcaventes omnes in mari cum uxoribus, & parvulis fe tenuerunt. Damna multa, & enormia, terra marique perpetrantes indefinenter.

Henric. 3. *R.*

In die Sancti *Clementis* Martyris exiit Dominus *Simon* junior de *Monte forti* de caftro fuo de Kenilworthe, relinquens ibidem munitionem, & junxit fe exhæredatis, ponens fe in quadam infula nomine Axeholm cum eifdem, & Dominus *Edwardus* magno cum exercitu eum ibidem obfedit, ab illo tempore ufque ad Natale Domini, & tunc pacificis verbis, & promiffionibus, ut ita dicam, duxit eundem apud Northamtune, ubi Dominus Rex, & Regina, & Legatus illo tempore extiterant de pace tractantes. Cumque ibidem adveniffet, non potuit ad infulam ficut ei promiffum fuerat reverti, quia fraudulenter feductus & deceptus erat. Ibidem inveniens obfides qui pro eo dati fuerant, videlicet *Edmundum* Regis filium, & *Henricum* Regis *Alemanniæ* filium. Videns ergo quod feductus effet, invitus Dominum Regem, & Dominum *Edwardum* London fequebatur fub cuftodia. Ibidem adveniens non poft paucos dies adjudicatus eft *Angliam* in perpetuum ejurare, ita videlicet quod fingulis annis, quo juramentum fuum cuftodiret, de Cancellaria Domini Regis quingentas Marcas Sterlingorum London reciperet. Cum igitur fic cum eis invitus detineretur, invitus prædictam pactionem conceffit. Poftea in fefe reverfus cœpit cogitare qualiter eofdem deferere poffet, à quodam fuo fpeciali monitus, fi tempus cum eifdem protraheret, carceri perpetuo fe in pofterum adjudicatum fuiffe. Unde fibi præcavens, dirum carceris perpetui nocumentum, fi expectaret, recognofcens, die mercurii, *quo dantur cineres*, videlicet die Sanctæ *Scholafticæ* virginis, in nocte eadem privatim cum cautela maxima de civitate London cum fuis omnibus receffit, & ftatim civibus *Quinque Portuum* apud Winchelfe exiftentibus, & adventum ejus expectantibus fefe conjunxit, & cum eifdem diu in mari permanfit.

Simon junior de Monte-forti Angliam in perpetuum ejurare cogitur.

Simon liberat. rebellib. fe jungit.

Hoc anno, quarto Kalendas Decembris, Sabbato videlicet ante primam dominicam adventus Domini, aqua fluminis alveum fuum confuetum tranfcendens impegit in omnes officinas Abbatiæ in locis inferioribus fitas. Quam ob caufam turbato Conventu quidam in Ecclefia, quidam in thefauraria, quidam in cella hofpitum, prout poterant, noctem fubfequentem tranfegerunt, multis etiam diebus in mundificatione domorum occupantur.

Aquar. inundatio.

MCCLXVI. *1266*

Cum Dominus Rex receffum Domini *Simonis* junioris de *Monte forti* audiffet, filium fuum *Edwardum* ad mare mifit cum comitatu permaximo, ut rebellantes ad pacem fuam qualemcunque reduceret, vel eofdem pro poffe fuo de terra ejiceret, & omnino deftrueret. Dominus igitur *Edwardus* cum fuis ibidem adveniens, eos ftricte per exploratores fuos undique exploravit, ficque factum eft, quod circa Feftum Sanctarum virginum *Perpetuæ* & *Felicitatis* conflictum habuit cum civibus de Winchelfe, in eadem villa, ubi multi ex eis corruerunt, & plurimi in fugam verfus mare converfi miferabiliter fubmerfi funt: & eorum principalis captus eft, nomine *Henricus* Pehune, quem Dominus *Edwardus* ftatim voluit fufpendere, fed Dominus *Gilbertus* de Clare nec fui volebant pati, quia per illum cæteros ad pacem Domini Regis facilius

Edward. adverfus Simonem mittitur.

Henric. 3. R. facilius credebant revocare, quod & factum eft. Pacificati funt circa Feftum Annunciationis Beatæ *Mariæ*, tali fub forma, videlicet quod omnes libertates & confuetudines, fecundum quod in Carta fua antiqua contineretur, ex integro haberent, fine aliquo contradicto, & fine exhæredatione, & mala, quæ peracta funt, fic remaneant, & amiffa amittantur.

A tempore autem quod Dominus *Simon* junior de *Monte-forti* exivit de Kelinworthe, non ceffabant ibi qui caftrum tenebant prædari,& vaftare, atque deftruere totam adjacentem patriam, fpoliantes & fines capientes ab Abbatibus & Prioribus, & Prælatis fibi vicinis; nec alicui voluerunt reddere caftrum, neque Domino *Simoni* Juniori de *Monte forti*, neque Domino Regi, neque Domino *Edwardo*, nifi Comitiffa *Leiceftriæ* Perfonaliter adveniffet ibidem. Qua de caufa Dominus Rex fecit fubmonere omnes fibi fervitium debentes, ut effent contra eum apud *Oxoniam*, cum fervitio fibi debito, in tertia hebdomada poft pafcha claufum, & de qualibet villa in Barkſhire, & *Oxoniæ* quatuor aut quinque homines, fecundum quod effent magnæ aut parvæ ad cuftodiendam villam *Oxoniæ*,contra prædictos de Kelinworthe, quia *Oxonienfes* adventum eorum & proterviam dubitabant.

Eodem tempore in craftino Sancti *Elfegi* venit Rex *Oxoniam* cum exercitu magno armatorum, & jacuit in caftro ejufdem villæ, die Martis proxima poft Feftum Sancti *Marci* Evangeliftæ, fcilicet v. Kal. Maii, receffit Dominus Rex de *Oxonia* verfus Northampton cum exercitu maximo,ad obfidendum, ut dictum fuit, Caftrum de Kelinworthe, & ftatim poft receffum fuum interdicta eft villa *Oxoniæ* per duos dies & dimidium. Eodem tempore duxit Dominus exercitum fuum verfus *Lincolniam*, quia capta fuit civitas à Baronibus exhæredatis, qui tunc in omni patria *Angliæ* cum exercitibus multa mala perpetrarunt.

Prælium inter rebelles & exerc. Reg. Hoc tempore Id. Maii, fcilicet in vigilia Pentecoftæ, initum eft prælium inter exhæredatos & exercitum Regis apud Cefterfield, ubi captus fuit *Robertus* Comes de *Ferrariis*, & die Jovis proxima fequenti Dominus *Adam* Gurdon in Forefta de *Aultone*, & in vigilia Pentecoftæ, fuccubuit omnis exercitus *Rogeri* de *Mortuo Mari* apud Brethenauch, & ipfe folus vix evafit.

Eodem tempore III. Kalendas Junii, circa horam VI. apparuit quidam circulus magnus & albus in medio firmamenti, & alius circulus velut Iridis fecavit medium illius magni circuli, & fuit ille femicirculus juxta folem ex parte Aquilonis, & circa horam nonam difparuit circulus albus, & femicirculus Iridis factus eft circulus integer & magnus, & fol lucens in medio circuli. Vifa eft etiam Luna eadem hora verfus occidentem, cujus duo cornua verfus terram dependebant, in craftino autem,fcilicet in die Sanctæ *Petronillæ* virginis vifus eft iterum circulus Iridis magnus, & Sol in medio, circa horam fextam; fed parum duravit. Die Lunæ proxima ante Feftum Sancti *Johannis Baptiftæ*, mifit Dominus Rex Dominum *Edwardum* filium fuum cum exercitu maximo

Caftr. de Kelingw. obfidetur ab Edw. de Warewike verfus caftrum de Kelinworthe; ut illud obfiderent, fed pauci de caftro exeuntes,cæteros omnes ufque ad Warwike feftinanter retruferunt. Ab illo igitur die cœpit obfidium circa caftrum, quo Dominus Rex juravit quod inde non removeret fe quoufque caftrum redderetur aut vi caperetur, circa Feftum Sanctorum *Proceffi* & *Martiniani* movit fe Dominus Legatus cum Archiepifcopo *Cantuariæ*,& duobus Epifcopis de London,verfus Kenillewortħ, ad confirmandam pacem inter Dominum Regem, & Barones exhæredatos, & ftetit ibidem per quindenam, fed nihil perfecit, unde excommunicavit *Caftrenfes*, & omnes eis adhærentes, & auxilium aut confilium præbentes, aut voluntate fibi confentientes. Eodem tempore Dominus *Johannes* de Deyvile cum exhæredatis cepit infulam de Eli, & villam, fpoliantes & deprædantes totam provinciam in Comitatu Grandebrigge, & ibidem Judæos occidentes & omnino deftruentes, mala multa & enormia undique perpetrantes.

Parliamentum magn. habetur ex- Ad feftum Sancti *Bartholomæi* Apoftoli, factum eft Parliamentum magnum apud Kenilewortħ, ubi Dominus Rex *Henricus* conceffit Baronibus fuis antiquam

quam Cartam, & requisivit decimam per triennium totius Ecclesiæ *Anglicanæ*, responsumque fuit communiter, & Legatus assensum præbuit, quia primi formarent pacem, si qua posset fieri, & postea super hujus responsum Domino Regi facerent, quod Dominus Rex bene concessit. Provisum igitur ibidem est per assensum Regis, *Edwardi*, Legati, Episcoporum, Abbatum, Baronum omnium ibidem existentium, ut eligerentur sex viri, tres Episcopi, & tres Barones indigenæ, ipsique sex alios sex eligerent Episcopos & Barones indigenas; & terram diligentes; & si qua dissensio inter Duodecim oriatur, adjungatur eis Legatus & Dominus *Henricus* filius Regis *Alemanniæ*, illamque dissensionem corrigant. Electi sunt sex, scilicet Episcopus *Batoniæ*, Magister *Wilhelmus* Giffard tunc Cancellarius; Episcopus *Wigorniæ*, Magister *Nicolaus* de Eli; Episcopus *Exoniæ* Magister *Walterus*; Dominus *Rogerus* de Sumeri, Dominus *Rob.* Waleram, Dominus *Alanus* de la Souche, & isti juncti elegerunt sex alios, qui ordinarent de statu Regni, videlicet Comitem *Gloverniæ*, Comitem de Clare; Comitem *Herfordiæ*, *Hunfridum* de Boune; Episcopum de Sancto *David*, & Dominum *Johannem* de Baylol, Dominum *Philippum* Basset, Dominum *Warinum* de Bassengeburne. Henric. R. 3. hæredator. causa.

Factum est autem quod Dominus Rex vocasset omnes Episcopos, Abbates Priores, Comites, Barones apud Northamptone, die Martis proxima ante festum omnium Sanctorum, ad confirmandam pronunciationem Duodecim, & facta pronunciatione, adjudicati sunt terris suis omnes exhæredati: Ita videlicet quod extenderentur terræ eorum, & secundum valorem terrarum eorundem, facerent reddere portionem suam, alii per quinquennium, alii per annos quatuor, alii per triennium, alii per biennium, secundum quod magis aut minus deliquerant. Obiit Magister *Simon* de Walton Episcopus *Norwicensis*, cui successit Prior ejusdem Domus. Obiit Magister *Walterus* de Cantelo *Wigorniensis* Episcopus, cui successit Magister *Nicolaus* de Eli. *Sim. de Walt. & Walterus obeunt.*

Dompnus Radulphus XI. Abbas Waverley, vir quidem morum honestate & scientiæ probitate non mediocriter adornatus, sed infirmitatis importunitate, ac laboris fatigatione præpeditus cessit, cui quidam Monachus ejusdem loci *Wilhelmus* videlicet de London ejusdem notarius successit. Eodem anno suspensi sunt ab officio & beneficio London & Cycester Episcopi, per Dominum *Othobonum* Legatum, qui post suas appellationes transfretaverunt: similiter Dominus *J. Wintoniensis* Episcopus, tunc temporis suspensus, *Romam* profectus est. Item facta est congressio inter Piratas & quosdam Milites Domini *Edwardi* apud Wynchelsey, ubi *H.* Pedon captus est, & plures alii interfecti quarto Nonas Maii. Item septimo Kalendas Julii Dominus Rex *Henricus* Castrum de Kenylworthe obsedit, quod redditum fuit sibi circa festum Sanctæ *Luciæ* eodem anno. Item hoc anno natus est Domino *Edwardo* filius nomine *Johannes*, qui postea sub custodia *Richardi* Regis *Alemanniæ*, anno MCCLXXII. mortuus est. Item capta est insula de Eli per *Johannem Dayvillum*, & alios exhæredatos de Boreali parte, mense Augusti. Item ad instantiam Legati Dominus Rex submisit se & suos dicto quatuor Episcoporum, quatuor Comitum, quatuor Baronum, ut ipsi duodecim pacem & tranquilitatem Regni *Angliæ* reformarent, qui dictum suum pronunciaverunt apud Northampton, die Lunæ proxima ante festum omnium Sanctorum. Item hoc anno concessa est Domino Regi decima omnium Ecclesiarum & omnium bonorum Religiosorum & Ecclesiasticarum personarum *Angliæ*, *Walliæ*, *Hyberniæ*, & *Scotiæ*, exceptis Templariis, Hospitalariis, & Ordine *Cistercensi* per tres annos. Item hoc anno celebravit Dominus Rex suum natale apud *Oxoniam*, scilicet apud Glenye & Dominus Legatus cum eo; ubi quidam de familia Legati erant interfecti. Item Magister *Walterus* Giffard ab Episcopatu Bitowod Archiepiscopatum Eborum postulatus, à Domino Papa confirmatus est sexto Idus Aprilis. *Edwardo filius nascitur.* *Decima Regi conceditur.*

MCCLXVII. 1267

G. Comes *Gloverniæ* cum suo exercitu per cautelam intravit Civitatem London Domino *O.* Legato in turri existente, & ibidem tenuit festum Paschæ, ubi *Londin. à Rebellib. astu occupatur.*

Henric. 3. R. ubi exhæredati ad ipſum tanquam ad ſuum tutorem undique veniebant, & cum ipſo moram faciebant. Hoc cognito Domino Regi, dicto Comiti mandavit, *ut exiret civitatem; quod ni fecerit, ipſe illas partes adiret, & quicquid ſua veſania & cæteri exhæredati ſibi eripuerint, mediantibus gladiis reſtituere conaretur.* Poſtea Dominus Rex adivit **Windeſores**, & ibi collegit exercitum ſuum, & III. Non. Maii cum CIX. vexillis profectus eſt verſus **London**. Tamen cum perveniſſet apud **Stratford**, fixit ibi tentoria ſua & moram fecit ibidem per x ſeptimanas, ubi multi de pace reformanda tractaverunt. Tandem VIII Id. Junii dictus Comes *Gloverniæ* in forma pacis reddidit Domino Regi Civitatem, & tunc multi exhæredati erga Dominum Regem pacificati ſunt, ad inſtantiam dicti Comitis & aliorum Comitum & Baronum *Angliæ*.

Civitas Regi redditur.

Item quarto nonas Auguſti venit dictus Legatus *Wintonienſis*, & cum ſolemni proceſſione ſuſceptus eſt, qui die Sancti *Oſwaldi* Regis & Martyris Eccleſiam Sancti *Swithuni* viſitavit, & ſeptimo idus Auguſti Prioratum, quem *Valentinus* prius reſignaverat, ordinavit, & cuſtodes in Prioratu conſtituit, & omnem curam conceſſit eiſdem, & inde profectus eſt Dominus Legatus verſus *Walliam* ad pacificandum Principem *Walliæ*, & Regem. Exin pacificati ſunt Dominus Rex & *Lewelinus* apud **Slopesbyre**, & ibi recepit Dominus Rex homagium ſuum.

Pax inter Regem & Lewelinum.

Item XIX. Kalend. Auguſti venit Dominus *Edwardus* apud **Wynton**, & inde ad inſulam *Vectam* profectus eſt, & eam cepit, & cuſtodiæ ſuorum mancipavit. Item III. Kal. Novembris venit Dominus Rex *Wintoniam*; & cum ſolemni proceſſione receptus eſt.

Item V. Id. Decemb. venit Legatus **Wynton**: & ad Abbatiam de *Hyda* declinavit, qui cum una cum Domino Rege Natatle Domini celebraſſet ibidem, quinto die, ſcilicet in feſto Beati *Thomæ* Martyris mane recedens, interdixit dictam Abbatiam & Eccleſiam, propter quandam pugnam factam inter homines ipſius Legati & homines Abbatis, & duravit illud interdictum per quatuor ſeptimanas.

Abbat. de Hyda interdicta.

1268 MCCLXVIII.

Tonitru & Vent. Magn.

Pridie Idus Januarii auditum eſt tonitruum, & fuit coruſcatio & grando apud **Winton**, poſt celebrationem magnæ Miſſæ. Item XIX. Kalend. Februarii ventus vehemens, ita quod arbores evelleret, domos profterneret, & Eccleſias, & campanile Sanctæ *Catarinæ*. Hoc anno Obiit *Johannes* Epiſcopus *Wintoniæ* in curiis *Romanis*, XIII. Kal. Febru. cui ſucceſſit *Nic.* de **Ely** Epiſco- Epiſcopus *Wigornienſis* VI. Kal. Martii, per ordinationem Domini Papæ *Clementis*.

Concil. Lond. Item XIX. Kal. Maii celebravit Dominus Legatus concilium ſuum **London** in Eccleſia Sancti *Pauli*. Ubi varias conſtitutiones & ſtatuta præcepit obſervari.

Edward. & frater ejus cruce ſignati. Inde profectus verſus **Northampton**, ubi Dominus Rex & alii Magnates Regni magnum Parliamentum tenuerunt, præſente Legato, ipſe Legatus petiit abeundi licentiam, & repatriandi, ubi Dominus *Edwardus* & *Edmundus* frater ejus, & multi Magnates Regni ſunt ab eo cruce ſignati.

Item ad inſtantiam Domini Legati in craſtino depoſitionis Sancti *Swithuni* *Valentinus* in Priorem **Wynton** reſtitutus eſt, ordinatione tamen Legati illæſa permanente. Item Magiſter *Godefridus* **Gyffard** Cancellarius Domini Regis in Epiſcopum *Wigornienſem* Electus ab Archiepiſcopo *Cantuarienſi* confirmatus eſt. Item XVIII. Kal. Novembris tenuit Rex Parliamentum ſuum apud **Wynton**, in quo fecit *Edwardum* filium ſuum Seneſcallum *Angliæ*, & ibidem tenuit Rex natale ſuum, ubi conſtituit Dominum *Edwardum* cuſtodem **London**, & omnium Caſtellorum ſuorum in *Anglia*. Item III. Kalendarum Decembris obiit Papa *Clemens*, & dictus Legatus recedens de *Anglia* transfretavit. Item obiit *P.* de **Egleblanche** Epiſcopus **Herford**, cui ſucceſſit *Johannes* **Bretun**, & anno ſequenti apud *Waverleiam* conſecratus eſt.

Parlam. Winton. celebr.

Clemens Pap. ob.

MCCLXIX.

MCCLXIX. 1269

Henric. 3. R.

Translatio corporis Edwardi.

Hoc anno tranflatum eft corpus Sancti *Edwardi* Regis gloriofi, & Confeffo-ris de veteri feretro in novum, quod Dominus Rex igitur præparaverat, ad quem diem facta convocatione Epifcoporum, Comitum, Baronum, Abbatum, Priorum, & multorum aliorum, propofuit Rex portaffe coronam, unde ven-dicantibus igitur jus, & confuetudinem de Pincernaria *Wintonienfibus*, & *Londo-nienfibus*, quibus noluit Dominus Rex ut quis eorum ferviret propter difcordi-am, & periculum quod poffet imminere, fed juffit utramque partem difcum-bere; unde *Londonienfes* indignantes receſſerunt, *Wintonienfes* vero remanfe-runt comedentes, & bibentes in curiis, & cum licentia Domini Regis receden-tes remearunt ad propria. Item IV. Nonis Junii confcratus eft *Johannes* Bre-ton in Epifcopum Herford apud Waverly à Domino *N.* Epifcopo *Win-toniæ*.

R. Rich. ex Aleman. redit.

Item IX. Kalend. Septembris Dominus *Richardus* Rex *Alemanniæ*, tunc *Ale-manniam* reverfus applicuit, & venit *Wintoniam*. Item III. Idus Aprilis fcili-cet VI. feria ante Pafcha arripuit *Lodowicus* Rex *Franciæ* Iter verfus Terram Sanctam.

MCCLXX. 1270

Parliamentum agitur.

Hoc anno factum eft Parliamentum omnium Magnatum *Angliæ* ad tractan-dum de vicefima, & de itinere cruce fignatorum, & Domini *Edwardi* & alio-rum Magnatum Regni. Quod cum tractatum effet, tandem compromife-runt omnes fe pofituros in ordinatione Domini *Richardi* Regis *Alemanniæ*, ut quod ille pronunciaret omnes tenerent. Cujus pronunciationi non con-fentiebant *G.* Comes de *Glouceftria*, & multi alii, * bene prolongatum fuit illud negotium ufque poft Oct. Sancti *Johannis Baptiftæ*. Item XVIII. Calend. Junii audita funt tonitrua, corufcationes, & fulgura, à mane ufque ad noctem fine ceffatione. Item poft Octavas Sancti *Johannis* convenerunt omnes fere Magnates apud London, ad tractandum de præmiffis. Interim orta eft difcor-dia inter *J.* Comitem de Warenn, & *Alanum* la Zuche coram juftitiariis de *Banco* London. Ubi dictus *Alanus* lethaliter fuit vulneratus, unde poftea obiit. Dictus etiam Comes de Warenn à die Dominica poft feftum Sancti *Petri ad vincula* apud *Wintoniam* juramento XXV. militum præftito, quod ex præcogi-tata malicia non perpetravit dictum facinus, nec in contemtum Domini Regis, per mille Marcas & ducentas pacificatus eft Domino Regi.

Difcordia inter C. de War. & Alan. de la Zuche.

Edwardi expeditio in Ter. S.

Item Dominus *Edwardus* in Caftello Wynton petita à Domino Rege li-centia transfretandi verfus Terram Sanctam venit in Capitulo Wynton Nonis Augufti, & accepit licentiam à Conventu, rogans humiliter ut pro fe orarent, & ergo iter verfus Portemuth, ubi transfretari propofuerat, arripuit. Et cum eo Dominus *W.* de *Valentia* Dominus *Tho.* de Clare, Dominus *Rogerus* de Clyfford & multi alii qui mutato propofito *Cantuariam* adierunt, & apud *Do-roberniam* transfretarunt XIV. Kalend. Septembris

Archiep. Cantuar. ob.

Item XV. Kalend. Augufti obiit *Bonifacius* Archiepifcopus *Cantuarienfis*, & venerunt Monachi *Cantuarienfes* apud Winton ipfius mortem nuntiantes Do-mino Regi, & petentes licentiam eligendi, quod circa Feftum Affumtionis a-pud Clarendon obtinuerunt, & eligentes fuum Priorem in Archiepifcopum, præfentaverunt eum Domino Regi apud Woodeftok in craftino Nativitatis Beatæ Mariæ, quod negotium diftulit Rex ufque ad Feftum tranflationis bea-ti *Edwardi*.

Ludovic. Fran. R. ob.

Item obiit *Lodowicus* Rex *Franciæ* verfus Terram Sanctam, in infula quæ vo-catur *Tunitis*, cujus Corpus delatum eft *Parifios* & ibidem fepultum, & ftatim coronatus eft *Philippus* filius ejus in Regem. Item obiit *Eufemia* Abbatiffa Sanctæ *Mariæ Wintoniæ*, XII. Kalend. Septembris, cui fucceffit *Tulia* Prioriffa ejufdem Monafterii, quam Dominus Rex in vigiliis Sancti *Nicolai* fibi præ-fentatam in Caftro *Wintoniæ* gratanter recepit.

Item Dominus Rex Feftum Natalis Domini celebravit ibidem, & craftino *Tho.* Martyris inde receffit verfus London.

MCCLXXI.

1271
Henric. 3. R.
Episc. Sar. ob.
Parliament. Magnat.

Hoc anno III. Nonarum Januarii obiit *Walterus* de la Wyle Episcopus Sarum, & electus eſt Magiſter *Robertus* de Wychampt Decanus Sarum VII. Kal. Martii. Poſt Oct. *Epiphaniæ* Magnates Regni Parliamentum ſuum tenuerunt London, ubi per communem aſſenſum Domini *Richardi* Regis *Alemanniæ*, *G.* Comitis *Gloverniæ*, *Phil.* Baſſeth; & aliorum, exhæredatis conceſſæ ſunt terræ eorum.

Fil. Rich. R. Alem. occiſus.

Interfectus eſt Dominus *Henricus* filius Regis *Alemanniæ* apud Viterbe, in Eccleſia Sancti *Silveſtri* ante altare, IV. Id. Martii, per *Simonem*, & *G.* Widon de *Monte forti*, cujus corpus delatum eſt in *Angliam*, & ſepultum apud Heyles XII. Kalend. Junii.

Ventus vehem.

Item IV. Nonis Julii ventus vehemens, & pluvia, ita ut arbores proſterneret, & fructus evelleret.

Edmund. Henr. R. fil. Terram S. petit.
Epiſcop. conventus.

Item ſecunda Hebdomada XL. transfretavit Dominus *Edmundus* filius Regis *Henrici* verſus Terram Sanctam, qui parum autem non profecit ibidem. In ſecunda Hebdomada XL. fecit Dominus *N.* Epiſcopus *Wintonienſis* ſuam viſitationem in Eccleſia Wynton, feria II. & apud *Hydam* feria III. & in Abbatia Sanctimonialium *Sancti Martyris*, feria IV. & poſtea per Epiſcopatum. Item feria II. XL. convocatio Epiſcoporum apud Rading, ad tractandum de juriſdictione *Cantuarienſis* Eccleſiæ, utrum ipſi Epiſcopi deberent obedire capitulo *Cantuarienſi*, an non, & factis interlocutionibus, appellatum eſt à Monachis *Cantuariæ* ad ſedem Apoſtolicam, ne aliquid attemptaretur in præjudicium Eccleſiæ ſuæ.

Convocatio Abbat. &c.

Item convocatio Abbatum, & Priorum Nigri Ordinis apud Greneford, poſt clauſum Paſcha, ubi præſidebant de Eveſhem, & de Wynchecumbe Abbates.

Item V. Kalend. Auguſti ſederunt apud Wynton juſtitiarii ad deliberandum carcerem, & ad inquirendum de aliis, ſcilicet Dominus *W.* de Wynteſhull, & alii.

Philip. Baſſeth ob.

Item obiit Dominus *Ph.* Baſſeth in fine menſis Octobris, & Sepultus eſt apud *Stanleyam*.

Item hoc anno tenuit Dominus Rex ſuum natale apud Wynton in Caſtello, & moram traxit ibidem cauſa infirmitatis ſuæ, uſque poſt Epiphaniam Domini.

MCCLXXII.

1272
Greg. X. Papa conſecratur.

Hoc anno receſſit Dominus Rex *Henricus* de *Wintonia*, poſt Epiphaniam, quia Juſtitiarii itinerantes ſc. Magiſter *Rogerus* de *Seitonia* & ſocii ſui ſedere debebant ibidem. Item Archidiaconus de Leges Apoſtolicæ ſedis Electus, rediens de Terra Sancta venit *Romam* in vigiliis Sancti *Gregorii*, & in media Quadrageſima conſecratus in Papam *Gregorius* decimus vocatus eſt.

Richard. Alem. Rex ob.

Item obiit *Richardus* rex *Alemanniæ* apud Berkhamſted, & ſepultus eſt apud Heiles, cui ſucceſſit *Edmundus* filius ejus in hæreditatem Comitatus *Cornubiæ*, & ſuum fecit homagium Domino Regi.

Diſſenſio inter cives & Monach. Norwic.

Item orta eſt diſſentio inter *Norwicenſes* & Monachos ſc. ejuſdem loci, unde per cives combuſtum fuit Monaſterium, cum omnibus fere Domibus Prioratus. Quare Dominus Rex non multo poſt partes illas adivit, & facta diligenti inquiſitione de malefactoribus, quoſdam fecit equis trahi, alios igne cremari, alios ſuſpendi, & alios incarcerari.

Edmund. & Henr. de Laſcy Milites creantur.

Item *Edmundus* filius Regis *Alemanniæ*, qui jam duxit ſororem *G.* Comitis Glover in uxorem, una cum *Henrico* de Lacy f. Comitis *Lincolniæ* factus eſt Miles, adnominante Rege *Henrico*, III. Idus Octobris, ſc. in feſto Sancti *Edwardi* Regis & Confeſſoris apud *Weſtmonaſterium*, cum quibus ipſo die multi alii Milites facti erant.

Inundatio max.

Item inundatio maxima pluviarum, quæ duravit à tempore nundinarum Sancti *Egidii* uſque poſt feſtum Sanctæ *Ceciliæ* fere cum continuatione.

Henric. R. Angliæ ob.

Item hoc anno ſc. XVI. Kal. Decem. obiit *Henricus* Rex *Angliæ* III. apud *Weſtmonaſterium*, & die Dominica ſequenti, ſc. in feſto Sancti *Edmundi* Regis

gis & Martyris sepultus est in Monasterio novo *Westmonasterii*, ante magnum altare. *Henric. 3. R.*

Item regressus est *Edmundus* filius Regis *Anglorum* de Terra Sancta & applicuit in *Angliam* circa Festum Sancti *Nicolai*, & die Lunæ in vigiliis Sanctæ *Luciæ* virginis & Martyris, se Dominæ Reginæ matri suæ repræsentavit. *Edmund. in Angl. redit.*

Item antequam corpus Regis *Henrici* traditum esset sepulturæ, *G.* Comes *Gloucestriæ* in præsentia Domini Archiepiscopi *Eboracensis* & aliorum Episcoporum; Comitum, & Baronum ibidem existentium; nullius coertione, sed propria voluntate ductus, tactis Sacrosanctis, corporale præstitit juramentum, quod pacem Regni pro viribus custodiret, & fidelitatem Domino *Edwardo* tanquam Domino suo per omnia observaret. Similiter dictus Archiepiscopus *Eboracensis*, & etiam *Herefordensis*, & *Warenniæ* Comites, & multi alii, qui tunc præsentes erant ibidem. *Juramentum fidelitatis Edwardo præstitum.*

Item cum Dominus Papa, vacante sede *Cantuariensi*, per resignationem Prioris *Cantuariensis*, qui electus fuerat in Archiepiscopum, quam apud sedem Apostolicam fecerat, Ecclesiæ *Cantuariensi* providisset de fratre *Roberto* de **Kilwardeby**, de Ordine Prædicatorum: Idem *Robertus* die Dominica proxima ante Festum beatæ *Luciæ* virginis & Martyris, sc. III. Idus Decembr. per Episcopum *Oxoniensem* spiritualia Ecclesiæ *Cantuariensis* recepit, apud *Londoniam*, & feria secunda temporalia Archiepiscopatus, & feria tertia sequente traditum fuit sibi sigillum officialitatis ejusdem.

MCCLXXIII. 1273

Hoc anno, sc. post Festum Sancti *Hilarii*, facta convocatione omnium Prælatorum, & aliorum Magnatum Regni apud *Westmonasterium*, post mortem illustris Regis *Henrici*, convenerunt Archiepiscopi, Episcopi, Comites, & Barones, Abbates & Priores, & de quolibet Comitatu quatuor Milites, & de qualibet civitate quatuor, qui omnes in præsentia Dominorum *Williemi* sc. Archiepiscopi *Eboracensis*, *Roberti* de *Mortuo mari*, & *R.* **Burnell** Clerici, qui in loco Domini Regis *Anglorum Edwardi* præfuerunt. Sacramentum eidem Domino *Edwardo* tanquam terræ Principi præfecerunt, & de pace Regni firmiter & fideliter custodienda præceptum susceperunt, ubi Dominus *W.* de *Mertone* Cancellarius constitutus est, & ut moram trahat apud *Westmonasterium* tanquam in loco publico, usque ad adventum Principis. Et ibi provisum est quod nulli sint Justitiarii itinerantes usque ad adventum Principis, sed in Banco. Eodem anno & eodem tempore venerunt nuntii Domini Papæ *Londoniam*, qui supplicationem ipsius Clero Regni destinatam, sc. ut decimam omnium bonorum Ecclesiasticorum per biennium Domino *Edwardo* & ejus Germano pro eorum damnis & expensis in terra sancta concederent, ostenderunt, super hoc deferentes & ostendentes quosdam articulos Apostolicæ potestatis, super quibus inquireretur, prout inferius continentur, videlicet. *Edwardus Rex proclamatur.* *Decimam bonor. Eccles. Edwardo concedit Papa.*

De infringentibus jura Ecclesiastica & Libertates.

De Bonis Episcoporum aliorumque Prælatorum defunctorum ab intestato.

De Indistincte Legatis.

De Legatis in terram sanctam.

De Pecunia Ecclesiæ Romanæ debita ex quacunque causa.

De Percussoribus Clericorum.

De Dispensatione tenentibus Ecclesias.

De Clericis portantibus arma illicite.

De Clericis homicidis tenentibus Ecclesias.

De Clericis incendiariis.

De Clericis uxoratis beneficiatis.

De Clericis publicæ fornicariis.

De Clericis intrusoribus.

De Falsariis & de falso convictis.

De Votis terræ sanctæ factis.

Edwardus R. De Promiſſis terræ ſanctæ retentis.
De Adminiſtrationibus executorum.
De Pluralitate beneficiorum.
De Aſſequentibus Eccleſias per *Simoniam.*
De Excommunicatis beneficiatis.
De Bonis crucefignatorum defunctorum.
De Impugnantibus Eccleſiam *Romanam.*
De Bonis Eccleſiaſticis invaſis & per quos.
De Cauſis crucefignatorum.
De Bigamis promotis in Prælatos.
De Incontinentia Epiſcoporum aliorumque Prælatorum.
De Prælatis mercatoribus & negotiatoribus.
De Contemnentibus mandatum Apoſtolicum.
De Clericis perjuris & ſacrilegis.
De Prælatis aliiſque Clericis uſurariis.
De Admittentibus Eccleſias in manibus Laicorum.
De Appellantibus ab Archiepiſcopis tuendis.
De Monaſteriis ad Eccleſiam *Romanam* ſpectantibus viſitandis.

De Eccleſiis in proprios uſus tentis, & ab Epiſcopis parte vel per totum conceſſis.

De Eccleſiis diviſis per Epiſcopos ut partem habeant portionum earundem.

De Excommunicatis per judices delegatos capiendis.

De Exeuntibus religionem poſt habitum profeſſionis ſumtum.

De filiis Epiſcoporum aliorumque Prælatorum promotis ad ſacros ordines, & beneficia & promotoribus eorundem.

De Clericis beneficiatis ſecularibus negotiis ſe immiſcentibus.

De Clericis, vel aliis Juſtitiariorum advocatis, Curiæ ſecularis beneficiatis.

De Epiſcopis aliiſque Clericis irregularibus ex quacunque cauſa.

De Epiſcopis aliiſque Prælatis poſt excommunicationem divina celebrantibus.

De Bonis Eccleſiarum ſequeſtratis in uſus quorum ſunt converſa.

De Prælatis & aliis rectoribus Eccleſiarum infamibus, & excommunicatis.

De Epiſcopis & aliis Eccleſiarum Prælatis non ſufficienter literatis.

De Bonis & fructibus in quibus rectores non reſident.

De Fructibus vacantium Eccleſiarum de jure ex quacunque cauſa.

De mulctis,, pœnitentibus & condemnatis inflictis per Ordinarium.

Henric. Ep. Lond. obiit. Item eodem anno *Henricus* Epiſcopus *Londonienſis*, qui per Legatum, ut ſupra, ſuſpenſus fuerat, & ad Curiam Romanam deſtinatus, de ipſa Curia Romana eſt reverſus circa Purificationem Beatæ *Mariæ*, gratia Domini Papæ obtenta, qui obiit eodem anno, menſe Auguſti.

Item Dominica prima Quadrageſimæ ſc. IV. Id. Martii conſecratus fuit frater *R.* de Kildberby in Archiepiſcopum *Cantuarienſem* apud *Cantuarium*, non tamen intraturus, quia pallium dignitatis à Curia *Romana* nondum ſuſceperat, quo poſtmodum, ſc. VIII. Idus Maii, ſuſcepto, & ſibi impoſito per manus *N. Wintonienſis*, & *W. Exonienſis* Epiſcoporum, apud Tenham, incathedratus fuit menſe Septembri, circa Nativitatem Beatæ *Mariæ.*

Decima Eccleſ. &c. conceditur Edward. Item conceſſa eſt decima Eccleſiarum & Religioſorum Domino *Edwardo* & ejus germano, adſupplicationem Domini Papæ, ut ſit pro duobus annis; fere tota ſoluta eſt hoc anno.

Pluviæ & inundationes. Item pluviæ & inundationes multæ per totum menſem Martii, & in fine menſis ventus validus per diem & noctem, qui domos, montes, & arbores per loca ad terram proſtravit.

Item

Item VI. Idus Maii transfretaverunt *Wintonienſis*, *Wigornienſis* & *Exonienſis* Epiſcopi, in occurſum Domino *Edwardo*, qui ipſo anno de Terra Sancta reverſus *Pariſios* venit, & inde reverſus eſt in *Waſconiam*. *Edwardus R.*

MCCLXXIV. 1274

Hoc anno *Andreas*, qui quondam fuit Prior *Wintonienſis*, rediit de Curia *Romana*, & venit *Wintoniam* VI. Kal Febru. in manu forti, cum multitudine armatorum, & poſitis per Epiſcopum cuſtodibus in Eccleſia Sancti *Swithini*, ne ingrederetur, interea die ſequenti inſultum fecerunt qui ſecum venerant, ut in poſſeſſionem dicti Prioratus inducerentur. Unde Dominus Epiſcopus per Fratres Prædicatores petito reſpectu uſque in craſtinum, ut ſibi melius conſuleret, vocatis undique hominibus ſuis, munivit Eccleſiam. Quo facto videns *Andreas* quod non potuit ſuum propoſitum adimplere, receſſit II. Kal. Februarii mane. Epiſcopus eodem die, convocatis omnibus ſacerdotibus in capitulo Sancti *Swithini*, excommunicavit & excommunicare fecit omnes Monachos ejuſdem Monaſterii, qui dicto *Andreæ* conſilium & favorem præbuerunt; & etiam omnes de civitate, qui ſibi conſilium, auxilium & favorem impenderunt; nec non ipſum *Andream*, & omnes qui in auxilium ipſius inſultum fecerunt contra Eccleſiam, ut ſupra dictum eſt, & dictam civitatem ipſo die poſuit ſub interdicto. Septimo die ſequente, quod fuit VII. Idus Februarii, facta inquiſitione per illos de civitate, de his qui dicto *Andreæ* conſilium & auxilium impenderunt, quando prædictum inſultum fecerunt, relaxavit Epiſcopus dictum interdictum. Medio tempore cum contentio quædam eſſet inter illos de civitate **Winton**, & diſſenſio facta inter partes, datum eſt conſilio Domini Regis intelligi per illos XXIV. juratos de civitate, quod non potuerunt ipſam civitatem regere, & pacem ipſius cuſtodire, nec delinquentes caſtigare, ſicut debuerunt. Ex his quidem prædictis aſſumta occaſione, Dominus *Rogerus* de *Mortuo mari*, & Dominus *Nicolaus* de **Stapleton** Juſtitiarii Domini Regis *Wintoniam* accedentes, tam per forinſecos de Comitatu, quam per illos de civitate, diligentes fecerunt inquiſitiones ſuper omnibus ſupradictis, quæ ad perturbationem pacis acta ſunt, ut ſupra dictum eſt, unde complures irretiti & culpabiles inventi, capti & incarcerati fuerunt, & quidam in fugam latenter iverunt, quanquam ad tempus. Archidiaconus quidem *Roffenſis*, qui ob cauſam præfati *Andreæ* tanquam judex ipſius venerat *Wintoniam*, & moram per aliquod tempus faceret ibidem, cum ad ſeptem articulos ſibi objectos per dictum Domini *Rob.* de *Mortuo mari* in quibus dicebatur *ſe egiſſe contra pacem regni, noluiſſet reſpondere*, tanquam pacis perturbator & Regiæ Majeſtatis contemtor ductus in Caſtrum *Wintoniæ*, & ibid. detentus per plures dies præcepto dicti Domini *Rob.* de *Mortuo mari*, deliberatus ad propria remeavit, & poſt paucos dies obiit. Non multo poſt quidem obiit frater ejus *Laurentius* ſc. de Sancto *Martino* Epiſcopus *Roffenſis*, cui ſucceſſit Dominus *W.* de **Mertone**, & a Domino Rege *Edwardo* admiſſus, & ab *Rob.* Archiepiſcopo *Cantuarienſi* confirmatus & conſecratus XII. Kal. Novembris, anno eodem apud **Roffen**.

Andreas Prioratum Winton. fruſtra occupare nititur.

Ep. Roff. ob.

Eodem anno conſecratus eſt Magiſter *Johannes* de **Chefhull** in Epiſcopum *Londoniæ*, penultima die Aprilis.

Eodem anno facta convocatione omnium Prælatorum Chriſtianitatis apud *Lugdunum*, celebravit Dominus Papa *Gregorius* X. magnum concilium ſuum, à principio menſis Maii uſque ad feſtum *Magdalenæ*, menſe Julii, ubi quaſdam fecit conſuetudines, ut patet infra. *Concil. Lugdun.*

Eodem anno obiit Epiſcopus *Dunelmenſis*, ſc. *Rob.* de **Stitchill**, in ſua reverſione à prædicto concilio, cui ſucceſſit *Rob.* de **Halieland** Monachus *Dunelmenſis*, confirmatus & conſecratus ab Archiepiſcopo *Eboracenſi*.

Hoc anno Dominus *Edwardus* Rex *Angliæ* de terra ſancta & de *Waſconia* reverſus, ſecunda die menſis *Auguſti* in *Angliam* applicuit apud *Dorobernium*, & die Dominica proxima poſt aſſumtionem Beatæ Virginis, per impoſitionem manuum *R.* Archiepiſcopi *Cantuarienſis* de Ordine Prædicatorum, unctus eſt in *Edward. coronatur.*

Edwardus R. in Regem, & coronatus apud *Westmonasterium*, præsente Domino Rege *Scotiæ* & multis aliis.

Eodem anno Magister *R.* de Wickehampton Electus Sarum in Concilio *Lugduni*, consecratus per dictum Archiepiscopum *Cantuariensem*, die Dominica proxima post exaltationem Sanctæ Crucis, est incathedratus apud Sarum.

Hoc anno in Cœna Domini factum est sacrum Crisma apud *Waverleiam* à viro venerabili *Nicolao* Episcopo *Wintoniensi*.

Archiep. Cant. visitat. Diœces. suam. Eodem anno Dominus *R.* Archiepiscop. *Cantuariensis* causa visitationis transitum suum faciens per Episcopatum *Wintoniæ*, die lunæ, sc. in crastino Sanctæ *Katharinæ*, venit *Wintoniam*, ubi à Domino Episcopo loci, à Clero & populo honorifice susceptus est cum processione. Qui feria tertia, & feria quarta sequentibus fecit suam visitationem in Prioratu Sancti *Swithini*, & feria quinta in Abbatia Sanctimonialium Beatæ *Mariæ*, ibidem, & III. Non. Decembris in Abbatia de Hyda. Inde progrediens per alia Monasteria ipsius Episcopatus celebravit festum Natalis Domini apud *Hyterrum* Manerium Episcopi *Wintoniensis* prope Suthampton.

Hoc eodem anno Dominus *Edwardus* Rex *Angliæ* festum natalis Domini solemnizavit apud Wodestoke.

1275

MCCLXXV.

Edwardo, nascitur filia. Hoc anno XVIII. Kal. Aprilis peperit *A.* Regina Domino Regi *Anglorum* *Edwardo* apud Windeshores filiam, & vocavit eam *Isabellam*.

Eodem anno sc. die Palmarum quæ fuit VII. Idus Aprilis consecratus est Dominus *R.* Burnell, Cancellarius *Angliæ*, in Episcopum *Bathoniensem* apud *Londoniam*.

Episc. Hereford. obit. Eodem anno defuncto *Johanne* Breton Episcopo *Herefordensi*, electus est Magister *Thomas* de *Cantilupo*, confirmatus atque consecratus in Episcopum *Herefordensem*.

Terræ motus. Hoc anno, sc. III. Idus Septembris, factus est terræmotus magnus in omnibus finibus Regni *Anglorum*, & in multis partibus transmarinis, ut à pluribus dictum est.

Parliament. Westmonast. habitum. Eodem anno sc. in Quindena Paschæ, quæ fuit in principio mensis Maii, facta communi convocatione omnium Magnatum Regni, tenuit Dominus Rex *Edwardus* Magnum Parliamentum suum apud *Westmonasterium*, ubi quam plures de Regno, qui aliqua feoda de corona Regia tenuerunt, ea dicto Domino Regi reddiderunt, compositione tamen facta cum quibusdam, ut ea tenere valeant quoad vitam. In quo quidem Parliamento, de assensu communi, quasdam novas leges constituit observandas, ad communem utilitatem totius Regni.

Parlament. convocatur. Item Mense Octobris, circa festum Sancti *Lucæ* Evangelistæ, tenuit ibidem aliud Magnum Parliamentum, in quo quasdam alias leges constituit inter *Judæos* observandas. Ubi de communi assensu Archiepiscoporum, Episcoporum, Comitum, & Baronum, concessum fuit dicto Domino Regi quindecimam bonorum omnium Laicarum possessionum Regni *Angliæ* in subsidium, suæ novitatis causa, ut à quibusdam dicebatur.

Hoc eodem anno tenuit Dominus Rex *Edwardus* festum Natalis Domini apud Gillingham in Dorsetshire.

Dissensio inter Ed. & Gast. Eodem anno orta est magna dissentio inter Regem *Edwardum* & *Gastonem* de Byernien in *Vasconia*.

Edwardo nascitur filius. Anno eodem apud *Baionam* in *Vasconia*, mense Novembri, scil. in vigilia Beatæ *Catharinæ* virginis, peperit Domina *Alianora* Regina *Angliæ* filium, & baptizatus est à *Waltero Exoniensi* Episcopo, & vocatus est nomen ejus *Alfonsus* post Regem *Hispaniorum*, qui eum ibidem levavit à sacro fonte, & confirmatus fuit ab Archiepiscopo *Auxicano*.

Saracen. irrupt. in Cast. Item *Saraceni* de *Hispania*, absente Rege *Castellæ*, qui occasione Regni *Alemanniæ*, quod suum per electionem de se aliquando factam esse dicebat, & tunc

extra Regnum ſuum agebat apud **Belcare**, cum Papa *Gregorio* rem de pace tractaturus, portum tranſeuntes, magnam Chriſtianorum ſtragem fecerunt, ubi Archiepiſcopus *Aragoniæ* filius Regis *Aragonum* interfectus eſt, at poſtmodo prævalentibus Chriſtianis, ſuccubuerunt de *Saracenis* uſque ad quinque millia & amplius. *Edwardus R.*

Item eodem anno obiit *Gregorius* Papa x. apud *Aretium* Civitatem *Tuſciæ* xi. Kal. Januarii, poſt cujus tranſitum *Petrus* de *Tarentaſia* de Ordine Fratrum Prædicatorum, quondam *Lugduni* Eccleſiaſticus Cardinalis, poſtea Epiſcopus *Hoſtienſis*, in ſummum Pontificem eſt electus, & *Innocentius* Papa eſt appellatus. *Greg. Papa obit.*

Item hoc anno Rex *Edwardus*, in Octavis Sancti *Michaelis*, ad Parliamentum omnes Regni Proceres juſſerat evocari apud *Weſtmonaſterium*, in quo ſtatuta multa ad * voluntatem fuerant publicata. Inter quæ Judæis fuit interdicta licentia effrænata uſurandi, & ut deinceps poſſent manifeſte diſcerni à Chriſtianis, præceptum eſt quod ad inſtar tabularum *Moyſi* ad unius palmæ longitudinem ſigna ferrent in exterioribus indumentis. *Parlament. convocatur.*

Item iii. Idus Septembris, inter horam diei primam & tertiam, factus eſt generalis terræmotus per univerſam regionem. cujus impetu Eccleſia quæ dicitur Sancti *Michaelis de Monte* cecidit ſolo complanata. *Terræ motus.*

Hoc anno, cum *Alienora* filia *Simonis* de *Monte forti*, quæ vivente patre affidata fuit *Leulino* principi *Walliæ*, conducenda eſſet à partibus Gallicanis per mare uſque *Walliam*, ut Dominus princeps eam duceret matrimonialiter in uxorem, capta fuit prope *Briſtollam* cum *Almerico* fratre ejus, & aliis ejus aſſociatis, & jubente Rege ab invicem diviſi ad diverſa caſtra ſunt tranſmiſſi.

MCCLXXVI. 1276

Hoc anno, poſt Paſcha, ad Parliamentum *Weſtmonaſterium* multis partibus Regni congregatis, Rex pacem ſuam exhæredatis conceſſit. In quo Parliamento quintamdecimam bonorum omnium temporalium, tam Clericorum, quam Laicorum, inaudito more ad unguem taxatam, Rex juſſerat levari & confiſcari. *Parlamentum quintam decimam Regi concedit.*

Item in hoc Parliamento, ſicut & in aliis *Leulinus* Princeps per literas vocatus venire noluit, miſit tamen nuncios pro pace habenda, & pro filia Comitis *Leyceſtriæ*, quam ducere voluit in uxorem, non modicam pecuniæ offerens quantitatem. Rex vero matrimonio noluit conſentire, nec pecuniam recipere oblatam, niſi terras, quas ipſe *Leulinus* invaſerat, ſingulas ſingulis juſtis Dominis reſtitueret, & caſtra per ſe & ſuos diruta repararet.

Item eodem Parliamento conceſſit Dominus Rex & demandavit per totum Regnum *Angliæ*, quod Cartæ de communibus libertatibus, & de Foreſtis in ſuo robore permanentes ab omnibus per omnia obſervarentur.

Item die Sancti *Albani* Martyris, in urbe *Laterano*, obiit *Innocentius* Papa quintus, cui ſucceſſit *Octobonus* tituli Sancti *Adriani* Cardinalis, qui nuper in *Anglia* Legationis officio fungebatur, à Cardinalibus electus, & in craſtino tranſlationis S. *Amandi* conſecratus, à titulo ſuæ dignitatis, cui præfuit Cardinalis, vocatus eſt *Adrianus* Papa quintus, qui per xxxv. dies in Papatu vixerat, non tamen conſecratus viam univerſæ carnis eſt ingreſſus xviii. Kal. Septembris; cui ſucceſſit *Petrus Tuſculanenſis* Cardinalis de Ordine Fratrum Prædicatorum, & vocatum eſt nomen ejus *Johannes* xxi. qui non multo poſt quadam domo obrutus interiit. *Adrian. Papa ob.* *Johannes* xxi. *Pap.*

Item xvi. Kal. Julii celebrata eſt ſolemniter tranſlatio Sancti *Richardi*, quondam *Ciceſtrenſis* Epiſcopi, à Domino *Roberto Cantuarienſi* Archiepiſcopo, Domino Rege cum multitudine procerum præſente, in qua tranſlatione, ac etiam poſt, plurima miracula coruſcarunt. *Tranſlatio corporis Rich.*

Item hoc anno ceſſit *Willielmus* de **Hungerford** Abbas de *Waverleia*, eo quod paralyſi gravatus ulterius villicare non potuit; cui ſucceſſit frater *Hugo* de **Reubenorum** ejuſdem domus Monachus, viz. in die Sancti *Edmundi* Archiepiſcopi, canonice à conventu electus, & .... à Domino *Johanne* tunc Abbate ......

Item

Edwardus R. Item hoc anno Dominus Rex misit ccc. equites electos loricatos ad partes Bristoll, montis *Comeri*, & *Cestriæ* ad refrænandas invasiones *Wallensium* super metas *Angliæ*, *Walliæ* finibus adjacentes.

MCCLXXVII.

1277 *Tartari &c. Terram S. subjug.* Hoc anno *Tartari*, & qui *Moalli* dicuntur, maximam partem terræ sanctæ sibi subjugarunt, Soldano *Babiloniæ* cum multis millibus *Saracenorum* interfectis.

Johannes Papa ob. Item hoc anno, quinto die mensis Maii, obiit Papa *Johannes* xxi. cui successit *Johannes Gaitanus*, tunc Sancti *Nicolai* in carcere *Tulliano* Diaconus Cardinalis, & vocatum est nomen ejus *Nicolaus* tertius.

Item obiit *Walterus* de *Mertona Roffensis* Episcopus, cui successit *Johannes* de Bradfeild, Monachus & Præcentor *Roffensis* Ecclesiæ.

R. Angl. duxit exercitum in Wall. Item Dominus *Edwardus* Rex *Angliæ* duxit exercitum magnum in *Walliam*, & Scaccarium suum residere fecit apud *Salopesbiriam*. Cum enim *Leulinus* Rex *Walliæ* comperisset adventum Regis cum tanto exercitu, timens, ut sibi resistere posset, per internuncios misit ad Dominum Regem ad tractandum de pace. *Leulin. Reg. Angl. se submittit.* Circa vero festum Sancti *Martini* descendit dictus *Leulinus* de montibus *Walliæ*, submittens se gratiæ & voluntati Domini Regis per omnia. Et pro transgressionibus, damnis, & injuriis Domino Regi & suis illatis, & pro pace finaliter habenda obtulit dictus princeps L. Millia lib. sterlingorum; concessit etiam dictus Princeps Domino Regi, & scripto suo confirmavit, pro se & hæredibus suis, plenarie & sine aliqua retentione, quatuor Candreda in finibus & terminis suis, sicut piæ memoriæ Dominus *Henricus*, quondam Rex *Angliæ*, ea unquam plenius tenuit, simul cum omnibus terris, quas idem Dominus Rex cepit, & saisire fecit in manum suam, vel alio modo acquisivit, excepta terra de *Englesèia*, quam dictus Dominus Rex de gratia speciali concessit & confirmavit dicto *Leulino*, & hæredibus suis, de se & uxore sua legitime procreandis, quod ipsi habeant & teneant dictam Engleſey, eo modo quo prius tenuit dictus *Leulinus*, reddendo pro eo singulis annis ad Scaccarium Domini Regis in Festo Sancti *Michaelis* Mil. Marcas Sterlingorum. Concessit & confirmavit eidem *Leulino* dictus Dominus Rex, de mera gratia sua, ad vitam suam, totam terram illam quæ *David* fratri suo jure hæreditario debebatur, quando Rex eidem *David* aliunde æquipollentem fecerit recompensationem, quæ terræ, tam dicto *David* traditæ quam *Leulino*, post mortem ipsorum, ad Dominum Regem & hæredes suos integraliter revertentur; tamen dictus *Leulinus*, antequam ad præsentiam Regis pervenit, beneficium absolutionis impetravit, & interdictum terræ suæ relaxatur, & omnes prisones quos occasione Domini Regis captos & incarceratos tenuit, & liberavit, & sacramentum fidelitatis dicto Domino Regi fecit. Et sic omnes transgressiones injuriæ & excessus hinc inde factæ pentitus remittebantur, usque ad ipsum diem. Die autem natali sequente fuit dictus *Leulinus* apud *Londoniam* cum dicto Domino Rege, & sic accepta licentia à Domino Rege & suis, cum gaudio remeavit ad propria. Non multo post *Alienora* filia Comitis quondam *Leycestriæ*, quæ tunc in custodia Domini Regis apud Windeſhores .... detenta, ad ipsum *Leulinum* in *Walliam* est transmissa,

Oves scabie infectæ. Hoc anno invaluit generalis scabies ovium, per universam regionem *Angliæ*, quæ à vulgo dicebatur Clauſik, per quam infectæ sunt omnes oves terræ, ad quarum scabiem abolendam adinventa est quædam unctio confecta ex vivo argento & uncto porcino.

MCCLXXVIII.

1278 Hoc anno Princeps *Walliæ Leulinus* duxit in uxorem *Alienoram*, filiam *Simonis* de *Monte forti*, quondam Comitis *Leicestriæ*.

Episc. Wint. Monachis Swithin. Conciliatur. Item durante adhuc dissensione inter *Nicolaum* Episcopum *Wintoniensem*, & conventum suum apud Sanctum *Swithinum*, in mense Aprilis venerunt duo Abbates de *Radingis* & *Glastonia* anno isto, in ordine nigrorum Monachorum præsidentes, ad quorum instantiam & consilium dictus Episcopus remisit omnem

nem rancorem, quem verſus eundem Conventum habuit, & in pacis oſculum omnes Monachos admiſit, illis tamen exceptis, qui in *Romana* Curia tunc agebant. *Edwardus R.*

Item in ſolemnitate Paſchali fuit Dominus *Edwardus* Rex & Regina apud *Glaſtoniam*, & ibi Dominus Rex tumbam Regis *Arthuri* fecit aperire, & oſſa dicti Regis extrahi juſſit & colligi, & in theſauraria dicti Monaſterii decenter fecit deponi, quouſque poſſet honeſtius dicta oſſa collocare. Item obiit *Rogerus Norwicenſis* Epiſcopus, qui Monachus extiterat dicti Monaſterii, cui ſucceſſit Magiſter *Willielmus* de Middilton, tunc Archidiaconus *Cantuarienſis*, à Conventu Eccleſiæ *Norwicenſis* canonice electus, & à Domino *Roberto Cantuarienſi* conſecratus apud Lambeth IV. Nonis Junii. *Epiſc. Norwicenſis ob.*

Item Dominus *Robertus Cantuarienſis* Archiepiſcopus per *Nicolaum* Papam III. ad Curiam *Romanam* vocatus, & ab onere Archiepiſcopatus abſolutus, in Epiſcopum *Portuenſem* & Cardinalem eſt promotus. Sede igitur *Cantuarienſi* ſic vacante convenerunt Monachi *Cantuarienſis* Eccleſiæ, & die electionis præfixo, ad magnam Domini Regis & Reginæ inſtantiam poſtularunt Dominum *Robertum* Burnel Epiſcopum *Bathonienſem* & *Wellenſem*, ad cujus poſtulationem promovendam, & expediendam miſſi fuerunt nuncii ſolemniter ad Dominum Papam, qui tunc ad hoc nec prece nec pretio flecti potuit, ut illum admitteret; ſed electione facta de eodem caſſata, quendam fratrem de ordine Minorum nomine *Johannem* de Petcham, qui tunc in Curia *Romana* degebat, in paſtorem & Archiepiſcopum Eccleſiæ Chriſti *Cantuarienſis* conſecravit. *Archiepiſc. Cant. fit Cardinal. & Epiſc. Port.*

Item hoc anno die Sancti *Matthæi* Apoſtoli Evangeliſtæ, quæ tunc feria IV. erat, dedicata eſt Eccleſia de *Waverleia* in honorem glorioſæ virginis Dei genetricis *Mariæ*, à Domino *Nicolao* de Peli *Wintonienſi* Epiſcopo, qui univerſis eodem die præſentibus, pia devotione annum relaxationis indulſit, & XL. dies; quos prædictum in anniverſario dedicationis locum frequentantibus conceſſit perpetuo duraturos; volens igitur dictus Pontifex ex abundanti gratia & devotione, ut univerſa dictæ dedicationis in laude & jucunditate complerentur, cunctis ibidem eodem die advenientibus, in victualibus, propriis ſumptibus ſplendide miniſtravit.

Item obiit *Walterus* de Morton Epiſcopus *Roffenſis*, cui ſucceſſit Prior dictæ Eccleſiæ. *Ep. Roff. ob.*

Item in medio Menſis Octobris, Dominus *Edwardus* Rex tenuit magnum Parliamentum apud *Weſtmonaſterium*, ubi Dominus Rex *Scotiæ* venit, & homagium dicto Domino Regi *Angliæ* fecit. *Parliament. Weſtmon.*

Item dedicata eſt Eccleſia cathedralis *Norwicenſis* II. Kal. *Decembris*, à venerabili Prælato Domino *Willielmo* de Midleton, dicti loci Epiſcopo, præſente Domino Rege, & Cleri atque populi infinita multitudine. *Eccleſia Norwic. dedicatur.*

Item XIV. Kal. Decembris, una hora ejuſdem diei, capti ſunt omnes Judæi per totum Regnum *Angliæ*, & incarcerati; quorum Domus & diverticula omnia diligenti ſcrutinio fuerant perſcrutata, & inventa eſt maxima ſumma retonſionis apud eos, quæ totaliter devenit ad fiſcum Regium, ad magnum damnum totius Regni & gravamen. Et exinde dicti Judæi ad Turrim *Londoniæ* ſunt deducti, & in arcto carcere detenti, & quamplurimi de Chriſtianis cum eis, qui inventi culpabiles in conſilii malitia extiterunt. *Judæi ob retonſam monetam incarcerantur.*

Item circa feſtum Beatæ *Margaretæ* virginis facta fuit quædam ordinatio inter Dominum *Nicolaum Wintonienſem* Epiſcopum, & Conventum Sancti *Swithuni* de conſenſu Domini Regis, unde Dominus Rex cepit Prioratum in manu ſua, & cuſtodem dicti Prioratus conſtituit Dominum *Willielmum* *, & per eundem dictum Conventum fecit miniſtrari.

MCCLXXIX. 1279

Hoc anno, circa Feſtum Sancti *Johannis* Baptiſtæ, frater *Johannes* de Petcham Archiepiſcopus *Cantuarienſis*, à Domino *Nicolao* Papa tertio profectus & conſecratus, applicuit in *Angliam*, in portu *Dorobierniæ*, & III. Kal. Auguſti facta convocatione quorundam Epiſcoporum comprovincialium apud *Radingem*, *Archiepiſc. Cantuar. in Angl. redit.*

Edwardus R. *dingem*, quædam generalia ftatuta promulgavit obfervanda, & VIII. Idus Octobris ingreffum fuum celebravit apud *Cantuariam*, Domino Rege præfente, & coepifcopis fuis, cum aliis Magnatibus terræ quam plurimis.

R. Edwardus Parifios profectus pacem cum R. Franciæ firmat. Item circa Afcenfionem Domini *Edwardus* Rex & Regina mare tranfierunt, qui *Parifios* venientes à Domino Rege *Franciæ* cum honore maximo fuerunt admiffi; Rege igitur inftanter petente, Rex *Franciæ* eidem conceffit omnia, quæ in Regno fuo jure hæreditario competebant, & fuper hoc Cartis & fcriptis confectis, & figno Regio roboratis, receptoque homagio debito, ab invicem receſſerunt. Sicque inter duos Reges omnimodæ controverfiæ occafio, hinc & inde quantumcunque commota, ex infperato tunc quievit.

Monetæ mutatio. Hoc anno, circa Feftum Beati *Petri ad vincula*, facta eft generalis Monetæ mutatio, qua denarii, qui findi poterant in obolos & quadrantes, converfi funt in Monetam rotundam, valore pretii fingulorum in fuo pretio remanente.

Abbas de Cumba refignat. Item hoc anno Dominus *Warinus* Abbas de *Cumba* ulterius nolens abbatiare (cujus ceffione à priore Abbate conceffa) fucceffit eidem frater *Jordanus* de *Twangliam* tunc Prior *Waverleiæ*.

Archiep. Ebor. obiit. Item obiit Dominus *Walterus* Giffard Archiepifcopus *Eboracenfis*, cui fucceffit Magifter *Willielmus* cognomento Wichwane, *Eboracenfis* Ecclefiæ tunc Thefaurarius, qui Curiam *Romanam* adiit, & ibidem à Domino Papa cum honore debito eft admiffus & confirmatus.

Joh. de Derlington fit Arch. Dublinienfis. Item VI. Idus Septembris frater *Johannes* de Derlington, de ordine Fratrum Prædicatorum, in Archiepifcopum de Dyveline à Domino Papa eft promotus, & apud Waltham, in Diocœfi *Londonienfi*, à Domino Archiepifcopo *Cantuarienfi* confecratus.

Epifc. Lincoln. ob. Item obiit *Richardus* de Gravefend Epifcopus *Lincolnienfis*, cui fucceffit Magifter *Oliverus* de Dexinton Decanus Ecclefiæ *Lincolnienfis*, à Canonicis dictæ Ecclefiæ unanimiter electus, & à Domino *Cantuarienfi* Archiepifcopo confecratus in quindena Pafchæ, apud Lambeth.

Reg. Natale celebr. Item hoc anno tenuit Dominus Rex Natale fuum apud *Wintoniam*, & moravit ibidem ufque poft Epiphaniam.

Priorat. Swithuni Epifcopo loci conceditur. Item Dominus Rex cuftodiam Prioratus Sancti *Swithuni* Domino *Nicolao* loci Epifcopo integre refignavit, qui ftatim *Adam* de Farham ejufdem Ecclefiæ Monachum in Priorem promovit, & alios quamplurimos fuæ parti adhærentes obedientiales conftituit, pro fuo libitu voluntatis.

Item hoc anno *Willielmus* de Abbecroft dedit & conceffit, & Carta fua confirmavit Monachis de *Waverleia* totam terram fuam de Abbecroft, quam de eis tenuit in capite, cum capitali Mefuagio & aliis pertinentiis fuis in Waneburgh.

1280

MCCLXXX.

Nicol. P. ob. Hoc anno, II. Non. Septembris, obiit *Nicolaus* Papa tertius.

Religiof. acquifitiones prohibentur. Item Dominus Rex de confilio quorundam Pontificum & Baronum ftatuit, quod religiofæ perfonæ de cætero in acquifitione terrarum feu reddituum non crefcerent; afferens quod per has acquifitiones feoda militaria, ad Regni defenfionem ordinata, paulatim decrefcerent, & Regni defenfio imminente neceffitate proculdubio vacillaret, non intelligens fortaffe quod potius orationibus *Mofis* quam pugna *Amalechitarum* exercitus vincebatur.

Item in craftino Epiphaniæ, recedente Rege à caftro *Wintonienfi*, verfus novam foreftam iter arripuit. Cancellarius autem ejus *Londoniam* reverfus eft, quafi ad certum locum, ubi omnes Brevia petentes, & jura fua profequentes paratum remedium invenirent.

Item in craftino Sancti *Hilarii* placitaverunt Juftitiarii de forefta apud *Wintoniam*, à fefto Epiphaniæ ufque ad mediam Quadragefimam.

Ep. Wint. ob. Hocanno, pridie Idus Februarii, felicis recordationis Dominus *Nicolaus Wintonienfis* obiit, & in bafilica beatæ *Mariæ* de *Waverleia*, quam nuper ante dedicaverat, cum fumma devotione a venerabilibus Prælatis Domino *Willielmo Norwicenfi*, & *Roberto Bathonienfi* & *Wellenfi* XIV. Kal. Martii traditur fepulturæ,

pulturæ, & in die tertia ſubſequente, cor dicti Pontificis in Eccleſia Cathedrali *Wintonienſi* tumulatum ab eiſdem. *Edwardus R.*

Item obiit Dominus *Johannes* de Chyſthull *Londonienſis* Epiſcopus, poſt quem electus eſt *Fulco Lovellus* in Epiſcopum *Londonienſem*, qui electioni de ſe factæ nulla ratione voluit conſentire, quod videntes Canonici Eccleſiæ Sancti *Pauli*, iterato poſtulant licentiam eligendi, qua petita, & in forma juris obtenta, vocatiſque vocandis, & omnibus qui intereſſe debuerant, elegerunt Magiſtrum *Richardum* de Graveſand, per modum compromiſſi, qui a Domino Rege admiſſus, a venerabili Prælato Domino *Johanne Cantuarienſi* Archiepiſcopo conſecratus eſt apud Coventre. *Epiſc. Lond. obiit.*

Item die Sancti *Benedicti* Abbates in Cathedrali Eccleſia *Wintoniæ*, omnibus vocatis qui intereſſe debuerant, omnes tam Monachi quam dicti loci Archidiaconi, per modum compromiſſi, poſtularunt *Robertum* Burnel tunc *Bathonienſem*, & *Wellenſem* Epiſcopum, in paſtorem & Epiſcopum *Wintonienſem*, & hoc ad magnam inſtantiam Domini Regis & Reginæ, pro qua poſtulatione expedienda, miſſi ſunt ad Curiam *Romanam* nuncii ſolemnes, qui ad præſentiam Domini Papæ admiſſi, negotium, pro quo venerant, caſſa verborum eloquentia proponebant, reſpondente Domino Papa, quod electores *Wintoniæ* minus cauti, minuſque circumſpecti fuerant, dummodo alias a ſede Apoſtolica reprobatum iterato elegerunt in Epiſcopum *Wintonienſem*, dicenteque dicto Papa quod poſtulatus ſufficiens ſibi habuit beneficium, & ideo electionem de ſe factam caſſavit ex *Simonia*, ſed idem Dominus Papa de gratia ſpeciali Conventui *Wintonienſis* Eccleſiæ indulſit ut iterato eligerent, & de tali paſtore & Epiſcopo ſibi providerent, qui tam clero quam populo meritis fieret neceſſarius. *Robert. Burnell. Epiſc. Wint. electus caſſatur à Papa.*

Item obiit *Walterus Exonienſis* Epiſcopus, cui ſucceſſit Magiſter *Petrus* de Exon, a Domino *Johanne Cantuarienſi* Archiepiſcopo confirmatus & conſecratus apud *Cantuarium*. *Epiſc. Exon. ob.*

Item, poſt reverſionem nunciorum Eccleſiæ *Wintonienſis* de Curia *Romana*, iterum convenerunt Conventus Sancti *Swithuni*, & duo Archidiaconi Eccleſiæ ejuſdem, die Sancti *Leonardi*, qui conſenſu unanimi elegerunt Magiſtrum *Richardum* de La More, ſolemnem profeſſorem Theologum, in paſtorem ſuum & Epiſcopum, qui ad Dominum Regem tranſmiſſus benigne ſuſceptus eſt ab eodem, ac poſtea per compromiſſores præſentatus eſt Archiepiſcopo, qui negotium dicti electi confirmare diſſimulavit, præfigendo eidem ad loca remota diverſos dies, eundem laboribus & expenſis fatigavit, & ideo tam conventus, quam electus ad ſedem Apoſtolicam appellarunt. *Richard. de More fit Ep. Wint on.*

Item obiit *Dionyſius* Abbas *Belli loci Regis*.

MCCLXXXI. 1281

Hoc anno Magiſter *Richardus* de La More *Wintonienſis* Electus, cum quibuſdam ſuis compromiſſoribus, ratione ſuæ appellationis factæ coram Domino *J. Cantuarienſi* Epiſcopo verſus Curiam *Romanam* ſunt profecti, & v. Kal. Martii mare ingreſſi, in quadam ſcapha vento proſpero tranſierunt.

Item hoc anno exiit edictum à Curia Regia ad univerſos Comitatus totius Regni *Angliæ*, per Breve quod vocabatur ab incolis *Quo Waranto*, ad certos Juſtitiarios directum, ad inquirendum de terris, tenementis, redditibus, quæ dicebantur à Corona Regia alienatæ, ac etiam ad inquirendum de libertatibus quibuſcunque, quomodo à Domino Rege tenebantur, cujus Brevis occaſione Archiepiſcopi, Epiſcopi, Abbates, Priores, Comites, Barones, & cæteri libere tenentes, tam religioſi quam alii variis laboribus & expenſis fuerant prægravati, & tamen Dominus Rex parum quid emolumenti inde aſſecutus eſt. *Quo Waranto ad omnes Angliæ Comitatus mittitur.*

Item Dominus *J.* Archiepiſcopus *Cantuariæ* ad examen ſuum fecerat congregari omnes religioſos, Eccleſias in proprios uſus habentes, oſtenſuros quo jure Eccleſiaſtica beneficia occuparent, & populum regerent Laicum, in quibus omnibus hinc inde fuit labor multus & fructus nullus.

Edwardus R.

Concilium Lambethanum.

Item in principio mensis Octobris Archiepiscopus *Cantuariensis* apud **Lamheth** provinciale Concilium celebravit, qui contra exemtos, ad dictum Concilium venire nolentes libellum famosum in forma subscripta edidit, & per omnes Episcopatus suæ jurisdictioni subjectas publicari demandavit. *Frater* Johannes *permissione divina* Cantuariensis *Archiepiscopus, totius* Angliæ *Primas, venerabilibus fratribus* A–B–C– *coepiscopis suis salutem & sinceram in Domino caritatem. Celebratum nuper, ut scitis, apud* **Lamheth** *Provinciale Concilium, cum coepiscoporum nostrorum venerando collegio, universos nostræ provinciæ Prælatos inferiores, quos conciliorum tractatibus interesse jubent sacri Canones, vocandos decrevimus; ac inter cæteros religiosæ sanctimoniæ personas præcipuas, Abbates & Priores, non solum Episcopali gradui subjectos, juxta ordinem Ecclesiasticæ Hierarchiæ, verum & alios ab Episcopali obedientia exemptos, ratione sc. Ecclesiarum non exemptarum, quas in proprios usus permittente Domino detinent occupatas, sperantes nos solius Dei honori ac communis Ecclesiæ* Anglicanæ *commodis servientes, eorum juvandos potentia, dirigendos consiliis, & sanctitatis suæ meritis promovendos. Exempti vero tanquam pullos Onagri liberos se putantes, minime vel modice condolentes suæ sanctæ matris angustiis, cujus viscera multi eorum plus onerant quam honorant; quia per effectum vel defectum verius de se dictum illud* Johannis *propheticum in* Apocalypsi, *allegarent,* Atrium quod foris est templum, ejice foras, & ne metiaris illud * ne parturientium cervarum audiret rugitus, *nec ad ipsum concilium, in anxietate matris, consilium & solatium venire dignati sunt; utpote filii alieni à semitis claudicantes. Quin potius ne in aliquo detumesceret eorum nimis elatio, nec procuratorem ad suæ excusationem absentiæ mittere curaverunt, collegium tam reverendum contemnentes.* Agar *ex parte similes, quæ illustrem despexit Dominam, videns se divisionis filium concepisse. Nos autem tam ingratæ præsumtionis audaciam, secundum juris regulas corrigere cupientes, scientes quia juxta illud salvatoris* contra nos esse qui nobiscum stare dispiciunt, *severitati tamen plurimum subtrahentes quam possemus in hujus contemtores, si vellemus, canonice excercere, in virtute obedientiæ, qua sedi Cantuariensi estis adstricti, firmiter injungendo mandamus quatenus omnes Ecclesias non exemtas in Diocœsibus vestris, exceptis Monasteriis, appropriatas, quarum nomina sub sigillo nostro præsentibus sunt appensa, cujuscunque ordinis existant, auctoritate nostra, sine moræ dispendio, sequestrantes eas faciatis sub arcto sequestro nihilominus custodiri, donec super hoc aliud à nobis receperitis in mandatis, non exemptos quidem, quorum nomina in scedula præsentibus annexa continentur, quos nos propter eorum contumaciam ab ingressu Ecclesiæ suspendimus, justitia exigente, sic suspensos faciatis publice denunciari.* Ab hac sententia per Dominos Abbates de *Westmonasterio*, de Sancto *Edmundo*, de Sancto *Albano*, & de **Waltham** principaliter fuerat appellatum. *Cistercienses* vero per se constanter appellarunt; alii quidem exempti appellarunt, suam tamen appellationem tepide prosequentes, pro eo quod Archiepiscopus dissimulavit, quoad quosdam, executioni suam sententiam demandare.

Martin. 3. Papa.

Item die Sancti *Petri* in Cathedra, Dominus *Simon* de *Turribus* tunc Sanctæ *Sabinæ* Cardinalis electus in Papam, & Dominica qua cantatur *lætare Jerusalem* inthronizatus, vocatus est *Martinus* tertius.

Nova Abbat. Ord. Cist. fundata.

Item Dominus *Edwardus* Comes *Cornubiæ* fundavit novam Abbatiam ordinis *Cisterciensis* apud *Oxoniam*, & Monachos de *Thama* ibidem introduxit, & contulit eisdem prima donatione Manerium de **Erdinton**, & locum Abbatiæ fecit dedicare III. Idus Decembris à venerabili Prælato Domino *Roberto* **Burnel** *Bathoniensi* & *Wellensi* Episcopo, tunc Domini Regis Cancellario.

Item Nono Kal. Maii frater *Willielmus* de **Gifors**, tunc Cellarius *Belli loci Regis*, electus est in Abbatem loci ejusdem.

1282

MCCLXXXII.

Wallenses in Angliam irrumpunt.

Hoc anno, qui est annus Regis decimus, intempestæ noctis hora, *Dominica in ramis palmarum, Leolinus* Princeps *Walliæ*, & *David* frater ejus, cum magno exercitu castra Regis *Angliæ* de **Bothland** & de **Flint** valide invaserunt, alia castra ejusdem Domini Regis, ad quæ ingressum habere non poterant, terræ complanarunt.

complanarunt. Dominum *Rogerum* de **Clifford** militem ſtrenuum, caſtrorum & libertatum Domini Regis in partibus illis cuſtodem, vulneratum, captum, & vinctum, ipſius militibus collateralibus prius interfectis, ad montem de **Snawdon** tranſmiſerunt, & ex hinc terram Domini Regis adjacentem perluſtrarunt, juvenes & virgines, ſenes cum junioribus occidendo & inflammando, nec mulieri in partu periclitanti, ſeni, nec decrepito pepercerunt, magnam partem *Marciæ* cædibus & incendiis devaſtantes. Rex autem hæc audiens vix credens, quouſque vexatio dedit manifeſtum intellectum; & tunc Barones de Scaccario ac Juſtitiarios de Banco de *Londonia* amoveri fecit uſque *Salopiam*, ac etiam de ſingulis Comitatibus collegit exercitum copioſum ad dictorum *Wallenſium* inſultus refrænandum. Quo exercitu congregato dictorum *Wallenſium*, circa montem **Snawdon**, viriliter invaſit, & totam terram illam finibus * adjacentem ſuæ ſubdidit poteſtati. Comitibus etiam & Baronibus ſibi viriliter adhærentibus, de terris acquiſitis amplas & ſpatioſas conferens portiones, eiſdem & hæredibus perpetuo poſſidendas. Ad Regis igitur auxilium de *Vaſconia* & *Baſilis*, ac etiam de partibus aliunde multa millia hominum ſunt tranſmiſſa. Rex igitur ulterius volens procedere, collocata navium multitudine & conglobata, multimodis aſſeribus navibus applicatis, quæ quidem aſſerum denſitas pro ponte habebatur in aqua de **Conewey**, quæ fluit & refluit juxta montes **Snawdon**, quem pontem quidam Proceres de Regis exercitu gratia ſpatiandi tranſeuntes per multitudinem *Wallenſium* in inſidiis latentium, & in dictos Proceres irruentium, per viam qua venerant redire non volentes, in dictis aquis miſerabiliter ſunt ſubmerſi. Princeps igitur *Walliæ Leolinus*, collocato de ſuis exercitu copioſo, ad campeſtria deſcendebat, *David* fratri ſuo montana relinquendo. Sed Dominus *Edmundus* de *Mortuo mari* cum quibuſdam Marchionibus irruit in exercitum dicti *Leolini*, eundem cepit, & protinus illi caput amputavit, multis de *Wallenſibus* in illo inſultu interfectis. Caput autem ſic amputatum *Londoniæ* eſt deportatum, & in turri *Londoniæ* ſuſpenſum, ac etiam hedera coronatum. Hæc autem omnia facta ſunt ut Prophetia *Merlini* impleretur, quæ talis erat, (ut *Wallenſes* aſſerebant) *cum Moneta Anglicana* viz. denarii oboli & quadrantes fuerint *rotundi*, *tunc princeps Walliæ Londoniæ coronabitur*, quod erat factum modo & forma ſupradicta.

Edwardus R.

Leolinus captus & capite truncatus.

Item hoc anno clerus & populus primo Quintamdecimam, & poſtmodum tricefimam bonorum ſuorum Domino Regi conceſſerunt.

Item hoc anno, proſequente Magiſtro *Richardo* de La **More** *Wintonienſi* Electo, cauſam appellationis ſuæ in Curia *Romana* coram Domino Papa, ac etiam coram auditoribus cauſæ ſuæ aſſignatis, & cauſam ſuam ad calculum *Simoniæ* ventilantibus, & ecce quidam de conſilio fratrum ad eundem Electum venerunt, ab eodem obnixius requirentes, in quantum Curiam vellet tali conditione reſpicere, quod cauſa ſua optatum conſequeretur effectum. Qui, tanquam homo ſanæ conſcientiæ, metuens maculam *Simoniæ* reſpondit, quod non in obolo; quo reſponſo ſcandalizati nuncii ad Cardinales ſunt reverſi, quod tranquilliter reſponderit ſupradictus Electus relaturi. Nec mora, mane facto ſedebat Dominus Papa pro tribunali, & Cardinalibus qui tunc in curia erant aſſidentibus, affuit inter eos Electus cauſæ ſuæ ſententiam auditurus, & ecce Dominus Papa cum ſuis parumper habito conſilio, Electionem & cauſam appellationis caſſavit ex *Simonia*, & Epiſcopatum *Wintoniæ* una cum annulo ſuo mox contulit Magiſtro *Joh.* de **Ponteys** Archidiacono *Devonienſi*, negotiis propriis in curia tunc agenti.

MCCLXXXIII. 1283

Hoc anno Magiſter *Johannes* de **Ponteys** *Wintonienſis* Epiſcopus apud *Doroberniam* applicuit, & ſpiritualitatem Epiſcopatus ſui à Domino *Johanne Cantuarienſi* Archiepiſcopo, de mandato Domini Papæ, accepit, Dominum Regem tunc in *Wallia* agentem adivit, & dicto Domino Regi & Reginæ in muneribus amplis ſalutatis, Maneria Epiſcopatus integra eſt aſſecutus.

Edwardus R.
Edw. Wall. subjugatam Cast. munit.

Item Dominus Rex *Edwardus* subjugata suæ ditioni *Wallia*, & Principe *Walliæ* jam occiso, ad pedes montis Snaudon fecit fundare Castrum, novum, forte.

Item hoc anno, post mortem *Leolini*, *David* frater ejus malorum inventor, gentis *Angliæ* sævissimus persecutor, propriæ nationis impostor, guerræ auctor, diverticula & latebras subterfugiendo quærens,& quoscunque de natione *Angliæ* invenire potuit rapiens & trucidans, tandem à quibusdam *Wallensium* Domino Regi affidatis, in quodam marisco ubi latuit, captus est cum duobus liberis suis, & septem filiabus, & omnes ad Curiam dicti Domini Regis sunt adducti, sed Rex eos videre noluit. Postmodum vero in Curia Regia tractatum est a Regni potentioribus qua pœna mortis plecti debuit, qui tot & tanta flagitia Regno totiens perpetravit; inito tandem discretorum consilio, quadruplicis mortis adjudicatur opprobrio, viz. ad caudas equarum per vicos & plateas in villa *Salopiæ* distractus, deinde suspensus, ac postmodum decollatus, deinde corpus exanime in quatuor partes, licet acephalum, divisum, cor autem cum intestinis combustum. Capite vero Civitati *Londoniæ* adjudicato, facta est contentio inter Burgenses *Wintoniæ* & *Eboraci* quis eorum dextram partem viz. dextrum humerum corporis mortui asportaret, tandem vero civibus *Wintoniæ* relinquitur, qua obtenta cum omni celeritate sunt reversi, reliquæ partes corporis apud *Eboracum*, *Bristolium*, Norhamptun sunt transmissæ.

Item hoc anno Magister *Petrus* Archidiaconus Suppr. de Sancta *Maria* traxit in causam Abbatem & Conventum de *Waverleia* per literas Apostolicas, super minutis decimis, coram Priore de Southwerk, Decano, Cancellario, Thesaurario Ecclesiæ Sancti *Pauli Londoniæ*, judicibus a sede Apostolica deputatis Commissariis, quæ tamen per varias appellationes ad varios Judices fuerat devoluta, & pene per XV. annos coram diversis Judicibus ventilata, tandem vero Dominus Episcopus *Wintoniensis*, tanquam amicabilis inter partes ordinator, finem causæ imposuit, hinc inde remissis expensis, partes in pace quieverunt.

Multæ reliquiæ ex Wallia in Angl. translatæ.

Item quædam portio Dominicæ Crucis magna & pretiosa, cum aliis reliquiis, quæ apud *Wallenses* pretiosissimæ habebantur, *Edwardo* Regi *Angliæ* sunt præsentatæ.

Item corpus magni Imperatoris *Constantini* apud Karvernhan juxta Snawdon, fuerat juventum, & Domino Rege jubente, in Ecclesia ibidem honorifice collocatum.

Item corona famosi Regis *Arthuri*, qui apud *Wallenses* a longo tempore in maximo honore habebatur, cum aliis jocalibus pretiosis Domino Regi est oblata; & sic *Wallensium* gloria ad *Anglicos*, licet invite, est translata.

1284

MCCLXXXIV.

Edwardo filius nascitur.

Hoc anno die Sancti *Marci* Evangelistæ apud Carvernan juxta Snaudon natus est Domino Regi *Edwardo* filius, & vocatus est nomine patris sui *Edwardus*, in cujus nativitate multi & maxime *Londonienses* gaudebant.

Eodem anno Dominus *Alfonsus*, Domini Regis Primogenitus, veniens apud *Westmonasterium*, quandam aureolam, quæ fuerat *Leolini*, nuper principis *Walliæ*, cum aliis jocalibus pretiosis offerebat ibidem, quibus feretrum Sancti *Edwardi* Regis plurimum ornabatur. Iste *Alfonsus* fere duodenis, ingravescente corporis infirmitate, obiit XIV. Kal. Septembris, cujus corpus à venerabili Prælato Domino *Cantuariensi* Archiepiscopo, juxta feretrum beati Regis *Edwardi*, honestæ traditur sepulturæ.

Edwardi primogenitus Alfonsus ob.

Ep. Sarisb. obiit.

Item hoc anno obiit Magister *Robertus* de Wichamstede Episcopus *Sarisburiensis*, cui successit Magister *Walterus* Stawail canonice electus, & a Domino *Cantuariensi* Archiepiscopo consecratus apud *Sonnigam*.

Conventus Procerum ad tabulam rotundam.

Item convenerunt Comites, Barones, Milites de Regno *Angliæ*, ac etiam multi Proceres transmarini, circa Festum Beati *Petri* quod dicitur *ad vincula*, ad rotundam tabulam apud *Neubin* juxta Snawdon præconizatam in choreis

&

& haſtiludiis ad invicem colludentibus, in ſignum triumphi contra *Wallenſium* protervíam expediti. *Edwardus R.*

Petrus, nuper Rex *Aragonum*, ſententia majoris excommunicationis aucto-ritate Apoſtolica innodatur; ac etiam per Dominum Papam ad diverſas regi-ones demandatur, ne quis eundem *Petrum* Regem ulterius audeat nominare pro eo quod, inconſulta *Romana* Eccleſia, & contra inhibitum apoſtolicum, Regnum *Siciliæ* invaſit & deprædavit. *Petrus Arag. Rex excommunicatur.*

Item obiit Magiſter *Stephanus* Epiſcopus *Ciceſtrenſis*, cui ſucceſſit Magiſter *Gillebertus* de Sancto *Leoſardo*, officialis tunc Curiæ *Cantuarienſis*. *Ep. Ciceſt. ob.*

MCCLXXXV. 1285

Hoc anno, viz. IV. Kal. Aprilis obiit *Martinus* Papa III. cui ſucceſſit *Honorius* Papa IV. *Martinus Papa ob.*

Item hoc anno Dominus Rex poſt *Walliam* ſibi ſubjugatam, II. Kal. Maii veniens per mediam Civitatem *Londoniæ* verſus *Weſtmonaſterium*, Domino *Cantuarienſi* Archiepiſcopo, cum quibuſdam ſuffraganeis ſuis ſacris indutis ve-ſtibus, cum multitudine infinita proceſſionaliter præcedentibus, Dominum Regem, quandam portionem Dominicæ Crucis auro fulvo ac lapidibus pre-tioſis & lucentibus adornatam, quam de *Wallia* ſecum tulit, apud *Weſtmo-naſterium* ſolemniter advexit, & ibidem ſuper magnum altare collocavit. *Reliq. Crucis Weſtm. tranſlat.*

Item vocatis terræ potentioribus ad edictum Domini Regis, in menſe Julii, apud *Weſtmonaſterium*, condidit idem Dominus Rex ſtatuta, utrique juriſdicti-oni judicum Eccleſiaſticorum non modice defalcavit. Et quia alias ſtatue-rat, ne religioſæ perſonæ ulterius creſcerent in poſſeſſionibus acquirendis, ne de cætero decreſcant, de conſilio Prælatorum ſibi placuit ordinare. *Statuta ab Edwardo condita.*

Item Dominus *Philippus* Rex *Franciæ*, in Guerra *Aragonum* lethaliter vul-neratus, obiit in illa regione.

Item Dominus *Edwardus* Rex *Angliæ*, in principio menſis Octobris, apud *Wintoniam*, quædam ſtatuta edidit, ad refrænandum latronum & prædonum inſidias, & violentias truculentas. *Statuta contra Prædones.*

Item *Petrus Aragonum* in bello à Francigenis vulneratus obiit iſto anno.

Item XV. Kal. Aprilis obiit *Hugo* de **Leueknor** Abbas de *Waverleia*, cui ſuc-ceſſit frater *Philippus* de **Bedwinde** à Conventu canonice electus, & die Paſ-chæ proxima ſequente in Cathedrali Eccleſia *Wintonienſi* Epiſcopalem bene-dictionem eſt aſſecutus.

MCCLXXXVI. 1286

Hoc anno, qui eſt Regis *Edwardi* XIV. Rex *Franciæ Philippus*, filius Regis *Philippi*, qui nuper in *Aragonia* diem clauſit extremum, in Regem *Franciæ* co-ronatur, quo ſolemniter, ut decuit, coronato, ad Regem *Angliæ* nuncios de-ſtinavit ſolemnes, ut ad ipſum venire non tardaret, ad hoc maxime, ut diſ-cordiam inter *Francos*, *Aragones*, & *Hiſpanos*, temporibus patris ſui motam, a-liqua forma pacis terminaret, vel ſaltem in aliquo mitigaret. Erat utique hic *Philippus* filius ſororis *Petri* patris *Alfonſi* Regis *Aragonum*, tunc Regnantis, qui *Alienoram* Reginam *Angliæ* primogenitam ducere debuit in uxorem; pro his & aliis negotiis, hinc inde inter dictos Reges debito fine pertractandis, VIII. Kal. Julii mare ingreſſus eſt Dominus *Edwardus* Rex *Angliæ* cum Epiſco-porum, Comitum, Baronum, Procerumque aliorum multitudine copioſa, qui à Domino Rege *Franciæ*, & dicti Regni Proceribus honorifice eſt ſuſceptus, & uſque Sanctum *Germanum* prope *Pariſios* eſt adductus. Habitoque ad invicem colloquio, dicti Reges in ſumma pace ab invicem deceſſerunt, petitiſque pri-us quibuſdam Caſtris, terris, & redditibus per Regem *Angliæ* à Rege *Franciæ*, quæ quidem caſtra, terras, redditus Rex *Johannes* ſuo tempore perdiderat, ac etiam quædam Arreragia, quæ dicto Regi *Angliæ* jure hæreditario compete-bant de terra *Normanniæ*; quæ omnia Rex *Franciæ* libenter annuit, & ſigno ſuo Regio confirmavit. *Philipp. Gall. Rex coronatur.* *Edward. Galliam petit.*

Item Domino Rege in partibus tranſmarinis ſic agente, Dominus *Edmundus* Comes *Cornubiæ* totius Regni *Angliæ* tenuit gubernacula, Domino Rege ante egreſſum à Regno ſic volente.

Edwardus R. Item hoc anno *Alienora* illuſtris Regina *Angliæ*, mater Regis *Edwardi* apud *Alienora Monaſticam vitam amplectitur.* *Ambresbiriam*, die videlicet tranſlationis Beati *Thomæ* Martyris, *Cantuarienſis* Archiepiſcopi, habitum religionis diu deſideratum ſuſcepit, dote ſua in Regno *Angliæ* ſibi perpetuo poſſidenda, Domino Papa ita ordinante, & per literas Apoſtolicas ſibi dictam dotem confirmante.

MCCLXXXVII.

1287 *Honor. Pap. ob.* Hoc anno, pridie Non. Aprilis, in urbe *Roma* obiit *Honorius* Papa IV.

Edwardus R. Angl. Cruce ſignatur. Item Dominus *Edwardus* Rex *Angliæ*, apud Blankeforde, in Vaſconia, gravi deprimitur infirmitate, qui phyſicorum ſalubri conſilio in brevi ſanitatem eſt adeptus, & inde uſque *Burdigalam* ſe tranſtulit, & ibidem, cum multitudine virorum copioſa, cruce ſignatur à Legato Curiæ *Romanæ*, *ad hoc ſpecialiter à latere Domini Papæ deſtinato, & ab eodem Chriſtianorum exercitus factus eſt Capitaneus.

Rheſus Angliæ fines invad. Item *Rheſus* Meraduk congregata multitudine *Wallenſium* exercitum movit contra populum *Anglorum*, & terras *Angliæ*. *Wallenſibus* adjacentes in brachio extento invaſit atque prædavit, & ſtragem magnam in populum terræ fecit, & eo ferocius quia Dominum Regem agere noverat in remotis.

Edmundus Caſtr. Broſſar obſid. *Edmundus* vero Comes *Cornubiæ* in Regis abſentia cuſtos terræ deputatus, magno exercitu collecto verſus *Walliam* iter arripuit, volens ſed non valens vires tantæ multitudinis enervare, quia *Wallenſes*, vulpina doloſitate, in ſuis latibulis ſe receperunt, fraudes & dolos conſuetos aſſidue machinantes, Caſtrum igitur de Broſſar viriliter obſiderunt * dictas *Wallenſes* vias ſubterraneas doloſe ſub muris facientes, per quas vias quidam *Angliæ* Proceres minus caute gradientes, a muro miſerabiliter ſunt oppreſſi. Inter quos famoſus miles Dominus *Willielmus* de monte *Caneſi* oppreſſus ſuccubuit.

Epiſcop. Hereford. Romam petens obiit. Item Magiſter *Thomas* de *Cantolupo* Epiſcopo *Herefordenſi*, ad examen Archiepiſcopi ſuper quibuſdam articulis libertatem Eccleſiæ tangentibus evocatus, ad diverſa loca Provinciæ *Cantuarienſis*, ac ab eodem Archiepiſcopo & Clericis ejuſdem variis laboribus & expenſis minus juſte fatigatus, tandem poſt multas oppreſſiones ad Curiam *Romanam* appellavit, & ſuam appellationem propria perſona proſequutus eſt, qui ad partes veniens tranſmarinas obiit iſto anno; quod audientes Canonici *Herefordenſis* Eccleſiæ, petita tamen tam a Papa, quam a Domino Rege licentia eligendi, & obtenta, unanimiter elegerunt Magiſtrum *Richardum* de Swineſſend, virum utique ſolemnem Theologiæ Profeſſorem, qui a Domino Rege admiſſus a Domino *Cantuarienſi* Archiepiſcopo conſecratus eſt apud *Cantuariam*, cujus ope & induſtria, habito tunc cum Canonicis dictæ Eccleſiæ *Herefordenſis* conſilio, oſſa prædeceſſoris ſui ad Eccleſiam de Hereford antedictam ſolemniter ſunt allata, & ibidem cum maximo honore, ut decuit, tradita ſepulturæ; cujus oſſa dignatus eſt Deus glorioſis illuſtrare miraculis, ita quod infra breve temporis ſpatium centum ſexaginta certa miracula operata eſt propter eum prædeſtinatio mirifica ſalvatoris.

Carolus interceſſione Regis Edwardi liberatur. Item hoc anno pervenit rumor ad Dominum *Edwardum* Regem *Angliæ*, quod Princeps Salerniæ *Carolus* captus fuit & incarceratus in *Aragonia*, qui *Edwardus* ſtatim iter arripuit verſus partes illas, ut dictum *Carolum* cognatum ſuum de manibus inimicorum ſuorum liberari procuraret, quo ad *Biernam* civitatem, viz. *Oloronenſi*, perveniente, eidem cum ſummo honore obviam venit Rex *Aragonum*, qui ad invicem diligentem tractatum per plures dies habentes, ſuper liberationem *Caroli* antedicti, & tandem Domino Rege *Angliæ* inſtanter procurante, effuſa non modica ſumma pecuniæ, dictus *Carolus* a carcere extitit liberatus. Iſte *Carolus* fuit filius *Caroli* Regis *Siciliæ*, qui contra *Petrum Aragoniæ* in *Siciliam* exercitum duxit valde magnum, qui tandem captus, & in *Aragonia* carceri mancipatus; pro cujus detentione Rex *Aragoniæ* ſententia majoris excommunicationis innodatur, ſed in hoc colloquio Regum duorum, per Legatum ad hoc ſpecialiter deſtinatum, abſolutionis gratiam meruit obtinere.

Item

Item circa feſtum Sancti *Johannis Baptiſtæ* Comes *Atrebatenſis* miſſus per Regem *Franciæ* verſus *Siciliam*; cum exercitu militum & aliorum fortium copioſo, cum galeis & navibus *Siciliam* invadere nitebatur, ſed Domini Regis *Aragonum* ſatellites eiſdem *Francigenis* reſiſtentes in piratis & aliis belli machinamentis, pro majori parte dictam exercitus multitudinem ſubmerſerunt, quoſdam vero vivos hoſtiliter ceperunt, & in arctis carceribus recluſerunt. Rex *Siciliæ* ſupra dictus fuit filius, ſed Baſtardus, *Petri* quondam Regis *Aragonum*, frater *Alfonſi* in *Aragonia* tunc regnantis. *Edwardu R.*

Item Rex *Hungariæ* in tantam cordis cæcitatem decidit, ut fide Chriſtianorum relicta ſe ad errorem Gentilium cum quibuſdam ſuis complicibus ſe tranſferret, magis eligens Mahometo ſervire quam altiſſimo Jeſu Chriſto. Qui tanta calliditate ad ſui damnationem uſus eſt, ut fraudulenter convocatis terræ ſuæ potentioribus in quodam palatio ſuo, quaſi ad Parliamentum cum illis habendum, & ecce ex improviſo, ſicut ipſe Rex præordinaverat, ſupervenit *Miraldus Saracenorum* potentiſſimus cum xx. millibus fortium bellatorum, dictum Regem una cum omnibus Chriſtianis ibidem congregatis in vigilia Sancti *Johannis Baptiſtæ* hoſtiliter cepit & abduxit. Sed omnipotens Dominus qui ſuis in arcto poſitis neſcit abeſſe; captis ſic, & in comitiva Gentilium itinerantibus, ecce terræmotus factus eſt magnus circa horam diei octavam, & tenebræ factæ ſunt per univerſam terram illam, & tempeſtas grandiſona multa millia illius gentis incredulæ interfecit, & Chriſtiani ab omni plaga illæſi ad propria cum gaudio ſunt reverſi, ſolo Rege cum *Saracenis* gradiente. *Rex Hungariæ Mahometanam Religionem amplectitur.*

MCCLXXXVIII. 1288

Hoc anno xv. die menſis Februarii frater *Jeronimus* de ordine Fratrum Minorum, presbyter Cardinalis in ſummum Pontificem conſecratur, & vocatum eſt nomen ejus *Nicolaus* Papa IV. de quo quidam verſificator ſic ait *Nicolaus 4. Papa.*

Frater Jeronimus *mundo minor, eſt modo primus.*
Hic peritus fuerat in græca lingua pariter & latina.

Item in confinio *Coloniæ Agrippinæ*, Dux *Brabantiæ*, cujus filius, nomine *Johannes*, *Margaretam* filiam Regis *Angliæ* poſtmodum duxit in uxorem, de Comite *Geldriæ*, viro utique nobili, & in armis ſtrenuo, & dicti ducis adverſario capitali, fortiter triumphavit. In quo conflictu Archiepiſcopus *Coloniæ* fuit captus, & armatus carcerali cuſtodiæ mancipatus, inſuper multi milites famoſi *Teutonici* perierunt gladiis & ſuſtibus artificialiter præacutis. *Dux Brabantiæ de Comite Geldriæ triumphat.*

Item hoc anno obiit *Johannes* de Kirkeby Epiſcopus *Elienſis*. cui ſucceſſit Magiſter *Willielmus* de Lutha Clericus de Theſaurario Regis. *Ep. Elienſ. ob.*

Item hoc anno magna abundantia bladi, & maxime frumenti fuit in univerſa regione *Angliæ*, ita quod vix Quartarium frumenti vendebatur pro II. Sol. *Frum. abundantia.*

MCCLXXXIX. 1289

Hoc anno, pridie Nonas Auguſti, *Edwardus* Rex *Angliæ* de partibus rediit tranſmarinis, in quibus moram traxerat per annos III. menſes II. dies quindecim. Poſtmodum vero per terram *Angliæ* tranſitum faciens, quærens & inquirens diligenter, ſi quid ab aliquibus de ſuis diſtortum ſeu præſumtum fuerit in ſua abſentia, quibus in ſuo receſſu judiciariam totius Regni commiſerat poteſtatem, ad faciendum judicium, & juſtitiam in omnibus finibus terræ ſuæ, & ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis, ſic in ſuo reditu omnes reperit muneribus excæcatos, judicium & juſtitiam venundantes, imo verius ſubruentes, qui cito poſt Parliamento apud *Weſtmonaſterium* omnium Procerum convocato, omnes Juſtitiarios ab officiis ſuis amovit, ac animadverſione condigna ſecundum demerita corripuit & punivit. *Edward. in Angl. redit.*

Item *Carolus* princeps *Salernæ*, procurante cognato Domino Rege *Angliæ*, datis obſidibus, liberatur à cuſtodia carcerali in Regno *Aragonum*.

Item hoc anno menſe Septembri in terra ſancta contigit infortunium flebile, & piis auribus Chriſtianorum deteſtabile; Soldanus namque *Babiloniæ* *Soldan. Bab. Tripolin expugnat.*

Hh cum

Edwardus R. cum multitudine Paganorum famofam *Tripolis* invafit & obfedit civitatem, in ultionem Domini Papæ *Nicholai* IV. qui nuncios dicti Soldani ad Curiam *Romanam* deftinatos, pro treuga pacis XV. annorum inter Chriftianos & Paganos obtinenda, capitalem juffit fubire fententiam; quod cum audiffet dictus Soldanus, collecta pugnatorum acie, dictam *Tripolis* Civitatem hoftiliter oppugnavit & proh dolor! in brevi tempore fuæ ditioni fubjugavit, & folo tenus finaliter terræ complanavit, non fine maxima effufione fanguinis Chriftiani. Infuper in contemtum & vituperium nominis Jefu Chrifti, per vicos & plateas Civitatis deftructæ, ad caudas equorum, Sanctorum imagines diftrahi jufferat ac comburi.

MCCXC.

1290 Hoc anno, menfibus Maii & Julii, *Gilbertus* Comes *Gloverniæ Johannam* de Acon, & *Johannes* filius ducis *Brabantiæ Margaretam*, virgines illuftres, filias Regis *Angliæ*, in Ecclefia conventuali apud *Weftmonafterium* folemniter duxerunt in uxores.

Judæi ab Angl. pulfi. Item Judeorum exafperans multitudo, quæ per diverfas urbes & caftra regionis *Anglicanæ*, per retroacta tempora habitabat confidenter, procurante Domina *Alienora*, matre dicti Regis *Angliæ*, juffa eft per Edictum Regium cum bonis fuis mobilibus, una cum uxoribus & parvulis, fub pœna forisfacturæ omnium bonorum, quæ in Regno haberent, ab *Anglia* recedere æternaliter, circa Feftum omnium Sanctorum, nunquam ad dictam terram iterum reverfuri.

Item confimile Edictum Regium emanavit ad partes *Aquitaniæ*, de Judæis ibidem perpetuis temporibus relegandis.

Johan. Ferre. ob. Item IX. Kal. Aprilis obiit Domina *Johanna* Ferre, & XVII. Kal. ejufdem, quæ tunc dies Palmarum habebatur, in Ecclefia Beatæ *Mariæ* de *Waverleia*, coram altari Beatæ Virginis antedictæ, honeftæ traditur fepulturæ.

MCCXCI.

1291 *Edward Scotiæ Regn. fubjugat.* Hoc anno *Edwardus* Rex *Angliæ*, convocatis Regni Proceribus, & his qui confiliis fuis præfuerunt, dixit cogitationem in eo effe, Regem & Regnum *Scotiæ* fuæ fubdere ditioni, ficut nuper *Walliam* fuo fubjugavit imperio; exercitum movit in partes illas, ubi in brevi dictum Regnum *Scotiæ* eft adeptus.

Alienora ob. Item die nativitatis Sancti *Johannis* Baptiftæ, *Alienora* religiofa Regina, mater Regis *Angliæ*, diem claufit extremum. Et quia Rex filius tunc temporis in remotis agebat, infepulta permanfit ufque Nativitatem Beatæ virginis proxime fequentem, myrrha tamen & aromaticis pretiofis linita magnifice, ut decuit, & peruncta.

Alienora fepelitur. In fefto itaque Nativitatis Virginis gloriofæ antedicto veniente, Domino Rege apud *Ambresbiriam*, ubi corpus dictæ Reginæ adhuc jacuit inhumatum, confluxerunt ad eum Archiepifcopi, Epifcopi, Abbates, Priores, Comites, & Barones, & aliorum plurimorum, tam Prælatorum quam Religioforum diverfi ordinis infinita multitudo, dictum corpus in canticis & modulatione multifaria honorificæ tradiderunt fepulturæ, Domino *Johanne Cantuarienfi* Archiepifcopo exequias celebrante. Quibus omnibus rite peractis, & folemniter, unufquifque cum gaudio ad propria remeavit. Nec mora, confluunt undique Domini Regis miniftrales, ad confifcanda caftra, terras, & tenementa, ad dotem dictæ Reginæ pertinentia, quod cum ad audientiam dicti Domini Regis pervenit, ftrictiffime inhibuit, ne in aliquo de bonis fuis intromitterent, quoufque omnia debita, in quibus diverfis .... tenebatur, plenarie fierent perfoluta.

Sold. Babyloniæ Acon expugnat. Circa eadem tempora amaritudo lamentabilis omnes inebriavit Chriftiani nominis profeffores. Nam Soldanus *Babyloniæ* valido Paganorum exercitu congregato, *Acon* Civitatem munitiffimam, quæ juxta loca maritima fita fuit in confinio Terræ Sanctæ oppugnavit, obtinuit, & deftruxit. O lamentabilis dolor & amarus! gemitu *Jeremiæ* in Threnis deteftabilior. *Jeremias* namque veterem *Jerufalem* plangendo defcripfit, quæ tantummodo refugium erat Profelytis

ſelytis & Judæis. *Acon* autem præſidium fuerat ſingulare omnium nationum, Orthodoxæ fidei legibus ſubditorum, de longinquis venientium, ad ulciſcendam ſui injuriam Creatoris. *Edwardus R.*

Anno eodem, die Martis proxima poſt Feſtum Aſcenſionis Domini, *Florentius* Comes de Hoylonde, *Robertus* de Brus, *Johannes* de Bailol, *Johannes* pe Hasting, *Johannes* Comin, *Patricius* de Dumbar, *Johannes* de Wesci, *Nicolaus* de Selles, *Willielmus* de Ross, omnes illi ſingulare jus & hæreditarium in Regno *Scotiæ* vendicabant, & acclamabant. Juriſdictioni & ordinationi, ac etiam ſententiæ Domini *Edwardi* illuſtris Regis *Angliæ*, tanquam ſummi Domini præfati Regni *Scotiæ*, conſenſu unanimi, & concorditer ſe ſubmiſerunt, ſub hac forma. *Edwardus* Dei gratia Rex *Angliæ*, Dominus &c. *Dilectiſſimis ſibi in Chriſto Abbati & Conventui de* Waverleia *ſalutem. Mittimus vobis ſub ſigillo Scaccarii noſtri, præſentibus appenſo, tranſcripta quædam literarum, quæ in theſauraria noſtra reſident, tenorem qui ſequitur continentia.* "A toz iceus qui "ceſte littere verront ou orront, Florente Conte de Hollande, *Robertus* de "Brus Seinur de Waldanaunt, Johan Baillol Seinur de Galleweie, *Johannes* de "Hastinge, Seinur de Bergenny, *Johannes* Comin Seinur de Badenough, Pa- "trik de Dumbar Conte de la Marche, Johan de Wesci por ſon Pere, Nichole "de Seules, & *Willielmus* de Ros ſalut en Deu. Comme nos entendons aver "droit el Realme de Eſcoce, et tel droit muſtrer, Chalenger, et averrer devant "celui ki plus de poer * en a, et aver deit, de trier noſtre droit; et le noble "Prince Sire Edward, par la grace de Deu Rois de Angletere, nos a informe "par bone & ſuffiſante reſons ke à lui apent, & aver deit la Soveraine Seignurie "del avant dit realme de Eſcoce, & la coniſance de oir, trier, è terminer "noſtre droit, nos de noſtre pure volente, ſans nulle manere de force, ou de- "ſtreſce volons . . . .

FINIS.

ITINERARIUM
REGIS ANGLORUM
RICHARDI I,
Et aliorum in terram
HIEROSOLYMORUM.
AUCTORE
GAUFRIDO VINISAUF.

Prologus in Itinerarium peregrinantium in terram Sanctam tempore Salahadini, *& in geſta Regis* Angliæ Richardi, *& Regis* Franciæ, *& Imperatoris* Alemanniæ.

SOLET nonnunquam accidere, ut res quantumlibet notas, & eximie geſtas, tractu temporis vel fama languidior minuat, vel oblivio poſteritatis extinguat. Sic Regum quampluri-mum emarcuit gloria; & ipſis conſepultum evanuit, quod ab eis magnifice factum, & ſuis celebratum temporibus, novitas excepit in favorem, fama in præconium, populus in exemplum. Hoc *Graii* veteres divinitus attendentes ſcripti remedium objecere prudenter, & ſcriptores ſuos, quos dixere hiſtoriographos, ad conſcribendas rerum hiſtorias ſtudioſius exciverunt. Unde feliciter contigit ut vocis vivæ ſilentium, vox ſcripta ſuppleret, ne ipſis mortalibus eorum commorerentur virtutes. *Romani* vero, *Græcorum* æmuli, perpetuandæ virtutis obtentu, non ſolum ſtili aſſumpſerunt officium; ſed & ſtatuas adjecerunt: & ſic, tam veteres repræſentando, quam provocando poſteros, virtutis amorem, tum per oculos, tum per aures ad interiora multipliciter demiſſum, imitantium mentibus firmius impreſſerunt. Quis iter *Jaſonis*, labores *Herculis*, *Alexandri* gloriam, *Cæſaris* victorias noſſet, ſi ſcriptorum beneficia defuiſſent. Et ut Sanctorum Patrum utamur exemplis, nec *Job* patientia, nec *Abraham* liberalitas, nec *David* manſuetudo fidelibus poſteris ad exemplum viveret, ſi conſcia veritatis antiquitas legendam nobis hiſtoriam non reliquiſſet. Sane Reges antiqui, cum variis extollerentur præconiis, id vel maxime in votis habebant, [a] *ut in ore præſentium celebres*, ad poſteritatis notitiam devenirent. Cæterum, cum innumeri rerum geſtarum ſcriptores extiterint, plurimi quod audierunt, pauci quod vidêre ſcripſerunt. Quod ſi *Frigio Dareti* de *Pergamorum* everſione ideo potius creditur, quia quod alii retulere auditum, ille præſens conſpexit: nobis etiam [b] *& hiſtoriam* Hieroſolymitanam *tractantibus*, non indigne fides debetur: quia quod vidimus, teſtamur; & res geſtas, adhuc calente memoria, ſtilo duximus deſignandas. At ſi cultiorem dicendi formam delicioſus expoſcit auditor, noverit nos fuiſſe in caſtris cum ſcripſimus; & bellicos ſtrepitus tranquillæ meditationis otium non admiſiſſe. Ipſa ſibi veritas ad gratiam ſufficit; & licet pompoſo non expolita ornatu, quemcunque ſaltem ſecreti ſui alliciet auditorem.

Incipit itinerarium Regis Anglorum Richardi *in terram Sanctam à Magiſtro* Gaufrido Winiſauf *editum.*

Incipit Liber primus

CAP. I.

MCLXXX. 1180

ANno verbi incarnati, [c] *milleſimo centeſimo ſeptuageſimo ſeptimo*, Apoſtolicæ Sedis apicem obtinente *Urbano* tertio; imperante in *Alemannia Frederico*, apud *Conſtantinopolim Yſaakio*, *Philippo* Regnante in *Francia*, *Henrico* in *Anglia*,

a *Deeſt.* b *Deeſt.* c *Deeſt.*

in

Christianorum vitia.

in *Sicilia Willelmo*, aggravata eſt manus Domini ſuper populum ſuum; ſi tamen recte dixerimus ſuum, quem converſationis immunditia, vitæ turpitudo, vitiorum fœditas fecerant alienum. Jam enim eouſque flagitiorum conſuetudo proruperat, ut omnis, (abjecto erubeſcentiæ velo) palam & paſſim ad turpia declinarent. Cædes, rapinas, adulteria, longum eſſet evolvere, ac propoſito noſtro contrarium, qui res geſtas delibare decrevimus, non formare tractatum: Sed cum hoſtis ille antiquus corruptionis ſpiritum longe lateque diffudiſſet, ſpecialius tamen *Syriam* occupaverat, & unde regiones cæteræ ſuſceperant Religionis exordium, inde totius immunditiæ ſumebant exemplum. Hinc igitur Dominus terram nativitatis ſuæ, locum paſſionis ſuæ in abiſſum turpitudinis decidiſſe conſpiciens, hæreditatem ſuam ſprevit, & virgam furoris ſui *Salahadinum*, ad obſtinatæ gentis exterminium, debacchari permiſit: maluit enim Terram Sanctam, per aliquantum tempus prophanis gentilium ritibus ancillari, quam illos florere diutius, quos ab illicitis nullius honeſtatis compeſcebat reſpectus. Hanc futuræ demolitionis inſtantiam caſus præloquebantur diverſi: fames, terræ motus, frequens tam Lunæ quam Solis defectus. Sed & ventus ille validus, quem de planetarum concurſu proventurum Aſtronomici pronunciaverant, in hujus rei ſignificantiam commutatus migravit. Ventus vere [d] calidus; qui quatuor mundi cardines concuſſit, ac orbem totum in ſeditiones & prælia concitandum præmonſtravit.

Salahad. virga furoris Domini.

Portenta varia.

CAP. II.

Qualiter Salahadinus Palæſtinam *ingreditur.*

SAlahadinus igitur, contractis armatorum copiis, *Palæſtinam* violenter aggreſſus Admiralium *Edeſſæ Manafaradinum* cum ſeptem millibus *Turcorum*, qui terram ſacram depopularentur, præmiſit. Hic autem, cum in partes *Tiberiadis* proceſſiſſet, (caſus) ſibi obvios habuit Magiſtrum militiæ Templi *Gerardum* de [e] *Bideffordia*; & Magiſtrum hoſpitalis *Rogerum* de *Molendinis*, illum quidem fugatum; iſtum vero interfectum inopino Marte confecit. In quo conflictu, cum noſtrorum pauciſſimi ab immenſo concluderentur exercitu, inſigne quiddam & memoria dignum contigit: nam quidam Templarius, officio miles, natione [f] *Tutonius*, nomine *Jakelinus* de *Mailliaco*, quadam virtutis præeminentia in ſe omnium provocabat inſultus: cæteris autem commilitonibus ſuis, qui quingenti æſtimabantur, vel captis vel interfectis belli totius impetum ſolus ſuſtinuit: & pro lege Dei ſui athleta glorioſus effulſit. Hic hoſtium vallatus cuneis, & humano prorſus auxilio deſtitutus, cum tot millia hinc inde irruentia conſpiceret, collegit in vires animum; & unus contra omnes bellum animoſus ſuſcepit: virtus ejus ad gratiam hoſtium commendanda enituit [g] ut ei plerique compaſſi, ipſum ad deditionem affectuoſius hortarentur. Quorum monita diſſimulans, mori pro Chriſto non [h] timuit; ſed telis, lapidibus, lanceis, oppreſſus magis quam victus, vix tandem occumbens ad cœlos feliciter cum palma Martyrii triumphator migravit. Mors quidem mitior; & ad ſenſum dolor non venerat, cum unius viri gladius tantam circumjacentis turbæ ſtruxiſſet coronam. Dulce viro ſic occumbere, ubi victor ipſe in medio, & in circuitu impii, quos dextera victrice conſumſit. [i] (*Et quia in equo nitido & armis albicantibus tunc caſu pugnator inceſſerat, Gentiles qui Sanctum* Gregorium *in hujuſmodi habitu militare noverant, ſe militem nitentis armaturæ, Chriſtianorum propugnatorem, interfeciſſe jactabant.*) Erant in loco, ubi pugnabatur ſtipulæ, quas meſſor, poſt grana paulo ante decuſſa, reliquerat inconvulſas. *Turcorum* autem multitudo tanta irruerat, & vir unus contra tot acies tam diu conflixit, ut campus in quo ſtabant totus reſolueretur in pulverem, nec

Jakelini de Mailliaco virtus eximia.

d Validus. e Ridef. f Turonicus. g Et. h Abhorruit. i *Deeſt edit.*

ulla

ulla prorſus meſſis veſtigia comparerent. Fuere, ut dicebatur, nonnulli qui corpus viri jam exanimum pulvere ſuperjecto conſparſerunt; & ipſum pulverem ſuis imponentes verticibus, virtutem ex contactu hauſiſſe credebant. Quidam vero, ut fama ferebat, ardentius cæteris movebatur; & abſciſſis viri genitalibus, ea tanquam in uſum gignendi reſervari diſpoſuit, ut vel mortua membra, ſi fieri poſſet, virtutis tantæ ſuſcitarent hæredem.

CAP. III.

Quod genus vel quæ initia Salahadinus *haberet.*

HAc ergo ſuorum victoria *Saladinus* impendio hilaratus, animum occupandi Regni ambitione ſuccenſum, ad majora intendit. Verum ut tantus Chriſtiani nominis perſecutor cupidæ poſteritati, plenius innoteſcat; de principiis ejus aliquid, quantum brevitas captata permiſerit, præmittemus. Fuit itaque de genere *Mirmuraeni*, parentum non ingenuorum proles, nec tamen obſcuri ſanguinis humilitate plebeſcens. Pater ejus *Job*, ipſe [g] vero *Joſeph* nuncupatus. Nam juxta *Mahumeti* traditionem, hæc apud pleroſque gentilium viget obſervantia, ut cum charactere circumcifionis [h] & *Hebræorum* nomina circumcidendis imponant: Principes vero, ut nominibus ſuis ammoniti legis *Mahumeticæ* ſtudioſi defenſores exiſtant, ab ipſo legis vocabulo nomina ſortiuntur. Lex ſiquidem lingua Gentili, *Hadin* dicitur. Unde & *Saladin* dictus eſt, quod legis corrector interpretatur. Et ſicut Principes noſtri vel Imperatores dicuntur vel Reges, ſic apud illos qui præeminent Soldani, quaſi ſoli Dominantes nominantur. *Salahadinus* utique ſub Soldano *Damaſcenorum* [i] *Norahaldino*, hoc primum poteſtatis ſuæ auſpicium habuit, quod de puellis *Damaſci* quæſtuariis quæſtum ſibi colligebat infamem: eas enim aliter non licebat proſtitui, niſi ab ipſo primitus libidinis exercendæ copiam [k] pretio impetraſſent. Quicquid autem ejuſmodi lenocinio lucrabatur, in uſus hiſtrionum prodigus refundebat, ſicque largitionis obtentu, venalem vulgi gratiam totis deſideriis comparavit. Hic cujuſdam *Suriani* vaticinio in ſpem Regni adductus, ab illo futurum audierat, ut *Damaſci* & *Babylonis* ditione potiretur. Sic ergo aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit, & jam cœpit Regno majora ſperare, cujus ambitus anguſtæ poſſeſſionis limites non excedebat. Proceſſu temporis cum ætas robuſtior officium militare depoſceret, ad *Enfridum* de *Turone* illuſtrem *Palæſtinæ* principem, paludandus acceſſit; & *Francorum* ritu militiæ cingulum ab ipſo ſuſcepit.

Salahadini genus.

Nominis ipſius Etymon.

CAP. IV.

Qualiter Salahadinus *occupavit Regna* Ægypti & Damaſci, & Indiæ & *aliarum terrarum.*

EO tempore Gentilis quidam *Seuuarius* nomine, ſub [l] (*Molano*, quem patria lingua Dominum dicunt, univerſam procurabat *Ægyptum*) quem victorioſus *Jeroſolymorum* Rex *Amalricus* ad tributum coegerat annuatim ſolvendum. *Molanus* ſiquidem ter in anno tantum ſe viſibilem & adorandum exhibebat *Ægyptiis*, qui apud ſubditos credebatur tantus, ut ejus imperio *Nilus* effluere diceretur. Porro gentilitiæ Religionis ſtatuta obſervanter adimplens: dies anni concubinarum numero adæquabat: ſicque inter mulierculas conſe-

Molanus Amalrici tributarius.

g *Deeſt* h Etiam. i Norahadino. k *Deeſt.* l Calepho de Baldac Ægyptiorum tenebat imperium.

 neſcens,

Salahadin. Ægypto potitur. nescens, tractanda Regni negotia *Seuuario* committebat. Hos *Salahadinus* cum patruo suo *Saracuno*, tunc temporis apud *Ægyptios* militans, proditiose peremit incautos, & sic totius *Ægypti* obtinuit principatum. [m] Post multum vero non multo temporis interfluente tractu, *Norahadinus* diem clausit extremum; cujus uxorem *Salahadinus* matrimonio sibi copulans, cum ipsa Regni regimen fugatis hæredibus occupavit. *Norahadino defuncto, Salahadin. regnum invadit.* Hæc fortunæ ludentis potentia, has rerum vicissitudines voluit: quæ de paupere divitem, de humili sublimem, de servo suscitat dominantem. Quod si rerum pretia judicio, non opinione metimur, quantalibet terrenæ felicitatis potentia vilis æstimanda est, quam pessimi & indigni sæpius nanciscuntur. Leno ille, cujus Regnum in prostibulis, militia in tabernis, studium in aleis & alliis, subito sublimatur; sedet cum principibus, imo major principibus; & solium gloriæ tenens *Ægyptiis* imperat; *Damascenos* subdit; terram *Roasiæ* cum terra *Gesyræ* occupat; & ad intima citerioris *Indiæ* penetrat regnaturus. *Damascum &c. occupat.* Regna itaque circumjacentia nunc dolis nunc armis impugnans & expugnans, de sceptris pluribus monarchiam effecit, & tot Regum solus vendicat principatum. Nec [n] est contenta tyranni cupiditas, quo plura possidet, ad plura incenditur, & hæreditatem Domini totis viribus occupare conatur. Tempus autem votis accommodum nactus jam obtinere sperat, quod nunquam optare præsumserat. Nam propter Regnum diffidentibus *Tripolitano* comite *Raimundo*, & *Guidone Latinorum* Rege octavo, perniciosa seditio populum distrahebat.

CAP. V.

Cum quanto exercitu Salahadinus *exercitum Christianorum confecerit, & crucem Dominicam cum Rege* Guidone *& Acon ceperit, & terram promissionis sibi subegerit.*

HÆc igitur oportunitas cupientem animum acrius accendit, & tam [o] celebrem quam certum gerendi negotii pollicetur effectum. Cæterum, non sine causa [p] prorsus, à *Soldano* bellum indicitur: nam princeps Antiochiæ *Reginaldus*, fœdus induciale ruperat, quod nostri cum gentilibus hinc inde sanxerant observandum. *Reginaldus rupto turpiter fœdere Salahadin. irritat.* Quodam enim tempore, cum plurimus & opulentus Gentilium comitatus à *Damasco* in *Ægyptum* transiret, & præter limites terræ Christianorum, ob induciarum fiduciam, itinerare non formidarent, in eos subito Princeps prædictus irruit; & ipsos cum universis sarcinis, minus decenter, captivos abduxit. Soldanus igitur tum ambitione fervens, tum injuria sibi facta permotus, totius imperii sui excito robore, *Jerosolymorum* fines, tam potenter quam violenter invadit. Si numerus hominum, dissimilitudo gentium, ceremoniarum diversitas, prout lex historiæ postulat, plenius describerentur, tractatus diffusior brevitatis propositum conturbaret: *Parthi*, [q] *Bedeuvini*, & *Arabes*, *Medi*, *Cordini* & *Ægyptii*, sicut loco, ritu & nomine diversi; sic in excidium terræ sanctæ unanimiter omnes accensi. Nostris obviam procedentibus, cum jam dies funesta instaret, camerario Regis visio tremenda contigit: *Visio tremenda.* quod quædam aquila Christianum transvolaret exercitum, quæ septem missilia & balistam gestans in pedibus voce terribili personabat: *væ tibi Jerusalem.* Ad hujus visionis eliciendum mysterium, sufficere credimus quod scriptum legitur: *Tetendit Dominus arcum suum, & in eo paravit vasa mortis.* Quid autem septem missilia nisi septem criminalia typice indicant, quibus infelix exercitus erat in proximo periturus? Potest [r] tamen illius septenarii nomine, pœnarum quæ Christicolis imminebant universitas intelligi: [s] quod, post multum, fidelis nimium & dirus interpres verum de-

[m] Postmodum. [n] His [o] Celerem. [p] *Deest.* [q] Bedomi. [r] Etiam. [s] Sic.

claravit

claravit eventus. Conflictu nondum inito; cum non longe à *Tiberiade*, [t] [in loco qui *Marescallia* dicitur] hinc inde acies produxissent; conclusit Dominus in gladio populum suum, & hæreditatem suam, peccatis hominum exigentibus, in cædem tradidit & direptionem. Quid plura? nec tenor propositi, nec ipsa doloris immensitas ad singula threnos aptare indulget. Sed ut multa paucis claudantur, tot ibi cæsi, tot vulnerati, tot in vincula conjecti, [u] quot ad hostium miserationem gens nostra consumta deperiit. Illud vivificum salutiferæ Crucis Lignum, in quo Dominus ac Redemtor noster pependit; in cujus stipitem pius Christi sanguis defluxit; cujus signum adorant Angeli, venerantur homines, dæmones expavescunt; cujus præsidio nostri semper in bellicis extitere victores; heu nunc ab hoste capitur: & ipsius Crucis baiulatores duo, Episcopus *Aconensis*, & [x] [cantor Dominici sepulchri,] ille cæsus, iste captus, pariter cum ipsa succumbunt. Hanc [y] autem post *Cosdroen* Regem *Persarum* Crux sancta, propter scelera nostra, contumeliam pertulit: & quæ nos à veteri captivitatis jugo absolvit, propter nos captiva ducitur, & prophanis gentilium manibus contrectatur. Videat, si est intelligens, quæ sit ira Domini, imo quanta servorum iniquitas, cum ad Crucis custodiam Gentiles quam Christiani minus reputentur indigni. Nihil æque lugendum ætas antiqua protulit: quia nec arca Domini, nec Reges *Judæorum* captivati, nostri casum temporis æquiparare possunt, in quo gloriosæ Cruci, Rex ducitur concaptivus. De captivis autem, quorum multitudo non minus miranda quam miseranda extitit, pars pro victoris arbitrio reservatur illæsa; partem vero tam felici quam festivo compendio, ad cœlum gladius mactator transmisit. Inter cæteros princeps *Antiochiæ Reginaldus*. Soldani conspectibus præsentatur: cui tyrannus ipse, vel furorem suum secutus, vel viri tantæ excellentiæ differens, manu propria caput emeritum & longævum abscidit. Templarios quoque, quotquot erant, præter magistrum militiæ, decapitari [z] percipiens, ipsos [a] penitus exterminare [b] disposuit, quos in bello cæteris omnibus noverat prævalere. O Zelus fidei! O fervor animi! Quam plures assumta Templariorum tonsura, certatim ad carnifices confluunt; & sub [c] pio novæ professionis mendacio, lætam ferientium gladiis cervicem dependunt. Hos inter Christi milites, Templarius quidam nomine *Nicolaus*, ita cæteris subeundæ mortis amorem persuaserat, quod aliis prævenire certantibus, ipse martyrii gloriam vix primus obtinere poterat, quod tamen summopere affectabat. Nec defuit miraculosa divinæ miserationis potentia: nam per tres noctes proximas cum Sanctorum Martyrum corpora adhuc insepulta jacerent, cœlestis radius ignis desuper manifestus infulsit. *Salahadinus* itaque cum jam belli fremitus conquiesceret, & hinc captivos trahi, inde cæsos passim jacere conspiceret, erectis ad cœlum oculis de adeptione victoriæ grates Deo reddidit. Sic enim facere, in omnibus quæ accidebant, consuevit. At inter cætera hoc sæpius dixisse fertur: quod non sua potentia: sed iniquitas nostrorum peccatorum hanc illi victoriam contulit: & hoc ipsum non insolitus rerum comprobabat eventus. In congressibus aliis, nostrorum exercitus, quantumlibet modicus, divino semper [d] vincebat præsidio: nunc autem, quia nec nos cum Domino, nec nobiscum Dominus, gens nostra penitus ante conflictum succubuit, cum tamen milites plus quam mille, & pedites plus quam viginti millia censerentur: adeo sane totius Regni robur edicto Regio, ad bellum illud funestum conflixerat, ut illi tantum in castrorum & urbium residerent custodia, quos ætatis & sexus infirmitas armorum prorsus habebat immunes. Hoc bellum die translationis sancti *Martini*, fato infelici commissum, sub uno actu temporis, omnem Regni gloriam transtulit & extinguit. Soldanus ergo, munitiones terræ, cæsis defensoribus, faciles ad occupandum confisus, Regem captivum victor per *Syriæ* castra circumducit: ut in ludibrium reservandus, & capiendis ostendatur urbibus, & populum inci-

Christianus exercitus deletur.

Crux capta.

Rex captivus abducitur.

Reginaldus capite truncatur.

Salahadinus gratias agit Deo pro adepta victoria.

t *Deest.* u Quod. x Episcopus Sancti Georgii. y Alteram. z Præcipiens. a Stirpitus. b Statuit. c Ipso. d Prævaluerat.

Acon capta. tet ad deditionem. *Acon* itaque veniens ipſam primam & quamprimum abſque inſultu recipit, civibus ex condicto libertatem habentibus, ſe ac ſua quo mens duceret transferendi.

CAP. VI.

De captione Chriſtianorum apud Acon *incaute applicantium.*

INterea nautæ curſus ſolitos *Acon* dirigunt, qui ab orbe Chriſtiano profecti, alii merces, alii tranſvehunt peregrinos: & heu! rerum geſtarum inſcii, ad portum hoſtilem applicant captivandi. Caſus quidem miſerabilis: littus à longe conſpectum ſalutant, & vincula parantur egreſſis; naufragia evaſiſſe lætantur, & in gladios incidunt; pacem fatigati expectant, & inveniunt perſequentem, plerique reſervantur captivi, quam plures habentur ludibrio, pauci ſinuntur reverti, quos hoſtis ex induſtria nudos & inopes abire permittit, ut illorum exemplo exterreantur venturi.

CAP. VII.

Qualiter Marchiſus Conradus *captionem prædictam evaſerit & Tyrum petierit.*

INter cæteros *Marchiſus* à *Conſtantinopoli* veniens, extra portum *Acon*, Sole in occaſum vergente, velis dimiſſis ſubſiſtit. Urbis enim ſilentia ſuſpicionem inducunt, cum alias ſemper in adventum navium ad plauſum ſoleat concitari: vexilla Soldani per urbem [d] conſpecta, majorem timendi cauſam incutiunt. At cæteris diffidentibus, cum jam galeas Gentilium adventare cernerent, *Marchiſus* omnes ſilere imperat, & ſe omnium prolocutorem opponit. Miſſis [e] itaque quinam eſſent ſciſcitantibus, navem inſtitoriam eſſe aſſerit; & ſe Dominum navis, rei geſtæ non inſcium, ac Soldano devotum, die craſtina illucente ad urbem venturum cum mercibus, conſtanter promittit. Nocte ipſa vento favente, *Tyrum* ſecedens, ipſam defenſurus ſuſcipit: cujus adventus, & venturis Chriſticolis proceſſit ad commodum, & ipſi ceſſiſſet ad gloriam, ſi qualis cœperat perſtitiſſet. *Marchiſus* ille *Conradus* nomine, natione *Italus*, vir quidem ſingularis induſtriæ, & ad quævis aggredienda ſtrenuus: Sed quantumlibet inſigne principium, ſi turpi clauditur exitu, vituperium potius quam laudem meretur. Soldanus poſt *Acon* redditam, *Beritum* & *Sidonem* occupans, cum *Tyrum* eadem facilitate vendicare ſperaret, turpiter repulſus abſceſſit.

Marchiſus Tyrum feliciter ingreditur.

Beritus & Sidon expugnata.

CAP. VIII.

Salahadinus Beritho & Sidone *captis à* Tyro *fugatur, &* Aſcalonem *cepit falſa pactione ejus deceptam.*

EXinde Rege ſecum perducto, *Aſcalonem* pervenit, & erectis petrariis urbem impugnat: quam captu facilem, rarus & inermis defenſor efficit; licet loci munitio multiplex invincibile Robur prætendat. Urbem ſibi

d Suſpecta. *e* Namque.

reddi,

reddi, insatiabilis prædo, votis omnibus instat, prorsus ab expugnatione diffidens; rerum quidem inscius, & statum urbis in armis, viris, victualibus inopem & infirmum, ignorans. Paciscitur autem, & cives cum rebus suis libere discessuros; & Regem cum aliis xv. electoribus captivis, quam citius absolvendum. Die ipsa, qua pactio præscripta in urbis traditionem processit, Sol, quasi compatiens, beneficium luminis defectu ecliptico urbi & orbi subtraxit. Porro Tyrannus perjurus & perfidus, tenorem pacti ex parte transgreditur. Rex enim *Damascum* transmissus, ibidem, usque ad Maium sequentem, tenetur in vinculis; nec aliter potest captivus absolvi, nisi Regno primitus abjurato.

Ascalon deditione capta.

Ecilpsis solis.

Salahadini perfidia.

CAP. IX.

Jerusalem *capitur & ludibrio habetur, populus redemtus expellitur, non redemtus captivatur.*

FAtis itaque succensum urgentibus, *Jerosolymam*, victor tam festinus quam infestus aggreditur, urbem obsidet, machinas extruit, loca sacra sacrilegus irreverenter invadit. Erat crux quædam lapidea, quam olim milites nostri, cum hanc urbem post *Antiochiam* victoriose cepissent, in titulum facti, supra murum erexerant: hanc ictu phalaricæ, gens sæva diruit; & cum ipsa partem muri non parvam prosternit. Cives equidem, quas possunt, defensiones objiciunt: sed quicquid tentatur à nostris, effectu caret, profectum non invenit; arcus, balistæ, petrariæ inutiliter tractantur: sicque tam arma quam machinæ, iram Domini manifeste nunciant, & urbis excidium prælo-quuntur. Illuc undique quamplurimi è castris vicinis confluxerant, de loci potius sanctitate, quam de munitione confisi: sed in tanta hominum multitudine, bis septem milites vix poterant inveniri. Cæterum sacerdótes & clerici, quanquam professioni suæ indebitum, pro tempore tamen officium militandi assumunt: & pro domo Domini strenue dimicant: illud tenentes memoriter, quod vim vi repellere, omnes leges & omnia jura permittunt. Vulgus vero tam ignavum quam pavidum, ad Patriarcham & ad Reginam, qui tunc urbi præerant, frequenter [f] occurrit; flebiliter queritur, instanter supplicat, ut cum Soldano de urbe tradenda quam citius paciscantur. Verum flenda magis quam commendanda pactio intercedit: nam singuli capitis sui censum dependunt. Vir quidem bizantios decem, mulier quinque, infans unum: & quisquis ad solvendum non sufficit, tenetur captivus. Sic ergo contigit, ut, cum plerique, vel de rebus propriis vel aliunde vindicato subsidio, salutis suæ pensionem dedissent, reliquorum, qui sine redemtore superfuerant, xiv. millia jugum perpetuæ servitutis subirent. Illis autem qui libertatem emerant, hæc optio proposita fuit: ut vel *Antiochiam* pergerent; vel *Alexandriam* transfretandi gratia, dato conductu, migrarent. Dies illa, dies amara valde, [g] qua populus exul ab invicem discedit, in diversa iturus: urbemque tam sacram deserit: urbem, quæ Domina urbium, in servitutem redigitur; urbem, quæ filiorum Hæreditas, alienigenis subditur, à malitia habitantium in ea. Gloriosa civitas Dei *Jerusalem*, ubi Dominus passus, ubi sepultus,, ubi gloriam resurrectionis ostendit, hosti spurio subjicitur polluenda: nec est dolor sicut dolor iste, cum ii sepulchrum possideant, qui sepultum persequuntur; Crucem teneant, qui Crucifixum contemnunt. Hanc autem sacratissimam civitatem, circiter nonaginta & sex annos, gens nostra tenuerat, ex quo ipsam pariter cum *Antiochia*, victoriosa Christianorum recuperavit potentia, cum eam prius Gentiles per annos xl. possedissent. Urbe

Hierusalem obsidetur.

Hierusalem capta.

f Recurrit. *g* Quia.

reddita, præco legis *Mahumeticæ* [h] eminentem Calvariæ rupem conſcendit: & ibi lex ſpuria declamata perſonuit; ubi legem mortis Chriſtus in cruce conſumſit. Nefas aliud atrociſſimum hoſtes aggreſſi: Crucem quandam, quæ ſupra pinnaculum Eccleſiæ Hoſpitalarium poſita eminebat, alligatis funibus dejecerunt, & eam turpiter conſputam & cæſam, per urbis ſterquilinia improperium fidei noſtræ traxerunt.

CAP. X.

Qualiter Salahadinus *à terra & Mari* Tyrum *obſidet.*

SAne Regina Regis *Amalrici* filia, *Sibylla* nomine, una cum Patriarcha [i] *Eraclio*, cum Templariis, Hoſpitalariis, & immenſo coexulantium cœtu, verſus *Antiochiam* iter direxit. Quod autem apud *Neapolim*, cum Rege marito & captivo, colloquium triſte [k] habuit; quod navem, in quam tranfretare diſpoſuerat, *Marchiſus* violenter *Tyrum* [l] abduxit, brevitatis ſtudio ſuperſedemus. Illud quidem ſilentio ſupprimi omnino arbitramur indignum, quod *Saladinus* occupandæ urbis deſiderio fervidus, *Tyrum* rurſus totis viribus expugnare contendit: nec terreſtri obſidione contentus, urbem, qua mari cingitur, galeis obſidet, & undique molitur inſultum: nihil vero intentatum relinquens, patrem *Marchiſi*, quem in bello ſuperiore ceperat, ſub hac fiducia præſentat captivum, ut filius neceſſitudinis affectu permotus, patris concambio civitatem contradat. Nunc ergo reddendum offert, nunc perdendum minatur, varioſque tentat acceſſus. Sed in omnibus fallitur: nam *Marchio* flecti neſcius offerentem irridet, minantem contemnit: Quoties autem, provocandæ compaſſionis intuitu, illi pater in vinculis videndus oſtenditur, confeſtim baliſtam corripit, obliquos in patrem ictus deſignat; manum quidem aberrare volens, ſed ſimilis percuſſuro. Miſſis [m] enim Soldani, qui patris interitum crebrius minitantur, id ſe votis omnibus [n] expetere aſſerit: ut & maleficus ille poſt tot flagitia bonos tandem inveniat exitus; & ipſe patrem habere martyrem mereatur. Hac igitur tyrannus obtinendæ urbis deluſus fiducia, fortunam alio [o] tentat aditu; & quia nihil arte proficit, quid armis valeat experitur. *Tyrus* ſiquidem in corde maris ſita, undique ambitur mœnibus; & modica ſui parte, qua ponto non clauditur, muro munitur multiplici: quæ ſuis olim famoſa regibus, *Thebarum* & *Carthaginis* peperit [p] conditores. Hæc regnante in *Judæa Salomone* proprio Rege gaudebat; & quæ Regni ſui tunc caput extitit, tractu temporis Regno *Jeroſolymorum* in partem conceſſit. Hanc hoſtis cupidus, terra marique aggreditur; & introrſus fame afflictam, varia incurſione laceſſit. Craſtina Innocentum, feſto ſcill. glorioſi Martyris *Thomæ*, clebrem cives nanciſcuntur victoriam: nam illucente aurora, cum naviculis parvis & paucis egreſſi; obſidionem maris navali congreſſu diſſolvunt. Cæterum ad fugam potius quam ad bellum prodire videntur. Sed in primo impetu, tota hoſtium claſſis ita divina virtute ſuccumbit, quod pars in urbem cum remigibus ipſis abducitur: pars vero refuga, ultro arenis illiditur peritura. Gentiles viſo navali conflictu, urbem defenſoribus vacuam eſſe credunt, & eam de victoria certi, certatim impugnant. Jam Mœnibus applicantur acies, & ad conſcenſum feſtinant quamplurimi, cum *Marchio* portas pandi præcipit, quem *Hugo* de *Tiberiade*, cum fratribus ſuis & alio comitatu ſtrenuo exeuntem ſecuto, innumeros rara manu proſternit. *Salahadinus*, fata ſibi adverſantia conſpiciens, petrariis ſuis & galeis, quæ ſuperſtites fuerant, igne ad ipſius juſſionem conſumtis, recedit inglorius; & Matho-

Tyrus obſeſſa.

Tyrus obſidione ſolvitur.

h Eminentiorem. *i* Eradio. *k* Habuerit. *l* Abduxerit. *m* Etiam. *n* Expectare. *o* Pertentat. *p* Conditorem.

num

num execratur infenſus. [q] Poſt, circa principium Maii, Regem à vinculis liberat; & læſa pactione priori, novam & duram [r] [ut prædiximus abſolvendi legem] conditionem imponit. *Rex liberatur.*

CAP. XI.

Regis & Reginæ congreſſus.

EST inſula quæ *Arados* dicitur, cujus civitas *Anthorados*, vulgo *Tortoſa* nominatur: hic in occurſum Regis, Regina procedit; miſcentur oſcula, nectuntur amplexus, ſuas lætitia lachrymas elicit, & caſus, quos incidiſſe dolent, evaſiſſe lætantur. Rex ſiquidem per annum ſequentem nunc *Antiochiæ*, nunc apud *Tripolim* commoratur; & tranſmarinos Chriſticolas in terræ ſanctæ ſubventionem venturos expectat.

CAP. XII.

De pecunia Regis Henrici *apud Templarios quondam repoſita.*

SAne hoc inter cætera nullatenus ſilendum cenſemus, quod Rex *Anglorum Henricus* pecuniam multam apud Templarios & Hoſpitalarios [[s] dudum] congeſſerat: qua & *Tyrus* defenſa, & cætera negotia Regni utiliter expedita fierent. Hanc autem pecuniam Rex magnificus, pia & neceſſaria proviſione, in terræ ſubſidium, per multos annorum circulos *Jeroſolymam* tranſmiſerat: cujus ſumma, ut dicitur, in triginta millia marcarum excrevit.

CAP. XIII.

Salahadinus *à* Tyro *diſcedens oppida plurima tam in* Palæſtina *quam apud* Antiochiam *capit.*

SAlahadinus igitur *Tyro* diſcedens, cum caſtra *Palæſtinæ* quamplurima occupaſſet, in partes *Antiochiæ* feſtinus ſecedit; & impetu potius quam obſidione, *Gabelum*, *Laodiciam*, & quaſdam alias provinciæ munitiones expugnat. *Gabelus & Laodicia expugnantur.* Terror quidem ipſi urbi non parvus incutitur. Sed civium communi conſilio Patriarcha & [t] princeps deditionem tyranno promittunt, ſi citius infra datum terminum ſperati non venerunt adjutores. Mœror quidem inconſolabilis univerſos turbaſſet Chriſticolas, ſi urbs tam inclyta, quæ Chriſtiani nominis inventione lætatur; rurſum gentilibus ceſſiſſet immundis, quos longo & diro bellorum diſcrimine, noſtri dudum expulere victores. Cæterum nova defenſionis auxilia unde venient? vel quando venient? vel quomodo venient? terrâ non patet acceſſus; mare ab hoſtibus tenetur obſeſſum; Chriſtianorum naves à veniendo temperant, dum galeas Gentium, quæ ſedent in inſidiis, incidiſſe formidant. Verum perire non poteſt, quod Dominus ſalvare diſponit. Ecce, optati veniunt; expectati accedunt: nam egregius Rex *Siculorum Wilhelmus* primos terræ ſubſidiarios deſtinat, qui comites duos, milites quingentos, galeas L. tranſmittit.

q Poſtmodum. r *Deeſt.* s *Deeſt.* t Principes.

CAP.

CAP. XIV.

Willielmus *Rex* Siciliæ *mittit* Margaritum *cum* L. *Galeis & quingentis militibus in subventionem terræ Sanctæ.*

EJus ergo beneficium esse quis dubitat, quod *Antiochia* retenta, quod *Tripolis* defensa, quod *Tyrus* servata, qui harum urbium incolas à fame & gladio viribus suis securos conservat? *Margaritus* classi Regiæ regendæ præerat, vir admodum strenuus, qui cum galeis præcurrens, ausus piraticos reprimit, & prætemptata veniendi fiducia sequentes invitat. Hic, insulas procul positas premens imperio; & tot casus æquoreos fato felici expertus, victoriis multis obtinuit, ut Rex maris, & à nonnullis, alter diceretur *Neptunus*. Jam *Tripolis* navigantibus in prospectum occurrit: cives eminus vela conspiciunt: & cum nuncii salutis adveniant, sinistra prænunciat pessimus in dubiis augur timor: nec mora muros coronant, propugnacula conscendunt, incerti tamen an deditionem offerant, an pugnam pertentent. At cum propius in eminentiis puppium, vexilla crucis, & alia Christianæ religionis insignia conspicantur, clamor ingens tollitur, consalutantium voce resultant æquora: turbis occurrentium littus impletus; & ineffabile gaudium cunctos accendit. Inter alios [u] *Hervicus* de *Danziaco*, sed præ aliis fama factorum insignis, maturum terræ præsidium commodat: sicque in brevi,manu multa & valida confluente, nostrorum maritima illæsa servatur.

CAP. XV.

Eratum *oppidum à* Salahadino *capitur, &* Mons Regalis *post obsessionem annorum duorum ei redditur, pro liberatione* Remfridi *de* Turone *&* Girardi *magistri Templi.*

EST castrum quod [x] *Erathrum* dicunt, ubi civitas olim, *Petras* nomine, nunc vero metropolis, sed loci Antistes nomen antiquum retinet, & Archiepiscopus *Petracensis* appellatur. Castrum illud in sinu Regni penitiore consistens, per Admiralios Soldani [y] jamdudum tenebatur obsessum. Locus quidem, si sola recedat, expugnat quæ tuta, fames, ab omni securus insultu. Est & castrum, quod *Mons Regalis* dicitur, quod ab urbe jam dicta xx. leucarum interjectum distans, ulterius versus *Ægyptum* secedit. Huc & Admiralios suos, à principio rerum tyrannos transmiserat: ut diutina obsidione fames vinceret, quos loci munitio servabat invictos. Verum nec eriguntur machinæ, nec tentatur insultus: ridiculum enim esset os in cœlum ponere; & ibi expugnandi habere fiduciam, ubi [z] non impugnandi datur accessus. Cumque in duos annos fere pertraheretur obsidio, nostri egere cœperunt. Quicquid autem triste vel durum apud *Saguntum Hiberos*, apud *Perusium* pertulisse *Romanos*, testis narrat antiquitas, nostrorum constantia [a] sustinet, nec abhorret egestas edulium, quod usus & natura condemnant: suas insuper affectiones pietas abdicat; suas amor abjurat delicias: nam pater progeniem parvulam, filius parentes discrepitos, nuptam maritus proscribit; & ejecti cum lachrymis, hostibus exponuntur invalidi, ut alimentis residuis diutius militent pugnaturi. Tandem fame confecti & semianimes, honestæ tamen deditionis pactum ineunt: nam & sibi recessus liberos, & Domino suo [b] *Enfrido*

[u] Henricus. [x] Crachum. [y] Dudum. [z] Nec. [a] Sustinetur. [b] Gaufrido.

frido sc. de *Turone*, qui tenebatur captivus, liberationem acquirunt: pari fato magister militiæ Templi *Gerardus* de *Tidesfordia*, quarundam munitionum deditione absolvitur: sed & pater *Marchisi*, quodam Gentilium captivorum concambio liber abscedit. *Gaufridus de Turone & alii liberantur.*

CAP. XVI.

Salahadinus *legem* Mathomi *extollens à fatuo deluditur.*

S*Alahadinus* ita jam toto fere Regno potitus, cum cuncta sibi ad nutum succederent, elatione fastuosa lasciviens, legem *Mathomi* magnificentius extulit, & eam Religioni Christianæ præcellere, rerum gestarum probabat eventu. Cujus superbientis gloriam cum se victor coram Christicolis insolentius jactitaret, fatuus quidam propter dicacitatem ipsi non incognitus, Deo quidem inspirante, tali responso delusit: Deus fidelium pater, delinquentes Christicolas corripiendos & corrigendos judicans, te ministrum, ô Princeps, in hos usus assumsit: sic carnalis pater, ira nonnunquam accensus, baculum immundum è luto corripit, quo cum filios excedentes pulsaverit, eundem rursus in sterquilinium, unde assumtus erat demergit.

CAP. XVII.

Comes Richardus Pictaviensis *primo, deinde Rex* Anglorum Henricus & *Rex* Francorum Philippus.

T*Alia* dum apud *Palæstinam* aguntur, Archiepiscopus *Tyri* navi conscensa, tantæ cladis nuntium jam ad orbem Christianum detulerat: & terræ [c] jam modicæ vulnus, terris omnibus intulit læsionem. Fama rerum ad aures Principum allapsa decurrit; & universis fidelibus hæreditatem Christi Gentibus occupatam nuntians, quosdam ad lachrymas concitat, alios ad vindictam accendit. Primus omnium magnanimus *Pictaviæ* Comes *Richardus*, ad ulciscendam Crucis injuriam, cruce insignitur; & omnes præcedit facto, quos invitat exemplo. Pater ejus Rex *Anglorum Henricus*, jam vergebat in senium: ipse tamen & patris canitiem, & Regni jus sibi debitum & itineris tanti difficultates dissimulat; nec ullis occasionibus à cœpto declinat. Hanc viri constantiam Dominus remunerandam judicans, quem primum aliorum omnium incentorem elegit, eum cæteris Principibus vel defunctis, vel reversis, negotii sui executorem reservavit. Post aliquantum tempus, Rex *Francorum Philippus*, & Rex *Angliæ Henricus*, apud *Gizortium* crucizantur: quos utriusque Regni Principes, & innumeri tam ecclesiasticæ quam secularis militiæ viri, voto pariter & effectu sequuntur. In tantum vero novæ peregrinationis fervebat studium, ut jam non esset quæstio quis Crucem susciperet, sed quis nondum suscepisset. Plerique colum & pensa sibi mutuo transmittebant, innuentes occultius ut ad muliebres operas turpiter demigraret, quisquis hujus militiæ inveniretur immunis; ad tam insigne certamen & nuptæ viros, & matres incitabant filios: quibus dolor unicus erat propter sexus ignaviam conproficisci non posse. Hac militandi gloria vagante licentius, de claustris quam plures migrabant ad castra; & abjectis cucullis loricas induti, jam [d] vero Christi milites, non armariis, sed armis studere gaudebant. Ecclesiarum vero Prælati, invicem virtutum sobrietatem publice indicebant, exhor-

Richard. Angl. Reg. filius cruce signatur.

Henric. A. R. & Philip Fr. R. cruce signati.

c Tam. d Vere.

tantes attentius ut omnis & mensarum & vestium nitore postposito à luxu solito temperarent. Institutum etiam communi consilio tam Principum quam Præsulum fuit, quod ad sustentandos pauperes peregrinos, alii qui remanebant, rerum suarum decimas impenderent: sed malitiosa multorum cupiditas, hinc occasionem sumsit ut graves & indebitas exactiones in subditos exercerent. His diebus Rex *Siculorum Wilhelmus* in fata concessit: cujus obitus universo fideli populo tanto flebilior erat, quanto ipse ad subsidium terræ sanctæ proprior & pronior existebat.

Willielmus R. Sicil. obit.

CAP. VIII.

Imperator Romanorum *Crucem suscipit,*

DEcurso tempore, *Romanorum* Imperator *Fredericus* sacræ peregrinationis [e] assumit insignia, & veri formam peregrini, tam exteriore habitu, quam interiore depromit affectu. Vir tantus, cujus imperium hinc mare mediterraneum, hinc Borealis claudebat oceanus, cujus gloria continuis crevit victoriis, cujus [f] fidelitas non sensit offensam, omnem blandientis seculi postponit illecebram, & humilis pro Christo accingitur pugnaturus. Ejus strenuitas, præsertim in annis algentibus, non minus stupenda quam laudanda est: nam cum senior esset, & filios haberet, quibus & ætas & virtus ad militandum aptior videbatur; eos tamen tanquam insufficientes reputans, ipse Christianismi negotium procurandum suscepit: filiis autem instantibus, ut vel pro illo vel cum illo susceptæ militiæ munus implerent, illum qui major natu erat, regnantem reliquit; alium vero quem ducem Suavorum fecerat, secum assumpsit. Et quia imperialis majestas neminem citra [g] *defectionem impetit; sed* hostibus suis bellum semper indicit: destinatur ab Imperatore ad *Salahadinum* nuntius, ut vel Christianorum universitati, quam læsit, satisfaciat in plenum; vel diffiduciatus, se præparet ad congressum.

Epistola Frederici *ad* Salahadinum.

FRedericus *Dei gratia* Romanorum *Imperator semper* Augustus, *& hostium Imperii magnificus triumphator, totiusque Monarchiæ fortunatus moderator,* Salahadino *Præsidi Saracenorum quondam, viro illustri,* Jerusalem *fugere exemplo* Pharaonis. *Devotionis tuæ literas multis retro temporibus ad nos destinatas super arduis negotiis, tibi quidem si fides verbis suffuißet profuturis, prout majestatis nostræ decuit magnificentiam suscepimus, & Epistolarum nostrarum alloquiis magnitudini tuæ consulere dignum duximus. Nunc autem quia terram sanctam prophanasti cui æterni Regis imperamus Imperio, in præside judex* Samariæ Palestinorum *in tanti sceleris præsumtuosam & plectibilem audaciam debita animadversione decernere Imperialis solicitudo officii nos admonet. Quamobrem nisi occupatam terram ante omnia restituas, adjuncta satisfactione sacris constitutionibus pro tam nefariis excessibus taxata, ne minimum videamur & legitime gerere bellum, à capite Kalendarum Novembris evoluto anni spatio terminum præstituimus, ad experiendam belli fortunam in Campothaneos in virtute vivificæ crucis & in nomine veri* Joseph. *Vix enim credere possumus hoc te latere quod ex scripturis veterum, & ex historiis antiquis nostri temporis & futuri novitatem redolet. Nunquid scire dissimulas? ambas* Æthiopias, Mauritaniam, Persiam, Scythiam, Parthiam *ubi* Marci Crassi *nostri ductoris fata sunt præmaturata,* Judæam, Samariam, Maritimam, Arabiam, Chaldæam: *ipsam quoque* Ægyptum *ubi proh dolor civis* Romanus Antonius *vir insigni virtute præditus, citra nitorem temperantiæ, & secus quam decebat militem à tanto culmine rerum emissum, minus sobriis* Cleopatræ *inserviebat amoribus. Nunquid etiam scire dissimu-*

e Assumpsit. f Felicitas. g Diffidutiationem subito impetens host.

las

las Armeniam, & *alias innumerabiles terras nostræ ditioni subjectas? norunt hoc Reges quorum cruore gladii* Romani *crebrius sunt inebriati, & tu quidem in ipsa rerum experientia Deo auctore intelliges, quid possent nostræ victrices Aquilæ, quid cohortes diversarum nationum, quid furor* Teutonicus *est in pace arma capessens, quid caput indomitum* Rheni *quid juventus* Histri, *quæ fugam nunquam novit, quid procerus* Boywarus, *quid* Swenus *astutus, quid* Franconia *circumspecta, quid in gladio ludens* Saxonia, *quid* Thuringia, *quid* Westpharia, *quid agilis* Brabantia, *quid nescia pacis* Lotharingia, *quid inquieta* Burgundia, *quid* Alpini *salaces, quid* Frisonia *in amento prævalens, quid* Boemia *ultro mori gaudens; quid* Bolonia *suis feris ferior, quid* Austria, *quid* Byria, *quid* Ruwennia, *quid* Histria, *quid* Rocumphia, *quid partes* Illiricæ, *quid* Lumbardia, *quid* Tuscia, *quid aconitania* Marcia, *quid* Venetus *spreta, quid* Pisanus *nauclerus, denique quid dextra nostra, quam senio argutis affectam, gladium vibrare didicerint dies illa plena reverentiæ & jocunditatis triumpho Christi præfixa te docebit.*

Epistolam [h] *vero* Soldani responsoriam libello nostro inferendam duximus. Nam superba Tyranni fiducia, quam ad resistendum conceperat, ex ipsius tenore clarescit. Eam quidem in ipsa simplicitate verborum in qua conscripta fuerat, recitando proponimus, nihil penitus immutantes.

Illi Regi *sincero amico, magno; excelso* Frederico *Regi* Alemanniæ: *In nomine Dei miserentis: per gratiam Dei unius, potentis, exuperantis, victoris, perennis; cujus Regni non est finis. Grates ei agimus perennes, cujus gratia est super totum mundum: deprecamur eum ut infundat orationem suam super prophetas suos; & maxime super instructorem nostrum nuntium suum* Mahumeth *Prophetam, quem misit pro correctione rectæ legis; quam* [i] *faciet apparere super cunctas leges. Attamen notum facimus Regi sincero, potenti, magno amico amicabili, Regi* Alemanniæ, *quod quidam homo* Henricus *nomine, venit ad nos, dicens se nuntium vestrum esse; & detulit nobis quandam chartam, quam dixit esse vestram. Nos legi fecimus chartam; & audivimus eum viva voce loquentem, & verbis quæ ore dixit, verbis respondimus. Sed hoc est responsum chartæ. Quod si computatis eos qui vobiscum concordant veniendi super nos, & nominatis eos, & dicitis: Rex talis terræ, & Rex alterius terræ; & Comes talis, & Comes talis; & tales Archiepiscopi, & Marchiones & milites. At si nos vellemus enuntiare eos qui sunt in nostro servitio; & qui sunt intendentes nostro præcepto, & promti nostro* [k] *sermoni; & qui dimicarent coram nostris manibus, non posset hoc in scriptis redigi. Et si Christianorum computatis nomina,* Saracenorum *sunt plura, & plura, abundantius quam Christianorum. Et si inter nos & eos quos nominastis Christianos mare est, inter* Saracenos, *qui non possunt æstimari, non est mare inter eos & nos; nec ullum impedimentum veniendi ad nos. Et nobiscum habentur* Bedewini, *quos si* [l] *opponeremus inimicis nostris,* [m] *[sufficerent; &* Turkemanni, *quos si effunderemus super hostes nostros] destruerent eos; & rustici nostri qui dimicarent strenue contra gentes, si juberemus, quæ venturæ sunt super terram nostram, & ditarentur de eis, & exterminarent eas.* [n] *At quomodo? nos habemus nobiscum Soldarios bellicosos, per quos terram apertam habemus, & acquisitam, & expugnatos inimicos. Et hi & omnes Reges Paganismi non tardabunt cum eos* [o] *submoverimus;* [p] *[nec morabuntur cum eos vocaverimus.] Et vos, cum congregati fueritis, sicut charta vestra dicit; & ducetis, sicut nuntius vester narrat, obviabimus vobis per potentiam Dei, Nec sufficit nobis terra ista quæ est in maritima; sed transibimus per voluntatem Dei, & obtinebimus terras vestras universas, fortitudine Dei. Nam si veneritis, cum toto posse vestro venietis; & præsentes eritis cum omni gente vestra: & scimus, quod in terra vestra nullus remanebit qui se defendere possit, nec terram tueri. Et quando Dominus victoriam nobis, sua fortitudine, de vobis donaverit, nihil amplius erit, quam ut terras vestras libere capiamus, fortitudine sua & voluntate. Adunatio enim legis Christianorum bis venit super nos in* Babylone: *una vice apud* Damiatam, *& altera apud* Alexandriam, *& erat* [q] in *maritima terræ* Jerusalem, [r] & *in manu Christianorum, & in terra* Damasci, *& in terra* Saracenorum: *in singulis castellis, singuli erant*

h Deest. i Faciat. *k* Servitio. *l* Effunderemus super hostes nostros. *m Deest.* *n* Et. *o* Submonuerimus. *p Deest.* *q Deest.* *r Deest.*

Domini sibi proficientes. Nostis qualiter Christiani, utraque vice redierunt, & ad qualem exitum venerunt. At hæ nostræ gentes refertæ sunt cum regionibus suis: & Dominus adunavit nobis Regiones affluentius, & coadunavit eas longe lateque in potestate nostra: & Babyloniam, *cum pertinentiis suis: & terram* Damasci, *& maritimam* Jerusalem [f] [*& terram* Gesire, *& castella sua*] *& terram* Roasiæ *cum pertinentiis suis: & regionem* Indiæ *cum pertinentiis suis: & per gratiam Dei, hoc totum in manibus nostris est: & residuum regum* Saracenorum, *nostro est imperio. Nam si mandaremus excellentissimis Regibus* Saracenorum, *non retraherent se à nobis. Et si submoneremus* Calephum *de* Baldac, *quem Deus salvet, veniendi ad nos, de sede excelsi imperii sui aßurgeret: & veniret in auxilium excellentiæ nostræ. Et nos obtinuimus, per virtutem Dei & potentiam, &* Jerusalem, *& terram ejus: & remanent in manibus Christianorum tres civitates* Tyrus, Tripolis *&* Antiochia; *& de his non est aliud nisi ut occupentur. Attamen si bellum vultis, & si Deus voluerit, ut sit per voluntatem suam, quod totam terram Christianorum acquiramus, obviabimus per virtutem Dei, sicut scriptum est in literis nostris. Verum si nos de bono pacis requisieritis, mandabitis procuratoribus istorum trium locorum prædictorum, ut nobis ea sine contradictione assignent: & vobis sanctam crucem reddemus; & liberabimus omnes captivos Christianos, qui sunt in tota terra nostra; & habebimus vobiscum pacem, & permittemus vobis ad sepulchrum unum sacerdotem; & reddemus Abbatias, quæ solebant eße in tempore Paganismi, & bonum eis faciemus; & permittemus venire peregrinos, in tota vita nostra, & habebimus vobiscum pacem. Quod si charta quæ ad nos venit per manum* Henrici *nominati sit charta Regis, scripsimus chartam istam pro responso, & Deus erigat nos ad consilium sua voluntate. Charta hæc scripta fuit anno adventus Prophetæ nostri* Mahumeth DLXXXIV. *gratia Dei solius. Et Deus salvet Prophetam nostrum* Mahumeth, *& suam progeniem: & salvet salvationem Salvatoris Domini excelsi Regis victoriosi, adunatoris veridici verbi, comptoris vexilli veritatis, correctoris orbis & legis, Soldani* Saracenorum & Paganorum, *servitoris duarum sanctarum domorum, & sanctæ domus* Jerusalem, *patris victorum,* Joseph *filii* Job, *suscitatoris progeniei* Murmuraeni.

CAP. XIX.

Quantum Imperator Fredericus *congregavit per* Ungariam *exercitum.*

HAnc superbi & infidelis tyranni Epistolam, cum nugis suis, magnificus imperator contemnens dignas principe iras concipit, & ad bella totis [t] viribus exardescit. [u] Eum totius imperii sequuntur magnates; & apud *Maguntiam,* ubi ex edicto imperiali convenerant, una omnes & unanimiter omnes in votum tam eximiæ Peregrinationis proclamant: A Domino factum est illud, qui spirat ubi vult; & corda [x] omnium inclinat quo vult: nam Principes tanti non inanis gloriæ appetitu illecti, nec inducti pretio, nec precibus exciti; sed solo supernæ retributionis desiderio, per Dominum, & propter Dominum ad militiam accinguntur. Providerat namque [z] *quidem* cœlestis altitudo consilii, ut & ipsi sponte vocati, obsequium Deo gratum dependerent; & imperialis magnificentia comitatus condignos haberet. Sic ergo incentore spiritu, undique confluunt: & qui tot gentes, tot principes sub uno imperante conspiceret, antiquam *Romanæ* potestatis gloriam non crederet defluxisse. In hoc Christi exercitu, erant Pontifices, Duces, Comites, Marchiones, & Principes alii quam plurimi: quos si nominibus & locis distingueremus, incurreret pariter & scriptor molestiam, & lector tædium, & tenor brevitatis offensam. Decretum sane prudenti fuit consilio, quod hoc iter nullus arriperet, cujus facultas ad [a] viatici annui non sufficiebat impensas. Vehicula vero quam plura, propter itinerarios ægrotantes constructa fuerant:

f Deest. *t* Affectibus. *u* Quem. *x* Hominum. *z Deest.* *a* Sumptum annuum insufficiens videretur.

ne

ne vel ſano infirmus moras necteret, vel languentium turba obiter deſtituta periret. Dudum quidem in diſcuſſionem venerat; an mari an terra potius tanta belli moles incederet Sed quantalibet navium multitudo tot millibus tranſvehendis minus ſufficere videbatur. Imperator itaque opus propoſitum inſtanter accelerans, per *Vngariam* iter inſtituit; Et qui Regum ultimus peregrinandi votum emiſerat, primus ad ſolvendum feſtinat. *Fredericus iter primus inſtituit.*

CAP. XX.

Bela *Rex* Ungarorum *Imperatorem hoſpitaliter excipit.*

REx *Vngarorum, Bela* nomine, [b] [in occurſum Cæſaris lætus procedit: vir quidem multiplici naturæ dote conditus] ſtatura [c] productior, vultu inſignis, cujus perfectio à cumulo incipit, cujus præconium ad ſumma progreditur, cui & ſi cætera non ſuppeterent, ſola imperioſi vultus elegantia Regno digniſſimo cenſeretur. Hic exercitum Chriſti hoſpitaliter recipit, ovanter occurrit, benigne proſequitur; & operum exhibitione, devotionis fervorem teſtatur. Indigenæ vero quam plurimi, eximio calentes exemplo, vident aciem ſanctam, & commilitare geſtiunt; attendunt certantium præmia, & labores non metuunt; ſimulque & volunt, & vovent, & ſequuntur, ut jam liquide conſtet, quod tarda molimina ſpiritus ſancti gratia non novit. Danubio tranſito, cum ad ulteriores *Bulgariæ* fauces deventum eſſet, [d] *Huini*, & *Alani*, *Bulgares* & *Pincenates* in populum Domini ſubito ex inſidiis irruunt, quos ad facinus inacceſſibilis locorum aſperitas [e] *fidentius* incitabat.

CAP. XXI.

Danubio *tranſito* Fredericus Hunnos & Alanos & *alios adverſarios ſibi reperit.*

EGreſſus ille à *Bulgaria* in *Macedoniam*, eminentibus hinc inde armatur ſcopulis, dumoſis obſtruitur ſentibus, anguſtis & anfractuoſis ſemitis implicatur: ſed & quibuſdam artificiis, nativa munitio major conſurgit. Has locorum anguſtias præmemoratæ gentes occupaverant, quas nequiſſimus *Conſtantinopolis* imperator *Iſaakius* ad [f] hæc præmiſerat, ut venturum exercitum vel opprimerent vel impedirent. Utramque tamen, & hoſtium & viarum moleſtiam milites noſtri potenter exſuperant: ſicque tranſcurſis *Macedonum* campis, *Philippopolim* perveniunt; quæ civitas, cum ante *Pulpudeba* diceretur, de nomine *Romani* Imperatoris *Philippi* nomen [g] inſumpſit; qui primus omnium imperatorum Chriſtianus effectus, imperialem gloriam Chriſtianæ profeſſionis titulo inſignivit. Hanc urbem audito *Latinorum* adventu, *Græci* deſeruerant, trepidantes ubi non erat timor: quibus hæc una timoris cauſa extitit, quos non amabant, timebant: non enim aliena rapere venerant, qui propriis abundabant; nec arma ſumſerant adverſus fideles, qui gentis incredulæ perſequebantur errores. Antiquum illud & inexorabile odium, quod contra *Latinos Grai* dudum conceperant, tenax ſucceſſio temporum transfundit in poſteros. Sed ſi odiorum fomes & ratio quæritur: non eſſet vitium, ſi non ratione careret. Hoc tamen pro cauſa conſtanter inducere poſſumus, quod cum *Latini* ſcientia pariter & armis floreant, illi ſe prorſus inſcios & imbelles conſpiciunt; & hinc odii ſumpto fomite, alienis bonis invidi contabeſcunt. Gens perfida, generatio nequam, & omnino degenerans: quæ quanto *Iſaacii perfidia in cruce ſignatos.*

b Deeſt. *c* Eminens. *d* Huni. *e Deeſt.* *f* Hoc. *g* Aſſumpſit.

 illuſtrior

illuftrior extitit, tanto vilefcit infignius, cum aurum in fcoriam tranfierit, granum in paleas, puritas in fæcem, gloria in confufionem. Multa *Grai* veteres & armis aggreffi, & ftudiis funt affecuti: fed omnis ille virtutum fervor [h] reftrixit in pofteris, & in orbem *Latinum* migravit: ut qui ante fontes, nunc rivuli, vel potius alvei arentes & exhaufti. Virtutum fiquidem fucceffor nullus, fcelerum omnes: *Sinonis* figmenta, *Vlixis* fallaciam, *Atrei* atrocitatem retinent. Quod fi *Græci* militia quæritur; arte, non armis dimicant: fi fides; amicus obeft, inimicus obeffe non poteft. Gens ifta, cum in locis fupradictis noftrorum tranfitum impedire non poteft, quod potuit fecit. [i] [Indigenæ cuncti], ad montana contendunt, venalium folatia fubtrahunt; lares vacuos, omni amota fupellectile, venturis relinquunt. Imperator quidem Epifcopum *Monafterienfem*, cum aliis quibufdam Principibus, fub obtentu pacis *Conftantinopolim* [k] jam ante tranfmiferat; quos nequiffimus & [l] crudelis tyrannus retrufit in carcerem; nec pacem legati violare abhorruit, quam [m] & apud Barbaros fancit antiquitas, confuetudo approbat, honeftas commendat. Poftmodum vero, metu potius quam juris [n] intuitu ductus, legatos ligatos abfolvit: nam urbis Regiæ timebat excidium, fi noftrorum citius non [o] placaffet offenfam. Dignum fane quod urbs illa folotenus everfa procumberet: nam, fi famæ creditur, novis polluebatur *mahumeriis*, quos perfidus imperator indulferat fieri, ut fœdus quod *Turcorum* conjuratus inierat, obligativus confirmaret. Jam æftas decoctior in autumnum inclinata vergebat; & Libræ fignum quadam æqualitate temporum, diem noctemque librabat. Imperator *Romanorum* magnificus, hyemandi gratia *Adrianopolim* tendit; quam vacuam, & ab incolis defertam ingreffus, ibidem [p] ftativam faciens, aptum movendi caftra tempus expectat.

Ifaacius Legatos Frederici incarcerat.

CAP. XXII.

De hiematione Frederici *Imperatoris in* Græcia, *& pacem inter eum &* Yfaakarium *Imperatorem, & de fubdola ad eum legatione Soldani* Yconii, *& tranfitu ejus per brachium fancti* Georgii.

DUx *Suaviæ*, filius Imperatoris, timens ne otia luxum, luxus ignaviam pareret, fub ipfo [q] torpore hyberno exercitum exercendum ftatuit; & caftrum quoddam, quod non longe ab urbe prædicta diftabat, expugnare contendit. Illuc *Græci* confluxerant, ut inde fi quas poffent *Latinis* molirentur infidias, loci munitione confifi, fed confufi: nam celeri victoria domiti, victi, vincti & capti tenentur. His auditis, *Bizantinus* princeps, animo pejora veretur; & totius imperii timens excidium, feftinos ad imperatorem nuntios deftinat: qui pacis obfides, forum venalium, naves tranfvectorias tranfituris promittant. Imperator, licet fuorum plurimi pacem quamcunque cum Tyranno pacifci moleftum haberent, maluit tamen fœdus inire oblatum, quam differre propofitum. Et jam inftante Pafcha, mare illud ftrictum tranfvehit, quod *Brachium Sancti Georgii* ufitato vocabulo nuncupatur. Hoc mare, licet fpatio anguftiore contractum, non humili tamen gloria infignitur, quod urbem tantam præterfluit; & orbis gemini difcrimen faciens, tam [r] aciem quam Europam delambit. Soldanus *Iconii*, vir fubdolus, & fanguinem Chriftianum fitiens, quodam fraudis prætextu, cum noftris amicitiam fimulat: ut malignum animi virus occultans, eos, fi poffit, incautos difperdat. Nuntiis fane ad *Cæfarem*, cum adhuc in *Græcia* degeret, non femel tranfmiffis, morantem follicitaverat ut veniret: *Græcos* & *Græcorum* principem de dolo accufans: fe Chriftianis devotum & fidelem pollicitus, qui fua & fuos venturis expone-

Pax inter Frederic. & Ifaacium.

Soldanus Iconii Chriftianis infidias ftruit.

h Refrixit. *i* Deeft. *k* Præmiferat. *l* Incredulus. *m* Etiam. *n* Affectu. *o* Placaret. *p* Stationem. *q* Tempore. *r* Afiam.

ret;

ret; & tam forum venalium, quam inoffenſos tranſitus, omnibus exhiberet. *Cæſar* vero plus æquo credulus, qui tales æſtimabat alios qualem ſe ipſe noverat, univerſis comminando edixit, ne fines *Turcorum* ingreſſi, quicquam raperent; ſed pacem quam pacti erant, ſtudioſius obſervarent. [f] Sic ergo contigit ut prædam maximam, quam in ipſis Regni januis Soldanus ex induſtria demiſerat, noſtri prætermeantes relinquerent omnino intactam. Heu mens hominum venturi neſcia! nam ſi famem futuram, iter aſperum, tyranni prænoſſent inſidias, caſus quidem obtulerat unde ſibi providiſſe poterant, quibus tantum & tam proximum imminebat diſcrimen. Cæterum, non uſque adeo verbis infidi Principis gens noſtra fidem habuit, ut ex nimiæ ſecuritatis neglectu diſſoluta incederet & inermis.

Parthiam igitur ingreſſuri arma omnes arripiunt, quorum numerus tria militum millia; reliquorum vero circiter octoginta millia continebat. Erant autem Antiſtites ſeptem, Archipræſul unus, Duces duo, Comites XIX. tres vero Marchiones: & hæc acies tam inſignis, nec primam ſimilem viſa eſt, nec habere ſequentem. At ne molem tantam confuſi ordinis turbaret ſeditio, in partem trinam, totus ſeceſſit exercitus; prima Duci *Suaviæ*, poſtrema Imperatori, media ſummariis, & ſarcinarum cuſtodiæ deputata. Procedit acies ad delicias intuentium prudenter digeſta: nam nec ſimul, nec ſparſim; ſed per turmas incedunt; & cum plures ſint qui partibus imperent, unus tamen univerſitatem moderatur. Hoc in caſtris optimum, in bellis præcipuum: ſicut enim ſine duce perit exercitus, ubi nullus præeminet; ſic plerunque inefficax eſt, ubi multi præſunt, qui de pari contendunt. Felix imperium! felix Germaniæ ſinus! quæ tanto germine, tot fœcunda populis, tot Chriſto ſtrenuos peperit bellatores; ſibi ad gloriam, hoſtibus ad ruinam.

Chriſtian. exercitus in tres partes dividitur.

CAP. XXIII.

De incommodis quæ pertulerunt Chriſtiani per Soldanum, & quo modo pervenerunt ad Iconium.

NOſtri cum jam *Turcorum* fines ingreſſi eſſent, per dies aliquot nihil infeſtum ſentiunt: quos Soldanus ex induſtria uſque ad interiora Regni inoffenſos tranſire voluit, donec ciborum defectus, & occurrens viarum aſperitas, aptiorem nocendi copiam commodarent. Nefarius ille proditor prærupta montium, dumoſa nemorum, fluminum invia occupaverat; & fœdus quod pepigit [t] affectuoſius ſervans, ſagittas & ſaxa tranſituris opponit. Hoc forum venalium, hi meatus pacifici; ſic fides habenda Gentilibus, qui ſemper in hoſte virtutem & dolum æqualiter metiuntur. Porro, marte propinquo congredi, & manum conferre ſummopere vitant; & eminus tela conjiciunt: quibus non minor gloria fugere, quam fugare. Utramque vero extremitatem agminis, nunc poſtremos, nunc primos acrius impetunt: ut ſi qua forte locorum anguſtia diſjungat exercitum, in partem alterutram faciant irruptionem. Noctes & inſomnes & irrequietæ ducuntur: nam terrificus clamor caſtra circumſonat. Miſſilium imber transfigit tentoria; plerique interimuntur ſopiti: & hoſtis tam aſſiduus imminet, quod per ſex hebdomadas in armis cibum, in armis ſomnum rapientes, loricas non tollunt. Fames inſuper tanta, & ſitis tam aſpera invaleſcit: quod equis caſu belli occiſis, hoc in ſolatium, & pro ſummis ducunt deliciis, equorum carnibus veſci, & ſanguinem bibere: ſicque quodam egeſtatis ingenio, vectores ſuos in uſus alienos aſſument. Erat locus quem rupes arduæ, conſcenſus aſperi, ſemitæ ſtrictiores, difficilem ad permeandum reddebant, qua cum prior pars agminis, filio Impe-

f Sed. *t* Fideliter.

ratoris

Turci in Christian. impetum faciunt.

ratoris ductante, transisset, in postremam subito *Turci* undique ex insidiis irruunt; & de victoria certi, lanceis & ensibus, bello propiore, contendunt. Rumor ad aures Ducis dirus allabitur, nec mora præceps quo venerat redit; difficultates quas exuperasse gaudebat incunctanter relegit; Ira non attendit periculum. Equi, qua ire non poterant, coguntur ad cursum. Dumque huc & illuc patrem quærens, patrem vociferans, anxius & incautus discurrit ictu saxi eliditur galea, excutiuntur dentes: ipse tamen immobilis permanet & indejectus: felix illa progenies! quæ ut patrem liberet, sui prodiga, se periculis objicit. Sed in solatium inflicti vulneris, æternum insigne retinet: nam quoties labra secedunt, victoriæ gloriam os nudum testatur. Tandem per multos & graves insultus, [u] pervenit *Iconium*, ubi nequam ille proditor, se intra urbis munita concluserat: nostri autem non longe figunt tentoria, ignari prorsus quid dies crastina minetur infestum. Nocte ipsa, cum jam Pentecostes solemnitas ferme fuisset exacta, imber tantus & tam vehemens irruit, ut illa procellæ violentia intra septa castrorum nihilominus desæviret. Mane facto, consumtis nubibus, aer illuxit purior: & ecce, subito cum tubis & tympanis & clangore horrisono *Turcorum* exercitus circumquaque diffusus imminet, quantus nec ante visus, nec credebatur videndus; quod sicubi ter centena vel plura legantur fuisse millia, æstimari poterant, numerari non poterant. Hanc omnem multitudinem filius Soldani, *Melkinus* nomine, in arma exciverat: volens palmæ titulum socero suo *Salahadino* præripere, tam de victoria certus, quam de suorum numero & virtute confisus. Soldanus interim cujusdam turris suprema conscendens, in specula residet, unde in subjectis arvorum spatiis, acies bellaturas conspiciat: sperans adimplendum in proximo quod animus promissor futurum dictabat. Imperator, cum plerosque suorum ob insolitam hostium multitudinem trepidantes attenderet, magnanimi principis fiduciam exerit; & erectis ad cœlum manibus, in conspectu omnium grates agit Domino, quod inevitabilis pugnæ jam instet necessitas, quam fuga hostium huc usque suspendit. Hac voce, ingens ardor cunctis incutitur, qui faciem *Cæsaris* contemplantes lætissimam, à sene juvenes, à fragili fortes, ab uno universi, virtutis suscipiunt incentivum. Quis Deus magnus, sicut Deus noster? Omnis illa multitudo tam certa vincendi, ut vincula potius quam enses stringeret, in momento succumbit; simulque & urbs ipsa capta tenetur, & exterior hostis prosternitur; utrinque strages, ubique cædes, undique cæsorum acervi: fugam densitas impedit; numerositas unde gloriabantur offendit. Jam prope res agitur, certatur cominus, confringuntur arcus, sagittæ non evolant, vix locus est gladiis: sic omnia turbat turba; nostrisque procedit ad gloriam, quod hostes disposuerunt ad ruinam: fugax bellum, quod hactenus vepres, & rupium fauces hæserat, jam spatio liberiore conseritur. Christicolæ iram satiant, quæ toties frustra exarserat: *Turci* experiuntur inviti, quid possint cominus, quos eminus provocabant. Hanc insignem victoriam, fidelibus suis non indigne virtus Divina contribuit: erat enim in castris castitas, in armis disciplina; in omnibus, & præ omnibus timor Domini; apud omnes amor proximi, qui sic erant affectione fraterna unanimes, sicut periculorum exstitere consortes. Soldanus, urbe capta, cum, unicam munitionem quo se contulerat, restare cerneret, festinus ad *Cæsarem* dirigit, culpam omnem refundens in filium; se prorsus innocuum asserens, aurum quantum petat, pollicitus, fœderis obsides quot & quos jubeat præstiturus. *Cæsar*, heu nimium facilis! quod offertur suscipit; quod [x] postulat indulget: minus quidem in hoc facto laudandus, dum virum sanguinum & dolosum, pene captum absolvit, quem honestius erat perdere, quam tantum Christiani nominis hostem illæsum servare. Datis obsidibus & fœderis pactione firmata, nec dum maligni proditoris quiescit impietas: nam Christicolas cum jam remotius ab *Iconio* iter agerent, nunc ex insidiis, nunc palam la-

Soldanus ingenti strage victus.

Soldanus pacem impetrat ab Imperatore.

u Pervenitur. x Populatur.

cessit.

ceſſit. Obſides quidnam hoc eſſet interrogati, utile ſibi confingunt mendacium; aſſerunt *Turcos* ſylveſtres eſſe, qui nullius imperio ſubjacent, ſedibus vagantur incertis, nihil habentes proprium, aliena ſemper vel rapina vel furto infectantur. Parcius tamen inſtant, non immemores ſuorum occubuiſſe quam plurimos: nam ſicût modeſtus æſtimator aſſeruit, ſuperioribus bellis XXII. *Turcorum* millia gladius occiſor conſumſit.

CAP. XXIV.

In Armeniam *veniens Imperator* Fredericus *in flumine* Seleſii *ſubmergitur, & filius ejus Dux* Suaviæ *ſuper exercitum erigitur.*

JAm victor exercitus *Armeniæ* fines ingreditur: lætantur omnes, quod hoſtile emenſi Regnum, ſecuri fidelium arvis inſederint. Sed heu! [y] terra occurrit funeſtior, quæ cunctorum lætitiam & lumen extinguit. Accedat homo ad cor altum; & inveſtiget, ſi poſſit, conſilia Domini, cujus judicia abyſſus multa. Occurret nonnunquam unde ſtupeat, unde turbetur; ita tamen, quod in omnibus auctorem omnium noverit commendandum. Erat locus in ſinu *Armeniæ*, quem hinc montes ardui, hinc *Seleſii* flumen præterfluens coarctabat: qua dum ſummarii & ſarcinæ tranſeunt, victorioſus Imperator ſubſiſtit. Vir quidem inclytus, cujus ſtatura mediocriter eminens, crines rutili, barba rubens, utrinque interfuſa canities, ſupercilia prominent, igneſcunt oculi, gena brevior in amplum extenditur, pectus & humeri diffunduntur: ſed & cætera corporis deſcriptio in virum conſurgit. In illo [z] utique quod de *Socrate* legitur, inſigne quiddam ac ſtupendum enituit: nam conſtantiam animi exprimebat vultus, ſemper idem & immobilis permanens, nec dolore obſcurior, nec ira contractus, nec lætitia diſſolutus. In tantum vero nativum *Alemanniæ* venerabatur eloquium, ut quanquam alterius linguæ non inſcius eſſet, aliarum tamen gentium miſſis, non niſi per interpretem loqueretur. Vir tantus, cum propter præeuntes ſummarios diutius ſubſtitiſſet, tandem mora in tædium vertitur; & iter anticipare cupiens, flumen proximum tranſmeare [a] diſponit, ut illud à parte ſummariorum anteriore remenſus, ad viæ redeat libertatem. O mare! ô terra! ô cœlum; ille *Romani* moderator Imperii, ſemper Auguſtus, [b] per quem *Romæ* veteris refloruit gloria, revixit honos, poteſtas excrevit, heu! aquis deperit interceptus; & licet undique ſubſidium collaterales feſtinent, vitæ tamen ſenilis igniculum mors præceps & matura extinguit. At ſi libido natandi ſicut plerique aſſerunt, mortis cauſam intuliſſe dicatur; ipſius viri gravitas in contrarium diſputat; nec fidem meretur, quod tantorum ſalutem, natator invalidus, undis fallacibus commiſiſſet. Conſcientia teſte, mors, minus quam modus mortis ſollicitat; ſed hoc vobis in ſolatium venit, quod ſcriptum legitur: *Juſtus, quacunque morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit.* Quod ſi montes *Gelboe*, cæſis *Iſrael* fortibus, roriſque pluviæ beneficio meruere privari, quid huic fluvio tam funeſto imprecemur condignum, qui præcipuam totius Chriſtianiſmi columnam ſubvertit. Fuere qui dicerent locum ipſum fataliter ab antiquo damnatum; & ſilicem proximam hos apices dudum ſervaſſe inſcriptos: *hic hominum maximus peribit.* Rumor ad aures [c] excitus, lamentabili fragore perlatus, omnes concutit. Quod ſi veterum annales inquirimus; quid hiſtoriæ tradant, quid fabulæ confingant, de luctu matrum, nuptarum gemitu, quorumcunque planctibus, dolor iſte, exemploque carens, & nulli cognitus ævo, cunctorum lachrymas & lamenta tranſcendit. Erant quamplures Imperatoris domeſtici, erant conſanguinei, erat & filius, ſed inter complangentium turmas diſcerni non poterant: ubi pariter univerſi, & ſinguli, patrem ac Do-

Fredericus in flumen Saphar lapſus ſuffocatur.

y Terram funeſtiorem inveniunt. z Itaque. a Diſpoſuit. b In quo. c Exercitus.

 minum

minum amiſiſſe lugebant; Hoc tamen omnibus in ſolatium accedit, & inde cuncti Divinæ congratulantur providentiæ, quod infra terminos infidelium diem non clauſit extremum. Expletis exequiis, locum quam citius peſtiferum deſerunt; & corpus Cæſaris *Antiochiam* deferendum magnificentia Regali exornant. Ibi autem [d] permultam excoctionem oſſibus à carne ſejunctis, caro quidem in Apoſtolicæ ſedis Eccleſia conquieſcit: oſſa vero *Tyrum* per mare ducuntur, *Jeroſolymam* transferenda. Dignum quidem & ordinante Domino mirifice procuratum, ut qui pro Chriſto decertavit inſignius, præcipuas Chriſtianæ religionis Eccleſias, utriuſque miles, utrique diviſus, incoleret; & eam, quam Domini ſepultura præeminentius extulit; & illam, quam Principis Apoſtolorum cathedra inſignivit. Cæterum *Antiochiam* pervenientes Chriſticolæ, poſt multa & longa jejunia, cibis [e] edacius indulgentes, repletione ſubita ſuffocantur: ſicque quos nec hoſtis nec fames vicerat, pax dira perimit, ſatietas pernicioſa extinguit. Hoc itaque tam turpi [f] facto cum exercitus tanti pars amplior interiſſet, reliqui rediere quam plurimi; pars modica, quam repatriare puduit, ſub filio Imperatoris militat, cui princeps *Antiochiæ* urbem totam ac munitiones univerſas contradit. Majoris enim obtentu præſidii, urbem Duci ultroneus judicat committendam, ut ejus fines vir ſtrenuus contra crebros hoſtium tueatur inſultus.

Frederici oſſa Hieroſolymam deportantur: Carne ejuſdem Antiochiæ ſepulta.

CAP. XXV.

Acon *obſidetur* Guido *Rex à juramento abſolvitur.*

INterea Chriſti milites, quos in terræ ſanctæ ſubſidium claſſis tranſvexerat, *Acon* premebant obſeſſam; ut plenius texatur obſidionis ſeries, altius ordiemur. Rex *Jeroſolymorum Guido*, cum apud *Damaſcum* per annum fere tentus fuiſſet in vinculis, *Salahadinus* illum ſub diſtricta pactione abſolvit, ut abjurato ſcil. Regno, mare quam citius exul tranſiret. Hanc jurisjurandi fidem Clerus Regni caſſandam deliberat: tum, quia metu facta, irritari merentur; tum, ut venturæ fidelium acies caput inveniant & ductorem. Dignum ſane quod ars artem deluderet, quod tyranni perfidia ſuo fraudaretur exemplo: nam promiſſor lubricus, parem promittentis levitatem invitat. Perfidus ille, pacti prioris fines & fidem tranſgreſſus, à Rege captivo injuriis multis extorſerat, ut præſtito ſacramento, libertati redditus exul abiret. Dira libertas, quæ importat exilium; dura liberatio, quæ Regnum abjurat. Sed ordinante Domino, diſſipatum eſt conſilium *Belial*: nam & retinendi Regni fiducia tyranno excutitur; & Rex à promiſſionis exceſſu, Cleri judicio excuſatur. Venerant autem injuriæ Crucis ultores eximii; venerant athletæ inſignes, quos ad conſolationem tuam, *Jeruſalem*, fervor undique devotus excivit. Ecce jam orbis tibi univerſus militat, & adimpletum conſtat, quod per *Iſayam* Prophetam dicitur: *ab Aquilone adducam ſemen tuum, & ab occidente congregabo te. Dicam Aquiloni, da; & Auſtro, noli prohibere.* Sic ergo cum plurimi *Tripolim* ad Regem confluxiſſent; bellator cunctis incaluit animus, ut non ſolum tueri retenta, ſed & recuperare perdita decertarent. Porro dum apud *Tripolim* moram facerent, dies non exegere ignavos: nam crebris excurſibus hoſtes vicinos aggreſſi, nunc trecentos, nunc plures manu victrice fuderunt. At inter cæteros frater Regis qui nuper appulerat, *Galfridus* nomine, ſingularis enituit: qui ſic virtute fulgebat præcipuus, ſicut dolore domeſtico acrius exarſerat, in hoſtem accenſus. Alios enim cum dolor unus ad bellum impelleret, hunc pariter & totius Chriſtianiſmi cauſa communis, & fraternæ injuriæ ultio privata movebat.

Rex Guido juramento abſolvitur à Clero.

d Poſt multam. *e* Edacibus. *f* Fato.

CAP.

CAP. XXVI.

Veniens Tyrum *Rex à Marchiso non recipitur & injuriam suam dissimulans* Acon *petit cum* Pisanis *& exercitu non modico, quam Christicolæ terra marique obsident.*

POst modum collecto exercitu Rex *Tyrum* procedit: sed ingredi volens, à *Marchiso* non admittitur; cui tamen civitas eo tenore commissa fuerat, ut Regi & Regni hæredibus redderetur. Nec hac contentus injuria, perjurium convicio cumulat: nam quoties vel Regis nuncii, vel peregrini quicunque, ingredi tentant, tractantur durius; & sunt ei Christicolæ, tanquam Ethnici & Publicani. *Pisani* vero, qui partem urbis non modicam possidebant, in consensum perfidiæ pertrahi nequeunt; sed pro jure regio, commendabili seditione decertant. Eos *Marchio* contumeliis multis, & marte intestino lacessit: at pro tempore cessuri consultius, ab urbe ad exercitum cum aliis plerisque recedunt. Exercitus extra in aprico consederat: sed nec ullis, etiam propter victualium coemtionem, ingrediendi exhibetur facultas; & omnes experiuntur hostem quam speraverant adjutorem. Hæc inter, morbus quidam familiaris & solitus *Marchiso* incutitur: at quia, consueto asperior, tunc casu irruerat, potionem pestiferam hausisse conjectat. Triste igitur in medicos, potionum artifices, exit edictum; & iniqua suspicione perimuntur innocui, quorum professio non mortis discrimen ingerit, sed morbi salutem promittit. Rex quanquam ad urbem impugnandam suggestione plurimum incitetur, propriam tamen injuriam prudenter dissimulat; & cum exercitu, quo potest, & quanto potest, *Acon* obsessurus festinat. Erant milites septingenti & alii pluresex omni natione Christiana collecti: sed si totam simul aciem æstimare velimus, non prorsus ad novem millia robur numeratum excrevit. Exeunte Augusto die sancti *Augustini*, gravis illa & longa cepit obsidio: quæ & per duos annos producta, & duobus annis ab urbe capta elapsis, animosius inchoata. Turci eminus de murorum propugnaculis, venientes conspiciunt, incerti qui veniant, vel quid veniant. Sed re cognita adventum non metuunt, causam irrident. *Pisani*, quibus via maris eo levior quo brevior videbatur, *Acon* navigio seriatim petentes, littus audacter occupant; maritimæ immobiliter insident, obsidionem maris & tam constanter quam strenue ordiuntur. Rex vero cum exercitu reliquo, montem proximum, quem vulgo *Turonem* dicunt, tentoriis figendis eligit: unde loci beneficio & maris & terræ speculetur accessus. Mons iste, à parte urbis Orientali consurgit editior; & in circuitu oculo spatiante liberius longe lateque prospectum in plana diffundit. *Acon obsessa.*

CAP. XXVII.

Christicolæ civitati insultus faciunt, sed Salahadino *superveniente, ex utraque parte insultus patiuntur quos exhilarat classis Borealium virorum, numero duodecim millium.*

CÆterum Christicolæ die tertia postquam venerant, mox urbem impetunt; longum enim vel petrarium jactus: vel alios expectare paratus; at clypeo defensore contenti, scalas applicant ad conscensum. Dies illa, tot

 dierum

dierum opus & operam felici clausisset compendio; si antiqui hostis invidia & mendax nuncius, negotium pene completum non perdidissent. Nunciato namque *Salahadini* adventu, nostri quam citius ad [h] castrum redeunt; sed paucos præcursores, intuitu præreptam sibi victoriam, indignantur magis quam conqueruntur: pauci quidem venerant, at innumeros adesse terror edixerat: non enim præter solitum evenit, quod majora semper formido metitur. Soldanus eo tempore castrum, quod *Bellum forte* dicunt, obsidione cingebat; at is, quæ geruntur auditis, cum exercitu plurimo *Acon* festinus accedit. Nostri ad congressum impares, se inter fines præscriptos continent: Turci undique instanti nunc luce nunc noctis silentio bellum inferunt; crebros & in montem tentant excursus: & qui venerant obsessuri, tenentur obsessi. In hoc itaque articulo positos, visitavit Oriens ex alto; nam ecce, quinquaginta naves, quas vulgo Coggas dicunt, cum XII. millibus armatorum tanto gratius veniunt, quanto nostris auxilium in arcto majore dependunt. Gratum venit quod per vota suscipitur: gratius quod præter spem offertur; gratissimum, quod in ultima necessitate subvenit: plerunque tamen, ingenti desiderio fides suspenditur; & vix credimus, quod nimium affectamus. Nostri, de supercilio montis venientes vident; & tam læta sperare non audent. Quin & ipsi qui veniunt, castra quæ spectant habent suspecta. Sed propius Christianæ professionis prospectis insignibus, clamor hinc inde tollitur, læta pietas in lachrymas effluit; undique concursus, & fluctibus insiliunt obviam processuri. Felix illa classis, qua à Boreali peregrinans Oceano, & iter intentatum aggressa tot tractus maris, tot terræ ambitus, tot pericula victrix permeat: & ab Europa, per *Affricæ* districta transiens, *Asiæ* laboranti succurrit. Hanc classem *Dani* moderantur, & *Frisones*: quas ab Aquilone progressos, rigor nativus exasperat; & ad bellum aptat triplex commoditas; artus proceri, mens indomita, & fidei fervor devotus. Hos à portu patrio in altum migrantes, aura comitatur benignior; & in delitias navigantium, tam fluctus quam venti mitescunt: sicque miserator Dominus, athletas suos per tot discrimina incolumes & inoffensos, perducit. Terrarum vero, quas præternavigant, incolæ, visa classe, quam plures moventur; & navibus instanter conscensis, *Angli* pariter & *Flandrigenæ*, festini sequuntur. Nec prætereundum silentio, quod à prætereuntibus insigniter gestum: nam urbem quandam in maritima *Hispaniæ*, quæ *Silvia* dicitur, audacter impetunt, citius expugnant, cæsisque Gentilibus incolis, & urbe Christianis tradita, ibidem etiam ordinato antistite, victores procedunt. *Acon* igitur venientes, in loco qui urbem & *Turonem* interjacet, castra-metantur; & vires indomitas, in perniciem hostis, assiduo magis quam frequenti conflictu, exercent. Eos siquidem virtus prodiga, & vitæ contemptor impetus, tot & toties subeundis objecere periculis, quod [i] post multum urbe capta, vix viri centum de XII. millibus superstites extitere.

Soldanus Acon obsidione solvere tentat.

Danorum Frisonum &c. Classis in Auxilium Christianorum venit.

CAP. XXVIII.

De adventu Jacobi *de* Avennis. *Urbs obsidetur arctius.* Salahadini *figmentum.*

NOcte postera postquam *Frisones* & *Dani* appulerant, *Jacobus* de *Avennis* littus optatum contigit. Vir trina profectione præditus, in consiliis [k] *Hector*, in armis *Achilles*, in fide *Attilio Regulo* præferendus. Hic ex adverso turris, quam *Maledictam* nominant, figit tentoria, & paulo ulterius Templarii tendunt: at urbis pars amplior nondum obsessa, in liberos hosti meatus patescit. Nostri quid agant solliciti, hanc introeundi & exeundi li-

[h] Castra. [i] Postmodum. [k] Nestor.

centiam molefte fuftinent: fed murorum protractior ambitus, & exercitus rarior obfidionem continuam non admittunt. [l] Conjectis igitur viciffim per turmas copiis, urbis aditus armati obfervant; & fic per dies aliquot confuetam meandi copiam obftruunt tranfituris. *Turci* vero, tam de urbe quam de caftris egreffi, collatis hinc inde viribus, noftros impugnant, & prævalent: nam facile acies intercifa perrumpitur; & citius robur difperfum fuccumbit. Hofpitalarii ea die in cuftodia ftabant, quos militia Templi cedentes excipit; & hoftem acrius urgentem à caftrorum irruptione compefcit. Porro diebus fingulis fidelis augetur exercitus, & navium multitudo confluens, terrore non modico Gentilem percellit. *Salahadinus* autem, figmento quodam, metus conceptus attenuat: afferens Chrifticolas, noctu naves educere; & eafdem rurfus, tanquam recentes adveniant, ad oftentationem virium luce reverti. Ipfe tamen, veri non infcius, robur noftrum indies crefcere acrius dolet; fed nubem animi fupercilio fublimi diffimulans, frontem ferenam & [m] nihil timentem prætendit.

CAP. XXIX.

De adventu Francorum, Anglorum, & Germanorum.

SAne de Regno *Francorum* jam plurimi venerant: & inter alios, Epifcopus *Beluacenfis*, vir armis potius quam armariis deditus, qui gloriatur in militia; & *Turpino* par effe contenderet, fi *Carolum* inveniret. Eft quædam pars *Franciæ*, quæ *Campania* dicitur: & cum regio tota ftudiis armorum floreat, hæc quodam [n] [militiæ] privilegio fingularius excellit & præcellit. Hinc martia pubes potenter egreffa, vires, quas in Tyrocinicis exercitaverat, in hoftem audentius exerit; & imaginaria bellorum prolufione [o] propofita: pugnaces animos ad verum Martem intendit. Adeo quidem, tam *Angli* quam *Franci*, conceptæ devotionis calore ducuntur, quod Regibus fuis non expectatis, Regi Regum obfequium præftituri præcurrunt. De *Germania* quoque vir quidam illuftris & potens accedit, quem lingua *Theutonica Landegravum* dicunt; quod juxta rationem nominis terræ comes, quafi per excellentiam dictum fonare videtur. Hic *Marchionem* à Rege *Guidone* diffentientem *Acon* venire perfuadet, cum prius propter diffidium accedere detrectaffet. Scimus Hiftoriæ legem interdum depofcere ut nomina Principum, qui negotiis gerendis affiftunt, fingulatim fcripto mandentur: quod ipfi etiam quodam pruritu gloriæ nonnunquam affectant: è contra folet auribus teneris hac in parte [p] [femper] tractatus videri longior; & ituras in tædium voces delicatus auditor minus acceptat. Nos ergo in enumerandis Principibus caftigatius occupabimur. Sed cum ipfa rerum geftarum feries occafionem obtulerit, de fingulis, quis quid egerit infigne, dicemus. Sane, adaucto fidelium numero, cum jam exercitus amplior ad opus arduum aggrediendum fufficeret, placuit omnibus ut vicina Gentilium caftra pervaderent, & impugnarent. Mons quidam *Turoni*, quem fupra defcripfimus, objectus eminet: hic hoftis papiliones fixerat, & ingens camporum interjecta planities, aream bellis accommodam latius explicabat. Huc acies è caftris in plana defcendit; & ibidem in ordines diftributa per turmas digeritur, ita quidem quod levior armatura cum arcubus & baliftis præcedit; fubfequitur belli Robur præcipuum, equis, armis & variis effulgens infignibus. Ignem vero animi facies & geftus indicant: fidelibus ad votum, hoftibus ad terrorem. Fuit qui acie perfpecta ex nimia voluptate luxuriens, dixiffe præfumeret: Quæ potentia prævalebit? quæ multitudo refiftet? Dominus nec nobis, nec adverfariis ad-

l Contractis. *m* Non. *n Deeft.* *o* Poftpofita. *p Deeft.*

jutor veniat, victoria in nostra virtute consistit. Vox certe pessima, & omnino damnabilis, quæ in homine, non in numine belli eventum constituit, cum sine Deo nil possit homo: quod quidem experimento flebili, rerum exitus declaravit. Stabant *Turci* pro castrorum defensione unanimes; & cum nostri propius accessissent, laxato peditum præcedentium cuneo, equos in hostem audacter admittunt. Versus in fugam Gentilis, castra deserit; Christicolæ à persequendo desistunt, & spoliis inhiant; papilionum præciduntur funes; & ipsius Soldani tentoria, Comes de *Baro* animosus invadit. Interea de urbe ingens hostium multitudo prorumpit, qui ex ea parte qua civitas inobsessa erat, egressi, obliquis meatibus ad montana contendunt. Porro ex industria, sinuato procedunt anfractu: ut nostris sub incerto positis, an castra veniant an exercitum pervasuri, exercitum subiti occupent, & à tergo concludant. Militia Templi, qua nulla insignior, jam cuneos hostiles, cædi devota, [q] perruperat: quod si cæteri pari voto persequendis institissent hostibus dies illa felicem tam urbis quam belli victoriam reportasset: cumque longius fortunam secuti & animati Templarii processissent, in eos subito irruunt oppidani; & quanquam innumeri paucos opprimant, non sine multa tamen suorum strage triumphant. Ibi magister militiæ *Gerardus* de [r] *Bidesfordia*, cujus supra mentionem fecimus, cæsus occumbit: Felix cui tantam Dominus gloriam contulit, ut lauream, quam tot bellis meruerat, Martyrum collegio sociandus haberet. Parte alia, dum *Alemanni* ad prædas hiantius convolant, ecce deceptor ille antiquus quadrupedem prætermeantem præsentat; & dum illi certatim insectantur, fugere à nonnullis creduntur. Hac exigua, sed extiali occasione, totus turbatur exercitus; omnes de fuga cogitant. [s] Quia & fama ingruens metum ingeminat: nam oppidanos ad diripiendas sarcinas exisse conclamant. [t] Ilicet, bellorum ordo [u] confunditur; dispergunter cunei, nullus signorum respectus: ipsi duces ad fugam præcipites & vix aliqui fiduciam concipiunt resistendi.

CAP. XXX.

Fuga & cædes Christicolarum.

TURCI, Christicolas turbari vident, casum mirantur; sed causam ignorant; & inopinam adepti victoriam, lora reflectunt, & resumunt animos, qui de militia potius quam de ritu habent, instantibus cedere, cedentibus instare: nam si fugas fugient, si fugis fugabunt. In hoc tam [x] flebili & infelici tumultu, *Andreas* de *Breno* dum aliis, ne terga præbeant animosus inclamat, ab irruentibus *Turcis* perimitur: quem adeo supra omnes *Francos* virtus extulerat, ut ei militiæ primatu concesso, cæteri de laude secunda certarent. Frater ejus Comes *Brenensis*, non inscius præterivit collapsum: vocatus quidem, subsistere timuit, & gloriam quam casus obtulerat, ignavia declinavit. Cæterum miles quidam, cum *Jacobum* de *Avennis* equo perturbatum conspiceret, mox equum cui fugiens insidebat, ei contradidit; & mortem Domini sui, morte sua, laudandus redemit. Rex etiam *Guido Marchisius*, cum ab hostibus opprimeretur, accessit adjutor, & licet injuriæ præcessissent, & simultas subesset, humanitatis tamen obsequium indigno præbuit, & eripuit periturum. Frater Regis *Galfridus* videns aciem turbari, & omnes de fuga contendere, castrorum curam, quæ defensanda susceperat, festinus deserit; & de fratris salute sollicitus, refugos detenturus procurrit. O rerum miseranda mutatio! Christicolæ confisi exierant, & [y] redeunt confusi, seriatim incesserant, & spar-

q Proruperat. r Riddefordia. s Quinetiam. t Licet. u Confringitur. x Debili. y Revertuntur.

ſim redeunt; hoſtem victores fugaverant, & victi recurrunt. Agnoſcat tandem humana præſumtio, quid homo; quid vires hominis niſi dextra Domini faciat virtutem: & ille in ſuis potenter operetur victoriam, qui & fiduciam præſtat pugnanti, & vincenti coronam. [z] Interim [a] [ſane] de viribus ſuis [b] [noſtri] præſumſerant, & quem timerent, hoſtem credebant inveniri non poſſe: [c] quem poſtmodum nimis propinquum experti, ſuorum mille ac quingentos perdidere. Erat miles quidam, *Ferrandus* nomine, qui nudus & exanimis relictus, cum inter peremptos deliteſceret, nocte regreſſus ad caſtrum propter deformitatem vulnerum, à ſuis agnoſci non potuit; & vix impetravit admitti. Varios rerum eventus & modos interfectionum diverſos, licentioſus Poeta, vel longus proſequatur tractator; nos, brevitas lege arctiori continet; nec qualiter, ſed quid acciderit dixiſſe indulget. *Salahadinus* Chriſticolarum cadavera comportari, & in fluvium prætermeantem projici jubet: ut undarum devoluta impulſu, vel metum conſpecta incutiant, vel aquis reſoluta corrumpant.

CAP. XXXI.

Quod noſtri de die in diem numero creſcentes, dum, foſſatis circa urbem faciendis intendunt, graviter à Turcis *læduntur.*

PORRO Principes noſtri, à marte publico aliquandiu temperandum cenſentes, caſtris deliminandis inſiſtunt; & aggerem congeſto ceſpite, foſſiſque profundioribus à mari ad mare, muniendis tentoriis circumducunt: *Marchiſus* autem, & Hoſpitalarii locum obſidione vacantem audacter occupant, & jam urbs tota terra marique tenetur obſeſſa. Noſtris itaque foſſis faciendis magnopere inſiſtentibus, *Turci* ſine intermiſſione imminebant, quos & à mane uſque ad veſperam ſe viciſſim alternantes non ceſſabant infeſtare. Oportuit igitur partem operantem alteram partem defendere ab eorum inſultibus, quales autem æſtimavimus impetus irrequietos ſuſtinentes, miſſilium & ſagittorum imbribus obtenebrato aere irruentibus, numerum quidem excedentibus & æſtimationem: Noſtri omni conamine operabantur & *Turci* dolebant eos proficere. Crebris igitur congreſſibus nunc hos nunc illos ut caſus eſt belli videres profterni, & in una rotari. Taliter itaque tempore non modico noſtris agonizantibus doluit Dominus ſuper eos, & numerum fidelium in dies ſingulos corroborans & adaugens, non dereliquit omnino ſperantes in eum. Confluebant igitur à diverſis partibus orbis Principes, Duces, Comites, & inferioris ordinis quamplurimi, quorum hæc ſunt nomina, Comes de *Ferrariis*, *Nargenot* de *Vici*, *Anſelmus* de *Monte Regali*, *Gaufridus* de *Gienvilla*, *Otho* de *Foſſa*, *Willielmus* Goez, Vicecomes de *Caſtello Eraudi*, Vicecomes de *Turoma*, *Caſtellamus* de Brugger, Archiepiſcopus *Piſanus*, Comes quoque *Bertulfus*, Comes *Nicolaus* de *Hungaria*, Comes *Bernardus*, Comes *Jocelinus*, Comes *Richardus* de *Apulia*, Comes *Alebrandus*, *Ingelrandus* de *Vienis*, *Herveius* de *Gienis*, *Theobandus* de *Baro*, Comes *Johannes* de *Loegria*, alter Comes *Johannes* de *Seis*, Cum nepote quoque Regis *Daciæ*. Venerunt *Danorum* magnates aliquot cum quadringentis Dacis. Venit tunc *Guido Darepriera*, Epiſcopus quoque *Veronenſis*, cives etiam aliquot *Romani*. Omnes hi & quamplures alii futuri Martyres & Confeſſores applicantes numero conjuncti ſunt fidelium. Vere quidem Martyres quorum non minor pars in brevi deceſſit, tum fœtore cadaverum aere corrupto, tum vigiliis ſollicitis conſumta, aliis injuriis & penuriis afflicta, quia non dabatur requies vel tempus reſpirandi, ſine intermiſſione *Turcis* inſiſtentibus noſtris foſſam operantibus, & inopinatis inſultibus irruentibus,

Multi Principes Duces, &c. Chriſtianis Suppetias ferunt.

z In tantum. *a Deeſt.* *b Deeſt.* c Sed eum.

irruentibus, & ad amaritudinem producentibus animas eorum, quoufque tandem perfecta eft foffa. Poftea fiquidem de obfidione difpofita urbem coarctare tentabant.

CAP. XXXII.

Defcriptio urbis Acon & *locorum circa adjacentium.*

Rerum ordo depofcit, nec alienum à propofito credimus, locorum defcriptionem quandoque perftringere: ut civitas tanta, tum fui magnificentia, tum vario bellorum famofa eventu, obfequio noftro clarior innotefcat. Si enim decennale bellum, *Trojam* celebrem reddidit; fi Chrifticolarum triumphus, *Antiochiam* illuftrius extulit, *Acon* profecto perpetua fama extollet, pro qua pariter totus orbis conflixit. Hæc formam fortita triangulam, ab occafu contractior, ab ortu fpatio latiore diffunditur; & parte plus tertia præterlapfo æquore ab Auftro & occidente ambitur. Portus fane minus quam oporteat opportunus, hyemantes carinas fæpius fallit & frangit: nam rupes objecta, quæ [d] littoris formam commodat, irruentis procellæ impetum brevitate fui ægre propulfat. Et quia rupes illa extis abluendis videbatur accommoda, ibi apud veteres facrificia celebrari folebant: unde propter carnes immolatitias, quas mufcæ fequebantur, turris quæ modo [e] [fupra pofita] eminet, *Turris Mufcarum* appellatur. Eft & turris, quam *Maledictam* nominant, & muro qui urbem amplectitur infidet: quæ, fi vulgi opinio fidem meretur, hoc ideo nomen [f] infumfit: nam argentei, quibus Dominum *Judas* proditor vendidit, ibi facti fuiffe dicuntur. Supra *Turonem* vero, qui urbi vicinus incumbit, civitas, *Ptolemais* nomine, olim fita fuerat: unde, antiquitatis errore, *Acon Ptolemaida* nonnulli appellant. Collis autem, quem *Mahumeria* dicunt, *Turoni* propinquus confurgit, ubi fepulchrum *Mennonis* effe teftis tradit antiquitas: fed cujus obfequio illuc delatus fuerit, non fcriptum legimus, nec audivimus referentem. Porro fluvium, qui urbi allabitur, [g] *Bellum* nominant; & licet alveo angufto nec alto decurrat, ejus tamen gloriam *Solinus* haud levem afferit, quem inter mirabilia mundi commendans, ipum harenis vitreis ditari proponit. Erat enim quædam foffa harenaria, cujus harenæ vitri conficiendi præbebant materiam: quod fi exterius fumtæ, omnino erant inutiles; fi vero cafu intromiffæ, mox loci virtute occulta, vitream affumebant naturam. Haud procul à fluvio, rupes hnmilis urbi vicina monftratur, ad quam tres mundi partes, *Afiam Europam* & *Affricam* conterminari perhibent: & cum tractus cæteros ille divifim contineat, locus ifte folus nulli cedens [h] partem exceptus & liber effulget. Mons *Carmelus* à parte urbis Auftrali fublimis exurgit, ubi *Helias Thesbites*, modici paratus domicilium habuiffe dignofcitur, quod adhuc ipfius fpelunca teftatur: & quanquam defcriptioni ambitus ad amoena fæpius evagari confuevit, nos tamen circumjacentium locorum delicias ad præfens omittimus, dum ad alia ftylus [i] Martius tramite cœpto decurrit.

d Littori. *e* *Deeft*. *f* Inde fumfit. *g* Belum. *h* Parti. *i* Martis.

CAP.

CAP. XXXIII.

Oppidanis in tantum famem patientibus ut deditionem urbis offerrent, subvenit Soldanus quinquaginta Galeis missis, quibus Galeæ nostræ captæ vel fugatæ sunt.

ACon igitur cum noſtri undique obſidione cinxiſſent,cœpere oppidani,conſumptis victualibus, inedia graviore affligi, adeo ut urbem reddendam offerrent, ſi ſalvis facultatibus liberi ſinerentur abire. Hæc pactio Principibus omnino diſplicuit, decreverant enim vel ultima neceſſitate coactos ad vota ſubdere, vel potius expugnandi gloriam omni ſtudio comparare. Dumque protractius de urbe reddenda tractatur, Soldanus interim quinquaginta Galeas apud *Alexandriam* viris, victualibus, & armis, ſufficienter inſtruxerat, quas ſuis in ſubſidium *Acon* tranſmittit. Igitur vigilia omnium Sanctorum ſimul omnes accedunt, quibus eminus conſpectis rumor incertus vaticinantem populum in varia diſtrahit. Pars enim hoſtem adeſſe nunciat, pars Chriſticolarum veniſſe auxilia conſtanter affirmat. Hæſitantibus igitur quinam fuerint venturi ſubito ſe præcipitaverunt in civitatem, & unam etiam navem noſtram victualibus onuſtam in itinere in portu inventam ſecum abduxerunt violenter in urbem. His diutius cibariis contenti noſtris ſolito acerbius improperantes inſiſtebant. Sed nec navem noſtram onerariam diripuiſſe contenti, ipſos vero nautas & omnes in eadem navi compertos immiſericorditer peremtos in circuitu murorum ſuſpenderunt ipſa die omnium Sanctorum. Præterea prædictæ hoſtium Galeæ portum civitatis & exitum obſervabant & introitum, ita quod nemo in auxilium noſtrorum præſumeret accedere propter metum eorum, ne forte incideret in manus eorum. Sed & in craſtino Natalis Domini, advenienti claſſi *Babylonicæ* quædam de Galeis noſtris, æſtimans Chriſticolarum adventum, in ſubſidium noſtrum minus provide inquiſitura occurrit, & cum ea minor cimba, quam vulgo Galeonem nominant, quæ levitate ſui nimis temere properans, dum amicos inveniſſe confidit, in hoſtes medios procurrit. Vox quidem reſpondentium nonnulla & ſuſpecta ſilentia pacem inficiantur, quod nautæ miſeri attendentes in mare protinus ſe præcipites mittunt, & nandi beneficio utcunque periti evadunt. Sic igitur maris ea parte occupata, noſtris Galeis, quæ longe pauciores erant, fugæ furtivæ ſubſidio *Tyrum* digreſſis, jam urbi muniendæ liber editus & egreſſus per mare hoſtibus pateſcit. Eo tempore, dum *Alemanni* magno apparatu machinam molendinariam fabricaſſent in emolumentum victualium girantibus equis, crepitantibus molis circumactis. *Turci* contemplantes avidius molam agitantem æſtimabant aliquid eſſe inſtrumentum in eorum exitium, vel ad expugnandam civitatem, nunquam enim antea hujuſmodi mola aſinaria viſa eſt in terra illa.

CAP. XXXIV.

De pugna navali inter claſſem Marchiſii & noſtrorum & claſſem hoſtium & de victoria noſtra.

SErenato tempore cum jam Paſcha inſtaret *Marchiſus* rogatus à noſtris à *Tyro* cum ingenti apparatu, & copia virorum, & armorum, & victualium revertitur. Principum etenim procurante conſilio Rex & *Marchiſus* eo pacificantur obtentu, *Marchio, Tyrum, Serithum* & *Sidonem* poſſidens Regis &

Regni profectibus fideliter & viribus totis intendat. Verum femper in lævum præceps ambitio cor cupidum & iniquum fubvertit, nam Regni obtinendi defiderio æftuans, fidem promiffam violat; & hoftem interius occulit, amicum foris prætendit. [k] [fane [l] oppidani ereptum fibi libertatem æquoris gravius fuftinent; &] quid bello navali poffint, experire decernunt. Galeas igitur binas & binas educunt, & ordinem in proceffu decorum fervantes, ad alta maris remigant obviam venientibus pugnaturi, quos advenientes noftri præparantes excipere, cum nullum pateat fubterfugium, animofius expediunt fe irruentibus obviare [m] [E contra noftri clafsem confcendunt belligeram, flexuque obliquo in lævum tendentes, fpatio remotiore fecedunt, ut liber hoftibus non denegetur egrefsus] Et quia navalis belli mentio incidit, confequens arbitramur ut clafsem bellicam fermo fuccinctus defcribat, & quali utuntur moderni & qualem inftituere antiqui. Apud veteres fiquidem, in hujufmodi navibus numerofior exigebatur ordo remorum, quibus gradatim per tabulata diftincta furgentibus, undas alii longiffimo, alii breviore vexabant impulfu. Ternos autem vel quaternos ordines fæpius habebant, & quinos interdum: fed & fenos, naves quædam in *Actiaco* prælio, cum adverfus *Antonium* dimicaret Auguftus, habuifse leguntur. Porro bellatrices carinas, *Liburnas* dixerunt: Eft enim *Liburnia* pars *Dalmatiæ*, ubi claffis *Actiaci* belli præcipua facta fuerat: Unde inolevit ufus, ut apud antiquos naves bellicæ dicerentur *Liburnæ*. Cæterum omnis illa vetuftatis magnificentia imminuta defluxit: nam claffis bellica, quæ fenis olim decurrebat ordinibus, nunc binos raro excedit. Quod autem antiqui dixere *Liburnam*; moderni *Galeam*, media producta nominant: quæ longa, gracilis, & parum eminens, lignum à prora præfixum habet, [n] & vulgo calcar dicitur: quo rates hoftium tansfiguntur percuffæ. Galiones vero, uno remorum ordine contenti, brevitate mobiles, & facilius flectuntur; & levius difcurrunt; & ignibus jaculandis aptiores exiftunt. Cum igitur prælium navale gefturi hinc inde proceffiffent, noftri non acies directas, fed incurvas difponunt: ut fi hoftis tentet irrumpere intrinfecus, opprimatur [o] conclufus. Cornibus itaque in fpeciem Lunæ productis, à fronte validiores conftituunt, quibus & acrior infligatur impetus, & hoftium propulfetur incurfus: in fuperioribus vero tabulatis, clypei [p] [per gyrum] difponuntur conferti: & in uno confidunt remiges, ut fpatio liberiore dimicent qui ad pugnam in fupremo confiftunt. Mare quidem omnino filens & placidum, tanquam bello excipiendo devotum, mitefcit, adeo ut unda interfluens, nec intendentis ictum, nec remigantis fallat impulfum. Congreffi propius, tubis utrinque infonant; clangorem terrificum mifcent: miffilibus primo contendunt. [q] At noftri, opem Divinam invocant, remifque incumbunt obnixius; & naves adverfas, fuarum roftris elidunt. Mox bellum conferitur; implicantur remi, cominus decertatur, alternis injectionibus rates alligant; & oleo incendiario, quod ignem Græcum vulgo nominant, tabulata fuccendunt. Ignis ifte pernicrofo fœtore, flammifque liventibus, filices & ferrum confumit: & cum aquis vinci [r] nequeat, harena refperfus comprimitur; aceto perfufus fedatur. Quid autem navali conflictu afperius? quid fævius? ubi tam varium congreffos fatum involvit: nam flammis, torquentur exufti; fluctibus abforbentur naufragi; armis pereunt vulnerati. Erat galea quædam, quam dum noftri temere moderantur, latus hofti vicinum invergit: ficque ignibus injectis fuccenfa *Turcos* undique infilientes admittit. Remiges vero, in mare protinus exterriti dilabuntur; at pauci milites, quos arma graviora impediunt, & nandi infcitia detinet, pugnandi fiduciam ex defperatione affumunt: Pugna impar committitur; fed in virtute Domini, multos pauci exuperantes; ratemque femiuftam, cæfis hoftibus, triumphantes reducunt: aliam vero jam hoftis, victor fuperioris tabulati, bellatoribus depulfis invaferat: at ii quibus inferior ftatio fuerat deputata, remorum auxilio elabi contendunt.

Naves bellicæ Liburnæ dictæ.

Ignis Græcus quid.

k Deeft. *l* Oppidani vero claffem comperientes venientem. *m Deeft.* *n* Quod. *o* Exclufus. *p Deeft.* *q* Et. *r Nefciat.*

contendunt. Mirum quidem, & miſerandum certamen: nam remis in diverſa tendentibus, nunc huc nunc illuc *Turcis* agitantibus galea depellitur: noſtri tamen prævalent, & hoſtis ſuperius remigans, Chriſticolarum ſuperventu detruſus, ſuccumbit. In hac navali congreſſione, galeam pariter & galionem cum ſuis vectoribus, pars perdit adverſa; noſtrique, ſolemnem triumphum [f] [gloriam] illæſi & læti reportant. Galeam itaque hoſtilem ſecum trahentes in aridam, utriuſque ſexus ex noſtris occurrentibus in littore victores expoſuerunt diripiendam. Mulieres igitur noſtræ *Turcos* cæſarie rapta protrahentes capite detruncabant probroſe tractantes, & abjectius jugulantes. Quarum quanta manus infirmior, tanto pœna dilatione mortis protractior, cultellis enim non gladiis amputabant capita eorum. Non eſt ſimilis viſa pugna navalis tam exitialis, tanto confecta periculo vel conſummata impendio. *Claſſis Turcarum à Christianis diſſipatur.*

CAP. XXXV.

Interea Turci *exteriores foſſam noſtram terra implere curantes noſtris intra poſitis feroces faciunt inſultus.*

INterea exercitus *Turcorum* exterior ex victoria noſtrorum altius ingemiſcentes pertinacius conglobati irruerunt in noſtros qui infra foſſam continebantur, ut vel foſſam perfectam obturarent humo rejecta implentes, vel reſiſtentes perimerent. Quorum impetum ægre excipientes noſtri maximo decertabant labore, quia tantæ multitudini innumerabili impares videbantur, tum quia ſemper creſcebat numerus irruentium, tum quia & ex parte civitatis cavendum erat ne forte & ipſi irrumpentes in eos irruerent. Inter oppugnantes erat quædam gens larvalis, nimis vehemens & pertinax, naturis deformis ſicut & aliis fuerat diſſimilis animis, nigriore colore, enormi ſtatura, feritate immanes, pro galeis habentes in capitibus rubra tegumenta, ferreis hirſutas dentibus clavas geſtantes in manibus, quarum ictibus quaſſanda nec caſſis reſiſteret vel lorica, *Mahumeti* effigiem inciſam pro ſigno habebant. Hujus protervæ gentis tanta fuit multitudo quod in foſſam irruentes alii aliis cederent colliſi in terram. Irrequietis igitur inſultibus debacchantes noſtros tanta affecerunt prolixitate, quod qua parte eſſe cavendum ambigerent, nuſquam enim ſecuritas, nunquam requies, angebantur undique, nunc obſervantes ſe ab obſeſſis in urbe, nunc ab exterioribus continue imminentibus, nunc & à parte maris Galeis eorum ſedentibus in inſidiis, ut vel *Turcos* advenientes admitterent in urbem, vel Chriſticolis obviarent nobis in ſubſidiis venientibus, divinæ demum pietatis reſpectu rejectis & repulſis adverſariis.

CAP. XXXVI.

Noſtri dum tribus turribus ligneis urbem inſiliunt, oppidani deditionem offerunt, & dum ab hoſtibus inferioribus infeſtantur, machinæ eorum incenduntur.

PRincipes noſtri ad machinas quibus civitas oppugnetur operam communem impendunt. Tres itaque Turres ambulatorias de ſilvæ ſiccioris materia conſtruunt, quarum prima *Landegravum*, ſecunda *Genuenſes*, tertia exercitum reliquum ſortitur auctorem. Certanti ſtudio moles iſtæ conſurgunt quas ex trabibus & tabulatis in altum eductas lapſus mobiles incitat, & *Tres machinæ eriguntur à Chriſtianis.*

f Deeſt.

 quadam

quadam arte mechanici facilem ad motum inclinat. Artifices vero has machinas ne pareant incendio centonibus & crudis coriis obvolvunt, & ut petrariarum impetus materia molliori exceptus non noceat, reticulatos funes à fronte protendunt. Porro eminentiæ turrium ſupra murorum faſtigia, & urbis propugnacula ſublimes Baliſtarios & ſagittarios continent, at medias ſtationes occupant, qui ſudibus & contis decertant. Singulis autem caſtris ſuæ applicantur petrariæ, & lateratim aſſiſtunt, quibus & machinæ productæ defendantur, & mœnia dejiciantur adverſa. Oppidani vero jam penitus diffidentes urbis deditionem offerunt, ita tamen ut ipſis abſcedendi libertas, & res ſuas aſportandi non denegetur facultas. Noſtris vero renuentibus, omnique niſu inſiſtentibus, ut confectæ machinæ muris applicarentur, reſiſtunt viriliter oppidani vicem reddentes oppugnantibus, & incurſantibus talionem. Vero ſabbato poſt Aſcenſionem Domini, muris machinis propius admotis, cum jam à mane uſque ad veſperam acrius oppugnarent civitatem, ecce exercitus *Turcorum* exterior irruens magno cum impetu catervatim ſe ingerit in foſſam, ut oppugnaret à tergo impugnantem civitatem, ut vel eos averteret vel omnino diſſiparet. Igitur dum noſtri hinc inde coerciti, utrinque diviſi, ſe vel ab exterioribus irruentibus defenderent, vel urbi expugnandæ intenderent, & virtus minor fieret, quia partita in diverſa, machinas noſtras ignis ſuccendit hoſtilis, quas nec potuit ulla diligentia extinguere, ſed mutiles factæ ſunt igne Græco conſumptæ. Sicque infelici caſu triumphi ſpes excidit, quæ quanto prius certior tanto poſtmodum triſtior evaneſcit.

Machinæ Chriſtianorum incenduntur.

CAP. XXXVII.

De fame oppidanorum, & ſuccurſum per galeas.

OBſeſſi vero jam victualibus nimium egentes affligebantur, ut equos ſuos conſumerent, nec alterius generis beſtiis parcentes, legis obliti *Mahumeticæ*, dum hianti ſatisfacerent gulæ, quos fames incitat ad eſus nefandos. Interea Chriſtianorum captivos ſeniores, quos præ ſenectute æſtimabant inutiles, jaculabantur foras mutos, exanimes ; juniores vero vegetos, & ad opera exercenda idoneos reſervabant captivos. Sic igitur anguſtiatis *Turcis* advenerunt tres naves onerariæ, & ſe ſubito nautæ præcipitantes in urbe, dum noſtrorum metuunt occurſum, quidam eorum paſſi ſunt naufragium, ſalvis tantum navibus cum victualibus advectis. Unde obſeſſi nimia diſſoluti lætitia, tanquam voto eorum fuerit ſatisfactum, cum cymbalis & tibiis ululantes vocibus altiſonantibus teſtati ſunt ſe perplexos non eſſe, firmant igitur plauſus ad judicium, ne putentur ſuſtinere diſpendium.

Turcæ Chriſtianor. captivos ſeniores foras ejiciunt.

CAP. XXXVIII.

Salahadinus *congregatis exercitibus omnium Regnorum ſuorum noſtros impugnat, ſed noſtris viriliter reſiſtentibus confuſus abſcedit.*

SAlahadinus interim contractis copiis totius *Aſiæ*, quicquid *Indiam* à *Tigri* diſterminat, quicquid *Tigrim* & *Euphratem* interjacet, quicquid inde ad mediterraneos porrigitur fluctus, ſimul in bella produceret. Ex *Affrica* vero gentes innumeræ confluunt *Nadabaræ*, *Getuli*, & *Numidæ*, ſed & populi meridionali ſolis aduſtione deformes, quos à *Græco* vocabulo *Mauron*, quod nigrum ſonat, *Mauros* ſive *Mauritanos* appellant. Sic ergo duæ mundi partes, tertiam

tertiam impetunt; & adverſus duas *Europa* confligit, quæ ſola nec tota Chriſti nomen agnovit. Porro pleroſque *Salabadinus* ſtipendiis excitat; & in ſumtus tantos nec pecunia dudum [t] [ante] collecta ſuppetit: nam communi placito Gentiles ſtatuerant, ut morientes quicunque, rerum ſuarum partem tertiam Legis defenſoribus erogarent. Cæterum nonnulli, quodam peregrinationis obtentu gratis veniunt; & pro legis ſuæ cerimoniis defendendis, contra Chriſticolas pugnaturi procedunt. Hanc igitur multitudinem undecunque collectam tyrannus effundens, nimia elatione luxuriat; & noſtros audacter impetens, omnes vel captivos abducere, vel in ore gladii exterminare confidit. Quod ſi *Darium Perſarum* Regem, cum ſeptingentis millibus dimicaſſe legimus; in hoc præſens multitudo præjudicat, quod illa numerari potuit; iſtam vero nulla numeri certitudo concludit. Ingens illa planicies quæ à mari ad mare porrecta, longe lateque diſtenditur, tot millibus minus ſufficit; & cum ſinus laxiores camporum amplitudo explicet; loci tamen anguſtiam, acies conſertæ cauſantur. Chriſticolæ, quibus hinc oppidani, hinc hoſtium inſtant exercitus, utramque incurſionem ſtrenue ſuſtinent; & diſpoſitis ad foſſata præſidiis, tam hos quam illos à caſtrorum irruptione propellunt. Sabbatho Pentecoſtes, inſultus iſte primo committitur: quem in dies octo protractum, ſtrages utrinque magna durius exarſiſſe teſtatur. Noſtri, dies feſtos infeſtos ſentiunt; eos tamen ſpiritus virtutis in confuſionem hoſtium corroborat: & qui olim Apoſtolos ad prædicandum inſtruxit, nunc milites ſuos ad pugnandum accendit. Univerſi autem, edicto publico, caſtrorum limites excedere inhibentur; nec eſt opus extra bellum quærere, cum propius inveniant provocantem. Tanta quidem inſtantium multitudo irruit, quod ſagittæ caſu emiſſæ fruſtra non evolant; nec quiſquam ictus certos dirigit, ubi turba denſior tot vulnerandos opponit. Octavo die unus filiorum Soldani baliſtæ jactu occumbit percuſſus; cujus obitus & cœptos inſultus cohibet, & exercitum hoſtilem exterret. Plurimi ergo in fines patrios redeunt, Chriſticolarum prorſus abhorrentes congreſſum: quos adverſus tantam multitudinem tam ſtrenue viderant decertaſſe.

Salabadinus caſtra Chriſtianorum cum infinita hominum multitudine fruſtra aggreſſus turpem paſſus eſt repulſam.

CAP. XXXIX.

Item de fame oppidanorum & ſuccurſu per Galeas.

FAmes interea oppidanos affligit, quibus ab Ægypto Soldanus rates frugiferas notho flante tranſmittit. Erant autem viginti quinque: ſed tres majores; dum inter turrim Muſcarum & rupem proximam tentant irrumpere, duæ quidem ſaxis confringuntur illiſæ; tertia vero portu potitur illæſa. Venientes quippe, à cœpto curſu noſtrorum galeæ deturbaverant: quarum una, dum nimis temere fugientes inſequitur, ſcopulis offenſa deperit & diſſipatur.

CAP. XL.

De infortunio noſtrorum quod ex bello accidit ſine conſilio Principum ſuorum ſuſcepto.

TRactu temporis, cum exercitus otio longiore torpeſceret, plebs rerum novarum cupida, Principum [u] incuſat ignaviam; & pari deſiderio æſtuans, ſeſe viciſſim invitat ad pugnam: caſtra Gentilium quia tam proxima, indignantes movent; ſpolia diſtrahenda, cupidos incitant: victoriæ gloria pug-

t *Deeſt.* u Excuſat.

naces accendit. Tumultuariam [x] vero conjurationem ineunt; & animi calore præcipiti, unanimes accinguntur ad bellum, Principum non expetito assensu. Principes quidem, quantum possunt, ausus vulgi temerarios laborant comprimere. Sed & Patriarcha sub anathemate inhibet, ne ducibus inconsultis hostem provocent; & belli [y] discrimen incurrant: nihil tamen vel illorum dissuasio, vel hujus interminatio proficit: vincit enim furor consilium; rationem impetus; imperium multitudo: Vulgus quocunque impellitur, temeritatem virtutem putat, id optimum quod optat judicans; & rerum exitu non expenso, corrigentem refugit, regentem contemnit. Die igitur Sancti *Jacobi*, die luctifica & infesta, infelix illa gregariorum militum turba prorumpit; armati quidem prodeunt; sed minus provide, venturum discrimen attendunt. Juventus sane insignis, juventus strenua & nulli cessura [z] victori, si caput nacta, si consultius ausa, si quantum spoliis tantum præliis indulgeret. Verum Dux agminis nullus, sibi quisque miles, sibi ductor; signa propria vix agnoscunt, vix sequuntur; præcurrunt plurimi, dum potius de præda quam de prælio cogitant perituri, Gentiles visis prodeuntium turmis, metu [a] dubium [b] [an] de industria, paulisper cedunt; & sarcinis non asportatis, tentoria rebus variis opulenta relinquunt. Cæterum sub [c] clivo montis proximi vires absconsas collocant; & missis exploratoribus, quid nostri velint, quid veniant inquisituri, subsistunt. Nepos Soldani *Tecahadinus* eo tempore versus castrum *Himberti* tentoria fixerat: vir animis strenuus & armis; scelere immanis; sævitia implacabilis; & nomini Christiano tam perniciosus, quam invisus. Huc prædicta multitudo accelerat; huc prædæ libido cunctos excitat; minus quidem circumpositas locorum explorant insidias, qui jam de spoliis diripiendis contendunt. [d] Plerique copia ciborum inventa, indulgent [e] genio; & armis depositis nimium securi discumbunt, tanquam ad epulas invitati. *Turci* vero, rebus quæ geruntur non incognitis, mox undique irruunt; & voce, ut solent, terribili personantes, plebem dispersam & stupidam facili triumpho prosternunt. De bello nullus, cuncti de fuga cogitant; sed pedites, sed armis onusti, sed siti & æstu exhausti, nullatenus effugere possunt, quos hostis eques & impiger insectatur. Passim namque fugati, passim fusi; nulli parcitur, nemo captivus servatur; suum furor non explet affectum, ira ferrum repetit, quod tædium percutientis abjecit. Quocunque quemque metus incitat, mortis occurrit necessitas: inevitabile cunctis discrimen imminet: ubique hostis, ubique cædes; vulnerantur innumeri: & qui cæsi occumbunt [f] IV. millia æstimantur. Audito fremitu, & strage conspecta, Principes nostri dissimulant: duri certe, inhumani & impii, qui fratres suos coram se trucidari conspiciunt; nec opem perituris impendunt: quibus hoc solum pro crimine contra factam inhibitionem à castris exisse. Porro, cæteris ex ignavia potius quam offensa hæsitantibus, Archidiaconus *Colecestriæ Radulphus* de alta ripa, laborantibus subvenit, lapsuris succurrit: vir statura & forma spectabilis: quem laurus gemina, & utriusque militiæ commendat perfectio: scientia scil. præclarum, armis insignem, hic postmodum cum plurima præstanter insignia in eadem obsidione qua tunc laborabat, fine felici & commendabili diem clausit extremum. Oppidani vero visis suorum successibus, animosi prorumpunt; & usque ad injectionem [g] ædium de proximo papiliones invadunt.

x Ergo. y Discrimina. z Jactori. a Dubii. b *Deest.* c Declivo. d Plurimi. e Gulæ. f Quinque millia & quingenti. g Ignium.

CAP.

CAP. XLI.

De navibus in succursum nostrorum venientibus.

HAc itaque tam flebili cæde peracta, cum robur nostrum jam ex parte multa decisum esset, arrisit fortuna blandior; & allubescens *Favonius* rates attulit armatis onustas. Interdum vero Gentilium classis nostræ furtim permixta procedit; & tam lingua quam insignibus Christicolarum mentita paratus, inopinos & subitos ad urbem cursus subducit.

CAP. XLII.

Qui viri & quales bellatores tam Laici quam Clerici superioris & inferioris ordinis in succursum nostrum veniunt.

NOstris igitur diuturno tribulationis igne perfectius excoctis, & gravissimis tentatis pervenientibus usque ad animam, percussionibus elimatis, respexit Dominus qui non deserit sperantes in se, & doluit super eos adducens ab extremis finibus terræ fortes auxiliarios, viros insignes, potentes in prælio, qui præteritam non tantum resarcirent exercitus amissi virtutem, imo & à superabundanti ampliarent adjectione advenientium. Appulit imprimis Comes *Trecarum Henricus* de *Campania* cum manu militum valida. Venerunt & alii consequenter quamplurimi, quorum hæc sunt nomina, observato ordine adventus eorum, recitanda, venerunt isti, Comes *Theobaldus Blesensis*, sed trium mensium terminum non visurus, quia morte præventus est, venit & Comes *Stephanus*, Comes de *Claro Monte*, Comes de *Scaloniis*, *Manserius* de *Garlanda*, *Bernardus* de Sancto *Walerico*, *Johannes* Comes de *Pontiniaco*, *Erardus* de *Castiniaco*, *Robertus* de *Buonis*, *Adaunius* de **Fonteines**, *Ludovicus* de *Ascla*, *Galterus* de *Arzilleriis*, *Guido* de *Castelluno* cum *Lovello* fratre suo, *Guido* de *Meiseriis*, *Johannes* de *Monte Mirail*, *Johannes* de *Arciis*; venit & Dominus de **Camte** in *Burgundia*, *Gaubertus* de *Monte Aspero*, *Clarembaldus* de *Nuberiis*, Episcopus *Blesensis*, Episcopus *Tolensis*, Episcopus *Ostiensis*, Episcopus *Mordrensis*, Episcopus *Brisensis*, Episcopus *Astensis*, Patriarcha quoque *Jerosolymitanus*, Archiepiscopus de *Cæsarea*, Episcopus ne *Nazareth*, fuit quoque ibi electus *Aconensis*, Archiepiscopus *Besezonensis* & Archiepiscopus *Cantuariensis Baldwinus*, *Hubertus* Episcopus *Salesbiriensis*. Intererat etiam de quo præfati sumus Archidiaconus *Colecestrensis*, *Radulphus* de *Alta Ripa*, venit & Abbas de *Scaloniis*, Abbas *Esterpensis*. Venit & quidam Presbyter sine intermissione se exercens in hostes, & tela torquens balista infatigabili labore. Venerunt etiam de *Normannia* quamplurimi *Walklinus* de *Ferariis*, *Robertus* **Trussebot**, *Richardus* de *Vervone* & ejus filius, *Gillebertus* quoque de *Tilleriis* cum manu valida bellatorum, venit & *Yvo* de *Veteri Ponte*, *Ranulphus* etiam de *Clavilla* olim Justitiarius *Angliæ*, *Gillebertus Malenianus*, *Hugo* de *Gorniaco*, Præter hos etiam venerunt quamplurimi de diversis terrarum finibus quorum summa non cadit in numerum; nec, etiamsi sciretur, nominarentur propter fastidium audientium.

Nova auxilia Christianis accedunt.

CAP. XLIII.

Comes Henricus *de* Campania *exercitui nostro præficitur.*

h COmes *Trecarum Henricus* cum manu militum valida tunc temporis appulit: cui] statim regendi exercitus cura committitur, quem prius *Jacobus* de *Avennis*, & *Landegravus*, nunc simul, nunc vicissim habebant. *Landegravus* [i] autem valetudinarius effectus, repatriandi prætextu castra deseruit: qui cum multa clarius, & ad omnium favorem egisset, illustrem factorum gloriam turpi reditu deformavit.

CAP. XLIV.

Dux Suaviæ *persuasu* Marchesii Acon *venit.*

EO tempore cum filius Imperatoris, Dux *Suaviæ*, patre paulo ante defuncto, apud *Antiochiam* degeret, Principes ei [k] mandandum decernunt, ut ibidem moram [l] faciens & terras Gentilium vicinas [m] impugnet. Sanum quidem & salubre consilium; nam si hostem bellorum instantia, locis pluribus occupasset, conatus ejus ad multa deductus, minor ad singula & infirmior extitisset. Hujus legationis verbum *Marchisus* minus fideliter executus, Ducis animum maligna interpretatione [n] promovit, tanquam Principes ex invidia, ejus procurarent absentiam, ut sibi urbis capiendæ gloriam reservarent. Fuit autem qui assereret *Marchisum* à Soldano sexaginta millia *Bizantiorum* eo suscepisse obtentu, ut Ducis ab *Antiochenis* partibus discedere persuaderet. Dux itaque *Acon* veniens, dissensionis seminarium extitit: nam veteri & pertinaci diffidio ab *Alemannis Franci* diffident, cum Regnum & Imperium de Primatu contendant.

Marchisi astutia.

CAP. XLV.

Marchisus *Ducis auxilio aspirat ad Regnum.*

POrro *Marchisus* peculiarem causam occultius agens Ducis quem sanguine contingebat, præsentiam studiosius expetivit: ut ipso mediante, si posset, Regni solium obtineret. Casus quidem ad nutum blanditus, spem votis majorem indulserat, nam Reginam & sobolem quam de Rege *Guidone* susceperat, mors rapuit immatura; verum ut hanc tractatus particulam enucleatior excipiat intellectus: stirpis Regiæ successionem paulo remotiore principio evolvemus.

h Comiti de Campania Henrico quem primum prædiximus applicuisse. *i* Enim. *k* Mandaverunt. *l* Faceret. *m* Impugnaret. *n* Permovit.

CAP.

CAP. XLVI.

De genealogia Regum Jerosolymorum *quæ deficiens causa fuit quare* Marchisus *aspirabat ad Regnum.*

FUlco siquidem, pater *Galfridi Andegavorum* Comitis, singulari virtutum merito in Regem *Jerosolymorum* electus, de filia prædecessoris sui Regis *Baldwini* Melesende, duos filios *Baldwinum* & *Almaricum* suscepit. Quorum natu major Regio sceptro potitus; & nomen avitum referens, neptem *Manuelis Bizantini* Principis, *Theodoram* nomine, *uxorem* duxit: sed absque liberis, cum *Ascalonem* [o] victoriose cepisset, in fata concessit. Frater ejus virtutis & Regni successor, *Babyloniam* ad tributum compulit; & bino conjugio, variam utriusque sexus progeniem suscitavit. Prima uxor *Batrix* dicta, quam ante Regni susceptionem duxerat, filia Comitis *Roasiæ* fuit: sed quia unione sanguinis ipsi conjuncta fuerat, conjugalem copulam, celebrato divortio, cleri censura dissolvit. Ex ea tamen prolem geminam jam susceperat, filiam *Sibillam* nomine, & filium nuncupatione *Baldwinum*, qui patre defuncto diademate insignitus licet junior, & lepra respersus, *Salahadinum* cum sexaginta millibus *Turcorum*, manu [p] rata miraculose confecit. Hic citius rebus humanis exemptus, filium sororis suæ *Baldwinum*, quæ fratri *Marchionis Willelmo* nupserat, regni successorem constituit, & diademate insignivit. Sed & ipse adhuc [q] parvulus & septennis morte festina decessit. Cæterum patre pueri pridem defuncto, *Guido*, qui de *Pictavia* oriundus fuit Sepulchri visitator advenerat, matrem pueri *Sibyllam* duxit uxorem: qua postmodum paternum vindicante solium, ipse quoque Regiæ potestatis insigne suscepit; Ex ea quidem quatuor filias genuit, quas simul cum matre infra brevem temporis tractum mors [r] importuna rapiens, *Guidoni* calumniam peperit, & *Marchiso* regnandi fiduciam concitavit. Porro uxor secunda, quam Rex *Almaricus*, repudiata priore, superduxerat, *Maria* nomine, consanguinea *Manuelis* Imperatoris fuit, ex qua duas progenuit filias: sed earum altera sub tenero vitæ principio diem clausit extremum: alteram vero, *Elizabeth* nuncupatam, cum nondum annos nubiles attigisset, *Enfridus* de *Turone* sponsam habuit: sed quia successionis jure jam ad eam Regni devolvebatur hæreditas, *Marchisus* utrumque molitur expungere, tam *Enfrido* conjugem, quam sceptrum *Guidoni* rapturus.

CAP. XLVII.

Miraculosa quæ contingebant tempore obsidionis subnectuntur.

INterea juxta varios, sicut dicitur, eventus belli, nunc his, nunc illis vicem pro vice reddentibus, casus contingebant multiplices, non minus miraculosi quam mirandi, quos ad notitiam posterorum visum est non indignum recitari.

o Victoriosissime. p Rara. q Puerulus. r Inopina.

CAP. XLVII.

Petraria quædam oppidanorum ex violentia ſui omnes machinas noſtras comminuit, & hominem ex noſtris quem percuſſerat non læſit.

PEtrariarum hoſtilium, quarum fuit in civitate copia, una fuit incomparabilis, & magnitudine compactæ machinæ, &, pro voto torquentium, inæſtimabilis molis lapides jaculando efficax, hujus nihil potuit reſiſtere vehementiæ. Incredibilis molis quippe lapides jaciebat, emiſſos etiam lapides procul impetus egit. "Omnia comminuit jactus quæcunque feriret. Lapides nihilominus, quoties nullo retardarentur obſtaculo, unius pedis longitudine agebantur in terram cadentes. Nonnullas Petrariarum noſtrarum percutiens in particulas diſperſit, vel certe mutiles effecit, machinas quoque alias plures, vel ictu diſſolvit, vel particulam, quam attigerat, abſcidit. Tanta nimirum erat vehementia jaculandi, & impetus tam pertinax, quod nihil tam ſolidum, vel ita fuit compactum cujuſcunque materiæ vel ſubſtantiæ, quod poſſet incolume tam intolerabilis percuſſuræ ſuſtinere injuriam. Hæc igitur talis in quendam ex noſtris hominem lapidem enormis magnitudinis dedit à tergo, averſa quippe facie ſteterat nihil ſuſpicans, ſed nec æſtimans tam procul poſſe lapidem perveniſſe, ſed nec hominem quidem vel in minimo læſit, imo nec loco movit, ſed reſiliens à tergo tanquam à monte ferreo decidit haud procul inefficax. Quem vir ille reſpiciens plus habuit horroris ex viſu, quam doloris ex ictu. Quis hoc, inquam, non aſcriberet divinæ miſerationi? quis hoc intelligens non penſaret magna opera Domini, cujus pro ſe certantibus ſemper præſto eſt clementia? ad cujus commendandam ubique merito magnificentiam quid operatus eſt ſubjiciam.

CAP. XLVIII.

Telum ab interius in quendam ex noſtris emiſſum omnem armaturam ejus penetravit, ſed ſcedulam nomen Dei continentem, & in pectore ejus pendentem penetrare non potuit.

AMplius. Quidam ex noſtris ſatelles, dum in foſſis extra murum civitatis exiſteret, vel ut muri infirmiora perſcrutaretur, vel ictu baliſtæ, quam manu geſtabat, quemcunque hoſtium feriret, huc illucque vagando demum ſubſtitit, armatus quidem erat more peditum ſatis competenter, ferreo tegmine capite munito, lorica quoque, tunica etiam linea multiplici conſuta, lineis interioribus difficile penetrandis acu operante artificialiter implicitis, unde & vulgo parpunctum nuncupatur. Hunc igitur ſuſpicientem ſubito à ſummitate muri, *Turco* tranſmittente ſpiculum baliſtæ vi maxima contortum percuſſit in pectore, ita quod omnia prædicta penetrans viz. capitis ferream armaturam, & etiam loricam cum parpuncto, demum ad quoddam Breve, quod geſtabat, appenſum collo & in pectus, denſiſſimum, non ſolum reſtitit, ſed tanquam à ferrea lamina reſiluit retunſum & recurvatum. Nunquid non manifeſta ſunt opera Dei, ut telum penetrans ferrum multiplicatum à ſchedula reſiliret hebetatum? nomen quippe Dei ſanctum dicebatur vir ille geſtare collo appenſum inſertum ſchedulæ ferro impenetrabile. Murus quidem inexpugnabilis Deus eſt ſperantibus in ſe.

CAP.

CAP. XLIX.

Miles inermis requisitis naturæ vix peractis Turcum *armatum se lancea impetentem lapide prostravit.*

AMplius. Quendam ex nostris militem ad requisita naturæ extra castra in præfatæ margine fossæ sicut moris inclinatum, *Turcus* quidam equo admisso improvidum petiit, quem cum miles venientem à latere adverteret, vix opere, ad quod venerat, expleto, se expeditus arrexit, vel ut irruentem declinaret, vel annuente Domino quocunque modo expeditior exciperet, licet prorsus inermis extiterit. Quem cum *Turcus* lanceæ cuspide niteretur transfodere Deo protegente paulum inclinatus ictum fefellit

Transit equus rapidus vacuoque prætervolat ictu.

Turcus autem cum ad votum sibi non successisse doleret, repetito cursu pertinaciter vibrans hastam ferebatur in militem, quid igitur faciat miles inermis? pedes, solus, & tanquam hosti expositus in prædam, invocato vero qui semper suis per gratiam præsens est Deo in auxilium, cum comminus cerneret imminentem lapidem forte repertum

Jecit in hostilem nudum sub casside vultum,

quo ejus tempore colliso, stupidus *Turcus* equo turbatus in terram, & fractus cervicibus mortuus est, cujus equum miles comprehendens impigre sessore mutato reversus est ad suos. Hoc quodam alio referente, qui casum rei perviderat; factum est notorium in castris.

CAP. L.

Mulier fidelibus fossam urbis terra implentibus in fossa moriens præcipit corpus suum in loco terræ ibi manere.

AMplius. Inter comportantes ad complendum aggerem in fossam civitatis facilius comprehendendæ, mulier quædam sollicitius laborans multa fategit sedulitate, ut opus cœptum proficeret, sine intermissione infatigabilis iens & rediens, aliosque diligentius exhortans, in zelo concepto compulsa est invenire finem vitæ simul & laboris, nam, cum simul omnis multitudo cujuslibet sexus & ætatis, ad opus expeditius complendum, itque reditque frequens, mulierem præfatam, dum se quod apportaverat Dominæ expedire satageret, *Turcus* sedens in insidiis pilo percussit ad mortem. Quæ cadens in terram, dum se præ vehementia doloris in diversas partes torqueret, qua potuit voce, virum suum, qui ad eam gemebundam cum pluribus aliis accurrerat, flebiliter, nec minus suppliciter rogavit dicens, dilectione tua Domine Charissime per maritalis religionem amplexus, per fidem inter nos contracti olim matrimonii precor & exoro, ne cadaver meum jam futurum exanime ab hoc loco patiaris amoveri, imo quia jam non licet ulterius ad hoc opus perficiendum operari viventi, locum obtineat corpus in opere ut nonnihil sit quod me reputem profecisse, jaceat cadaver exanime in fossa vice terræ, postmodum terra futurum. Hoc idem suppliciter exoravit ut fieret ab universa circumstante multitudine, nec multum post emisit spiritum. O fides infir-

mioris sexus admirabilis! O zelus imitabilis mulieris, quæ nec post mortem destitit operantibus cooperari, dum perseveravit etiam voluntas in moriente operandi.

CAP. LI.

De equo Turci *in reti capto.*

AMplius. Quendam ex nostris plebeium dum rete suum tenderet explicitum extra castra, vel ad arcendos *Turcos*, vel si irruerent capiendos, unus eorum equo sedens rapido cursu impetiit, quem cum ex adverso irruentem respiceret, nondum consummato omnino cui insistebat opere in fugam versus est, quem cum *Turcus* persequendo nequiret assequi, jam receptum in castra desperans persequi desiit,& revertens rete cœpit avellere,nimia turgidus indignatione. Cum autem jam nonnullos paxillorum cum funibus quibus rete tenebatur eruisset à terra, ipsum rete, quod raptim & incaute studuit obvolvere, caput equi cui insidebat forte comprehendit inclusum, equus autem elegantioris formæ se dedignans comprehendi, efferatus frequentius ut se expediret in orbem girans magis ac magis irretitus est, quod cum viri quidam prospexissent, eo versus præpete cursu agebantur. *Turcus* autem equum suum sentiens impeditum ocius desilivit, & pedes fugit, qui licet ibi relicto careret equo cursu pedestri insequentes evasit, quia pedibus timor addidit alas. Cujus equum optimum, vix tandem à reti quod ex parte ruperat multa diligentia expeditum, cunctis in commune qui occurrerant decernentibus, habuit ille plebeius, cujus rete extritaverat,in repensationem retis sui scissi.

CAP. LII.

De equo Turci *pedica capto.*

AMplius. Propter frequentes & improvisas *Turcorum* irruptiones decreverunt Principes nostri fieri pedicas occultas, & terra ne viderentur operiri. Contigit igitur quadam die dum se quidam ex nostris ephebi in planitie extra castra ex condicto exercerent, sagittas ad signa immittentes, *Turcorum* quosdam equis admissis in ipsos juvenes irruere, quos quia inermes erant nostri & numero pauciores declinantes se receperunt in castra. Unus autem persequentium quasi equi sui confidens agilitati pernicius alios anteibat, cum ecce medio cursu pedica una comprehensus est equus ejus, unde nullo nisu vel studio sessoris potuit tunc expediri, unde *Turcus* malens equo carere quam capite pedes aufugit indemnis ad suos, equum vero ejus decretum est reddendum ei, cujus erat illud quo retentus erat instrumentum, viz. *Roberto* Comiti *Druensi.*

CAP. LIII.

Ivo *de* Veteri Ponte *cum paucis* LXXX. *piratas occidit.*

AMplius. Militem ex nostris *Ivonem* de *Veteri Ponte* decem sociis comitatum, versus *Tyrum* tres nautæ in parva navi deduxerunt, quos cum jam à portu longius navigantes perspexissent quidam *Turcorum* piratæ, à quodam maris gurgite aridæ contiguo prodeuntes, in quadam Galea remigantes ferebantur in eos, erant autem numero quasi octoginta. Quos cum nautæ vidissent

diffent pernicius appropinquantes, nimio exterriti timore dixerunt ad invicem. Domine Deus, væ nobis capti fumus jam trucidandi, ad quos prænominatus *Ivo* de *Veteri Ponte* dixit, quid modicæ fidei timetis quos fine mora mortuos videbitis? & cum jam violentia remorum acta Galea roftro navem videretur comminus percuffura. *Ivo* in eandem infiluit Galeam, & quam manu geftabat bipenni cœpit *Turcos* inftanter detruncare. Cujus opus cum ejufdem focii profperari vidiffent, animæquiores ad eum in Galeam infilientes univerfos, quos invenerunt hoftes, vel immifericorditer detruncaverunt, vel captivos fecum abduxerunt. Sic his datur triumphare qui in Deo fpem ponunt, qui vinci non novit, ad quod fides ficta non valet, nec multitudo dimicantium: quia nec refert apud Dominum five in paucis five in pluribus confiftit belli virtus & fumma victoriæ.

CAP. LIV.

Admiralii genitalia igne Græco combufta funt, quo machinas noftras incendi propofuerat.

AMplius. Cum oppidani forte comperiffent noftrorum maximam multitudinem à caftris exiiffe, ficut fieri folet, ad quæritanda efui animalium neceffaria, à civitate fubito erumpentes, ductore eorum Admiralio viro famofo & potenti *Bellegemino* nomine, in noftros minus circumfpectos irruerunt, quos tamen pertinaciter infiftentes, nonnullis hinc inde peremptis, repulerunt in urbem. Admiralius vero folus tanquam aliis animofior diutius reftitit, omnium quidem ftudio fategit, ut ficut prius fe jactanter prædixerat acturum, machinas noftras urbis in proximo muris admovendos vel ferro diffiparet, vel igne Græco confumeret, cumque diutius his exequendis follicitius infifteret. aliis jam fugientibus, ipfe folus remanfit, donec fcil. propofitum peregiffet, quem ex noftris miles quidam ex adverfo veniens equo dejecit, & cafu confracta, qua ignem Græcum geftabat, ampulla, eodem igne fuccenfa funt ejufdem *Turci* membra genitalia cum verendis partibus reliquis, liquore fcil inextinguibili. Et fic eidem ceffit in proprium exitium, quod nobis difpofuerat ad detrimentum.

CAP. V.

Turcus *ignem Græcum natando deferens à noftris reti capitur.*

AMplius. Quidam noftri pifcatores non procul à terra retia fua laxaverant in capturam pifcium, hujus enim ftudio minifterii, & fibi neceffaria acquirebant, & pifciculos vendentes non modicum egentibus folatium præbebant. Contigit igitur die quadam, ad occafum fole vergente retibus extenfis,quod quidam noftrorum eminus refidens in littore perfpiceret hominem in mari longe natantem, capite folo comparente, aquis cætera tegebantur. Illo itaque qui hoc viderat indicante, pifcatores prædicti cimba fua vecti natantem pertinacius infectabantur ut viz. cognofcerent quidnam hujufmodi fuiffet prodigium. Cui, cum propius remiges acceffiffent: *Turcum* effe deprehendunt, poft quem jam ad eorum vociferationem exterritum, & retro cedentem, feftinant remigantes, & in eorundem retibus comprehenfum tenuerunt. Prius enim eadem nandi peritiffimus retia pertranfierat, cum eo quod portabat onere ad collum fufpenfo, portabat enim ignem Græcum in pelle lutrina, his qui in urbe obfidebantur deftinatum, fic enim *Turci* mittere confueverant obfeffis ignem hujufmodi per homines nandi gnaros, quia

quia sic fieri commodius æstimabant & occultius. Piscatores autem cum deprehenso suo captivo ascendentes in terram, rem ut erat cunctis exponunt per ordinem. Ipsum itaque cum eo quod portaverat igne vinctum, per medium deduxerunt exercitum, acriter flagellantes, & irridentes, & tandem durius laniatum decapitaverunt, & sic dimissus est quietus. Sic Dominus habere curam suorum probatur, qui dissipat consilia gentium & reprobat consilia Principum, qui quas hostilis procuravit malignitas ad nihilum redegit adversitates.

CAP. LVI.

Turcus *telo in inguine percussus interiit, qui crucem Dominicam commingere disposuit.*

AMplius. Nec hoc quidem arbitramur silendum quamvis onerosum relatu, horrificumque sit auditu, quod *Turci*, ob scandalum crucifixi, & opprobrium nostræ fidei, consueverunt iconia & picturas Christianæ Religionis repræsentantes mysterium, in civitate repertos, super muros in conspectu Christicolarum virgis cædere, & tanquam viventes durius flagellare, & sputis sordidare, & aliis pluribus modis pro voluntate ignominiose tractare. Quod cum die quadam *Turcum* quendam nostrorum quidam vidisset agentem, & crucem quendam cum salvatoris nostri imagine, turpi quadam repræsentatione & nefanda moribus agitasset obscenis, vociferatione blasphema, impia verba nostræ religionis inimica proferret, tandemque extractis membris genitalibus, in eminentiori loco urinam stillando contumeliose proposuit perfundere, zelo ductus, in blasphemum emisso pilo balistæ, vulnere lethali transfodit in inguine *Turcum*, sicque moriendo persensit quam nihil sit quicquid quispiam contra Dominum agendum tentaverit.

CAP. LVII.

Parthus *sagittarius non stans pacto à sagitta* Walensis *sagittarii occiditur.*

AMplius. Forte die quadam utriusque exercitus fundibularii & sagittarii, & quicunque jaculandorum periti missilium, invicem sese sicut frequentius provocantes, in alterutros eminus tela mittebant, tanquam perfunctorie & causa exercitationis. Cæteris tandem ab invicem digredientibus Parthus quidam & *Gualensis* adversa fronte missilia torquere, tela dirigere ut feriret magnopere studebat, *Gualensis* vero arcus non inscius ex adverso mittendo sagittas vicem pro vice rependebat, cui *Parthus* induciis petitis appropians eum, cum jam posset audiri, convenit dicens. Cujus inquit oriundus es patriæ? vel quo nuncuparis nomine plurimum me delectaret agnoscere, probatum quidem te jam expertus sum esse sagittarium, & ut libentius quod quærito exponas, ego sum *Parthus* natione, in arte sagittaria à pueritia educatus, appellor quoque *Grammahyr* inter nostros non obscuræ famæ, factis quippe famosus insignibus & notus victoriis. Cui cum *Gualensis* patriam indicasset & nomen, probemus inquit *Parthus* quis nostrum in arte hac merito habeatur superior, sustineamus ex condicto singulas vicissim in alterutrum dirigere arcu jaciente sagittas, tuum igitur primum erit immobiliter stare, ut primam in te jaceam sagittam, meque postmodum sagittabis eodem modo expositum. Consensit *Gualensis*. *Parthus* igitur aptata sagitta, divaricatis

ut

ut id expofcit artificium pedibus, manibus in diverfa diftentis, oculis in directo admotis, arcu finuato

Evolat in vacuum non percuffura fagitta.

Permanens illæfus *Gualenfis* prælocutam expoftulat conditionem. Cui *Turcus*, non faciam inquit, imo tu fecundam fuftinebis fagittam, ut ego poftmodum duas à te miffas excipiam. Cui *Gualenfis*, non ftas inquit pacto, qui quod dictafti non obfervas arbitrium, fi fecus non fuftines, licet ægre, ficut potero differam ad tempus, ex fallacia tua prout voluerit expetat Deus ultionem. Vix verba finierat cum *Turcum* illum, telum in pharetra commodius ad feriendum adverfarium quæritando eligentem, in ictu oculi pilo tranfmiffo percuffit in pectore, quod, nec ullo tardante offium obftaculo, exiit à tergo, penetrato corpore *Turci*. Et *Gualenfis* ait, nec tu ftas pacto, nec ego verfa vice verbo. His & his fimilibus exhilarati Chrifticolæ fucceffibus, quibufque perferendis adverfitatibus alacriori fide & fpe ferventiori perdurandum cenfuerunt fefe rebus fervantes fecundis.

CAP. LVIII.

Inter Turcos *& noftros fit navale prælium, & dum noftri Turribus & machinis affixis Galeis turrem mufcarum comprehendere nituntur, machinæ noftræ igne confumuntur.*

INterim *Pifani* & alii quicunque claffis regendæ periti, quibus erat à parte maris civitatis obfidio delegata, erexerant in modum caftelli fupra Galeas machinam compactam multa diligentia cum propugnaculis, ut murorum fcilicet fuperaret altitudinem, & ad tela jacienda facultatem præftaret & facilitatem. Duas præterea fabricaverunt fcalas cum gradibus aliquot quibus murorum fummitas occuparetur. Hæc igitur omnia fupradicta cum Galeis coriis obvolvunt extenfis, ut nec ferro five quibufcunque jaculis æftimarentur ceffura, Præparatis omnibus turrim mufcarum obfeffuri fuccedunt, quam & baliftarum & telorum jactu vehementer oppugnant. Quibus inclufi viriliter refiftunt, nec viribus impares vel fucceffu, noftris quippe forte quenquam illorum perimentibus, indilatam reddebant talionem. Et ut eos gravius vel opprimerent vel abigerent, ferme duo millia *Turcorum* exierunt à civitate in Galeas, ut auxilium præftarent obfeffis in turri, dum eofdem *Pifanos* parte adverfa vexarent. Noftri vero bellatores incliti & electi prout poterant commodius admotis machinis prædictæ turri, hi incunctanter intendunt jaculandis ãnchoris permaximis in turrim, & quæcunque ad manum robora vel moles lapidum five telorum, alii vero, prout erant difpofiti, ad repellendos eos à parte maris oppugnantes non fegniter Marte dimicabant navali. Anchoris injectis in turrim cedebant ancilia, parmæ quoque contritæ funt & fcuta. Miro quidem impetu & diutius intolerabili turris oppugnabatur, aliis aliis fuccedentibus viciffim fatigatis, irrequietis vicibus, & invincibili virtute. Tela fluunt mixtim horrifico fragore, miffilium robora majora jaculata ftridentia volant. *Turci* cedunt ad tempus, quia pondus belli fuftinere non poterant. Et ecce erectis fcalis fcandendæ turri admotis expediebantur noftri ad afcendendum, attendentes autem *Turci* jam fibi fupremum imminere difcrimen, omni virtute refiftendum eligentes afcendentibus noftris maximæ molis robora emittebant conterendis & de fcalis dejiciendis. Poftea quoque ignem Græcum in caftellum erectum jaciebant, quod poftremo igne correptum eft, quod cum perfpexiffent qui inerant fpe fruftrati defcendere compulfi funt & recedere. Inæftimabilis autem facta eft interea ftrages *Turcorum* à parte maris

ris noftros oppugnantium, & licet à parte turris fe pars noftrorum doleret inefficacem, pars vero à parte maris difpofita gravi hoftes affecerant cæde. Confumtis denique machinis igne devorante cum caftello, & galeis, & quibus fuerant infertæ, cum fcalis erectis. *Turci* nimia diffoluti lætitia vociferatione altifona perftrepentes fubfannabant, fuper infortunia noftra moventes capita fua. Unde Chrifticolæ ultra modum defolati non minus anguftiabantur opprobriis irrogatis quam accidentibus difpendiis. Veruntamen ex adventu peregrinantium crebrius applicantium alacriores effecti funt, & eo quod crevit eorum numerus confortata eft manus eorum.

CAP. LIX.

Oppidani igne Græco cum amiffione tamen fuorum arietem Archiepifcopi de Befezonen *fuccendunt.*

INterea Archiepifcopus *Befezonenfis* machinam fecerat præparari multa diligentia compactam, & impenfa conftructam, quam vulgo dicunt Arietem, quoniam arietis more crebris & iteratis impulfibus reductis, murorum quantumlibet folidorum dejiciat firmitatem. Hunc itaque arietem firmiter undique ferreis laminis obductum idem Archiep. muris diruendis deftinat applicandum. *Arietem Com. Henric. præparari fecit.* Alterum arietem præparari fecerat Comes *Henricus*, quo potuit ftudio præmunitum & corroboratum, qui nulli fcil. crederetur ceffurus injuriæ. Cæteri nihilominus Magnates exercitus & Heroes finguli fecundum propriam virtutem, five communicatis quidam impenfis præparare fecerant variarum argumenta machinarum. Alii fues roftratas, alii contos, alii fues, five quodcunque genus vel prius vifum five tunc excogitatum. Indicta igitur fingula die quifque quod fuum erat muris applicare ftudebat inftrumentum. Archiep. igitur arietem fuum ad inftar domus collaqueatum promovebat ad murum concutiendum. Habebatur introitu navis malus perlonga, cujus caput ferro veftiebatur, quæ multorum manu impelleretur ad murum, deinde retrorfum ducta majori impetu deftinebatur, ficque crebris ictibus conabantur muri latus cavare aut murum difrumpere. Illi autem qui fic arietem agitantes crebris murum vexabant impulfibus fubtus arietem erant fecuri ab omni periculo defuper venientis injuriæ: *Turci* vero defuper muros fe viriliter defendentes maximam lignorum ficcorum veteris materiæ fuper machinam comportaverunt congeriem, quæ viz. de facili igne fuperjecto potuiffet corripi, petrariis etiam non ceffabant jaculari robora permaxima. Poftremo ignem *Græcum* defuper miferunt, & correpta lignorum materia totius *Machinæ Chriftianorum igne Græco confumptæ.* machinæ præfentiebant qui inerant diffolutionem, & convalefcente igne fervoris impatientes arietis impulfores diverterunt ab eo, & aliis quibus poterant infiftebant inftrumentis. *Turci* vero infatigabiliter ad diffolvendum arietem jaculabantur vel moles graviffimas ad conterendum, vel oleum incendiarium ad confumendum. Magna fuit inter Chrifticolas & inter *Turcos* contentio, & virium exercitatio, dum hi infifterent obnixius ad argumentum arietis extricandum, & ifti refifterent animofius ad defendendum. Ignis autem femel accenfus & iteratus officiofius *Turcis* qui injecerant cooperabatur, dum nulli parcens materiæ jam fuperanti machinam concremaverat incendio. Jam retro cedebant Chrifticolæ fuum dolentes inefficacem conatum, & contra *Turci* tripudiantes & vociferantes vehementius fpem noftram improperabant inanem, & actus eorum merito nullius fore virtutis comparatione fuorum. Nec tamen impune noftris infultabant adverfitatibus, octoginta enim amiffione *Turcorum* mutilata eft multitudo illorum, cum quibus periit quidam magni nominis Admiratus, ad cujus nutum hæc fiebant,

quamvis

quamvis hæc omnia ex induſtria diſſimulaverint, ut noſtros lateret dolor eorum. Attendentes Principes noſtri operas eorum & impenſas citra votum ſecundum æſtimationem carere ſucceſſibus, tot infortuniorum aſperitate confracti, ab inſultibus ad tempus cenſuerunt temperandum, de cætero ſe remiſſius agebant.

CAP. LX.

Claſſis quindecim navium ex Alexandria *oppidanis mittitur in auxilium ſed multi perierunt.*

INterea non multum poſt feſtum Sancti *Michaelis* venit *Alexandria* claſſis quindecim navium, pompoſo quidem apparatu inſignium, modicum ſingulis ſeparatis ab invicem. Venerunt autem in adjutorium obſeſſorum, inclinata jam die, vento quoque vehementiori adactæ à curſu ſe temperare nequibant. Unde noſtro proſpecto exercitu nimium formidabant ne forte eis noſtri prodirent in occurſum, quos declinare non poſſent, quod tamen Chriſticolæ propter noctem imminentem & ventorum nimietatem non præſumebant. Claſſis quoque conglobata verſus Cathenam procedit cum impetu. Tres majores naves ſubſequuntur, quas vulgo *Dromones* appellant, galeæ vero leviores, & ad quælibet aptanda agiliores præcedunt. Dum feruntur igitur impetuoſe ordine confuſo in portum, facta magna difficultate ex mutua colliſione, duæ naves collidebantur ad cautes & confractæ ſunt, & omnes qui inerant pene ſubmerſi, ſuper quibus periclitantibus dederunt Chriſticolæ voces in ſubſannationem & deriſum, & in portum undis vehementibus delatos detruncaverunt. Præterea maximam galearum ipſorum, ventorum violentia in portum depulſam, comprehenderunt pene victualibus onuſtam, & peremptis hominibus cætera ſibi tenuerunt. Cæteræ vero naves ferebantur in portum deſideratum infra Cathenam, quas advenientes oppidani cum innumerabilibus excepere lanternis, luminaribus & præſtantiſſime admiſerunt expeditos in urbem admodum lætificati gratiſſimo eorum adventu. Unde poſtea ex prædictorum adventu adaucta multitudine minus idoneos ad exercitia bellorum expoſuerunt ab urbe,ne viz. ad conſumenda victualia forent eis impedimento, & inefficaces auxilio, & multiplicati ſunt dies.

Galear. Turcicarum maxima à Chriſtianis capta.

CAP. LXI.

Noſtris Archiepiſcopo Baldwino *exercitum ducente congredi cum* Salahadino *diſponentibus,* Salahadinus *cum ſuis fugit ad montana.*

PLebs interea de Principum quiete murmurat; & ignavæ obſidionis diſpendia, tædiatus obſeſſor incuſat. Dumque diutule quid potius agendum eſſet, inter magnates tractaretur, demum ſub hoc cardine cunctorum ferme reſedit ſententia, ut hoſtem urgentem exterius, ad martem publicum provocarent. Si enim hoſtilis ſuccubuiſſet exercitus, facilius impugnari, & expugnari civitas potuiſſet. Craſtina Sancti *Martini*, cum jam brumalis *Phæbus* radios algentiores ſpargeret, Principes noſtri acies ſuas diſciplinæ militaris ordine digerendas, è caſtris in plana deducunt. Quas cum cerneremus, ſignis prodire diſtinctis; & hinc militiam templi, hinc Hoſpitalarios, hinc nationes diverſas ſuis coruſcare vexillis, titillanti animo jucundius influebat de

Clerus gloriam militarem sibi comparat.

multitudine ſtupor, de virtute fiducia, de varietate voluptas. Clerus autem non modicam militaris gloriæ partem vendicat: nam & Abbates, & Præſules cohortes ſuas educunt; & pro fide fidenter dimicant; pro lege Dei læti contendunt. Sane venerabilis *Cantuariorum* Archipræſul *Baldwinus* inter cæteros, & præ cæteris inſignius militat: quem licet ad ſegnitiem ſenilis invitet infirmitas, naturæ tamen defectum virtutum [h] perfectione tranſcendit. Hic vexillum, cui glorioſus martyr *Thomas* inſcriptus fuerat, præeminentius prodire faciens, eidem comitatus decoros & dignos procurat: nam & milites ducenti & trecenti ſatellites, viri ſancti ſtipendiis pugnaturi ſequuntur. Ipſe vero, cum duce Suaviæ & comite Bleſenſi *Theobaldo*, caſtrorum tutelam ſuſcipit; & vices Patriarchæ, qui tunc clinicus decubuerat, plenius executus, egreſſas acies benedixit, abſolvit. Verum magnanimus *Salesberiarum* Antiſtes, ab expeditione abeſſe non ſuſtinet, ſed partem belli moderatur inſignem, cujus virtus in armis militem, in caſtris ducem, in Eccleſiaſticis implet paſtorem. Sole in occaſum vergente, cum exercitus non longe progreſſus fixis tentoriis conſediſſet, oppidani tanquam in vacua venturi ad ſarcinas diſtrahendas prorumpunt; quos noſtri excipientes obnixius, & ſuos conſervant indemnes, & *Turcos* effugant irruentes. Nocte ipſa Soldanus, papiliones ſuos cum rebus aliis imperat ad montana transferri; & ea quæ pro temporis articulo aſportari nequeunt, incendio populatur. Hoc quidem victi & diffidentis animi certi indicium, quod res proprias diſſipat, quod locum mutat, quod ad montana ſecedens, certamen campeſtre declinat. Loca vero aditu difficilia nactus ſubſiſtit; [i] ac velites & ſagittarios numeroſius opponit venturis, ut ſaltem eminus noceant qui propius congredi reformidant. Noſtri ergo pugnæ campeſtris copia defraudati, & hoſtem per abrupta montium inſequi non valentes, quam illæſi tam inglorii [k] revertuntur.

CAP. LXII.

Cum quibuſdam noſtrorum verſus Cayphas *provictualibus euntibus & redeuntibus* Turci *confligunt, ſed ſuccumbunt.*

Poſtmodum audito quod victualia haberentur apud *Caypham* quibus non minimum indigebant eo diverterunt. Cum veniſſent igitur obiter ad locum cui vulgo *Recordana* nomen eſt, ecce ſubito *Turci* irruentes acrius infeſtabant noſtros, eos æſtimantes fugitivos. Quidam eorum jacula mittebant, quidam cum lanceis inſiliebant, his horrende vociferantibus, his tubis crepitantibus tanquam cornibus fugientes ventilantibus. Ea vero nocte fixis in planitie tentoriis noſtri uſque mane cohibuerunt ſe, mane vero facta ecce *Turci* quorum non erat numerus apparuerunt, noſtrum undique concludentes exercitum. Ex tanta vero multitudine noſtri nimirum pavefacti aſſumptis armis & diſpoſitis ad reſiſtendum ordinibus, ſi forte irruerent ſeriatim exierunt obviam eis, quibus ad pugnam diſpoſitis impetere *Turci* non præſumentes paulatim cedebant, noſtris progredientibus, licet inæſtimabilis fuerit multitudinis exercitus eorum. Audito quoque apud *Cayphas*, ut æſtimaverant, non eſſe victualia, aſportaverant enim omnia *Turci* verſus *Acon* iter ſuum noſtri regredientes diſponebant. *Turcis* autem continue noſtros ſollicitantes & frequentes ſentientibus irruptiones, noſtri niſi modicam ſuſtinuerunt cum diſcrimine moleſtiam. Ad cujuſdam quoque fluvii qui ab eo loco verſus *Acon* currit, fons ubi * * * naſcitur, facta eſt utriuſque exercitus altercatio & cædes maxima nobilium equorum peremptorum, antequam dividerentur exercitus, & ex una parte illius fluvii noſter procedebat exercitus, & ex alia parte

h Profectione. i At pedites ſuos. k Subſiſtunt.

hoſtilis

hoftilis multitudo irrequietis vexationibus perturbans eminus miffilia mittens & noftris fine intermiffione imminens, à tergo nihilominus noftros quidam perfequentes ultra modum fatigabant, ita quod pedites noftros fatellites, & fagittarios qui fuerant extremi deputati, oportuit continue retrorfum verfa facie progredi poft tergum fine intermiffione mittentes in perfequentes fagittas. Nocte quoque fequenti fixis papilionibus non procul à fluvio parum quietis fed plurimum follicitudinis habebant, quibus opus erat vel propulfare apertius inftantes adverfarios, vel præcavere occultas infidias. Non enim tam affiduis quam continuis ceffabat pars adverfa noftros vel laceffere injuriis vel irritare opprobriis. Pons erat per quem trans flumen iter erat, hunc *Turci* præoccupaverant, & quia ante noftrorum adventum, ficuti propofuerant, pontem illum diruendi fpatium non habebant, conglobati prohibere tentabant in medio ponte facientes ftationem, quos cum noftri perfenferunt nulla ratione nifi interveniente violentia cefſuros, frater Regis *Galfridus* de *Liziniaco* cum aliis quinque militibus electis potenter irruit in eos, & in momento diffipavit, ut eodem impetu ferme triginta dejicerentur in fluvium nunquam amplius emerfuri quia fubmerfi, & fic vel invitis tranfitum cedentibus omnes libere tranfierunt, & ad obfidionem unde receſſerant *Acon* regreffi funt.

CAP. LXIII.

Quibus dolis Marchifus *ut potiretur hærede Regni uxorem fcil.* Relfredi *adhuc viventis defponfavit.*

Porro *Marchifus* regnandi gloria diutius affectata cum jam aditum ad vota cerneret oblatum Regnum fibi fidenter promittit, fi *Reinfredo* conjugem fupplantaffet, ad hoc ergo totis anhelat nifibus, huc omnes artis officinas congerit. Sed obliquo utens principio, de ftatu Regni queritur quod Rex tractandis negotiis minus fufficit, quod uxore fublata jam injufte regnat, cum alia Regis *Amalrici* filia fuperftes exiftat. Hæc primum in populum proponit, fed & Principes officiofus ambit, hos donis provocans, illos fibi cognatione confederans, omnefque vel blandus allicit, vel dator obligat, vel promiffor invitat. Facile viro tam induftrio & tot argutiis inftructo id totum obtinere quod optat, quem nec *Sinon* figmentis, nec *Vliffes* eloquio, nec *Mithridates* diverfitate linguarum æquaret, fed quia maritales amplexus paffim dirui fanctio Ecclefiaftica inhibet, vir fubdolus novam commentatur calumniam, qua conjugem *Reinfredo* fubducat. Eam vero à viro fuo abfque juris offenfa feparari poffe perfuadent Principes, utpote quæ infra annos nupferat, & citra confenfum. Cæterum *Reinfredus* ipfe obtentu conjugis fpem Regni conceperat, vir fœminæ quam viro propior, geftu mollis, fermone fractus, & cui illud virgiliani competit. Dum dubitat natura marem faceretve puellam.

Natus es O pulcher pene puella puer

Nam quadam die, dum mandato Principum conjugem fuam produxiffet in medium, nuptam fimul & Regnum *Marchifo* procurante amifit, O fcelus & morfu fatyrico & tragica declamatione digniffimum, nam fi *Helenæ* raptum damnamus, in hoc præfentis factum turpius & injuria major, quod illa marito abfente furtim furrepta, ifta vero præfente violenter abducta. Verum ut factum iftud injuriæ deprecetur infamiam, puella fub manu fequeftra cuftodienda traditur, dum caufa divortii Clero judice ventiletur. Clerum igitur dolis & donis *Marchifus* aggreditur, omnes quos fibi credit accommodos pertentat, largitionibus immenfis effluit ut auri fafcino judiciariam finceritatem corrumpat. Verbum tam duri fceleris ad aures facratiffimi *Cantuariorum* Metro-

politæ delatum, & innocentiam viri ad ſtuporem concitat, & juris patronum in iram accendit, Patriarchæ ut diximus ægrotantis vices eidem commiſſas dum juxta debitum rigorem exequitur, fautores Marchionis dandam ſententiam appellationis objectu innitantur elidere. Profecto dum fautores ejus præcipui tres erant *Reginaldus Sydoniorum* Dominus, *Paganus* de caſtro *Cayphæ* & *Baliſantus*, quod ſi Comes *Tripolitanus* qui jam ante deceſſerat quartus affuiſſet, conſummatæ iniquitatis conſilium facile præſtitiſſent. In eos enim tanquam in domicilium ſuum turba ſcelerum certatim confluxerat, Judæ proditio, *Neronis* crudelitas, *Herodis* nequitia, & quicquid vel ætas præſens abhorret impium, vel antiqua condemnat infandum. Porro *Baliſantus* mortuo Rege *Amalrico* matrem puellæ duxerat uxorem, quæ *Graia* fæce à cunis imbuta virum moribus ſuis habebat conformem, ſævum impia, levem mobilis, perfidum fraudulenta. Hos *Marchio* muneribus & promiſſis illexerat, ut puellam adverſus *Reinfredum* querelam movere inſtruerent, quod invita nupſerat, quod ſemper reclamavit, quod ſtare non debet matrimonium, cum nunquam præſtitiſſet aſſenſum. Facile perſuadetur quod affectatur, facillime mulier mutat conſilium, nam varium & mutabile ſemper fœmina, cui & ſexus lubricus, & mens mobilis, & ſicut novis gaudet amplexibus, ſic notos leviter reſpuit, cujus oblivioni contradit, puella quidem in pravum docilis turpem monentium doctrinam libentius excipit, & jam ſe non raptam ſed *Marchiſum* ſecutam dicere non erubeſcit. Sane Principes ipſi ſpreto jure ad hoc inclinatius tendunt, ut Regno ſimul & puella *Marchio* potiatur. Videns itaque Archipræſul ſanctiſſimus *Cantuarienſis* ordine perverſo juſtitiam confundi & equitatem, & Eccleſiaſticam obliterari ſanctionem, perpendens etiam Clerum cum nonnullis Epiſcopis prout audebant ſubmurmurare, quibus ſcil. mens ſanior & zelus erat ferventior, ſuper iniquo matrimonio; in contrahentes & conſentientes excommunicationis tulit ſententiam, nec quidem immerito, tum quod à vivente marito raptam ſibi copulavit, & in domo ſua deſponſavit, ſolemnia celebrante Epiſcopo *Belvacenſi*, tum quia unam habuit ſuperſtitem uxorem in patria ſua, alteram in urbe *Conſtantinopolitana*, utramque nobilem, juvenem, & formoſam, & ſatis habilem ſibi pro contingentibus ſuis, unde trinum allegabant eum commiſiſſe adulterium, & in quantum poterat, Clerus contradicebat faciendum quod ſancta Eccleſia nefas eſſe judicabat. Nitebantur autem hi, qui horum fuerant fautores, ea intentione ſe excuſare, quod *Marchiſus*, contrahendi matrimonii conditione, victualium copiam ſe præjuraverat exercitui plurimum egenti à *Tyro* exhibiturum, ſprevit autem juramentum, & fidei tranſgreſſus eſt irreverenter religionem, qui enim in modico eſt infidelis nec offenſam veretur ſceleris majoris. Celebratis autem ſolemniter præoptatis diutius nuptiis, eodem die contigit quoſdam ex noſtris, qui nuptiarum interfuerant compotationibus, egreſſos ſpatiatum poſt auram, ab irruentibus ex inſidiis *Turcis* comprehendi, quoſdam occidi, initium malorum hoc, ibi captus eſt *Pincerna* de Sancto *Licio*, quem ſi *Turci* captivum reſervaverunt vel occiderunt, nunquam poſt innotuit, viginti vero numero tunc ſunt capti vel occiſi.

Archiepiſcop. Cantuarienſis Marchiſum excommunicat.

CAP. LXIV.

Marchiſus Tyrum *regreſſus & perjurus fami noſtrorum non ſubvenit.*

MArchiſus autem voti compos cum conjuge ſua & ſuis ſtatim *Tyrum* feſtinanter regreſsus eſt, per quem juxta conditionem ſe ſperabant univerſi victualium exhibitione lætificandos, ſed fruſtra, nam præteritæ pactionis immemor vel conceſſionis ingratus, exercitui fame periclitanti non deſtinavit vel ovum, imo perjurus & mendax eo volentes navigare cum victui neceſsariis

ceſſariis non permiſit. Crevit itaque ultra modum fames in obſidione, parum vel nihil inveniebatur emendum, nihil claſſe veniebat advectum.

CAP. LXV.

Baldwinus Cantuariæ *Archiepiſcopus moritur.*

PRæterea Archiepiſcopus *Cantuarienſis* videns quod ante audiens exercitum omnino diſſolutum, tabernis, ſcortis & ludis talorum inſiſtere, animam tantorum exceſſuum impatientem uſque ad tædium vitæ afflixit. Et quia morbus communis medelam difficile recipit, quadam die cum hujuſmodi opiniones peſſimæ ad aures ejus frequentius emanarent, ſciens quod homo curam, Deus habet creationem, ſuſpirioſus in hæc verba prorupit. Domine Deus nunc eſt opus pia corripientis & corrigentis gratia, quod ſi tuæ miſerationis beneplacitum eſſet, ut à vitæ præſentis turbine ſublatus migrarem, longam ſatis in hoc exercitu moram exegi. Poſt hunc ſermonem, diebus xv. nondum evolutis, tanquam exauditus à Domino cœpit aliquantulum rigorem perſentiſcere, æſtuque febrili fatiſcens infra dies paucos in Domino feliciter obdormivit.

CAP. LXVI.

De acerbitate famis noſtrorum & magnitudine pretii venalium unde maledicebant Marchiſum.

INterea fervente famis penuria, continua potius quam aſſidua cruciabantur mediocres cum vulgo afflictione, ingruentis famis inedia, eo quidem vehementius quo prævaricavit *Marchiſo* deſperabilius. Illis nimirum tamen clanculo tranſmittebat annonam, quos operis nefandi contractus illiciti complices habuerit & fautores. Vix jam majores exercitus vitæ tranſigendæ parciſſimam obtinebant alimoniam, jam inſtabat hyems aſsueta abundantiæ, prodiga luxus, olim affluens variis eſculentiæ ſpeciebus, ſed nunc alterati vices temporis auſteriori redimens parcitate, victuſque priſtinos nimiæ repletionis jam nunc hiantis ſtomachi conciliabat avidior gula ex anguſtia exinanitionis, jam jam conſumſerat ſubſtantiam menſa vorax,nec* faciens juventutis fervor edax, & magis contabuerat inedia quo neceſſariis carebat alimentis, tanto quippe æſtuabat ferventiori ſtimulo quo egebat affluentiori alimento. Nonnihil etiam augmentabat perniciem famis jam imminentis fervor temporis, quinimo gravior eſse ſolet indigentia lautiori educatis affluentia. Quid plura? modii tritici menſura modica quam viz. quis facile portaret ſub aſcella centum aureis vendebatur, gallina quoque ſolidis duodecim, ovum ſex denariis. Secundum horum æſtimationem poſsunt & cætera victui neceſsariorum pretia taxari. Tunc *Marchiſum* deteſtantur ſubtracto ſolamine, per quem eſcis defraudantur in famis diſcrimine.

Modius tritici 100. aureis venit.

CAP. LXVII.

Noſtri fame pereuntes cadavera equorum cum inteſtinis devorabant.

CÆterum, ſicut dicitur egeſtas urget ad crimen, & intercedit ad veniam, quia Deus omnia creavit homini & dedit in manum ejus, ut eſsent ei in adjutorium, ne perirent homines ſalvis jumentis, equos dextrarios pretioſos perimebant.

* *Legendum videtur* Satiatus.

perimebant, & nec etiam detractis pellibus quorundam in deliciis comedebant carnes equinas, inteſtina equi venundabantur ſolidis decem. Ubicunque ſciretur equus peremptus confluebant certatim vel ad emendum vel rapiendum, &, ſicut volucres ad cadaver, ruebant catervatim homines famelici ad animalium cadavera peremptorum, ut viz. corpora vectorum incorporarent, & vice verſa portarentur in ventre qui prius portaverant, equus pluris vendebatur mortuus, quam vivus, quibus non inconvenienter adaptandum videtur illud Evangelicum. *Ubi fuerit corpus congregabuntur & aquilæ*, ſalva myſtica interpretatione, cujus non derogamus dignitati. Nihil quidem urgente fame mactatis equis inteſtinarum videbatur abjiciendum, quantumcunque vilis portio magni æſtimabatur, caput cum inteſtinis vorabant, ut etiam poſt omnia avidius conſumpta, imo devorata, digitos lingerent ſapientes, ut dum quid inhærebat, lingua potius lambente abſumeretur quam mapula extergeretur. Hinc *Marchiſum* deteſtantur ſubtracto ſolamine, per quem eſcis defraudantur in famis diſcrimine.

CAP. LXVIII.

Occulte comedebat qui aliquam eſcam habuit.

PRoceſſu temporis ex cibariorum indigentia creſcebat fames vehementer, ſiquis etiam quid habebat ad cibum pertinens, ne violenter diriperetur, in conclavi occultabat ad uſum proprium, quod non ſufficeret neceſſitati plurium. Sicque fiebat ut modicum exponeretur ad vendendum, & quicquid habentes non diſtribuerent ad communicandum, ſed ubique pauper eget. Hinc *Marchiſum* deteſtantur ſubtracto ſolamine, per quem eſcis defraudantur in famis diſcrimine.

CAP. LXIX.

Quondam delicioſi herbas comedebant.

IBi forte viderentur herbæ creſcentes, hi qui nutriebantur olim delicioſe, viri nobiles & filii potentum rapientes devorabant, more beſtiarum paſcentes herbas, ut vel diro paſtu vehementia famis reſtingueretur. Unde & quamplures inducti ratione neceſſitatis plantabant herbas eſui idoneas, & ad depellendos famis aculeos efficaces, & quas olim non reſpicerent herbas, vel humano uſui crederent idoneas, famis immenſitas jam effecerat famelicis dulciſſimas. O tunc plebis vox maledicentis *Marchiſi* perfidiam! quoniam non curat tabeſcentis populi miſeriam.

CAP. LXX.

Imbribus & fame populus perit.

PRæterea ex nimia imbrium inundatione quædam nimium vehemens excrevit in hominibus infirmitas, inauditæ quidem pluviæ aſſidue imo continue exercitum tanta affecit injuria, quod ex nimia afflictione, turgentibus membris, toto corpore more diſtenderentur lymphatico, ex cujus morbi vehementia

hementia dentes quorundam funditus extirpati deciderunt avulſi. O lamenta ſingulorum! O mœror omnium dum dolent incolumes aliorum miſerias, dum ſingulis diebus erat videre ſociorum funera, & unoquoque die celebrarent mille mortuorum exequias. Quidam tamen licet pauci convaluerunt de infirmitate, & ferventius cibum appetentes nimia poſt morbum affligebantur famis miſeria. O tunc plebis vox maledicentis *Marchiſi* perfidiam, quia non curat tabeſcentis populi miſeriam.

CAP. LXXI.

Pugnabant famelici ad furnum.

PRæterea ubicunque notum fieret panem coquendum in clibano, factus eſt concurſus populorum clamantium & dicentium ecce moneta, ecce quantum vis panis pretium, dummodo panis detur copia. Singuli quippe primum ſibi petunt concedi offerentes pretium in panis commutationem, quos nondum habuerunt, vel forte nunquam habituri fuerunt, ſingulis ſibi violenter præripientibus. Quoties vero divitum quempiam plurimum panis emere contigiſſet, tunc mœror, & luctus, & clamor pauperum, vox una plangentium, cum ſentirent modicum illud panis à divitibus auferri, quod pauperibus utcunque potuiſſet prodeſſe particulariter diſtributum. Pro voluntate vendentis exhibebant avidiſſime pretium panis, quia vero tantæ multitudini modicum quid non poterat ſufficere, frequenter circa clibanum habentem panem fiebant iræ, rixæ, contentiones, invidiæ, nonnunquam pugnæ, & ſuper incertis cui cederet mordacius quæ petebant litigabant. O tunc plebis vox maledicentis *Marchiſi* perfidiam, quod non curat populi tabeſcentis penuriam.

CAP. LXXII.

Famelici oſſa à canibus corroſa rodunt & immunda comedunt.

SEd quis ſcribat vel exponat quanta miſeria, quanta compaſſio? cum viderentur quidam urgente fame more canum rabidorum diſcurrere, & oſſa forte comperta à tribus diebus corroſa canibus ejecta corripere, & ubi nil erat corrodendum rodere, ſugere, lambere, non quod eo proficerent, ſed tantum quia quemque carnes ex recordatione rodentes delectarent. Sed quid ad hæc? hoſtes utrinque aſſiduis irruptionibus fatigantes, dum ſubito occurſantes perimerent, reputabantur mitiores, à tantæ famis magnitudine, quia hi perimentes in ore gladii ſine mora vitæ finem imponerent ſimul & miſeriæ, fame vero pereuntes longo contabeſcerent cruciatu. Sæpius quidem in oculis omnium hi, quibus fames præripuerat pudorem, proh dolor! cibis veſcebantur abominandis, quantumlibet immundis, fortuito repertis, & quod dici nefas eſt, pro deliciis ducebant devorare diro ore, quæ uſui non permittuntur humano. O tunc plebis vox maledicentis *Marchiſi* perfidiam: quod non curat populi tabeſcentis miſeriam.

CAP.

CAP. LXXIII.

Nobiles etiam viri cum non haberent unde panem emerent furabantur.

PRæterea ex quibusdam relatu dignis argumentis poterit perpendi famis magnitudo, quæ patienter pro carnis conditione sustinentibus non indigne reputatur pro martyrio, nisi gratiæ forte meritorum obstitit murmur pro scrupulo. Quoniam igitur urgente necessitate multa nonnunquam committuntur indigna, quidam erant quos à generis ingenuitate mendicare pudebat in publico, imo minus formidabant peccare in occulto, quam precario victum quæritare in publico, & panes furari solebant. Unde accidit quod quidam in hujusmodi latrocinio comprehensus caperetur, & loris arctissime stringeretur. Ligatus itaque deputatus est custodiæ in ejusdem domo, qui eum comprehenderat, quia pistor erat, & dum circa plurima domus ministeria officiosius insisteret familia, qua nescitur agitatione illius captivi manus dissolutæ sunt, & sicut forte juxta acervum panum recentium residebat, manducabat occulte nullo attendente vel sentiente, & cum ad sufficientiam esset refectus uno tantum pane assumpto in manu liber exiluit & ad suos reversus est indemnis, & rem gestam ut erat narrans, ex ordine illum, quem solum attulerat panem, eis distribuit communicandum, sed quid hoc inter plures? parcitas irritavit gulam, exasperavit potius famem quam sedaret. O tunc plebis vox maledicentis *Marchisi* perfidiam, quod non curat tabescentis populi miseriam.

CAP. LXXIV.

Multi pro acerbitate famis apostatant.

AD hoc, quidam nostrorum, quod sine gravi mœrore nec referri potest nec audiri, nimiæ famis asperitati cedentes, dum corpoream procurant salutem, animarum incurrunt damnationem. Post superatam enim ex parte maxima tribulationem abierunt retro, refugientes ad *Turcos* apostatare non dubitaverunt, & ut vitam ad modicum prolongarent temporalem, blasphemiis nefandis comparaverunt mortem perpetuam. O perniciosum commercium! O flagitium qua pœna plectendum! O homo insipiens comparatus jumentis insipientibus, dum mors inevitabiliter mox futura fugitur, mors quæ sine caret non vitatur! quia si justus ex fide vivit, esse mors perfidia perhibetur, repurgata vero quemque conscientia qui forte resipuerunt. Tunc *Marchisum* execrantur pacti transgressorem, cuique malum imprecantur & væ peremptorium.

CAP. LXXV.

Duo socii tredecim fabas denario emunt.

AD hæc. Erant duo socii calamitatis consortes & militiæ, egentes, angustiati, unum solum erat numisma duobus vulgo dictum *Angevinum*, & eo solo cupiebant sibi quid edendum comparare, sed quid agerent? modicum quid erat, exilis quidem reputanda substantia, etiamsi omnium bonorum fuisset abundantia, nec magis habebant præter armaturam & vestimenta sua, illo

unico quid emerent, vel qualiter fieri poſſet ſubtiliter diutius tractabant, ut illius diei redimerent inſtantem malitiam. Deinde eorum in eo reſedit ſententia, ut fabas aliquot emerent, quoniam inferioris æſtimationis nil reputabatur emendum, vix igitur multa prece illo denario tredecim fabas emerunt, quarum unam, poſtquam domum reverſi ſunt, deprehenderunt demoliente vermiculo perforatam, & ideo eſui inefficacem, tandem in hoc utroque conſentiente longæ viæ emenſo ſpatio diutius quæſitus eſt venditor, & vix multa ſupplicatione dignatus eſt incolumi faba cambire vitioſam. O quantæ rei diu quæſita & procul, & ſuppliciter acquiſita commutatio. Ex conſumptis in momento fabis illis quantam æſtimamus proveniſſe ſaturitatem! illud auditorum æſtimamus potius arbitrio penſandum quam calamo deſcribendum. Tunc *Marchiſum* execrantur pacti tranſgreſſorem, hinc & malum imprecantur & væ peremptorium.

CAP. LXXVI.

Famelici Karrubles *comedunt & vinum potantes moriuntur.*

AD hæc. Venundatum exponuntur genus fructus naſcens in arboribus, grana ſcil. in folliculis ut [a] legumen incluſa, vulgo vocatum *Karruble*, guſtu dulce, & eſu ſatis delectabile. His reficiebantur egentes quia major erat inde copia quam rerum aliarum, unde ad hæc emenda via erat ſatis trita, quia, licet minoris eſſet æſtimationis, nonnihil erat. Illorum qui diſcumbebant infirmi, quia parum edebant, vel quia non habebant, vel quia non poterant, vino, quo utebantur, æſtuante, ſuffocati ſunt plurimi, vel ex *Falerni* violentia, quia cibus non temperabatur, vel ex infirmitate, quæ vini non poterat ſuſtinere virtutem. Vini quidem ſatis tolerabilis habebatur copia vendendi, ſed conſervando corpori humano non bene competit plurimum vini, & modicum cibi, hoc enim decet equo temperare moderamine. Sed quia tantæ fuit egeſtatis occaſio, non dormitat *Marchiſi* maledictio, ipſum ſemper execrantur pacti tranſgreſſorem, & cui malum imprecantur & væ peremptorium.

CAP. LXXVII.

Famelici in quadrageſima carnes comedunt.

AD hæc. Quidam etiam in ipſo Quadrageſimæ initio, quod caput jejunii vocatur, urgente fame compelluntur carnes manducare; non quia carnibus abundarent, ſed quia facilius perquirebantur, poſtea vero, tempore mitigato, condigna ſatisfactione pœnituerunt. Super hæc omnia, tota illa hyeme, charitas inter omnes metu pecuniæ in tantum refriguit, ut nec etiam amicus neceſſariis communicaret amico, modicæ quidem fidei dubitantes quod Deus eſt charitas, &, ſi ſua aliis diſtribuerent, neceſſariis ipſi carerent. In tantum igitur invaluit vitium parſimoniæ, & tenacitas quid habentium, ut & habita occultarentur, & putarentur habentes etiam nihil habere. Quid *Marchiſo* tunc optaret vox tot quæritantium? quis non reum judicaret tot periclitantium.

[a] [illegible]. Legumen.

CAP. LXXVIII.

Exhortationes Epiſcopi Salisberienſis, *& quorundam aliorum, divites collectas faciunt per quas pauperes ſaturantur.*

ULtra modum vitiata fidelium communione, nullo intelligente ſuper egenum & pauperem, hujus infidelitatis in omnes divulgata eſt infamia. Satagente ſiquidem Epiſcopo *Salesberienſi*, & docente nil eſſe majus claritate, nihil Deo gratius, nihil danti fructuoſius, ad hoc efficaci cunctos induxit perſuaſione, ut aperirent manus ad diſtribuendum proximis, communicarent egentibus, ſuſtentarent pereuntes, ne, ſi negligerent neceſſitatem alienam, non obtinerent propriam, juxta illud, mortem languentibus, qui cum poſſet non advertit, induxit; oſtendit quippe reum eſſe mortis alienæ, qui cum poſſit ſubterfugit ſuccurrere, qui jubetur etiam inimico ſitienti potum dare, & eſurientem cibare. Cæterum conſilii ſollicitus inſiſtit exhortationi *Nerronenſis* Epiſcopus, *Favenſis* etiam Epiſcopus *Italiæ*. Ad horum igitur tam neceſſariam exhortationem & inſtantiam, facta eſt collecta diſtribuenda in pauperes, & tot & tanta quorum Deus tetigerat corda intulerunt in donaria egentium, ut copioſiſſime reficerentur famelici, ſed & diſtribuentibus non minueretur ſubſtantia cooperante gratia Dei. Tunc emergit nova lætitia, tunc labiis multorum benedicuntur erogantes, tunc multiplicantur beneficia, tunc grata in eos narratur influxiſſe miſericordia, dum ſuper afflictis potentiores pia geſtant viſcera. His exequendis ſe præcipuos exhibebant vir ille nobilis *Walklinus* de *Ferrariis*, & *Robertus Truſebot*, & his non inferior *Henricus* Comes *Campaniæ*, *Jocelinus* de **Montoirs**, Comes quoque de *Claro Monte*, nec non gerendorum primicerus Epiſcopus *Salesberienſis*. Horum viz. ſollicitudine & opera aliorum, quiſque ſecundum propriam virtutem conferebat in unum, ut diſtribueretur unicuique prout cuique opus erat. Sic quorum corda prius erant ſub obducto cinere avaritiæ frigidiſſima, aſpirante gratia divina, in charitate facta ſunt flammantia; &, quia [a] [ſic] converſi facti ſunt miſericordes, reſpexit eos Dominus, & magnificavit cum eis miſericordiam ſuam juxta illud, *Convertimini ad me, & ego convertar ad vos, dicit Dominus.*

CAP. LXXIX.

Adventu unius naviculæ cum annona hodie emitur quatuor aureis quod heri centum.

UNiverſis igitur piis operibus inſiſtentibus, ecce adduxit Dominus navem quandam onuſtam annona, per cujus adventum alleviata eſt plurimum prior cibariorum penuria. Non enim extiterat fames tanta panis, eo quod non haberetur triticum, ſed quia venditores immoderatum exigebant ab emtoribus pretium, ut viz. negotiatione graviſſima acquireretur multa pecunia, quid enim non agat cupiditas? prædicta quidem navis quæ ſatis erat modica advenerat, ut arbitror, quodam Sabbato, & ipſa craſtina Dominica menſura quædam, quæ venundabatur prius centum aureis, diſpenſante bonorum omnium largitore Deo, diminuta eſt uſque ad quatuor aureos. Oritur interea in populo nova jocunditas, dolentibus ſolis, & male zelantibus cupidis negotiatoribus, ex ſoliti quæſtus diminutione, ſed quid? non eſt conſilium contra Dominum, quia omnia quæcunque voluit fecit.

a MSS. Si.

CAP.

CAP. LXXX.

Pisani *reservare volentis annonam in posterum, domum cum annona ignis consumit.*

QUidam *Pisanus* venditor annonæ, per totum annum triticum conservarat intactum, quousque pro voto suo venderetur in posterum, futuram enim sperabat famem majorem, si quando vero quantumlibet vendidisset, ad suam, prout vellet, æstimationem vendebat his, qui eo carere non poterant. Hoc autem esse nefas manifesto Deus demonstravit judicio, contigit enim domum illius *Pisani* tritico refertam igne subito vehementer succendi. Ad quem ignem etiam extinguendum cum plurimi accurrerent omnis eorum conatus erat inefficax quia sine mora consumta sunt omnia.

CAP. LXXXI.

Omnes certatim escas largiuntur & qui contra fas comederant pœnitentia injungitur.

IGitur certatim pietatis operibus insistentes universi, totis viribus contendunt eleemosynas partiri, dum singuli bono zelo student vicinos suos largitate superare, arbitrantes gratius obsequium se Deo præstare, si possent affluentius in necessariorum administratione egentes exhibere. Illi quoque qui de necessitate vescebantur, sicut prædictum est, carne in Quadragesima, de reatu pœnitentes post disciplinas singulis datas à memorato venerabili Episcopo *Salesberiensi*, sibi injunctam devote susceperunt peragendam condignam satisfactionem.

Explicit liber primus.

Liber ſecundus.

De Regibus Angliæ & Franciæ.

CAP. I.

POſt Paſcha venit eo Rex *Franciæ Philippus*, & non multo poſt Rex *Anglorum Richardus*, quorum ut plenius innoteſcat ſeries itineris, altius à proceſſu eorum à regionibus ſuis texenda videtur narratio, quatenus ordinem geſtorum digerente ſtilo conſequuntur, deducantur uſque ad civitatis *Acon* obſidionem.

CAP. II.

Tam Angli *quam* Franci *certatim crucem ſuſcipiunt.*

IGitur hujuſmodi motus rerum juxta præſcriptam eventuum narrationem ubique terrarum divulgante fama, dum narratur terræ ſanctæ civitates ab infidelibus occupatas, ſancta data in oprobrium & conculcationem, Chriſticolas in direptionem & in prædam, ad exhortationem ſtrenuiſſimi Papæ tunc *Gregorii* octavi concutiuntur, & mota ſunt imperia, & animati ſunt diverſarum nationum quamplurimi: maxime *Franci* & *Angli*, ſignum ſanctæ crucis devote ſuſcipere, & in ſubventionem illius ſanctæ terræ tota ſe virtute expedire, & tanquam *David* accenduntur in ultionem *Philiſtium*, exprobrantium cum ſuo *Goliath* laborantibus olim agminibus Dei *Jeruſalem*. Summus quippe Pontifex ſub obtinenda peccatorum venia ſingulos diligenter exhortans, & ea, qua præditus erat auctoritate, à reatu præteritorum commiſſorum abſolvit, qui ſe tam pio, tam neceſſario inſtantius ingererent labori, eos argumentans merito fore beatiores, quos zelus ferventior incitaret ad arripiendum iter ſine dilatione proniores. Iter inquam eo magis commendabile quo cauſa juſtior, & opera eo multipliciter excellentior, quo locus deſolatus ex divina myſtica promiſſione ſanctior, & ex humana Dei nativitate, habitatione, & paſſione dedicatus eſt, nec non & ab aliis quibuſcunque regionibus divina electione ſecretus, & eo occupatus eruendus videretur ab Ethnicis, de quibus præceperat Deus ne intrarent in Eccleſiam ſuam. Hinc certatim curritur ad crucem ſuſcipiendam à ſacerdotibus alacri zelo & pia concertatione, ut jam non fiat quæſtio quis cruce fuerit inſignitus, imo quis adhuc tam pio honore nondum accingeretur. Silent de cætero cantiones, abdicantur deliciæ ciborum, luxus veſtium, ſopiuntur jurgia litigantium, inter olim diſcordantes pax nova reformatur, intervenientibus compoſitionibus terminantur lites cauſarum, & ex recenti occaſione, quacunque cauſa, vel inveterato odio, diffidentes in novam gratiam revocantur. Quid plura? inſpirante Deo fuerunt omnes unanimes, quos provocat unica cauſa ad piæ peregrinationis labores.

Clem. III. *Papa crucem ſuſcipientibus peccatorum omnium veniam promittit.*

CAP. III.

Henricus *Rex* Angliæ & Philippus *Rex* Franciæ *cum innumera multitudine inter* Giſortium & Triam *crucem ſuſcipiunt.*

R. Com. Pict. cruce ſignat.

INterea *Richardus* tunc Comes *Pictavenſis* cruce primus inſignitur, & cum eo innumera multitudo, quæ tamen non tunc iter arripuit, interveniente mora,

mora, occaſione diſſentionis duorum Regum viz. *Philippi* Regis *Franciæ* & *Henrici* Regis *Angliæ* patris ejuſdem Comitis *Richardi*. Inveterata quidem guerra hos duos Reges, ſicut & eorum anteceſſores *Francos* ſcil. & *Normannos*, inexorabili & fere continua ſimultate ſeſe in mutuos ſollicitaverat incurſus, ſatagente demum plurimum quodam Archiepiſcopo terræ *Jeroſolymitanæ* viz. *Tyri*, præfixus eſt dies inter *Giſortium* & *Triam* [[a] ad ſuſcipiendam] crucem concordiæ reformandæ [[b] cauſa] inter duos Reges. Venerat quippe nuncius prædictus Archiepiſcopus, ut fidelium aliquos animaret & auxiliatores adduceret, ad recuperandam terram *Jeroſolymitanam*, tranſmiſſus ſpecialiter ad Regem *Anglorum*, cujus fama virtutum longe lateque ſuper omnes Reges univerſæ terræ innotuit, ſuper prudentia, & gloria, & divitiis, & potentia virtutis ejus. Ea die conditionis diverſa diverſis ſentientibus & varia loquentibus, in hoc denique utriuſque Regis reſedit ſententia, ut uterque crucem acciperet, & uterque à terra exiret, provide ſic ſibi videbatur uterque cavere, ne ſi forte alter remaneret, peregrinantis alterius regionem invaderet, neuter vero ſine altero illud præſumeret. Confirmata vix demum hac utriuſque ſententia, cum præfati Archiepiſcopi benedictione, dato pacis oſculo, eorum uterque crucizatur, & cum eiſdem innumera gentis utriuſque multitudo partim Dei amore & peccatorum remiſſione, partim Regum ipſorum reſpectu, tantus itaque factus eſt eadem die crucem accipientium concurſus, ut turba ſeſe comprimens pro intolerabili æſtus fervore pene defecit, æſtas quippe erat. Accuſanda vero fuerat ad modum arripiendi itineris dilatio, fuerat enim humani generis inimici hæc operatio, cujus intereſt præpetes fovere diſcordias, & odium inexorabile ſuſcitare, quo inſtigante reviviſcit inter prædictos Reges altercatio, & ex occaſione leviſſima ſeminarium quærelarum, quorum uterque ſuperſtitione diabolica, ne tanquam ſuæ famæ derogaretur & honori, gratis puduit humiliari, velut eo reputaretur abjectior & impotens, quo juſtitiæ patientior & obediens.

An. D. 1188. *die* 13. *Jan. Henr. R. Angl. & Philip. R. Franc. crucem ſuſcipiunt.*

CAP. IV.

Henricus *Rex* Angliæ *moritur*.

HUic autem diſſentioni finem fecit Regis *Henrici* finis vitæ, ſicque votum peregrinationis quod incolumis ſolvere diſtulit, morte præventus poſt tempus elapſum exequi non potuit. Votum quidem faciendum quemadmodum debet eſſe abſolute voluntarium, ita jam factum irrefragabiliter eſt ſolvendum, quia ei, qui ſponte fuerit voto primitus obligatus, eſt profecto damnabile per negligentiam illud non ſolviſſe, qui licite potuit non voviſſe. Obiit igitur Rex *Henricus* in *Normannia* die Octavarum ſanctorum Apoſtolorum *Petri* & *Pauli*, ann. Domini MCLXXXIX. & ſepultus eſt apud *Fontem Ebraldi*.

CAP. V.

Richardus *Comes* Pictaviæ *coronatur in Regem* Angliæ.

IGitur eodem anno poſt obitum patris ſui *Richardus* Comes *Pictaviæ*, ordinatis rebus in *Normannia*, tanquam tranſactis duobus menſibus transfretavit in *Angliam*, & die Sancti *Ægidii* receptus eſt cum proceſſione ſolenni ad *Weſtmonaſterium*, & die tertia ſequenti, viz. in die ordinationis Sancti *Gregorii* Papæ, quæ dies fuit dominica, ſolemniter unctus eſt in Regem, ex officio ma-

a.b. Deſunt uncis incluſa in *MSS*.

num eidem imponente; & minifterium exequente Archiepifcopo *Baldwino*, affiftentibus fuffragiis ejus plurimis. Et coronatus eft circumftantibus fratre fuo *Johanne*, & matre eorum Alienor, quæ poft mortem Regis *Henrici*, per mandatum filii fui *Richardi* Regis futuri, educta fuit à cuftodia in qua fuerat circiter decem annos, præfentibus etiam Comitibus, & Baronibus, & militibus, & innumera hominum multitudine, & confirmatum eft Regnum in manum Regis *Richardi*. Anno igitur Domini Millefimo centefimo octogefimo nono inunctus eft Rex *Richardus* in Regem viz. tertia die Septembris in die Dominica dominicali litera exiftente A. anno fcil. proximo poft Biffextum. Multi multa tunc conjecturabant, eo quod dies mala fuper eandem diem in Calendario annotata eft, & vere illa dies mala, & valde mala fuit *Judæis Londoniæ*, qui eodem die deftructi funt, & in illo anno fimiliter *Judæi*, in diverfis locis per *Angliam* conftituti multa mala perpeffi funt. Dignitate itaque Regali trium dierum feftivitate peracta in palatio Regio *Weftmonafterii*, munificentia Regis *Richardi* detenti, denariis fine æftimatione & numero fingulis pro dignitate diftributis, fubjectos omnes lætificabat, & opibus fuis, & incomparabili præftantia. Cujus animi generofitatem, & dotes virtutum prifcis potius feculis rector feculorum contulerat, quæ per ætatem mundi jam fenefcentis, laxatis veluti feminibus emedullate parum aliquid in hoc tempore in quibufcunque, & id in paucis mirandum oftentat ac memorabile. Huic autem virtus *Hectoris*, magnanimitas erat *Achillis*, nec inferior *Alexandro*, nec virtute junior *Rollando*, imo noftri temporis commendabiliores facile multifariam tranfcendens, cujus velut alterius *Titi* dextra fparfit opes, &, quod in tam famofo milite perrarum effe folet, lingua *Neftoris*, prudentia *Uliffis*, in omnibus negotiis vel perorandis vel gerendis aliis merito reddebant excellentiorem, cujus nec fcientia ftrenue agendi voluntatem refugeret, nec voluntas fcientiæ inopiam accufaret, quis (fi quis forte præfumptionis æftimaverit arguendum) noverit ejus animi vinci nefcium, injuriæ impatientem, ad jure debita repetenda, innata generofitate compulfum non inconvenienter excufarit, quem ad quæque gerenda effecerat fucceffus elegantiorem, quoniam audentes fortuna juvat, quæ licet in quolibet fuis fungatur moribus, fuit tamen ifte adverfis rerum immerfabilis undis. Erat quidem ftatura procerus, elegantis formæ, inter rufum & flavum medie temperata cæfarie, membris flexilibus & directis, brachia productiora, quibus ad gladium educendum nulla habiliora, vel ad ferendum efficaciora, nihilominus tibiarum longa divifio totiufque corporis difpofitione congrua, fpecies digna imperio, cui non modicum competentiæ mores addebant & habitus, qui non tantum à generis dignitate, fed virtutum ornamentis fummam poffit confequi laudem. Sed quid tantum virum laudum immenfitate laborem extollere? non eget externo commendatore, quod amplum laudis habet meritum, laus comes ipfa rei eft. Fuit nimirum longe præftans cæteris, & morum bonitate, & potentia virium; belloque & poteftate memorandus; ejufque opera magnifica omnem quantumvis claræ gloriæ illuftrationem obumbrantia. Felix profecto, fecundum hominem dico, reputandus, fi gloriofis ejus geftis invidentibus caruiffet æmulis, quorum fuit hoc folum odii feminarium, quia magnificus erat, quia nimiter nunquam torquebis in vitio quam virtuti ferviendo.

Alienora mater Reg. Rich. è carcere educitur.

Richard. an. 1189. die 3. in regem unctus eft.

CAP. VI.

Rex Richardus, *Regni negotiis expeditis, Nativitatem Domini celebrat in* Normannia, *apud* Liuns, *ex conducto fui & Regis* Franciæ *contra eum ad* Gergely *ad feftum Sancti* Johannis Baptiftæ *venientes.*

Jurament. fidelita s Regi præftitum.

IGitur, completa ficut prædictum eft feftivitate coronationis, furrexit Rex *Richardus* pro patre fuo, & magnatum terræ fuæ fidelitatis fecuritate accepta,

cepta, ficut moris eft, in fignum fubjectionis, fingulis ejus præeminentiæ fubmiffis, à London recedens perambulabat terram, & poft profectus eft peregre ad Sanctum *Edmundum*, cujus tunc dies feftivitatis inftabat; inde *Cantuariam*, ad cujus imperium, ad Epifcopatus, quorum nonnulli prius vacantes in manu patris fui tenebantur, electi funt, & affentiente Rege, inthronizati Epifcopi *Richardus* Thefaurarius London, *Godefridus* de Luci *Wintonienfis*, *Hubertus Walterus Salesberienfis*, *Willielmus* de *Longo Campo Elienfis*, quem & fecit Rex Cancellarium fuum, & totius *Angliæ* Juftitiarium. Simili quoque modo fecit Rex Epifcopos ordinari ad vacantes Epifcopatus in aliis terris fuis. Præparatis itaque itineris neceffariis,& Regno *Angliæ* difpofito,[a] [quantum] permiferat temporis anguftia, fine mora rediit in *Normanniam*, & apud Liuns Dominicæ nativitatis agebat feftivitatem. Sollicitabat eum enim fine intermiffione arripiendæ fuæ peregrinationis intentio, votique folutio, moram æftimans periculofam, dum fupereffet debitum inchoandum, unde fcripfit Regi *Franciæ* fe fuiffe prorfus ad iter expeditum, ut & ipfe quoque feftinanter procederet, argumentans patris exemplo quia femper nocuit differre paratis. Anno igitur Domini MCXC. Dominicali litera G. exiftente, fuper itineris eorum difpofitione collocuturi convenerunt Reges apud *Druellos*. Communicato itaque multorum confilio, dum colloquerentur, venit fubito nuncius referens Reginam *Franciæ* fuiffe defunctam, cujus acerbitate rumoris Rex *Franciæ* perculfus vehementer defolatus eft, adeo ut præmeditatam peregrinationem propemodum propofuerit negligendam, in hujus igitur defolationis augmentum ecce nunciatur *Willielmum* Regem *Apuliæ* fimiliter deceffiffe. Horum itaque adverfitate contrariorum confracti, quamplurimum tanquam ex augurii diri fuperftitione repreffi perpetrandum abhorrerent negotium, & zelus accenfus ex parte tepefceret. Dei vero infpirantis inftinctu, cujus eft dirigere greffus hominis, in cujus manu corda funt Regum, ne tanto opere præmeditatum & folemniter procuratum pium opus periret, & verteretur in damnationem & opprobrium quod difponeretur ad meritum,refumunt vires, animantur ut proficiant & proficifcantur, & ne per irreprehenfibilem ignaviam torpefcant. Sane fuerant ex condicto profecturi ad Nativitatem Sancti *Johannis Baptiftæ*, ut viz. die octava conveniret uterque Regum in unum cum fuis ad Vergelai. Cum multo igitur neceffariorum apparatu non multo poft Rex *Franciæ Philippus* exiens à *Parifiis* civitate (quæ eft principium Regni *Franciæ*) apud Sanctum *Dionyfium* profectus eft, cujus fe commendabat orationibus & meritis, ficque fuam inchoavit peregrinationem cum plurima multitudine. Tunc quoque cum eo peregre profectus eft Dux *Burgundiæ*, & Comes *Flandriæ*. Quis fufficeret fingulorum cum fuis copiis narrare progreffum! undique videres à diverfis confluentes congregari, & unum cum pluribus exercitum coadunari piis lachrymis commifcentibus,his qui progrediebantur cum fuis familiaribus cognatis vel amicis, eofdem charitatis intuitu profequentibus, difcedentes nimirum amici ab erumpentibus ex pietate five mœftitia lachrymis fe nequibant cohibere.

Epifcopi multi conftituuntur à Rege Richardo.

Regina Franciæ & Willielm. R. Apuliæ obeunt.

Philipp. una cum Duce Burgund iter in Terram Sanctam inftituit.

CAP. VII.

Rex Richardus Turonis *exiftens jubet claffem fuam præcedere, &* Hifpaniam *per ftrictum mare circuire, & ad* Meffanam *eum expectare.*

REx *Richardus* cum electa militum manu *Turonis* erat. Civitas autem cum fuburbanis fuis tanta fuit hominum multitudine referta, ut ex nimia frequentia fefe collliderent, & ex viarum vel platearum anguftiis tot millia non capientibus. Regio igitur urgente mandato, claffis Regia in unum coacta feriatim progredi jubetur, numero fcil. centum & octo, exceptis aliis navibus mox fecuturis. Claffis itaque Regis inftantia promota, profpero curfu

a *MSS.* qua cum.

curſu & agmine inſeparabili, metuendas ſyrtes, & horrificos ſcopulorum incurſus, & procelloſas *Affricæ* anguſtias, nec non & omnia maris pericula evaſerunt incolumes, & tanquam in obſequium navigantium ventis conjuratis optatum *Meſſanæ* deſtinatum applicuerunt ad portum, ubi Regis ex ejus mandato præſtolabantur adventum, eo terreno itinere cum ſuis proficiſcentis. Igitur, cum copiis ſuis dum Rex à *Turonis* exiret, à tantæ fremitu multitudinis commoti ſunt inhabitantes terram. Quis igitur ejuſdem comitum enarraret multitudinem, varietates armorum, ſequelas Procerum, & electorum manum militantium ? aut quis peditum catervas, baliſtariorum phalanges, quos qui ſeriatim viderunt progredientes, ab intimis præcordiis, eliciente lachrymas pietate, condoluerunt pariter & gratulabantur Domino ſuo novo Regi. Tum quod in primordio Regni ſui nondum guſtata quietis dulcedine, quam conſtanter, quam recenter omnia deſeruerit, tum quia tantæ vitæ probitatis opus tam arduum, tam neceſſarium, & iter tam commendabile tanquam à Domino electus arriperet. O miſeranda ſe deſerentium ſuſpiria ! O ſeſe complectentium in diſceſſu gemitus ! & abeuntibus ſucceſſus optantium ! O graves lachrymis oculos, & inter oſcula charorum ſingultus mutua verba colloquentium interrumpentes, nondum expleto familiarum colloquio ægre ſe deſerentium ! corde licet mœrente vultus gravitate profecturi ſimulantes animi conſtantiam poſt ſermonum prolixitatem ab invicem ſeparantur, tanquam ſuſpenſi ad plura dicenda, ſicque ſæpius Ave dicto inter loquendum diutius ſubſiſtunt, & ut moras nectant repetita inculcant, ut ſemper videantur amplius dicturi, poſtremo vero vocibus ſeſe cohortantium abſtracti, proſilientes à manibus ſeſe tenentium excutiuntur.

CAP. VIII.

Duo Reges ſecundum condictum ad Vergelay *conveniunt.*

ANno igitur Coronationis ſuæ primo Rex *Angliæ Richardus* à *Turonis* peregrinationis ſuæ iter arripuit. De *Turonis* apud *Luti*, inde apud montem *Richardum*, poſt ad *Cellam*, deinde ad *Capellam*, deinde ad *Dama*, deinde ad *Vitiliacum* hoc eſt Vergelai, ubi ex condicto duo Reges cum conveniſſent cum ſuis in unum. Utriuſque populus quia infinitus æſtimabatur & innumerabilis, præfigendis papilionibus montes occupantur,atque tentoriis longe lateque circumquaque terræ ſuperficies operiebatur, ut camporum ſationalium occupata planities novæ civitatis prætenderet aſpicientibus eminus ſimilitudinem, tot ſcematum graviſſima varietate papilionum, & diverſis coloribus diſtinguentibus formas inciſionum. Ibi videre fuit diverſis oriundam regionibus bellis aptam Martiam juventutem, quæ videretur totius orbis latitudinem facile domitura, omnium nationum ſuperatura regiones, ſeu diverſarum gentium penetratura receſſus, nulla vincendam æſtimares aſperitate locorum vel immanitate hoſtium,nunquam quidem ceſſuram injuriis, dummodo communicata virtute ſeſe mutuis unanimes tuerentur auxiliis. Exercitus quidem quantalibet glorians innumeroſitate, bene ſeptus armorum munimine, fervens animoſitate, interveniente diſſenſione diſſipatur, & familiari diſſidio pervertitur, & ſicut diſciplina militari cohærens pariter & voluntate perſeverat invincibilis ab exterius, ſic violato fœdere communionis gravius obruitur, dum diſtrahitur à ſociis, quia omne Regnum in ſeipſum diviſum deſolabitur.

CAP.

CAP. IX.

Apud Vergelay *Reges fœdus ineunt, & se invicem apud* Messanam *expectaturos compromittunt, & sic simul ad* Liuns *super* Rodanum *perveniunt.*

IBi duo Reges percutiunt fœdus de mutua securitate, & fide sibi invicem utrobique conservanda, & de omnibus jure belli perquirendis æqua sorte dividendis. Præterea ut qui primus venerit ad *Messanam Apuliæ* civitatem alterius subsecuturi pariter præstolaretur adventum, postea singulis qui familiares suos eo fuerant prosecuti peregrinos in sua redeuntibus. Reges cum suis in anteriora profecti sunt,& iter suum qualiter agerent dispofuerunt, magnis se invicem frequentantes munificentiis, & mutuis colentes honoribus, unanimi quoque, tantus exercitus itinerans progressu sine querela vel quacunque dissensione confecit dietas suas, cum alacritate & gaudio. Transeuntem per civitates & villas tantam multitudinem cum magno apparatu & armorum strepitu videntes indigenæ, attendentes distinctiones hominum adversarum situ regionum in processu, & observatam disciplinam, papæ, inquiunt, quid sibi vult tanta hominum multitudo tanti robur exercitus! Quis horum poterit resistere fortitudini? O gratiosa agmina pubesque decora! O felix elegantiæ tantæ juventus! parentes an ex discessu mœstitia affecti? quæ terræ tam spectabiles forma produxerunt ephebos, at tam gratissimos progenuerunt tirones? cujus putamus auctoritatis vel potentiæ tantæ multitudinis rectores, qui tantæ virtutis legiones sua moderantur dictione? Hæc & his similia dicentes, & prætergredientes, piis votis prosequentes obtulerunt in vasis diversi generis, quam gratissima obsequia itinere fatigatis, quali scil. potuerunt protestantes devotione. Seriatim itaque progrediens exercitus dietis distinctis alacriter à Vergelay provenit ad Sanctum *Leonardum* de Curbeny, deinde ad *Mulius*, post ad montem Escot, deinde ad *Tulinis* apud Sanctam *Mariam* de *Bosco*, inde ad *Belivi*, post ad villam Furatam, deinde ad Liuns super *Rodanum*, ibi, facta difficultate transeundi propter fluminis rapacitatem, & cæcam profunditatem, aliquot diebus substiterunt; ut, qui interim venerat, transiret exercitus, & subsequentium expectarent adventum. Transmisso denique fluvio Reges trans fluvium fixis papilionibus residebant in aprico, pars exercitus hospitabatur in villa, quot poterat capere, pars in suburbanis locis virentibus. Ibi videres & locis distinctos, & armorum scematibus diversarum regionum oriundos innumeros, quorum tamen numerus centum millia æstimabatur excedere, nec adhuc cessabant confluere. Postmodum Regem *Franciæ* cum suis omnibus abeuntem ad *Genuenses* prosequutus est Rex *Angliæ* gratia familiaritatis & honoris. *Genuenses* quippe maris gnaros sibi quidem obligaverat Rex *Franciæ* ad transfretandum. Statuerunt autem, sicut prædictum est, ut qui prior eorum attigisset *Messanam Siciliæ* civitatem, expectaret alterius adventum.

Crucesignatorum exercitus fuit hominum supra 100000

CAP. X.

Post discessum Regis Franciæ *ad* Genuenses, *pons* Rodani *turba premente cadit, Rex* Richardus *per* Marsiliam *mare transiens ad* Messanam *venit.*

TUrba autem multa peregrinorum undique semper confluentium, dum se properant super pontem *Rodani* satis angustum imprudenter gerere, decidit ex pondere eorum pars pontis cum his, qui super ipsum erant, nimis quidem arduus pons erat, ex quo plusquam centum homines deciderunt in aquam, quæ est tam vehemens, cursus tam rapidus, unde vix ab altitudine tan-

ta quicquid vivum illapſum potuiſſet evadere. Illi autem qui ceciderant magnis vocibus exclamantes, & ſuppliciter ſuffragium poſtulantes, licet fatigati, mirum dictu! ex aqua eruperunt incolumes, quorum duo tantum ſunt ſubmerſi in interitum carnis, ſed ſpiritus vivit in Chriſto, in cujus deprehenſi ſunt obſequio. Poſteriores autem nimia turbati prolixitate, dum ſinguli quærerent ſolicite qua parte vel quomodo *Rodanum* tranſirent, ſed deſperati ſunt quia pons jam confractus tranſitum non admiſit. Quo comperto Rex *Richardus*, cujus nunquam in gerendis nutabat conſtantia, tranſire cupientium compatiens ſolicitudini, citato opere ex cimbis colligatis pontem qualem ſuggerebat imminens neceſſitas fecit præparari, per quas licet moroſe utcunque cum difficultate tranſierunt. Unde Rex & exercitus per triduum moram fecit, pars eorum profecta eſt ad portum propiorem *Marſiliæ*, pars ad *Veneticos*, pars ad ad *Genuenſes* vel ad *Barlatam* ſive ad *Brunduſium*, nec non ad portum *Meſſanam* duobus Regibus deſtinatum,quamplures ſunt profecti, poſt triduum receſſit Rex inde, & eodem die pons ille diſſolutus eſt. De **Liuns** tranſivimus per Vicaria apud *Albam Ripam*, deinde ad montem **Galonte**, poſt ad Sanctum *Bernardum* de **Rumaux**, deinde apud **Walences**, poſtea apud *Aariolam*, poſtea apud **Waleis**, dehinc ad Sanctum *Paulum* de Provincia, poſtea tranſivimus per montem *Dragum*, deinde apud **Orenge**, poſtea tranſeuntes montem de **Sorgre** jacuimus apud **Donpas** juxta *Avignum*, poſtea apud **Cenaiz** deinde apud *Salum*, poſtea apud **Marignane** juxta mare, de *Marigna* apud *Marſiliam* ubi moram fecimus per tres hebdomadas, poſtea mare intravimus ſcil. die proxima poſt Aſſumptionem beatæ *Mariæ* anno primo coronationis Regis *Richardi* & tranſivimus inter duas inſulas quarum altera viz. *Sardinia* fuerat à dextris, *Corſica* vero à ſiniſtris. Ibi quidem eſt magna maris diſtrictio. Deinde navigavimus inter duos montes ſemper ardentes quorum unus vocatur *Vulcanus*, alter *Strango*, inde tranſivimus per fluvium *Farum* nimis periculoſum, poſtea pervenimus ad *Meſſanam* civitatem ubi claſſis erat Regis *Richardi*, quam illuc ut prædiximus antea præmiſerat.

CAP. XI.

De Civitate Meſſana *&* *de Regina ſorore Regis* Richardi, *&* *dote ejus* Tancredo.

DE Civitate *Meſſana* ſciendum quod multiplicibus ſit referta bonorum copiis, ſitu amœna & plurimum concordia, in confinio *Siciliæ* & *Raſe* quæ illi famoſo *Agolando* dicitur olim fuiſſe pro ſervitio ſuo collata. Conſiſtit itaque civitas *Meſſana* in initio *Siciliæ* affluens neceſſariis & omnibus bonis, ſed homines habens peſſimos & crudeles. Rex eorum *Tancredus* opum variarum ditiſſimus, quas ſcil. congeſſerant anteceſſores ſui, qui in *Sicilia* regnaverant à tempore *Roberti Guiſcardi*. Eodem tempore Regina *Apuliæ* ſuo marito Rege *Willielmo* viduata *Palermæ* morabatur, Rex enim *Willielmus* ſine hærede defunctus eſt cujus relicta Regina jam in cuſtodia erat cum dote ſua eidem aſſignata prædicti Regis *Tancredi*, qui Regi *Willielmo* ſucceſſerat in Regnum. Hæc Regina vidua ſoror erat Regis *Angliæ Richardi*, qui cauſam ejus habens, Regem *Tancredum* compulit ad ejuſdem Reginæ ſuper eidem debita dote condignam ſatisfactionem.

CAP. XII.

De injuriis quas Griffones *apud* Meſſanam, *ante adventum Regis, noſtris inferebant.*

CLaſſis illa famoſa Regis *Angliæ* apud *Meſſanam*, Regis, ut prædictum eſt, præſtolabatur adventum; claſſis quidem miranda numero, & apparatus inſtructione plenarie præmunita, cui ſimilis nunquam viſa ſibi fuiſſe ferebatur, tanta tanto opere inſtaurata, plura præterea genera hominum ejuſdem claſſis aſſignata, juxta maris litora commorantium in papilionibus & tentoriis, & diverſorum ſcematum, civitatis enim cavebant habitationem,propter civium impiorum inſolentiam, uſque ad Regum adventum. Cives namque nequam vulgo dicti *Grifones*, & patribus progeniti plures eorum *Sarracenis*, noſtris admodum extiterant contrarii & infeſti, quotidiana eis irrogant convitia, digitos ſuos in oculos eorum protendentes, & canes fœtidos appellantes, & pluribus aliis illudentes modis, & etiam clanculo quamplurimos noſtrorum perimentes, & in latrinas dejicientes, ſuper quo ſcelere plurimi eorum poſtea convicti ſunt. Super his & aliis modis quamplurimis noſtris exprobrantes, & exoſos habentes, nequitiam ſuam in quantum audebant exercebant, eos ad iracundiam provocantes, quatenus, ſi forte repugnare tentaſſent, & talionem injuriis referre, ipſos funditus à civitate ſua delerent, numero quidem impares, & peregrinos, & viribus inferiores, minus quidem in eo provide, quod Regum ipſorum eo non penſarent adventum.

CAP. XIII.

Cum quali apparatu Primo Rex Franciæ, *poſtea Rex* Angliæ Meſſanam *applicuerunt.*

PUblici moris eſſe dignoſcitur, ut quiſquis Rex præſertim & princeps terræ talis tantuſque procedat, & tanta fulgeat auctoritate, quanta fuerit præditus poteſtate, quatenus non ſit minor habitus quam potentia, imo pari conveniunt aptitudine ut Rex Regio ſplendeſcat obſequio, & virtutem ejus exterior prædicet apparentia; vulgo namque dicitur *Qualem te video, talem te eſſe ſpero.* Porro modus habitudinis formam trahit ex animo præſidentis, talis nimirum erit forma prædicati, qualis permiſit natura ſubjecti. Ille tanti nominis Rex *Franciæ*, cujus emiſſo tot principes tot terrarum nationes parent edicto, cum *Meſſanæ* civitatis nunciaretur applicaturus ad portum, omnis ætas, omnis ſexus, cujuſcunque conditionis indigenæ ad tam famoſum Regem profiluerunt videndum, ille vero tantum una nave contentus, tanquam viſus hominum refugiens, in ipſius urbis caſtelli portum ſe latenter ingeſſit, cujus adventum præſtolantes in littore, puſillanimitatem ejuſdem arguentes, & exprobrantes non facile talem Regem poſſe fore magnarum virtutum patratorem, cui ſic eſſet ſuſpectus viſus hominum, ſicque ſpe videndi eum fruſtrati redierunt indignantes ad propria. Porro Rex *Angliæ* ille magnanimus, ex quo fama prædicante divulgabatur adventare, catervatim ruunt populi, illum cernere cupientes; & in littus ſe ingerentes certatim occupant ſedes illum aſcendentem viſuri. Et ecce eminus proſpiciunt mare galeis opertum innumeris, & vox à longe intonabat in aures eorum tubarum reboantium, & lituum clarius & acutius reſonantium, interea propius accedentibus fuit videre galeas ſeriatim remigantes, variis undique ornatas & refertas armaturis, ventilan-

Rex Franciæ Meſſanam clanculum intrat.

ventilantibus ad auram innumeris penuncellis, & fignis, ordine decoro, in ha-ftilium fummitatibus, roftris galearum varietatibus picturarum diftinctis, ap-penforum in fingulis proris, fcintillantibus radiis fcutorum, videres ex multi-tudine adventantium remigantium mare fervefcere, tubarum intonationibus, quas trumpas vulgo dicunt, audientium aures tinnire, & ex vario tumultuan-tium acceffu delectationem excitari. Cum ecce Rex magnificus juxta navi-gantium galearum catervatim obfequio ftipatus, cæteris eminentiori & orna-tiori præftans in prora, tanquam ignota vifurus, five ab ignotis videndus fer-tur in littus obfitum denfarum turbarum agminibus, & omnibus tanquam fe ultro videndum exponens, eleganter ornatus in littus afcendit, ubi nautas, quos eo præmiferat, cum cæteris addictis obfequiis fuis reperit, eum gratan-ter excipientes, & dextrarios & equos fuos nobiles, fibi pridem commiffos ad vecturam exhibentes. Confluunt hinc inde cum fuis indigenæ profequentes ipfum ufque ad hofpitium fuum. Super cujus tanta gloria vulgus attonitum conferebat ad invicem, hic quidem dignus Imperio, hic merito conftitutus fuper gentes & fuper regna, cujus fama olim audita multo junior eft ipfa veri-tate quam videmus. Interea concrepitantibus undique trompis, & alternos commifcentibus convenienter accentus, fit quædam tonorum difcors concor-dia, dum congrua fonorum productiore identitate, fingulæ fingularum quo-dam modo repeterent exceptiones mutuas, & vocum reftaurarent depref-fiones.

Rex Angliæ ultro videndum fe præbet.

CAP. XIV.

Quantas injurias paffi funt noftri apud Meffanam *à* Longobardis.

GRifonum, dum Reges tanta cum virtute viderent appulfos, in parte re-preffa eft arrogantia; quippe qui fe perpenderent virtute inferiores & gloria, *Longobardi* vero contumaciter minantes contendere non ceffabant con-vitiis & opprobriis laceffere noftros, tentoria noftra comminantes fe invafu-ros, ut eos occiderent & res fuas diriperent, zelo quidem ducebantur fuper uxoribus fuis, cum quibus nonnulli peregrinorum colloquebantur, potius ad ipfos irritandos maritos quam ad perpetrandum adulterium. Hac igitur oc-cafione & invidia perturbati *Longobardi* cum communia civitatis femper, in quantum licuit, noftris erant infefti, maxime pro eo quod ab Anteceffforibus fuis fe didicerant olim à noftris fuiffe fubjugatos, unde quanta poterant nobis procurabant incommoda, & turrium exaltabant propugnacula, & altioris pro-funditatis foffas ambientes perfodere, præterea ad incitantum animorum im-pulfum frequentiffimis provocabant convitiis, & dehoneftabant contumeliis.

Longobardi Zelotypia affecti.

CAP. XV.

Occafione unius panis à muliere venditi fit pugna inter nos & Longobardos.

FOrte die quadam contigit, unum ex noftris convenire quandam mulie-rem fuper pane recenti, quem ad vendendum expofuerat, cumque con-fabularentur ad invicem, & ipfe de pretio dando taxando loqueretur, mulier, eo quod minus obtuliffet pro pane quam voluerat, tantam fubito prorupit in iram, quod noftrum nefandis afficeret contumeliis & opprobriis, vix abftinens manibus, quin pugno percuteret, aut crines extirparet: & ecce fubito ex lin-guacis tumultu mulieris convenit civium multitudo, & peregrinum illum vi-

olenter

olenter correptum immisericorditer verberarunt, & capillis dilaceratis, & multis modis vexatum & conculcatum, pene reliquerunt exanimem. Facto clamore Rex *Richardus* petiit pacem & amicitiam, afferens se venisse pacificum, & ad exequendam peregrinationem simpliciter fuisse eo usque profectum, nec prius à perorando super pace obtinenda destitit, quam pacis securitate promissa singuli secederent pacate in sua.

CAP. XVI.

Longobardi *impugnant homines Regis* Richardi *unde Rex civitatem obsidet impugnat & expugnat, & vexilla turribus urbis imponit, invidente Rege* Franciæ *& auxilium* Longobardis *parante.*

VErum illius antiqui humani generis inimici pro taxatione, cujus est pacem perturbare, seditionesque excitare, reparatur in crastino contentio,[a] [adeo ut] rediviva inter cives & peregrinos sit exorta perniciosior altercatio. Fuerant interea duo Reges colloquentes cum justitiariis *Siciliæ*, & cum majoribus civibus civitatis, super pace tractaturi & securitate, & ecce clamor factus est dicentium, quod indigenæ jam perimerent homines Regis *Richardi Angliæ*, quod cum Rex adhuc dissimularet, maxime quod *Longobardi* non esse verum ita assererent, venit secundus nuntius exclamans jam indigenas invasisse peregrinos, dissuadentibus *Longobardis* adhuc se ita rem habere, qui & ipsi tunc ex eodem conflictu venerant, sed proposuerant Regem mendaciis circumvenire, cum jam tertio cum impetu apparuisset nuncius accurrens & vociferans, pacis hujusmodi modum improbandum, cum cervicibus gladii jam imminerent. Tunc sine mora Rex accelerans relicto colloquio vectus equo eo venit ea scil. intentione & intuitu, ut litem dirimeret, & litigantes pacificaret. Erant autem duo *Longobardi* nimis astuti & mendaces, quorum instinctu commota est turba civitatis in peregrinos, qui tamen, ut dolositatem suam mendaciis palliarent, asserebant se inde venisse, & nil mali factum fuisse, quorum nomina hæc sunt, *Jordanus* Luppin & *Margaritus*. Cum Rex *Richardus* eo loci venisset, quo jam congressi hinc inde mutuis congeminant ictibus, & jam non cum verbis contendunt, sed pugnis & contis, ipsumque Regem sollicitum pugnantes separare, *Longobardi* jam ira succensi, & contumaces, contumeliis & nefandis insectantur opprobriis; ipse vero irrisionis talium impatiens se statim armis munivit assumptis, & ipsos inclusos in civitate obsidione subita cingebat. *Franci* interim de Domino suo Rege *Franciæ*, quid actum esset, ambigentes, huc & illuc discurrebant ipsum quærentes, cum ecce à loco colloquii properanter se in palatium, quo fuit hospitatus, recepit. Commota est igitur omnis civitas, indifferenter rapiunt singuli, quod manus errabunda invenerit, & se jactanter defensuros proculdubio invicem compromittunt. Adeunt tamen *Longobardi* Regem *Franciæ* ejus suppliciter implorantes auxilium, & defensionem, & se & sua ejus subdentes ditioni & voluntati, dummodo conatus Regis *Angliæ* jam civitatem pertinaciter impugnantis elideret, & civitatem sibi subditam haberet. Et statim Rex *Franciæ* assumsit arma sua; &, ut veritatis conscius nobis referebat, *Longobardis* potius [b] auxiliaturus, quam hominibus Regis *Angliæ*, cui prius juramento & fide præstita tenebatur obnoxius, super auxilio ferendo & fidelitate ubique servanda. Obseratis jam portis civitatis, & dispositis propugnaculis murorum custodiis, fit clamor, & tumultus, & commotio magna hinc à foris oppugnantium, inde de intus repugnantium, curritur ad arma, singulorum manus armant, tela, quæ furor ministrat & impetus, rapientium. Franci *Longobardis* conjuncti

[a] *MSS.* Et. [b] *MSS.* Auxiliaturos.

 communi

communi agebantur confilio, & conglobati velut unum efficiebant populum. Hoc autem ignorabant exteriores quod fibi confœderati fierent adverfarii. Ab initio vero exierant quidam *Longobardorum*, antequam portæ civitatis clauderentur ad impugnandum hofpitium *Hugonis Bruni*, & ibi pertinaciter infiftebant dimicantes, & ecce Rex *Angliæ*, hoc comperto, eo celeriter divertit; quem [a] [cum] advenire vidiffent, fine mora verfi funt in fugam; & velut oves à lupis difperfi funt in momento temporis; & tunc cefsabant eorum comminationes verborum & impugnationes telorum. Refugientes itaque fecutus eft Rex, ufque ad quandam muri pofternam, quo fe agebant, non audentes in eum faltem infpicere, ne dum repugnare, cum Rex nec & viginti homines de fuis in primis habuifse dicebatur, cum in eos irruerent. In introitu autem illius pofternæ nonnullos ipforum proftravit ulterius cum peregrinis nunquam congrefsuros. *Longobardi* igitur perpendentes feria agi & fe revera oppugnari, quanta fufficiebant virtute refiftebant; & murorum propugnacula occupabant, & faxa projiciebant, & jacula arcubus & baliftis imbrium more mittentes, & quot poterant modis oppugnantes impetebant; ut vel ab infultibus cefsarent, vel faltem [b] parcius cœptis infifterent, unde nonnullos noftrorum, in ipfo ferventis defenfionis initio, plures irrogabant injurias, quofdam ad mortem, alios ad livorem, nonnullos ad membrorum conquafsationem vulnerabant; volantibus enim telis cum fpiculis denfiffimis, cum faxis demiffis [c] [&c.] præter alios, tres amifimus ibi milites, fcil. *Petrum* **Tireprete**, & *Mattheum* de *Saliceto*, & *Radulfum* de **Roberei**. *Longobardis* quidem fi recta Chrifti fides inefset, & refpectus juftitiæ, maximam noftris ftragem dedifsent, & multitudine vicifsent, fed eorum arrogantia & impietas merito debuit eifdem nocere, qui noftris nihil meritis tantam irrogafsent injuriam & gravamen. Æftimatur civium cum aliis civitatem defendentium multitudo excedere quinquaginta millia. Ibi videres ferociffimos virorum affultus plurimis modis machinari introitus, audacter hos tela dirigere, illos portas fuccidere, nunc hos nunc illos occumbere, galeas noftras ex parte maris verfus palatium portum occupantes urbem obfidere. Verum Rex *Franciæ* eifdem portum prohibebat & nonnullos eorum intrare volentes perimi tunc contigit. Ex parte vero terræ Rex *Angliæ* fuerat, qui in rebus bellicis fingularis erat, vehementior urgebat oppreffio, pars inftabat portarum flagella fuccidere, ubi cum non pro voto proficerent, collem excelfum civitati proximum afcenderunt, & per pofternam quandam, quam Rex *Angliæ*, fecunda die adventus fui, ad cautelam futurorum circuiens cum duobus fociis, quafi neglectam à civibus perpenderat, muros civitatis cum magno impetu audacter introierunt, & portas civitatatis diruerunt, & reliquum exercitum intromiferunt. Tunc quofcunque civium obvios, five repugnantes, vel ceperunt, vel proftraverunt; & civitatem globati hoftiliter invaferunt: unde ficut & *Longobardorum*, fic & noftrorum quamplures in eo conflictu occubuerunt, cives enim intrantibus undique, & civitatem jam occupantibus, refiftere non audentes, à fummitatibus domorum & turrium propugnaculis, eis tela tota virtute miferunt, & à folariis quibus inerant, quot modis poterant, oppugnantes contendebant reprimere. Nihilominus autem jam captam civitatem peragrabant victores, ipfo Rege præeunte, & omnia primitus invadente, ipfe denique primus civitatem introivit, ipfe dux & prævius fuis præbuit audaciam, & hoftibus incuffit horrorem; ipfum igitur circiter x. millia hominum fequebantur, civitatis totam diripuerunt fubftantiam. Ibi audires horrificos clamores, confufas vocum diverfitates, hinc noftrorum fefe ad profequendum cohortantium, illinc *Longobardorum* fugientium, & præ timore mugientium, ictus etiam geminare, & quofcunque obvios gladiis homines ficut fegetes falcibus metere. Ubi noftri Domus occuparunt, diffiliebant à fummitatibus, & à folariis *Longobardi*, magis metuentes incidere in hoftilem annum, quam cafum

Meffana capta & direpta à Richardo Rege Angliæ.

[a] Deeft *MSS*. [b] *MSS*. Partius. [c] *MSS*. Et fcil.

infortuna-

infortunatum, suæ quidem impietatis conscii, de consequenda, quam non meruerant, misericordia sunt desperati. Nec mora, jam subacta viriliter civitate, non apparebat qui ulterius mutire præsumeret. Quid plura? Rex *Richardus* uno impetu citius jure belli *Messanam* occupaverat, quam quilibet presbyter cantaret matutinas. Multo quidem plures occumberent civium, nisi Rex pietate motus parcere jussisset. Amissæ vero pecuniæ summam civium quis poterit æstimare? quicquid auri vel argenti, sive cujuslibet generis pretiosi, inventum est, occupantis cessit in usum. Præterea Galeæ ipsorum igne supposito succensæ sunt in pulverem, ne si forte fugerent, & vires resistendi resumerent, mulieres quoque nobiliores sibi diripuerunt victores. Et ecce tanto peracto negotio, viderunt *Franci* subito vexilla & signa Regis *Richardi* super muros & turres civitatis; unde Rex *Franciæ* acriter commotus vitæ suæ coevam concepit invidiam, & postmodum pro tempore peperit iniquitatem, quam contestatus est, dum percussit *Normanniam*.

CAP. XVII.

Invidente Rege Franciæ *sola signa Regis* Angliæ *turribus imponi, Rex* Angliæ *se humilians concessit utriusque simul signa apponi.*

REx *Franciæ* Regis *Angliæ* invidens successibus, & ægre ferens magnanimitatem, admodum doluit hoc suæ non ascribi gloriæ, quod ipse sudore triumphaverat præstantiæ, qui pro conditione mutuæ pactionis, & in discrimine suorum maximo, & cæde non modica oculis perspecta, non tamen Regi *Angliæ* contra hostes pertinacissimos præbuit manum auxiliarem, ut tenebatur confœderatione societatis, imo totis viribus restitit, & ab introitu civitatis occupandæ, qua potuit instantia, longius arcebat, qua parte ipse cum suis commanebat hospitio, præsumptione prævaricationis. Capta sicut prædictum est civitas, & Bannariis Regis *Angliæ* muris collocatis, mandavit Rex *Franciæ* de consilio suorum, ut Rex *Richardus* de excelso murorum vexilla sua faceret deponi & sua apponi, in eo scil. ipsi tanquam superiori deferens honorem. Rex *Richardus* super hujusmodi indignans mandato, præcedentia pensitans & jura societatis examinans, nec etiam respondere curavit, ne viz. cederet acquisitis & victoria ascriberetur non tantum otioso, imo adversario perjuro, mediantibus vero intercessoribus, Regis *Richardi* tandem indignatio deferbuit, & quieverunt verba contumeliosa. Vix igitur faciens morem animo per blandimenta suorum, qui videbatur invincibilis oppugnationi inimicorum, adquievit Regis *Franciæ* petitioni, ut viz. ejus traderet tutelæ turres quas ceperat, cum communibus custodiis, quousque Regis *Tancredi*, super his quæ gesta sunt, experirentur sententiam, &, qui minacibus & jactantiæ verbis perseverabat vehementior & rigidus, blanditiis flectebatur & precibus. Eriguntur igitur utriusque vexilla super muros civitatis, quatenus Regis *Franciæ* tentaret constantiam & probaret familiaritatem.

CAP. XVIII.

Nuncii mittuntur ad Tancredum *ut satisfaceret pro transgressis, & dotem Reginæ redderet. Rege* Franciæ *clam in contrarium mittente.*

COmmuni itaque decretum est consilio, ut nuncios destinaret ad Regem *Siciliæ Tancredum*, perquisituros super hominum suorum tam enormi commisso satisfactionem, & quid super his quæ gesta fuerant censeret agendum. Præterea mandavit Rex *Richardus* Regi *Tancredo*, ut sorori suæ Reginæ *Siciliæ* super dote competente provideret, & super portione thesauri mariti

riti sui Regis, quæ ei jure contingeret, super mensa quoque aurea, æqua sorte dividenda illius uxori cujus extiterat. Horum gerendorum fuerant nuncii dux *Burgundiæ*, & *Robertus* de Sablvel, & alii quidam quorum nomina exciduntur. Interea Rex *Franciæ* Regis *Richardi* perpendens magnanimitatem, tabescens invidia cœpit super his, quæ in expugnata civitate direpta sunt, movere quæstionem, exigens suam juxta pactionem initam portionem, igitur super his jaculans verba ampullosa & contumeliosa, quia Rex *Richardus* gratis suæ exactioni non acquiesceret, verborum versutiis & jactabundis opprobriis irritare non destitit ejus animum ad iracundiam; & fœdera inter eos initæ pactionis transgredi præsumere conatus est; & in amicitiam prævaricari. Unde Rex *Richardus* magis indignans quam fractus, ejus amicitiam declinare proposuit; & naves suas cum omnibus sarcinis illatis repetere ut abirent: maluit enim, Domino duce & rectore, solus cum suis progredi ad executionem suæ peregrinationis, quam communicare cum invido, juxta illud vulgare proverbium *Satius est esse solum, quem habere malum Socium.* Quod ut Regi *Franciæ* innotuit procuravit per mediatores, ut reformarentur vitiata, & in debitum statum amicitiæ iterum confœderarentur, salva quoque omnium perquirendorum æqua divisione in posterum.

CAP. XIX.

Rex Tancredus *in dubiis respondet, unde Rex* Angliæ *ira succenditur,* Longobardi *victualia suis negant.*

INterim nuncii negotium executi, secundum quod sibi fuerat injunctum, Regis *Tancredi* super mandatis perscrutantur sententiam. Rex vero in dubiis locutus est, asserens Regibus satisfaciendum de consilio magnatum terræ suæ, pro tempore & loco, & modo competenti, super omnibus quæ fuerant sibi mandata. Dicebatur quod Rex *Franciæ* literis mandaverat Regi *Tancredo*, ut non acquiesceret exigentiis Regis *Angliæ*, sed se rigidum exhiberet in jure suo per omnia tuendo; certus omnino quod nunquam pro Rege *Richardo* in ipsum delinqueret, sibi vero fidelis existeret. In hujus, si tamen verum fuit, argumentum mandati accessit verisimile proverbio, quod Rex *Tancredus* nunciis Regis *Franciæ* pretiosa largitus est munera, nunciis vero Regis *Angliæ* non impertitus est ovum. Reversi itaque nuncii cum Regibus rem gestam retulissent. Non est inquit Rex *Richardus* opus multiloquio, nec in longum sermo protrahendus, ex quo spontaneam non exequitur satisfactionem Rex *Tancredus*, qualem potuero super erratis corrigendis impendenda est opera & diligentia. Super his igitur rebus turbatus animosiores effecti indigenæ ex confœderatione Regis *Franciæ*, Regem *Richardum* cum suis, in quantum callebant, opprimere vacabant, victualia itaque tanto exercitui necessaria venundanda inhibebant, & ne quid exponeretur emendum statuerunt, ut vel sic coerciti ditioni cogerentur submitti indigenarum.

CAP. XX.

De Constructione Mategriffim *& discordia duorum Regum.*

REx *Richardus* operam magnam adhibuerat & diligentiam ejusdem castri constructioni, cui nomen imposuit *Mategriffim*, unde nimium exacerbantur *Grifones*, quod in eorum exitium opprimendorum hujusmodi vacaret ædificio. Erat autem illud opus jam præparatum in colle proximo civitati,

tati, satis accommodo receptui, de cujuscunque generis cibariis ne exhiberentur vendenda prohibitis, quantum in eis erat, jam laboraret exercitus, nisi ex his, quæ classe adduxerant, fuisset eis in futurum provisum. Exercebant igitur quantas poterant inimicitias & detrimenta exercitui; civitatem de nocte custodiebant vigiles, & vice versa peregrini ab eorum irruptione excubias agentes se munire curabant. Reges præterea ab invicem repetebat discordia, & Rex *Franciæ* adversariis Regis *Richardi* jam publicum se præbebat fautorem. De pace vero inter eos reformanda pars magna potentium satagebat, nunc ad palatium nunc vero ad *Mategriffim* pergentes, utriusque Regis magnopere tentavit amollire motus irarum: frustra vero operam impendunt & diligentiam, utroque causante, & plurimam occasionem offensionis adversus alterum se habere afferente; neuter enim eorum alterius acquiescendum æstimavit voluntati, ne viz. Rex *Franciæ* inferioris se committeret arbitrio, & eo suæ derogaretur dignitati, sed nec Rex *Richardus*, ne subjectionis illius notaretur infamia, quem animabat operum magnificentia.

CAP. XXI.

Tancredus *pacificatur cum Rege* Richardo *dans ei* XL. *mil. uncias auri pro dote Reginæ & conjugio* Arturi, *pacificantur etiam duo Reges & cives.*

SIc rebus in dubio fluctuantibus, cum Rex *Tancredus* perpendisset diuturniori discordia provenire posse periculum, & Regem *Richardum* didicisset à cœptis non temperaturum, donec pro voto consequeretur effectum, missis legatis nobilibus obtulit pacem, & petiit concordiam, asserens apposite ad persuadendum se nolle tanti viri cum suorum discrimine, quantum in eo erat, sustinere exacerbationem, sed se paratum, si vellet, interveniente pecunia, cum eo amicitiæ foedus inire, & pro dote Reginæ *Siciliæ* sororis Regis *Richardi* daturum xx. millia uncias auri, & præterea alia xx. millia in maritagium, cum quadam filia sua bonæ indolis puella, & elegantis formæ, *Arturo Britanniæ* nepoti suo, si vellet, maritanda. In quam conditionem, cum assensum præberet Rex *Richardus*, satagentibus utriusque nunciis consummatum est negotium; & pecuniæ summa recepta scil. XL. milliaunciæ auri; & Regina fratri suo Regi *Richardo* reddita absoluta: sicque firma pace prolocuta, & scriptis confirmata omnium omnino conquievit controversia. Cum vidisset igitur Rex *Richardus* prout petebat sibi fuisse satisfactum, omnem decrevit gratis æqua sorte dividendam pecuniæ summam tunc à Rege *Tancredo* susceptæ. Dividere vero pecuniam susceptam pro dote sororis suæ, licet de jure confœderationis non teneretur, tamen ex mera liberalitate id etiam fieri voluit; quod & ipsi cessit ad gloriam, & commendationem; & inimicantium in parte delevit invidiam. Denique, de consilio venerabilis *Rothomagensis* Archiepiscopi *Walteri*, denunciatum est sub Anathematis interminatione, ut quicquid auri vel argenti, sive cujuslibet generis pecuniæ, victorum manus diripuisset à civibus, restitueretur in integrum. Restitutis itaque cunctis, & quantum ad exteriorum apparentiam firmiter pacificatis, cives gaudent securitate, peregrini pacis tranquillitate, sic civitatis status incolumis, statuuntur leges pœnales in pacis prævaricatores. Ingrediuntur cives & egrediuntur cum peregrinis sine offensa & altercatione, renovantur omnia in gratiosam concordiam, lætantur immensurabiliter singuli, & jam libere exponuntur venalia esui necessaria pretio satis tolerabili & hominibus & equis. Regum etiam effloreſcit amicitia, & omnium redintegratur gratia, mediante justitia. Verum palliata superficie tenus simulatoria dilatione, semel concepta in animo Regis *Franciæ* perseveravit immortalis æmulatio, & Regis *Richardi* gesta præclara velans, —Astutam vapida servabat pectore vulpem.

CAP. XXII.

Rex Tancredus *& Rex* Richardus *se invicem visuri apud* Eatinensium *urbem conveniunt.*

INterea Rex *Tancredus* tunc temporis commorans *Palermæ*, super audita Regis *Richardi* magnificentia & gloria gestorum non parum attonitus, missis legatis nobilioribus rogat eum, ut apud *Eatinensium* civitatem sibi invicem occurrerent sese visuri. Plurimum quidem illius faciem desiderabat videre, cujus eximiæ virtutis olim fama divulgante satis admiratus est magnanimitatem. Erat autem civitas *Eatensium* medio spatio sita inter *Messanam* & *Palermam*. Annuens his Rex *Richardus* nobiliorum suorum procerum glorioso comitatus agmine processit eidem obviam loco statuto. Cumque convenissent ex condicto in unum uterque super alterius eximie lætatus est adventu; & gratiam omnem sibi invicem satagebant exhibere; & mutuæ dilectionis solenne fœdus inierunt; omnimodaque pacis confirmatione in perpetuum inter eos observandæ confœderati, magnificentia regali datis invicem muneribus & acceptis, & peracta competenti Regibus solemnitate digressi sunt alacriter ab invicem. Rex *Tancredus* reversus est *Palermam* & Rex *Richardus* ad *Messanam*.

Fœdus inter Richardum & Tancredum.

CAP. XXIII.

Rex Richardus *militibus & aliis pro mora quam ibi fecerat indigentibus largissima partitur munera.*

INterea milites, qui in seditione prædicta & rerum turbatione, totam illam æstatem gravibus transegerant impensis, moleste ferebant tantam ibi moram ociosam & inutilem. Causabantur enim fratres suos in Christo in obsidione *Aconensi* in agone continuo contendere, & se dies ducere ociosos, & sua absque profectu jam ex parte majori consumpsisse; cum etiam ea quæ in occupatæ civitatis direptione jure belli fuerant adepti compellerentur restituere. Super hujusmodi tam divulgati quærimonia commotus Rex *Richardus* regali munificentia tot universis indigentibus largitus est munera præter spem, ut sufficientissima singuli prout quemque decebat copia ditarentur. Ex distributis igitur largissime donariis aureis, sive argenteis, sive cujuscunque generis alterius, plurimum consolati sunt milites, nec non nobiles *Palæstinæ* mulieres hæreditatibus privatæ, & à patria exules, viduæ scil. sive virgines, sunt affluenter locupletatæ. Unde Rex *Richardus* omnium obtinuit gratiam & favorem, peditibus quippe & inferioris fortunæ satellitibus centum ad minus solidos impertiebat. Rex etiam *Franciæ* ipsius illectus exemplo quamplura suis largitus est donaria. Hinc rediviva reflorescit in populo lætitia, & prius confracti mœstitia tam generosa suberiguntur munificentia.

CAP. XXIV.

De magna festivitate Regis Richardi *die natalis Domini, ad quam vocaverat Regem* Franciæ, *& totum populum ad convivium apud* Mategriffim, *& de donariis ejus largissimis.*

INstabat illa præclara Nativitatis Dominicæ festivitas, tanta celebriori veneranda solemnitate, quanto magis necessaria humani generis redemptioni.

Hujus

Hujus gratia celebrandæ feſtivitatis Rex *Richardus* venerabiliter Regem *Franciæ* invitavit ad prandium, & voce præconaria omnem animam vocavit ad diem tantam deducendam ſecum cum lætitia & gaudio. Ad cujus inſtantiam venit rogatus Rex *Franciæ* cum innumero magnatum agmine, venit & turba copioſa; quid plura non multum laborat qui cogit volentem, & quem æſtimamus tunc temporis de induſtria gratis abeſſe à *Richardi* Regis convivio? Igitur in caſtro ſuo quod invitis indigenis ædificaverat *Mategriffim* honorifice ſunt ſuſcepti, & juxta quod cuilibet dignitas exigebat collocati diſcubuerunt. Quis illatorum ferculorum enumeret varietates, vel genera poculorum, vel ornatam operoſe turbam miniſtrantium? Quod qui noſſe voluerit animo metiatur Regis *Richardi* magnanimitatem; cui & convenientem penſitet ſuæ feſtivitatis procurationem; nihil indecens videres vel incompoſitum, nihil non pretioſum, nihil non commendabile. Ciffi quippe ſive diſci quibus inferebantur non alterius erant materiæ vel ſubſtantiæ quam auri vel argenti, vaſa denique erant omnia aurea vel argentea mirandi operis anagliphi, vel lima rodente ſubtiliter cælata formatis imaginibus hominum ſive beſtiarum, pretioſis inſitis gemmata lapidibus. Præterea unde convivorum univerſa conſtat gratia ſuper omnia vultus acceſſere boni. Quid ultra ſinguli lætati ſunt eximie tanta cibariorum & poculorum electorum abundantia & miniſtrantium hilari facetia. Soluto tantæ celebritatis convivio, Regem *Franciæ*, generis eximii pretioſis diverſis gratis expoſitis, in gratiam honorificentiæ familiariter compulit eligere ſibi potiora, quinimo inæſtimabilis pretii largitus eſt ſingulis Rex *Richardus* pro dignitate donaria, ad perfecte conſummandam feſtivitatis gratiam, diem nimirum ſe dolebat perdidiſſe, qua nil ſe contingeret donaſſe, *Titi* ſolius liberalitati comparandus cujus dextra ſparſit opes.

CAP. XXV.

Piſani & Genuenſes *invadunt cuſtodes claſſis Regis* Richardi.

Accidit eo tempore ut mero æſtuantes *Piſani* & *Genuenſes*, qua neſcitur occaſione turbati, claſſis Regis *Richardi* invaderent hoſtiliter cuſtodes, & dum violenta irruptione ſeſe acriter impeterent facta eſt magna utrorumque peremptorum ruina, craſtino quoque heſternæ reminiſcentis cædis, tanquam nondum completam ſe dolentes exercuiſſe malitiam, in eoſdem præmeditati revertuntur inſultus, quibus atrociter ſeſe invicem cædentibus feſtinato Rex *Richardus* occurrit, ipſoſque pertinaciter graſſantes vix compeſcuit, & ab invicem recedere coegit.

CAP. XXVI.

De adventu Reginæ Alienor & Berengariæ *uxoris futuræ Regis* Richardi, & *de receſſu in terram ſanctam primo Regis* Fran. & *ſecundo Regis* Angl.

Anno igitur Domini MCXCI. E. litera dominicali exiſtente, poſt languidioris temporis hiberni nimbidos menſes, cum jam dies inſtarent ſolidiores, tempus aptum navigio gratulatur populus adveniſſe pertæſus in ociis moræ longioris. A feſto enim Sancti *Michaelis* in civitate *Meſſana*, ſicut prædictum eſt, commorati ſunt Reges cum univerſo exercitu uſque ad jam tranſmiſſam quadrageſimam. Colloquuntur igitur de transfretatione moram ulteriorem allegantes multifarie incommodam, tum propter temporis ſerenioris inſtantiam, tum ne inutiliter otio torpentibus deficerent expenſæ,

tum quod in obsidione laborantibus compatiebantur, quibus nimis tardum se dolebant parare subsidium. Igitur dum singuli se ad iter aggrediendum eadem expediunt, præcurrentibus nunciis Regi *Richardo* innotuit matrem suam Reginam *Alienoram* post eum properantem, immenso itinere multo jam in proximo constitisse, & nobilem puellam Regis *Navariæ* filiam nomine *Berengariam*, secum adduxisse Regis futuram uxorem. A multo nimirum tempore, quo primum Comes fuit *Pictavensis*, morum illectus elegantia ipsius puellæ, nec non & generis dignitate plurimum desideraverat eam, unde & ipsius pater puellæ Rex *Navariæ* eandem commiserat matri Regis *Richardi* deducendam ad eum, ut eam antequam transfretaret sicut disposuerat duceret in uxorem. Super quorum adventu lætati sunt universi. Interea Rex *Franciæ* cum omni apparatu suo ad iter arripiendum expeditus, aspirantibus prosperis ventis, cum omni classe sua profectus est, viz. die Sabbati post Annunciationem Beatæ *Mariæ*, quem Rex *Richardus* prodeuntem diutius prosecutus est cum dignioribus proceribus in Galeis suis. Sed ad transfretandum nondum expeditus, tum quod universas naves suas ad vehendos equos suos & sarcinas nondum aggregaverat, tum quod æstimaverat necessarium sufficienter non erat instructus, tum quod ut prædictum est matrem suam cum memorata puella jam acceperat eo venturam. Igitur postquam Regem *Franciæ* transfretaturum dimiserat in pace ultra Farum transvectus est usque ad civitatem *Risam* ubi didicerat Reginam matrem suam esse cum *Berengaria*, quas cum summo gaudio gratanter suscipiens secum diduxit ad *Messanam*, ubi facta aliquanta mora Reginam matrem suam dimisit abire, & Regni sui rogavit habere custodiam, scil. cum prædicto Archiepiscopo *Rothomagensi Waltero* magnarum virtutum viro, cum quibus & etiam inde reversus est ille *Gillibertus* de **Gascuil**, cujus postea proditione obtinuit Rex *Franciæ* castrum illud famosissimum *Gisortium*, situ fortissimum, in confinio *Franciæ* & *Normanniæ*, cujus fidei fuerat commissum. Puellam vero prænominatam quam ducturus erat uxorem secum retinuit Rex *Richardus*. **Alienor** Regina inde regrediens per *Burgas* venit *Salernam* & sic usque *Normanniam*. Rex præparatis omnibus itineri necessariis Regem *Franciæ* subsequi qua potuit expeditius ex condicto præparavit, classi itaque deducendæ & custodiendæ præposito *Roberto* de **Tornebam**, sponsam suam præfatam, cum sorore sua vidua olim *Siciliæ* Regina, præmisit prima fronte in navibus, quas vulgo dicunt *Dromones* versus orientem recto navigantes respectu: deputaverat etiam eisdem mulieribus aliquot milites ad solatium & tutelam, & obsequentium turbam copiosam. Sunt autem hujusmodi generis naves ex sui gravitate cæteris pigriores fabrica firmiori. Galearum vero multitudo perseverabat immobilis, donec Rex pransus, propter contingentes importunitates, cum omni exercitu valedicens indigenis processurus ascenderet, qui cum se ventis prosperis committeret & fluctibus marinis, omnis illa multitudo navium ad prodeundum expedita crebris remigantium impulsibus promovetur in pelagus. Civitas quidem *Messana* non immerito poterit singulari gloriari jactantia, nunquam à retroactis temporibus classem talem & tantam à finibus illis egressam, nec ullo tempore ibidem ulterius videndam consimilem. Septimo decimo die post decessum Regis *Fransiæ* i. e. die *Mercurii* post Dominicam Palmarum, cum classe navium copiosa Rex *Richardus* subsecutus est per medium Farum aspirantibus auris, & seriatim velificantes vel remigentes in altum progressi sunt, *Dromones* qui præcesserant recto itinere contendentes à tergo prospicere, disposuerat enim Rex ne unquam separarentur naves, in quantum daretur facultas, nisi forte æstibus marinis abactæ dispergerentur ab invicem; moderato itaque de industria progressu Galearum, gregatim tardiores naves onerarias comitari contendebat, ad tutelam multitudinis & solatium infirmioribus.

Franciæ Rex iter pergit in Palæstinam.

Proditio Gilleberti de Gascuil.

Richardus R. Angl. cœptum iter continuat.

CAP.

CAP. XXVII.

De ventis nunc quiescentibus nunc mare turbantibus & periculis quæ sustinuit classis Regis Richardi *usque ad* Cretam *& à* Creta *usque ad* Rhodas.

Ecce subito ventum sensimus deficere, ita quod de necessitate nos oportuit fixis anchoris immobiliter permanere inter *Calabriam* & montem *Gibellum*, in crastino vero hoc est die Cœnæ Dominicæ, ipse qui ventos subducit & educit è thesauris suis, item ventum nobis tota die perseverantem, sed tamen minus sufficientem, & classem agentem modestius destinavit; unde & nocte sequenti omnino quievit. Die vero Parasceves ventus ingruens contrarius repercussit à sinistris, quo mare turbatum nimium fervescit ab imo, involventibus se fluctibus & procellis intumentibus, fragor undarum se collidentium & ventorum vehementia navium crepitantium, non modicum cunctis incussit horrorem: ad irruentium igitur nimietatem ventorum cessavit omnino ministerium nautarum, nec enim poterat sic jactatas naves moderari gubernatio. Feruntur in incertum, dissolvitur series navium jam in diversa tendentium, solius Dei se committunt gubernaculo jam desperati de humano auxilio; in quantum vero humana sustinebat infirmitas, omnia sustinere decrevimus patienter salvatoris nostri intuitu, qui ea die pro nobis immeritam sustinere dignatus est passionem. Separatis igitur navibus errabundis, & in diversa dispersis, ex tanta jactatione stomachis hominum indignantibus, nauseam provocat gravedo, & jam ex parte non minima ablatus est sensus discriminis ab ægrotantibus hominibus; advesperascente jam vero die paulatim quievit, & ventorum illa nimietas & maris intumescentis indignatio. Vento igitur pro voto satis opportuno perseverante, resumptis viribus nautæ & confidentia, recto progredi itinere contendebant. Rex autem nec in illa magna turbatione animo turbatus destitit alios animare, & ut confidenter durarent & lætiora sperarent cohortari, ipse quoque de consuetudine habere solebat in navi sua cereum maximum accensum in laterna, & in edito positum omnibus circumquaque præbere lumen, & navigantibus viam. Habebat autem nautas peritissimos, qui, quantum humanum sufficit artificium, tantæ ventorum restiterant vehementiæ. Ad lucernam igitur Regis ardentem universi quibus poterant conatibus navem Regiam sequi contendebant. Rex nihilominus classem tempestate dispersam aliquamdiu perseverans immobilis expectabat, quousque lumine viso congregarentur circa eum, modo quidem consimili & affectu Rex classis agendæ curam gerebat, quo & gallina desiderat super pullos suos. Nocte quoque sequenti ventis properis velificantes sine offensa cucurrimus, & sine discrimine, die quoque Sabbati Paschæ, nec non & ipso die magnæ festivitatis Paschæ, & deinceps usque diem *Mercurii*. Eadem die vidimus insulam *Cretam*, in quam Rex applicuit ad quiescendum, & ad classem congregandam; quo cum venissent universæ naves super xxv. quæ non comparuerunt vehementer Rex commotus est. In arduis montibus illius insulæ *Cretæ* collis est supereminens quasi vertex montium, qui dicitur *Camelus*, qui ut nautæ maris gnari ferunt illa insula medias obtinet metas inter *Messanam Siciliæ* & *Acram* civitatem *Palæstinæ*. Craftino die Jovis naves repetiit Rex, & omnis illa multitudo, & promotis navibus cœpto itineri institit, cum ecce inclinata jam die ventus effectus validior, non tamen inimicus, vehementius agebat classem in anteriora, impetu non minimo, sed nec volatui avium dissimili, sinuato velo & malo paululum curvato. Talis itaque ventus perseverans tota illa nocte, diluculo in insulam *Rodam* dictam velis demissis totam illam classem violenter ingessit; nec tamen portus erat, qua possemus applicare, sed gurges porrectus in terram; veruntamen quo magis optata, tanto dulciori reficiebamur ibi quiete, ab eo die usque

Classis Richardi Cretam appellit.

Eadem Rhodum attingit.

in diem lunæ ſequentis, quo in *Rodam* inſulam applicuimus. Erat autem *Rhoda* civitas olim permaxima, *Romæ* non multum diſſimilis, vix poſset veritas æſtimari, tot ſunt ibi domorum ruinæ, & turrium dirutarum partes extantes, murorum etiam & ædificiorum operis præclari & mirandæ reliquiæ, Monaſteria quoque nonnulla permanentia adhuc, ſed ex parte majori deſerta à tot antiquorum ibi manentium. Situs quidem tantæ civitatis, licet ex vetuſtate jam deletæ, maximam olim teſtatur hominum frequentiam ibi fuiſse, nonnulli tamen reperti ſunt habitatores, licet pauciſſimi, qui nobis victui neceſsaria vendebant. Et quia Rex infirmabatur, ibi morati ſumus aliquot diebus, quibus Rex expectabat quas aberrantes perdidimus naves, & galeas ſuas eo venturas, quæ eum proſequebantur. Inquiſivit etiam interim de tyranno illo ſæviſſimo Imperatore *Cypri* qui peregrinos inapplicantes retinere ſolebat.

Richardus Rhodi naves tempeſtate diſperſas expectat.

CAP. XXVIII.

De receſſu Regis Richardi *à* Rodis *per* Gulfrum, *&* *adventu Reginarum ad* Cyprum.

PEractis apud *Rodas* decem diebus, quæ ſatis eſt fertilis & abundans, claſſem repetentes iter cœptum aggrediebantur, ſcil. die primo menſis *Maii*. Ferebamur itaque velis extenſis in locum, quo non eſt alter periculoſior in mari dictum *Golfrum* de *Satalea*. Ibi nimirum eſt conflictus continuus quatuor marium concurrentium, & jugi colliſione ſibi invicem repugnantium. *Golfrum* fuimus intraturi, cum ecce veritus nobis irruens contrarius retrocedere compulit, uſque ad eundem de quo fueramus digreſſi locum ſtationis. Nec multa in medium mora ventus idem cujus eſt frequentius in diverſa variari nobis item imminebat à tergo, & quanto vehementior, tanto formidoloſior cum impetu maximo nos in *Golfrum* impegit. Cujus vehementiam timentes quanto potuimus conatu locorum diſcrimina tranſcurrere ſategimus, & fluctuum æſtus tumentium tranſire. Navis Regia continuo curſu prima ſemper erat. Rex igitur cum ſerenato aere oculos ſublevaſset, eminus proſpexit per tremuli maris planitiem obviam venientem navem permaximam quam *Buzam* dicunt, à terra *Jeroſolumitana* regreſsam. Rumorum itaque avidus ocius deſtinavit, qui ab eiſdem, qui illi navi inerant ſuper ſtatu obſidionis *Achonenſis* inquirerent certitudinem, reſponderunt inquiſiti jam Regem *Franciæ* incolumem ad obſidionem veniſſe, & fabricandis machinis diligenter operam impendere, quouſque eo veniret Rex *Angliæ*. Sabbato quidem Paſchalis hebdomadæ applicuit Rex *Franciæ* in portu *Achon*, & tota intentione occupandæ civitati operam adhibuit & diligentiam. Petrarias igitur erectas ſtatui fecit juxta turrim *Maledictam*, aliaſque machinas præparari muris conquaſsandis, nam ſecus turrim illam hoſpitabatur Rex *Franciæ*. Impletis etiam & obturatis terra foſsatis ex ea parte civitatis machinis ad murum conductis, & petrariis jaculantibus diſſipatus eſt ex parte murus, ſed non multo poſt repugnantium induſtria *Turcorum* concrematæ ſunt machinæ. Hæc omnia cum didiciſſet Rex *Richardus* à prædictis navigantibus, prætereunte *Buza*, Rex alto corde prorſus alia diſpoſuit agenda. Contendens itaque Rex ventum non ſatis accommodum retorquere ad libitum, laborat exuperare ventorum inæqualitatem; aliquamdiu enim laborando nil proficiens claſſis ejus ventorum adverſitate, & intumeſcentium undarum reciprocatione, in altum repulſa jactabatur fluctibus. Prius autem *Buza* illa de **Liuns**, in qua erant Reginæ, appulſa eſt in portum inſulæ *Cypri*, ad civitatem *Limazim*: veruntamen terram non apprehenderunt, ſed in mari longe fixis anchoris immota manebat.

CAP.

CAP. XXIX.

De pluribus incommodis, quæ acciderunt terræ ſanctæ, cui maxime nocebat Imperator Cypri.

QUo plectendam æſtimamus piacula vel feriendam graviori flagello terram illam *Jeruſolumorum*, aut quo ream commiſſo quod ejus ſubventioni tot obſiſtunt adverſa? tanta mora prorogatur auxilium? imo in nequitiam eam defendentium potius creditur redundare tantæ meritum dilationis, quod in tam longum tempus ſuſpenditur redemptio, multis patenter conſtat argumentis divinum fuiſſe ſuſpenſum ſubſidium illius terræ à malitia inhabitantium in ea, unde & viros eximios, qui ſperabantur *Franci* fortes auxiliarii, contigit intempeſtive auferri de medio. Quid enim penſandum de morte illius illuſtris Imperatoris *Alemanniæ*, cujus præclari gloriam principii ſors denigravit fine plurimum diſſimilis? aut de morte olim glorioſi & ditiſſimi *Henrici* Regis *Angliæ* quis enarraret dolorem? ipſius enim pecunia incolumis civitas *Tyri* conſervata eſt, cujus etiam ſapientia & prudentia ſperabatur terra ſancta recuperanda. Quid denique ſuper occaſu magnifici Regis *Willielmi Siciliæ* dicendum? qui poſtquam peregrinationis neceſſarios diſpoſuit apparatus, & toties optatum ſæpius deſtinaſſet ſubſidium inopina morte ſubtractus eſt, & diem clauſit extremum. Omnia hæc & plura alia terræ ſanctæ acquirendæ acceſserunt detrimenta, quorum ſingula ſatis & ultra potuiſsent nocuiſse. Verum omnia prædicta unum erat exſuperans, de inſula dico *Cypri*, de qua non modicum terra *Jeruſalem* conſequi conſueverat annuatim emolumentum, nunc vero ei quicquid impertiri dedignans cujus ſubjectionis jugum abjecerat, hoc idem procurante tyranno in ipſa inſula Imperatoriam uſurpante potentiam. Hic omnium malorum nequiſſimus *Judam* exſuperans perfidia, *Guenelonem* proditione, quoſcunque Chriſtianæ religionis profeſsores pertinaciori perſequebatur protervia, *Saladino* dicebatur familiaris, & mutuum ſinguli hauſiſse cruorem, in ſignum & teſtimonium initæ invicem confœderationis, tanquam ex commixtione ſanguinis exterius revera fierent conſanguinei. Hoc quoque poſtmodum eos fuiſſe certis conſtabat indiciis, cujus erectus tyrannus ille confidentia, omnium etiam aſpernatus debitam ſubjectionem, falſo quoque uſurpaverat nomen Imperatoris, quoſcunque in inſulam gratis applicantes peregrinos vel ventorum violentia rejectos comprehendere ſolebat, ut à divitibus redemptionem extorqueret, & pauperes ſervituti ſubigeret. Huic igitur cum innotuiſſet claſsem ignotam in illas partes adventaſse, omnes qui inerant, ſic enim de more conſueverat, pecunia ſpoliatos comprehendere decrevit & captivos tenere.

CAP. XXX.

De naufragio & adverſitate quorundam noſtrorum, & captione & incluſione & eruptione & victoria eorum contra Inſulanos Cypri.

IN Vigilia vero Sancti *Marci* Evangeliſtæ paulatim ante ſolis occaſum cœlum obtexit nubes atra caligine, & ecce ſpiritus procellarum, & ventus vehemens maris undas turbatas ſubvertens irruit contrarius navigantibus: navium autem Regis *Richardi* ante ejus adventum inæqualitate ventorum diſperſarum quædam, dum terram *Cypri* niterentur apprehendere, repugnantibus undis procelloſis ventoque rejiciente ferebantur in cautes, vento autem vehementius

mentius graffanti totis viribus cum refiftere nautæ tentarent, tres Regis naves non procul à terra fluctibus irruentibus conquaffatæ funt, & quidam eorum qui inerant funt fubmerfi, quidam autem armamentorum navium fortuitu correptorum fuffragiis, non fine maxima laborum vexatione undarum obfequio, imo procellofis jactationibus, pecunia amiffa nudi delati funt in terram. Ibi inter cæteros fubmerfus interiit *Rogerus* cognomento *Malus Catulus* Regis figillifer, & amiffum eft figillum. Poftmodum vero ipfius *Rogeri* corpore undarum æftibus in terram projecto invenit figillum quidam plebeius & in exercitum detulit vendendum, ficque redemptum eft & Regi reftitutum figillum. Illos autem qui de naufragio evaferant ad terram, fub prætextu pacis admiferunt gaudentes indigenæ, &, tanquam compatientes eorum infortunio, deduxerunt in quoddam caftellum vicinum reficiendos, quofcunque vero applicantes incolumes fpoliatos omnibus armis fimiliter intromiferunt in cuftodiam, eo fe intentu id facere allegantes, ne viz. fi armati incederent viderentur terram exploraturi vel etiam expugnaturi; afferebant quippe fe *Grifones* aliter facere non audere, donec voluntatem Imperatoris fui confulerent. Naufragis autem noftris in cuftodia detentis compaffi proceres noftri eifdem deftinaverunt & veftimenta, & alia quæcunque neceffaria. *Stephanus* etiam de Turnham, marefcallus & thefaurarius Regis, mifit neceffariorum abundantiam, verum etiam omnia, quæ miffa fuerant inclufis, ad introitum caftelli, quo inerant, direpta funt à *Grifonibus* & cuftodibus civitatis. Attamen verbis adulatoriis & captiofis blandientes, nondum patentes exercebant inimicitias; exitum vero eis non concefferunt, quoufque quæ acciderant notificarentur Imperatori, interim vero loquentes in dolo omnia neceffaria eis fe fpoponderunt exhibituros. Convocatis igitur provinciæ illius magnatibus confilium inierunt, ut captivos, quot poffent, peregrinos, dolo tenerent & occiderent: quod cum noftris innotuiffet, in eodem fe gratis incluferunt caftello, fefe viriliter defenfuri, quorum nonnullos peremerunt indigenæ, & caftellum obfederunt. Perpendentes itaque peregrini fibi revera imminere periculum, elegerunt de confilio potius bellorum inire difcrimen quam diutius periclitari famis injuria, incidentes in manus infidelium Chriftianorum perfecutorum. Igitur cum à caftello catervatim exirent in campum circumdederunt eos indigenæ & perimere cœperunt inermes, ipfi vero ex defperatione concipientes audaciam, quantum poterant, nitebantur refiftere; non minorem impugnantibus ftragem inferentes cum tribus arcubus tantum, quos fecum habebant, infciis indigenis. Erat autem ibi miles magnæ probitatis *Rogerus* de Hardecurt, qui forte inventam equam afcendens, inftanter turbam *Griffonum* profternens fegregavit, *Willielmus* etiam de Bofco *Normannus* arcus peritiffimus, fagittis & pilis infatigabiliter emiffis, nunc hos nunc illos percutiens, diffipavit. Cum hoc igitur perpendiffent milites noftri adhuc in navibus, properanter proceſſerunt in eorum auxilium armati, quibus applicantibus *Griffones*, in quantum poterant, obfiftebant arcubus utentes & baliftis. Veruntamen protectore Domino à navibus erumpentes, indemnes portum nacti funt. Denique diffipatis *Griffonibus* & viam cedentibus, peregrini a prædicto caftello egreffi, fefe jugiter defendentes à tergo pervenerunt ad portum, quo noftros à navibus egreffos, & *Griffones* eifdem refiftentes totis viribus invenerunt dimicantes. Communicata denique utrorumque virtute, difperfi funt indigenæ, & noftri portum adepti funt, quo ftabat *Buza* Reginarum, pervenerat enim *Buza* illa incolumis in portum de *Limazim*, ficut fupradictum eft, ante Regis adventum, fed ad terram hi qui inerant afcendere non præfumebant, quia & terræ ftatum ignorabant, & Imperatoris formidabant fævitiam fimul & perfidiam.

CAP.

CAP. XXXI.

De Adventu Regis Richardi *apud* Cyprum.

EAdem die advesperascente, quo sicut prædictum, à prædicto castello evaserant peregrini, venit eo Imperator *Cypri* scil. quadam die Jovis, cui innotuerat de peregrinorum adventu. Conquerentibus igitur peregrinis de suorum injuria & pecuniæ direptione, omnimodam promisit Imperator satisfactionem, & de pecunia naufragorum reddenda, & quatuor etiam de fidelitate servanda contradidit obsides, unde sub hac conditione liberum introitum & exitum villæ de *Limozim* obtinuerunt peregrini. Interim vero mandaverat Imperator totius Imperii sui convenire viros bellatores, & virtutis magnæ congregarunt exercitum. In crastino adventus sui mandavit Imperator Reginis verbis pacificis in dolo, ut securius applicarent, & pro libero arbitrio suo se haberent in omnibus, sine qualibet suorum molestia, nihil adversitatis perpessuræ; ipsis vero renuentibus, iterum die altero destinavit eisdem Reginis Imperator, sub prætextu exhibendi honoris xenia multa, panes scil. & carnes arietinas, vinique peroptimi ex botris *Cypri*, cujus non alterius terræ fertur esse simile. Tertio quoque die scil. die Dominica Reginas tentavit circumvenire blanditiis, & seducere fallaciis, quæ in arcto positæ, & super ambiguis fluctuantes anxiatæ sunt, ne si se submiterent Imperatoris persuasionibus, captivæ diriperentur, aut si pertinaciter contradixissent ejusdem violentos timuerunt insultus: nondum enim quicquam innotuit de Regis adventu, aut de prosperitate classis Regiæ. Sed ut sub ambiguo responsi Imperatoris animum ad tempus suspenderent, asserebant se die crastino processuras se Imperatoris se committentes arbitrio. Sub hujus spe sponsionis sustinuit Imperator. Reginis autem, dum mordacium curarum super his sollicitarentur, opitulante Deo indilatatum provenit suffragium, quæ dum secum tristes quærerent & confabularentur ad invicem, ecce eadem die Dominica eminus intuentibus inter ipsos undarum crispantium spumeos vertices, in modum cornicularum agitatæ comparuerunt duæ naves eo versus expeditius velificantes. Cumque Reginæ, & qui cum eis erant super his adhuc incertæ ambigerent, prospexerunt & alias aliquot naves subsequentes, nec mora copiosa navium multitudo subsecuta est, & magno cum impetu directo cursu ferebantur in portum. Hanc Regiam classem conjicientes gavisi sunt gaudio tanto majore, quanto graviori desolationi desperatis gratius subveniebatur. Ecce enim post multos & fastiditos labores gubernante Domino deductus est Rex *Richardus* ad Insulam *Cypri*. Die igitur festivitatis Sancti *Johannis* ante portam *Latinam* applicuit Rex *Richardus* cum universo comitatu suo in portum de *Limozim*, veruntamen infra naves se cohibebat.

Imperator Cypri reginas dolo circumvenire frustra tentat.

CAP. XXXII.

Rex Richardus *cum suis Imperatorem cum suis primitus navali bello postmodum terrestri fugavit.*

CUi cum innotuisset de naufragorum discrimine, & rerum direptione, & de cæteris quæ interim acciderant altius indoluit, & emissis in crastino scil. die Lunæ duobus militibus legatis ad Imperatorem, pacifice rogavit sibi & suis satisfieri de illatis injuriis, & super rebus naufragorum restituendis in integrum, ad voluntatem suam. Imperator vero hoc mandato vehementius

 indignans,

indignans, ac si maxima fuisset eidem illata injuria,in verba prorupit contumeliosa dicens, *Ptruht Sire*, sibique nihil cum Rege, usurpata nimirum Imperatoria excellentia glorians, & impunitate divina luxurians, quicquid libebat licere putavit. Cujus responsum cum legati Regi renunciassent, ægre ferens Imperatoris arrogantiam, responsumque contumeliosum, nec non & suorum jacturam, confestim exclamavit præcipiens omnibus suis Armate vos, quod ipsi citissime impleverunt. Ipse igitur armatus cum omnibus suis in cimbis Esneckarum ad portum apprehendendum provectus est. Imperator vero cum exercitu multo resistens applicantibus, circumquaque totius portus exitus cujuslibet generis obicibus & repagulis dispositis in offendiculum ascendentium, quotcunque poterat procuraverat impedimenta in portu, ostia quoque domorum & fenestras raptas ibi collocaverant, dolia etiam cum asseribus, scamna quoque & tabulata graduum, & ligna procera in transversum locata, scuta quoque & ancilia, galeas antiquatas aliasque naves desertas & situ squalentes, & omnia genera utensilium, quid plura quicquid portatile ligneum vel saxeum potuit in civitate *Lemazim* reperiri congesserant *Grifones* in littore, in advenientium offendiculum. Præterea Imperator armatus cum gente sua perambulabat in littore. O quam decenter populum Imperatoris ornatum? armaturis pretiosis, & vestibus pretiosissimis & multicoloribus, in equis bellicosis & spumantia fræna mandentibus & mulis pulcherrimis; oberrabant igitur parati ad bellum cum penuncillis innumeris & Banneriis pretiosissimis ad auram ventilantibus, ut inde vel ascendentes longius arcerent, vel ad pugna fortius acciperent. Nostros itaque ad applicandum se exponentes illi exclamationibus horrisonis, ut canes hirrientes, exturbare tentabant, contumeliis tanquam canes nos afficientes, & quod impossibilia molirentur improperantes; balistarios etiam quosdam habebant & sagittarios, & quinque Galeas satis armatas in littore, plenas juventute navalis prælii perita. Nostri quidem plurimum ipsis videbantur ad congressum impares, tum quod in minimis cimbis & fragilibus se remigantes exposuerant portum obsitum occupaturi; tum quod plurimum destituebantur fatigati diutius ex maris assidua jactatione, tum quia pedites erant armis propriis satis onusti. Indigenæ vero in patria sua & omnia pro voluntate gerebant. Igitur cum nostri seriatim processissent in cimbis, imprimis propiores statuerunt expugnare, balistarios scil. & sagittarios, qui in Galeis eos infestabant, ad quos nostri balistarii converti dum sese mutuis pilis impetentes aliquamdiu decertarent, plurimis tandem *Griffonum* peremptis reliqui cedebant, nec enim pondus belli sustinere valebant. Volantibus igitur sagittis densissime, cedentes terni prosiliebant in mare, sive quaterni, & ut sagittas evaderent morituri se fluctibus immergebant, mutuis se collidentes impulsibus, dum certatim fugæ præsidium appeterent. Captis igitur à nostris Galeis eorum & nostris navibus applicatis, balistarii & sagittarii nostri ex primo successu animosiores, in modum imbrium pila mittebant in eos, qui littoris exitus observabant: nec mora *Griffones* impetum nostrorum non ferentes loco cesserunt & in terram solidiores se receperunt. Balistarii tamen eorum & nostri pertinaciter sine intermissione sagittis utebantur, & pilis à quorum densitate videretur aer obtenebrari, & diei serenitatem pilorum pluvia noctescere, civitas tota hominum fervebat frequentia,& tota vicinia balistariorum sese pertinaciter exercitantium occupabatur multitudine. Stetit ambiguo victoria diutius fluctuans, cui parti faveret; nostris autem totis viribus vicem pro vice reddere contendentibus, sed nequaquam progredientibus. Dum Rex perpenderet nostros minus audaces ad egrediendum de cimbis, & ad littus aggrediendum, ipse primus à Barga sua prosiliens in mare, *Griffones* audaciter invasit, cujus constantiam cæteri nostrorum imitantes, hinc inde Regem comitantes satagebant resistentes fugare *Griffones*; nec mora nostris irruentibus eorum agmina laterata cesserunt. Ibi fuit videre imbrem pilorum volantium, *Græcos* prosterni fugientes, murmur audires congredientium, gemitus occumbentium, ululatus retrocedentium. Dissipatos itaque *Græcos*

Richardus pugna navali vincit Griffones.

Idem eosdem pugna terrestri profligat.

Græcos noſtri jugiter cædentes repulerunt primum in civitatem, & poſtea à civitate uſque in adjacentium camporum planitiem. Rex igitur cum perſecutus eſſet Imperatorem fugientem, lucratus Runcinum vel jumentum, jaculo retro ſellam collocato à terra expeditus aſcendit in ſellam, quæ vice ſtreparum cordas habebat. Feſtinanter igitur Imperatorem impetiit exclamans Domine Imperator veni mecum ſingulare inire certamen, ipſe vero tanquam obaudiens velociter aufugit. Sic Rex civitatem de *Limazim* occupans Reginas à *Buza* fecit educi, & in villa hoſpitari, ubi poſt tot maris vexationes & faſtidia quiete ſe refecerunt & ſecuritate.

CAP. XXXIII.

Item de pugna inter Regem & Imperatorem & de victoria Regis & fuga Imperatoris in Nicoſſiam.

NOcte quoque eadem Rex in papilionibus ſuis moratus fecit equos ſuos educi ab eſneckis. Imperator autem eum non æſtimans equos habere minus timuit, & ad duarum leucarum terminum veniente nocte hoſpitatus eſt in tentorio. Die craſtino circa horam nonam Rex eques incedens, quoſdam Græcos non procul invenit juxta viam ſtantes in oliveto cum banneriis ſuis glorioſis, quos ſtatim fugientes Rex inſectatus eſt. Verum quia equi noſtri vexatione marina per unum menſem ſemper ſtando plurimum fuerunt turbati, equis noſtris parcentes modeſtius inſecuti ſunt, donec proſpicerent eminus exercitum Imperatoris qui in valle proxima illa nocte reſederat. Tunc ipſis viſis noſtri perſequi deſiſtentes ſubſtiterunt. Græci vero clamore tumultuantes horriſono noſtris inſultando concrepuerunt. Unde Imperator à dormitione excitatus, aſcenſis equis cum exercitu ſuo verſus noſtros paulatim progeſſus eſt uſque in collem vicinum, ut videret quid fieret de congredientibus exercitibus. Græci itaque arcubus tantum utentes & baliſtis jugiter noſtros exclamaverunt immotos. Ibi autem venit ad Regem quidam clericus *Hugo* nomine de *Mara* armatus dicens ad eum, Domine mi Rex ſani videtur eſſe conſilii declinare ad tempus hanc multitudinem adverſariorum tantam, tam fortem. Cui Rex reſpondit, Domine Clerice, quod noſtram ſapit profeſſionem, ſcripturæ tuæ immiſcearis, nobis cedas militiam & à turba te ſatagas ejicere. Sed alii quidam diſſuaſerunt Regem congredi cum tanto exercitu. Rex nimirum tunc ſecum non habuit milites niſi circiter quinquaginta, ipſe enim etiam ex eorum trepidatione animoſior, equo admiſſo repente ferebatur in hoſtes, & aciem turbæ diſſipavit pertranſiens, & nunc hos nunc illos afficiens ſine mora diſperſit univerſos. Cujus exercitum cum adverſarii ex jugiter convenientibus creſcere perpendiſſent, tabefacta eſt virtus eorum, & fugere cœperunt; qui equos habebant agiles & veloces evaſerunt, pedites vero cuncti & vulgus ad fugam minus expeditum cæſi paſſim indifferenter occubuerunt, nec ulterius propter adventum Regis fugerunt. Imperator autem, dum ſuos ad pugnam animaret exhortans, Rex vehemens ex adverſo equo admiſſo lancea equo dejecit, ſed ſine mora altero equo oblato in turba dilapſus eſt in fugam, de ſociis vero ſuis ibi quoſdam amiſit. O quot ibi videres equos generoſos peremptos, loricas jacentes & galeas, gladios & lanceas, penuncellos projectos, & ſigna multiformia, corpora hominum ſanguine volutata mortuorum, & adhuc ſupremo ſpirantium anhelitu, quorum non erat numerus. Imperator perpendens noſtrorum audaciam & fugam ſuorum, calcarium non immemor (quod ſolum ſupereſſe videbat) fugit & ipſe in montana valde velociter, cujus Banneriam qui geſtabat Rex percuſſit, & Banneriam nobilem & inſignem ſibi Rex reſervari præcepit. *Græcos* itaque fugientes proſequuti ſunt equites noſtri, qua potuerunt inſtantia, duobus millibus, deinde moderatis

Richardus cum 50. militibus ingentem Græcorum numerum fugavit.

paſſibus regredientes pacifice reverſi ſunt. Populus converſus ad prædam diripuit ſpolia multa, ſcil. arma, veſtes ſericas pretioſas, tentorium etiam Imperatoris, & omnia quæ in eo reperta ſunt vaſa aurea & argentea, lectum ipſius Imperatoris cum apparatu eximio, & omnem ejus ſupellectilem loricas, galeas, & enſes electos, equos & mulos, nec non & gregum quoque & armamentorum prædam multam nimis, boum ſcil. & vaccarum, caprarum, & ovium, equarum & pullorum nobilium, porcorum, altilium, & gallinarum. Reperiunt & vina electa & victualia plurima, hominum etiam captivorum infinitæ multitudinis abduxerunt exercitum, ut diripientibus præ multitudine fuerint faſtidio, ſed quid amplius ex tanta copia prædæ omnis anima ſatiata eſt, ut nec oblatum quantumlibet quod pretioſum quiſquam ad plenum onuſtus reſpicere curaret. His itaque geſtis Rex voce præconaria præpoſuit edictum ut omnes indigenæ pacis amatores libere irent & redirent abſque ſuorum offendiculo, & ſalva gauderent libertate, quiſquis autem Regem haberent ut hoſtem, ſibi caverent ne in ejus vel ſuorum [manus] inciderent, cuilibet enim ipſum hoſtem reputanti ſe profeſſus eſt exhibere ut hoſtem, ſingulis talis extitit quales ipſi ei. Plures cum Rege vel cum exercitu congreſſus poſtmodum Imperator ſingulis vicibus plures ſuorum amiſit. Denique vero in caſtellum quoddam firmiſſimum ſe recepit *Nicoſſia* dictum confuſus & mœſtus quod non pro voto proficeret.

CAP. XXXIV.

De Adventu Regis Guidonis *in* Cyprum.

SAbbato ſequenti cum apparuiſſent tres Galeæ in mari, longe ambigentibus cunctis quid ſibi vellent vel unde venirent. Rex ad omnia promptiſſimus, ne dicam præſumptuoſus cimbæ vectus permodicæ remigio proceſſit obviam venientibus, inquirens qui vel unde veniſſent qui veniebant, cui cum reſponderetur hunc eſſe *Guidonem* de *Liziniaco* Regem *Jeruſalimorum* confeſtim Rex rediit veloci curſu, imperans ſine mora ſuis cœnam inſtruere venturis hoſpitibus. Regem itaque *Guidonem* appulſum cum veneratione ſuſcepit, & gratanter exhibuit. Venerat autem idem *Guido* ad Regem *Richardum*, petiturus conſilium & auxilium, ſuper eo quod Rex *Franciæ* diſpoſuerat *Marchiſum*, de quo ſupra dictum eſt, fieri Regem *Jeruſolimorum*, abjecto Rege *Guidone*, quem Rex *Richardus* benigne ſuſcepit, & tanquam tenuem & rebus deſtitutum honoravit muneribus. Dedit itaque eidem duo millia Marcarum argenti, & xx. cuppas pretii centum marcarum, & v. quarum duæ fuerunt de auro puriſſimo.

Richardi erga Guidonem Hieroſolym. Regem liberalitas.

CAP. XXXV.

De nuptiis Richardi *&* Berengariæ *& de adventu Galearum Regis.*

IN craſtino ſcil. die Dominica, die Sancti *Pancratii* contractum eſt matrimonium inter Regem *Richardum* & *Berengariam* filiam Regis *Navariæ* apud *Limazim*: Puella quidem erat prudentiſſima, & bene morigerata, ibi coronata eſt in Reginam. Huic contractioni interfuit Archiepiſcopus & Epiſcopus *Ebroicenſis*, & Epiſcopus de *Baneria*, & alii quamplures magnates & proceres. Rex in deliciis glorioſus & hilaris cunctis ſe jocundum exhibuit & gratioſum. Celebratis igitur more Regio ſolemniter nuptiis, ecce quadam die proveniunt ad portum Galeæ ſuæ univerſæ, quas ſolicitus expectaverat, erant autem armaturis

armaturis decenter instructæ & munitæ, quibus meliores & securiores nemo vidit unquam. Ille igitur supradictas v. Galeas Imperatoris à se captas aggregavit. Habuit ergo Rex Galeas quadraginta armatas, & sexaginta alias præstantiores.

CAP. XXXVI.

De Colloquio & modo pacificatoris inter Regem & Imperatorem.

Succedentibus igitur prosperis, Rex factus erectior arridentem arbitratus est sequi fortunam. Sane ad expeditionem hortatus exercitum, ad omnia jussit fore paratum, &, ne repentinam in improvidos moliretur Imperator irruptionem, de nocte celebrari fecit excubias, & vigiles procuravit, qui custodirent exercitum. Proposuerat itaque Rex cum exercitu persequi Imperatorem ubicunque locorum, donec eum comprehenderet, vel ad deditionem compelleret. Mediante vero & plurimum satagente magistro Hospitalorum *Jerusolimorum*, statutum est colloquium inter Regem & Imperatorem maximo affectum mœrore pro suorum amissione, & quod probrose ita fugatus est apud *Nicossiam*, quo fugerat à facie Regis: odio nimirum ipsum habebant indigenæ, unde de suorum diffisus auxilio eo magis extimuit persecutionem. Convenientibus igitur in unum ante adventum Regis hinc inde complurimis, in planitie amplissima inter mare & stratam Regiam, juxta civitatem de *Limazim*, Rex postmodum eo processit Regio decoratus amictu, cui insederat cor fervens erexit equum natura *Hyspanum*. Erat itaque elegantis formæ, staturæ pergrandis, micans auribus, ardua cervice, collo prolixiori, pectore amplo, tibiis sinceris, pedibus patulis, & omnium membrorum decentissimis lineamentis, qualem nec pictor plurimum laborans linealiter imitaretur ad unguem. Hic tanquam ad motum citatiorem se expediens ad rapiendum cursum, indignabatur aureo fræno remorante teneri, & pedum ordine præstostero nunc anterioribus subsiliens à posterioribus progressurus videtur. Huic Rex insiliens insedet sellæ aureis scintillis multicoloribus sinopide interlucentibus, parte nihilominus posteriori binis aureis sese respicientibus hirriendo leunculis, singulorum uno pedum anteriorum versus alterum, tanquam ad lacerandum porrecto. Regis etiam aurea decorabant pedes calcaria. Erat etiam ex roseo samuto tunica, pallioque vestitus lineariter distincto lunulis semicirculatis, argento solido candentibus, orbibus tanquam solaris scematis densissime localiter micantibus. Sic Rex ornatus ense probato processit accinctus, capulo aureo, balteo serico, operosæ vaginæ oras mordente argento: capellum ex Scarlata gestabat in capite, docta manuartificum variarum avium formis seu bestiolarum acu operante ex aurifragio insutis. Baculum quoque manu gestans etiam in gestu militem exhibens eximium, intuentium oculis ingerebat delicias. Post multas igitur hinc inde propositiones inter Regem & Imperatorem, se juraturum obtulit Imperator fidelem fore Regi per omnia, & quod quingentos equites secum duceret in Dei servitio in terram *Jerusolimorum* juxta Regis dispositionem & voluntatem. Et ne super his quicquid ambigui in corde Regis resideret in satisfactionem, omnia castra sua & munitiones Regiis obtulit mancipanda custodibus. Præterea pro satisfactione pecuniæ suorum amissæ sive direptæ daret Marcarum tria millia & quingentas. Et si pro conditione sic inter eos inita se cum suis fideliter militasse Rex perpenderet in operum exhibitione restitueretur eidem Imperatori terra sua cum castris & munitionibus, sicut prius salva inter eos mutua in posterum amicitia. Cumque Rex oblatam concordiæ summam suis examinandam exposuisset, an viz. in aliquo per talem conventionem Regio derogaretur honori; & an universorum animo gratanter cedisset. Respondebant sui hoc Regio honori in omnibus

Richardus Imperatori Cypri pacem petenti concedit.

nibus convenire, & sibi per omnia placere. His auditis à Rege statim Imperator Regi omnia prædicta se juravit fideliter observaturum, & dato pacis osculo confœderati sunt in hunc modum. Rex à soluto reversus concilio, statim tentoria Imperatoris misit ei prius capta in prædicto certamine, in pignus pacis & dilectionis. Præterea vasa quoque sua in tentoriis direpta eidem destinavit. Tentoria statim in eodem loco supradicti colloquii fecit Imperator extendi.

CAP. XXXVIII.

De fuga Imperatoris nocturna per Famagustam *usque* Candariam *& de captione* Nicosiæ.

Pax supradicta malitia cujusdam militis fit irrita.

NOcte sequenti instinctu cujusdam militis sui mendacis, nomine *Pagani* de *Cayphas*, fugit inde velociter Imperator nocturnis tenebris confisus, equo sedens favello peroptimo. Afferebat enim ille miles Regem *Richardum* proposuisse eadem nocte rapere Imperatorem vinculis mancipandum; unde turbatus Imperator, relictis tentoriis & dextrariis optimis cum omni sua supellectili, in initio noctis fugit apud *Famagustam* civitatem suam. Quo Rex audito in Galeis suis ipsum cœpit insectari, afferens eum perjurum & fidei transgressorem. Regi vero *Guidoni* commisit exercitum conducendum ad prædictum castrum *Famagustam* itinere terreno, quo tertia die pervenit & desertum hominibus reperit. Imperator enim sentiens se non esse tutum obsideri, ne incluso subterfugium non pateret, in locis asperis delitescebat & nemorosis, ut nostris transituris insidiaretur. Rex *Richardus* cum *Famagustam* venisset cum Galeis suis maris portus strictissime præcipit observari, ut, si forte fugam tentaret, comprehenderetur Imperator. Igitur dum tribus ibi moraretur diebus, venerunt legati ad Regem *Richardum*, Episcopus *Belvacensis*, & *Drogo* de *Mirlovir* nobilis & famosus ex parte Regis *Franciæ*, ipsum hortantes festinanter transfretare ad obsidionem *Achonensem*; quoniam ejus ante adventum asserebant Regem *Franciæ* non oppugnaturum civitatem. Hæc & his similia nuncii prosequentes verba addebant contumeliosa; quia non cum eis expeditius veniret, sed, omissis necessariis, supervacuis exercitiis operam impenderet, & arroganter persequeretur Christianos innocuos, cum tot millia *Saracenorum* superessent in proximo expugnanda, in quos experiendos etiam sua virtus, licet esset potior, videretur tamen esse inferior. His Rex commotus verba indignationis quædam reddidit eisdem scripto nequaquam inferenda. Inanis quidem fuit eorum opera, licet plurimum urgens ipsum, à cœptis dehortans. Negotiosus satis erat qui *Græcos* ita non immerito vexasset, plurimum enim ad rem videbatur pertinere Insulam *Cyprum* terræ *Jerusolumitanæ* tam necessariam subjugasse. Neglectis ita nunciis movet exercitum suum apud *Nicossiam*; eo versus ferebant singuli victui necessaria, quia Regio deserta fuit: seriatim acies dispositæ procedebant, Imperatorem enim transituris insidiari didicerant. Rex ipse extremo procedebat in agmine ad repellendam subito forte irruptionem, & ecce prosiliit repente è latebris Imperator cum *Græcis* ferme septingentis. In anteriores itaque nostros balistarii eorum jacula mittere satagebant, sed nec sic acies nostræ disciplinariter cohærentes se sustinebant dissipati. Imperator autem à latere paulatim progrediens tanquam exploraturus inordinate ferebatur, ut viz. acies nostræ eo viso gratis dissolverentur, sive ut Regem sagittaret inventum. Postquam enim Regem in ultima acie reperit, binas in ipsum toxicatas misit sagittas, unde Rex ira vehementiori commotus equum urgens calcaribus ferebatur in Imperatorem ipsum lancea percussurus, veruntamen jam imminentem Imperator evadens cursu rapidissimo fugit in castellum suum dictum *Candayra*, mœstus

Richardus Famagustam venit, ubi conveniunt ipsum Legati Reg. Franciæ.

ftus nimius & confufus quidem quod non pro voto proficeret, quem Rex quidem non procul perfecutus eft, quia comprehendere diffidebat. Equum enim habebat favellum tantæ velocitatis & patientem curfus affidui, cui nunquam quantælibet celeritatis alterum poffe quifquam vidit equiparari. Rex igitur verfus *Nicoffiam* cum exercitu tendebat cum præda magna nobilium equorum & hominum, qui in congrefsu ceciderant. Cives igitur univerfi *Nicoffienfes* in Regis occurfum gratulanter procefserunt, & ut Dominum admiferunt, quos Rex pacifice fufcipiens barbas eorum fecit abradi tanquam in fignum commutationis alterius Dominii. Quo audito Imperator ultra modum furore turbatus, quot poterat de noftris apprehendere oculum fecit eruere, vel nafum abfcindere, five brachio mutilabat vel pede; fcil. qualem poterat exercens ultionem in doloris fui mitigationem. Rex nobiliorum *Græcorum* fufcepit homagia, qui videbantur etiam jugum Imperatoris voluntarie abjicere. Ibi Rex fe fentiens aliquantulum morbo gravari ut quiete reficeretur moratus eft.

CAP. XXXIX.

De captione trium caftellorum in quorum uno capta erat filia Imperatoris & ejus thefaurus.

CUm exercitu Regis in tres partes divifo à Rege, Rex *Guido* tria interim obfedit caftella; fcil. *Cherimes* & *Didimus* & **Butphenens**, quorum duo priora cito adeptus eft, ipfo enim duce, qui vias planas & loca novit afpera, pars exercitus à parte terræ & maris etiam caftrum dictum *Chermias* obfefsum inftanter oppugnavit. Inclufi diffifi de cujufquam auxilio Regi *Guidoni* caftellum reddiderunt & filiam Imperatoris ibi morantem invenit, quam pater fuus ultra omnem creaturam amavit; thefauros quoque Imperatoris ibi reconditos. Hoc autem ut audivit Imperator pene decidit ex nimii doloris vehementia in mentis alienationem. Rex *Guido* fufpenfis in excelfis turrium propugnaculis Regis *Richardi* Banneriis, & difpofitis cuftodiis, duxit exercitum in aliud caftellum *Didimus* nuncupatum, fitu fortiffimum, in nullo expugnabile, unde fefe defendere parantes inclufi, in obfidentes etiam aliquot diebus lapides mittebant & jacula, quoufque ad mandatum Imperatoris Regi *Guidoni* redditum eft caftellum. In quo commifit filiam Imperatoris cuftodiendam, ne forte raperetur. Inde cum exercitu reverfus eft ad *Nicoffiam* ubi Rex *Richardus*, ficut fupradictum eft, ægrotavit; qui ftatim ut convaluit de infirmitate caftellum *Bufferentum* appellatum obfedit, & quod inexpugnabile æftimabatur.

Richardus Nicoffiæ ægrotat.

CAP. XL.

Imperator à Candaira *in* Nicoffiam *veniens ad pedes Regis fe profternit, & poteftati ejus* Cyprum *tradidit.*

O Imperatoris tanta opulentia! O terra omnibus bonis optima, o caftra reddita, quæ fitu firmiffima, nullis oppugnantium machinis viderentur expugnanda, nifi dolo præoccupata vel fame! Perpendens igitur Imperator fe fatis adverfis urgeri, filiam fcil. fuam captam, ex qua pendebat anima fua, cum caftris occupatis vel redditis, & fe pridem à fuis jam alienatis potius fuftineri quam amari; advertens etiam jam nihil fpei refiftendi fupereffe, fe decrevit licet inimicum de neceffitate petere pacem & mifericordiam. Miffos igitur

Imper. Cypri seipsum & Regnum Richardo dedit. igitur legatos ad Regem *Richardum*, ad agendam causam suam, & Regis animum ad pietatem præstandam inclinandum, à castro de *Candaira* discedens subsecutus est habitu lugubri & vultu dejectus, & veniens ad Regem ante pedes ejus se humiliavit genibus minor, afferens se misericordiæ ejus ex toto submittere, ita quod nec sibi terram retineret, vel castellum, sed ipsum de cætero haberet ut Dominum, dummodo ipsum in vincula ferrea non conjiceret. Motus Rex pietate erexit eum & sibi collateralem fecit considere, cui & filiam suam videndam exposuit, quam cum vidisset inenarrabiliter exultans & ipsam affectuosissime amplexans pluries insatiabiliter osculatus est, lachrymis ubertim fluentibus. Hoc factum est in die Veneris proxima post festum Sancti *Augustini* & proxima ante Pentecosten. Imperatorem autem non in ferrea sed in vincula argentea conjecit.

CAP. XLI.

Cypro *sic sibi subjugata, & à Rege ordinata, Rex iter suum præparavit, & exercitum suum ad* Limozim *remisit.*

SIc Rex obtinuit in quindecim diebus Insulam *Cyprum* & suis eam commisit inhabitandam. Turres omnes invenerat munitas, & castella referta thesauris multis, & opibus variis, cupis & vasis aureis & scutellis, ollis argenteis & caldariis & doliis magnis, sellis aureis frenis & calcaribus, nec non lapidibus pretiosis & plurimam virtutem habentibus. Præterea reperit vestes de Scarlata, & pannos sericos scematis admirandi, & pretiosimos. Quid plura? quicquid opum variarum *Crœsus* legitur habuisse reperit Rex *Richardus* Imperatorem congessisse, & hæc omnia expeditioni necessaria, tanquam sibi procurata diripuit. Vix est enim ut divitem animum deferat possibilitas, & abundantia sequatur hominem mendicum mente. *Richard. cum exercitu Limazim revertitur.* His itaque patratis remisit Rex exercitum ad civitatem de *Limazim* ubi fuerant Reginæ & familia cum sarcinis, Omnem itaque classi restaurandæ diligentiam ad transfretandum jussit impendere. Imperatorem igitur Regis *Guidonis* commisit custodiæ, & filiam ejus juvenculam parvulam Reginæ suæ tradidit exhibendam, & moribus instruendam.

CAP. XLII.

Classis Regis Richardi *à* Cypro *versus* Acon *remiganti apparuit navis maxima* Sarracenorum *omnibus bonis referta, quam statim Rex expugnavit.*

HIs itaque peractis Rex festinanter ad transfretandum intendit, & sarcinis dispositis & spirantibus ventis prosperis, soluta est à littore classis, Reginæ promoventur in *Buzis* cum comitatu suo in altum. In *Cypro* disposuerat Rex viros industrios custodes & bellatores, qui ei postea transmitterent necessaria victualia, frumentum & hordeum, carnes & cujuslibet generis animalia, quibus *Cyprus* satis erat abundans, Et ecce fama divulgante rumor increbuit *Acon* in proximo fore capiendam. Quod cum Rex audisset alto corde suspirans, nolit inquit Deus quod me absente obtineatur *Acon* tanto tempore obsessa, & tanto gloriosius Deo animante triumphanda. Tunc cum multa festinatione se expediens apud *Famagustam* intravit unam Galearum suarum potiorem, & majorem & sicut erat consuetudo dilationis impatiens prima semper processit in fronte, sequentibus undique cæteris Galeis opportunius instructis, quarum quidem hostiliter incursum non est qui merito non formidaret.

daret. Summa itaque cum feſtinatione ex tranſverſo mare ſulcantibus primo apparuit terra illa ſancta *Jeroſolymorum*, cujus caſtellum oculis primum occurrit *Margat* dictum poſtea *Tortuoſa* in littore maris ſita, deinde *Tripolis*, *Nephyn*, & *Bocion*. Nec multo poſt apparuit turris excelſa de *Gibelath*. Poſtremo citra *Sidonem* verſus *Baruth*, eminus apparuit navis quædam *Sarracenorum* plena, quos deſtinaverat *Saladinus* ex omni paganiſmo electos in auxilum obſeſſorum in *Achon*. Hi quoniam non prorſus expeditum perpenderant introitum in *Achon* propter imminentem Chriſtianorum exercitum, paululum in mare ſe retrahentes captabant temporis horam, qua expeditius in portum repente irruerent. Rex navem attendens primum advocatum quendam ſuorum galeatorem *Petrum* de *Barris* imperavit, ut properanter remigans inquireret quiſnam navi præeſset. Quam cum reſponſo reddito didiciſset Regis eſse *Franciæ*, Rex in impetu ferventiſſimo eo verſus appropians, nec *Francorum* idioma, vel aliquod ſignum vel vexillum attendit Chriſtianorum, quod eorum reſponſo fidem faceret; navem autem contemplatus è proximo ejus admirabatur magnitudinis amplitudinem firmiſſima ſolidatam compagine, tribus malis altiſſimis faſtigiatam, & hinc filtro viridi illinc croceo opertam laterum planitiem, circumquaque ita decenti coaptatam apparatu quod nihil ſupra, omnique victualium copia refertam. Erat quidam qui diceret ſe apud *Baruth* extitiſse quando navis illa his omnibus congeſtis fuerat onerata, centum viz. camelorum ſarcinis omnis generis armorum, viz. magnis cumulis baliſtarum,arcuum,pilorum,& ſagittarum, ſeptem inerānt *Sarracenorum* Admirati & octoginta *Turci* electi, & præterea omnem æſtimationem excedentia omnium genera victualium. Habebant & ignem *Græcum* abundanter in phialis, & ducentos ſerpentes perniciofiſſimos, in exitium Chriſtianorum paratos. Deſtinatis igitur aliis certius inquiſituris, cum ſe variata à ſuperioribus aſſertione reſpondiſſent eſſe *Genevenſes*, *Tyrum* tendentes, & ſupra ea alteratione reſponſi cunctis ambigentibus, ecce quidam Galeatorum noſtrorum conſtanter aſſerebat ſibi conſtare navem eſſe *Saracenorum*, inquirenti Regi reſpondit caput inquit meum gratis abſcindendum, aut in ſtipite me ſuſpendendum concedo, ſi non hanc jam probavero vobis teſtibus navem eſse *Saracenorum* certiſſimis argumentorum indiciis, mittatur itaque properanter altera poſt eos Galea jam feſtinanter abeuntes, & nullum eis ſalutationis ab ipſis proferatur eulogium, ſicque probabitur cujus intentionis fuerint vel credulitatis. Imperante Rege navem illam Galea velociſſimo ſubſequitur remigio, cumque jam lateraliter nautis illis inſalutantes remigarent, hi qui in navi erant in ipſos arcubus pila jaciebant & baliſtis. Quod Rex attendens navem juſſit inſtanter oppugnari: volantibus igitur hinc inde in alterutrum imbrium more miſſilibus, navis illa laxatis remorum tractibus, motu jam agebatur modeſtiori, nec enim ventus ſufficiebat. Galeatoribus igitur noſtris licet frequentius curſu citatiori navem ambientibus nullus pro voto patebat ſcrutiniis aggreſſus proficiens. Tanta videbatur navis ſoliditate compacta, robuſtioris materiæ, & bellatorum munita præſidiis ſine intermiſſione jaculantium, & ſeſe fortiter defendentium. Noſtri itaque moleſtius tela à tanta ſupereminentia navis emiſſa ferebant, nonnihil enim erat motibus inniti naturalibus, facilius quidem eſt conteri ſubjecta de ſupraveniente pilo, cujus eſt naturaliter ferri deorſum. Unde deſperabilius hæſitantes noſtri ſeſe remiſſius agebant, quid ſuper his invicti Regis *Richardi* cenſeret abſoluta magnanimitas, qui fortiter exclamans ſuis ait. Nunquid navem intactam & illæſam ſuſtinetis abire proh pudor! poſt tot triumphos exactos irrepente deſidia ceditis ignavi, nondum quieſcendi tempus advenit, dum reſtant hoſtes, & quos ſors obtulit ultro, noverit revera univerſitas veſtra vos omnes in crucem ſuſpendendos, vel ultimis afficiendos ſuppliciis ſi hos ſuſtinueritis abire. Galeatores igitur noſtri de neceſſitate facientes virtutem certatim ſe miſerunt in mare, navemque ſubeuntes implicabant funibus gubernacula ut navem inclinarent & progreſſum impedirent, multa quidem ſollicitudine & inſtantia irrepentes, quidam

dam tamen apprehensis rudentibus navem insilierunt. Quos *Turci* pertinaciter excipientes sine mora trucidarunt amputantes hinc brachia illinc manus vel capita introeuntium, corpora quoque projecerunt in mare. Quod cæteri videntes, ex ira fervente & zelo ultionis concipientes virtutem, acriori sæviebant insultu, & navis transcendentes tabulata se in ipsos *Turcos* ingerebant jugiter cedentes sibi fortiter resistentes. *Turci* nimirum ex desperatione concipientes audaciam totis viribus sibi imminentes repellere tentabant Galeatores, hinc pedem amputantes illinc manum vel etiam capita quampluribus. Galeatores vero tandem toto nisu irruentes usque in ipsam navis proram *Turcos* propulerunt cedentes. Turci vero ab ipsius navis interioribus prorumpentes resistebant conglobati, eligentes aut fortiter mori aut adversarios viriliter repellere. Erat quidem *Turcorum* juventus eximia, bellis apta, decenter armata. Pugnatur utrinque diutius, passim prosternuntur utrique, nostros denique, dum fortius instarent *Turci*, omni nisu resistentes communicata virtute retrocedere compulerunt & à navi exire. Galeatores itaque se in galeas recipientes navem undique circumeuntes solicite perquirunt qua parte commodior pateret assultus. Rex vero suorum attendens discrimen, & quod non de facili salva navi *Turci* possent obtineri cum armis & victualibus & cæteris omnibus quæ in navi erant, jussit ut unaquaque galea navem suis perpungerent calcaribus, i. e. rostris ferratis. Galeæ itaque retroactæ multiplicatis remorum impulsibus cum impetu feruntur in latera navis perforanda, & statim navis soluta est, & fluctibus pervia cœpit aquis influentibus submergi. *Turci* autem ut mortem in navi pereuntes evaderent, exiliebant in fluctibus nihilominus perituri, quos nostri armis accipientes hos occidebant illos submergebant. Rex xxxv. vivos retinuit admiratos scil. & machinarum conficiendarum peritos, omnes alii perierunt; & arma perdita, serpentes submersi, & marinis fluctibus in diversa jactati. Si navis illa in obsidionem *Achonensem* salva pervenisset nunquam à Christianis capta fuisset. Hoc autem procuravit Deus in infidelium detrimentum, & Christianorum sperantium in se subsidium, per ministerium Regis *Richardi*, cui in rebus bellicis jugiter pro voto prospera forte succedebat. *Sarraceni* eminus à montanis quod acciderat prospicientes, ultra modum desolati hoc *Saladino* notificarunt, qui statim ut audierat barbam suam arripiens præ ira & furore depilavit, & postmodum in hæc verba suspiriosus prorupit. O Deus! num *Achon* perdidi & homines meos charos electos in quibus habebam fiduciam? nimis amara forte premor. In exercitu *Sarracenorum*, referentibus illis qui hoc viderant, fit ploratus & ululatus magnus & multus, & super hoc infortunio vehementer deducunt lamentationem; quod præ mœrore capillorum suorum tricas resecarent, & vestimenta scinderent, & horæ temporis & fatis constellationis maledixerunt, qua in *Syriam* venerunt. In prædicta namque navi perierat omnis eorum juventus præcipua, in qua habebant confidentiam.

Richardus navem submergi jubet.

Liber

Liber Tertius.

CAP. I.

De adventu Regis Richardi *ad* Achon.

SIc nave peſſundata & rebus proſpere geſtis, Rex *Richardus* cum omni ſua ſequela gaudenter & alacriter verſus *Achon*, quo ferebat eum deſiderium ſuum properabat, & aſpirante vento proſpero proxima nocte ante *Tirum* fixis anchoris claſſis perſiſtebat. Mane claſſe ſoluta & velis elevatis, cum non multum progreſſus fuiſſet apparuit locus ille, de quo prædictum eſt, *Candalion*, deinde tranſmiſſa *Caſella Ymbrici* eminus apparuit civitatis *Achon* turris excelſa; & ſic paulatim cætera civitatis propugnacula. *Achon* circumquaque obſidione cingebat populus infinitæ multitudinis, populus ex omni natione Chriſtianorum, quæ ſub cœlo eſt, populus ex omnibus Chriſtianis prælectus, bellis aptior & laborum aſſiduitati; *Achon* nimirum obſederat populus jam longo tempore, multis afflictus tribulationibus, laboribus aſſiduis, & famis inedia, & pluribus adverſitatum generibus, juxta quod in ſuperioribus in parte diſtinguitur. Apparuit præterea à parte eorum exteriori *Turcorum* exercitus, quorum non erat univerſus, cooperiens montes & valles, colles & camporum planities, fixis paſſim eorum tentoriis diverſorum ſcematum radiantibus coloribus. Vident quoque papiliones ipſius *Saladini*, & tentoria fratris ipſius *Safahadini*, & procuratoris paganiſmi *Kahadim*. Ipſe etiam obſervabat maritima & portus maris, & frequentes in Chriſtianos moliebantur & graviſſimas incurſiones. Rex *Richardus* omnem eorum æſtimando ſpeculatur exercitum, qui cum delatus in portum applicuiſſet, Rex *Franciæ* & totus incolarum exercitus, magnates, proceres & potentes proceſſerunt ei obviam, excipientes cum gaudio & exultatione, cujus nimirum adventum admodum deſideraverunt.

Richardus tandem ad Aconem appulit.

CAP. II.

De gaudio & cantibus & proceſſionibus quæ fiebant pro adventu Regis Richardi.

PRoximo Sabbato ante feſtum beati *Barnabæ* Apoſtoli in Hebdomada Pentecoſtes, cum Rex *Richardus* cum comitatu ſuo apud *Achon* applicuiſſet, commota eſt terra à fremitu exultantium Chriſtianorum. Omnis enim populus lætabatur eximie fauſta acclamans, concrepitantibus trompis, deducitur in jubilo, & fit lætitia magna in populo, quia venit deſideratus cunctis gentibus. *Turci* vero obſeſſi verſa vice de ejus adventu nimium exterriti & deſolati ſunt. Perpendebant enim exitus ſuos & reditus de cætero ceſſare à multitudine Galearum Regis. Duo Reges à portu ſeſe mutuo deducentes gratanter officioſis alterutrum venerabantur obſequiis. Deinde Rex *Richardus* in tentoria ſibi præparata ſe recipiens de gerendis negotiis diſponebant. Multa quidem meditabatur ſolicitudine qua inſtantia, quo artificio, quibus Machinis civitas expeditiori comprehenderetur compendio. De cujus adventu nec calamus abſolute poterit populi deſcribere lætitiam, nec cujuſquam lingua retexere, noctis etiam ſerenitas aere ſolito puriore eidem æſtimabatur arridere: ſed & hinc trumpæ perſtrepunt, illinc intonant tubæ, hinc acutius

modulantes concinunt tibicines, illinc timpana concrepitant, five gravioribus harmoniis fufurrant Heroinæ; & tanquam ex variarum vocum diffonantiis mulcens auditum coaptatur Symphonia; nec enim inveniretur de facili qui more fuo ceffaret à laudibus & gaudio: aut enim cordis teftantes lætitiam refonant populares cantiones, aut antiquorum præclara gefta, priorum exempla recitabantur in incitamenta modernorum. Hi cantantibus vina propinant in vafis pretiofis, alii quibuflibet indifferenter accipientibus pufillis cum majoribus fummo cum tripudio noctis tranfigebant inftantiam. Acceffit in augmentum lætitiæ, quod *Cyprum* Infulam tam commodam tam neceffariam Rex *Richardus* noftræ fubjugaffet ditioni, quæ tam oportune tantæ ferviret exercitui. Nihilominus in teftimonium exortæ lætitiæ in cordibus omnium, & ad removendas noctis tenebras, ubique cerea fcintillabant lampades, luminaria flammantia, ut multiplicato fulgore nox diei videretur ufurpaffe claritatem, ita ut totam vallem *Turci* reputarent igne fuccenfam.

CAP. III.

Pifani *Regi* Richardo *fe tradunt*, Turci *noftros ad bellandum provocant.*

PIfani Regis *Richardi* attoniti magnificentia & gloria, venientes ante eum obtulerunt ei homagia fua & fidelitates, ejus fe gratis obligantes imperio, & mancipantes obfequio. *Turci* vero verfipelles Regiæ invidentes dignitati, vel ut novam ex ejus adventu aftute fimularent audaciam, vel ut ad acceleratum provocarent congreffum, Dominica mane quidam *Turcorum* tanquam exercitii caufa fe exhibebant impetendos extra exercitum oberrantes, & tela in incertum mittentes, qui etiam fe quandoque propius ingerentes foffæ videbantur profunda tranfituri, quibus fcil. præfumebant noftros infeftantes moleftiis, & perverfis irritantes importunitatibus.

CAP. IV.

Quæ donaria uterque Rex militibus egentibus confert & de infirmitate Regis Richardi.

EX adunato tanto utriufque Regis comitatu, fit innumerus ex omni multitudine Chriftianorum exercitus. Cum Rege *Franciæ* qui illuc venerat in Octavis Pafchæ venit Comes *Flandriæ*, Comes Sancti *Pauli* *Willielmus* de *Garlanda*, *Willielmus* de *Barris*, *Drogo* de *Amiens*, *Willielmus* de *Mirlo*, Comes *Perthen*. Cum ipfis etiam eo rediit ille, de quo fupradictum eft, *Marchifus*, qui *Tyrum* tenebat, & afpiraverat ad Regnum *Jerofolimorum*. Sed quid finguli memorentur, non refidet vir magnæ auctoritatis vel famofus in *Francia*, qui non tunc venerit vel poftea ad expugnandam *Achon*. Ad fequentem igitur Pentecoften venit Rex *Richardus*, ficut prædictum eft, cum exercitu & virtute bellorum, qui poftquam didicerat Regem *Franciæ* fingulis menfibus erogaffe fingulis militibus tres aureos, & inde obtinuiffet omnium favorem & gratiam, Rex *Richardus* ne quem in quibufcunque gerendis videretur habere fuperiorem, imo nec parem, voce præconaria in omni juffit exercitu denunciari, ut milites finguli cujufcunque regionis oriundi, qui ftipendiis egerent ab ipfo reciperent fingulis menfibus quatuor aureos certa conditione ftatutos. Laudem ergo Regis *Richardi* efferebant univerfi, ipfum prædicantes aliis quibufcunque merito præcellere & gratia, qui cunctos etiam fuperavit in donariis & magnanimitate. Hic, inquiunt, quem toto defiderio expectavimus, quando igitur

Multi comites Regem Franciæ comitati funt.

Rex Franciæ fingulis menfibus 3. aureos militibus erogat. Richardus vero R. Angliæ quatuor.

igitur fiet affultus? venit jam Regum præstantissimus, & præ omnibus Christicolis bellorum experitior, modo fiat voluntas Dei in Rege nimirum *Richardo* spes omnium pendebat. Cum autem per aliquot dies ibi moram fecisset, gravissimam incurrit ægritudinem, quæ vulgo *Arnoldia* vocatur, ex ignotæ Regionis constitutione, cum ejus naturali complectione minus concordante. Nihilominus vero petrarias suas interim & mangunellos, & castellum ante portam civitatis fecit erigere, omnem adhibens solicitudinem conficiendis machinis & expediendis.

CAP. V.

Rege Richardo *infirmante, Rex* Franciæ *urbem viriliter oppugnat, sed* Salahadino *exterius fossatas oppugnante,* Turci *inclusi viriliter obsistunt, & machinas Regis incendunt, unde Rex infirmatur.*

REx *Franciæ* tantam asultus celebrandi fastiditus dilationem, Regi *Richardo* mandavit tempus opportunum jam instare, quo fieret asultus, & quoque voce præconis ad id aggrediendum moneretur exercitus. Rex autem *Richardus* his exequendis significavit adhuc se non posse vacare tum propter urgentem corporis molestiam, tum propter hominum suorum absentiam per ventorum adversitatem, sed qui in proxima sperabantur classe venturi, & ad machinas conficiendas materiem allaturi: Rex vero *Franciæ* nec ob id censens à proposito desistendum voce præconis per exercitum faciendum denunciari jussit asultum. Die itaque Lunæ proxima post festum nativitatis Sancti *Johannis Baptistæ*, Rex *Franciæ* erectis machinis omnes suos jussit armari. Inæstimabilem ibi videres armatorum multitudinem armis decenter instructam, tot nitentes hamatas loricas, tot galeas rutilantes, tot equos nobiles hinnientes, tot albicantia operimenta, tot milites electos, quot nunquam visi fuisse æstimantur, tot satellites maximæ probitatis & audaciæ, tot penuncellos, tot banerias variorum operum. Ordinatis igitur qui fossatis insisterent defendendis propter irruptionem *Salhadini*, & exercitus *Turcorum* exterius imminentium, gens armata muris civitatis appropiant, & ferocissimos ingerunt affultus, balistis & machinis sine intermissione tela jacientes & lapides. Quod cum *Turci* persentisent inclusi tanto tumultuantes boatu & clangore buccinnæ efferebant clamores ad sidera, ac si micantibus fulgoribus æther tonando perstreperet, quidam enim eorum his tantum erant deputati ministeriis sonare pelves & timbras, pulsare timpana, & aliis diversis modulis tumultuare ad significandum ex condicto *Saladino* & exercitui exteriori, quo venirent eis in auxilium. Qui viso & audito catervatim exteriores irruunt *Turci* congerentes cujuscunque materiam generis ad fosata complenda, quo facilius transirent nostros oppugnaturi, sed ad effectum id producere nequibant. *Gaufridus* namque de *Liziniaco* miles egregiæ probitatis restitit eos, & à Barris quas jam super nostros occupaverant præstantissime repulit, & plusquam decem occidit quadam quam manu gestabat bipenni, nullus enim quem percussérat vivus evasit, quamplures etiam vivos retinuit tanta se gerens agilitate & constantia, ut à tempore illorum militum famosorum *Rollandi* & *Oliveri* nullus tanta dignus laude in ore omnium prædicaretur. Barram quidem recuperant sed maximo cum labore & angustia, nam propter *Turcorum* multitudinem sese pertinaciter ingerentium diutius ancipiti congressu dimicabant. Conserto tam gravi prælio & importabili conflictu, & horrifica contendentium collisione & clamore tam valido, ut hos qui civitatem oppugnabant, & fossatis complanandis extra muros civitatis ferventius instabant oporteret retrocedere & affultum omnino dimittere. Nec enim poterant sufficere & civitatis oppugnationi & suæ defensioni à facie irruentium à foris *Turcorum*. Plures

 quidem

quidem *Francorum* telis baliſtarum & lapidum jaculis & ignis *Græci* infuſione ibidem perempti ſunt : & erat populi planctus magnus & ululatus lamentantium & dicentium. O quod tanto opere Regum expectamus adventum ! heu ſpes fruſtrata ! jam veniunt & nihil proficimus, ſed & ſolito gravius atterimur, & quæ ſperavimus infructuoſe expectavimus. Noſtris igitur *Francis* arma ponentibus, *Turci* turpiter convitiantes ignominioſe improperabant, quod quæ inchoaſſent non potuerunt *Franci* conſummare. Ignem inſuper *Græcum* jaculantes machinas Regis *Franciæ* cura ſolicita fabrefactas, & alia inſtrumenta bellica paulatim diſſipaverunt. Unde Rex ipſe *Franciæ* tanto iræ furore turbatus eſt quod præ triſtitia decidit in languorem, ſicut dicebatur, & equum non aſcendebat ex deſolatione & confuſione.

Francorum generalis oppugnatio fruſtranea.

CAP. VI.

Ex Regum infirmitate deſolatur exercitus & plurimum Nectarum adventu conſolatur.

IGitur ex Regum languoribus contabeſcebat exercitus ex nimia mœſtitudine & deſolatione, quia non erat jam princeps aut dux, qui præliaretur bella Domini. Comes *Flandrienſis* in cumulum mœroris jam immatura morte deceſſerat. Hinc nimium conturbato exercitu, hoc tantummodo acceſſit ad conſolationem plurimam adventus Nectarum. Venerant autem placida navigatione in auxilium Chriſtianorum Epiſcopi & magnates quamplurimi, ſinguli ſuorum comitati ſequela, quorum hæc ſunt nomina, Epiſcopus *Eneverrienſis*, *Rogerus* de Toony & plures fratres & conſanguinei cognominati de Tornebu, *Robertus* de *Novo Burgo*, *Jordanus* de Humez, *Cambrarius* de Tancarvill, Comes *Robertus* de Leyceſtria, *Girardus* de Talebor, *Radulphus* Taiſſon, milites etiam agnominati *Torolenſes*, Vicecomes de *Caſtello* Dun, *Bertramus* de Verdun, *Rogerus* de Hardencort, & milites de Praels, *Garinus* filius *Geroldi*, & illi de *Mara*, *Henricus* filius *Nicolai*, *Ernaldus* de *Magna Villa*, *Stutevillenſes*, *Willielmus* Martel, *Willielmus* Maler, *Willielmus* Bloez, *Godardus* de *Loreora*, *Rogerus* de *Satya*, *Andreas* de Chavenguy, *Hugo Brunus*, *Gaufridus* de *Rancona*, *Radulfus* de *malo leone*, *Willielmus* de *Rupibus*, *Gaufridus* de *Lancellis*, *Hugo* de Fierte, hic capiendæ *Cypro* inerat & inde ad *Achon* jam pervenerat. Duo Reges infirmabantur, veruntamen Dominus eos reſervaverat ad adjutorium Chriſtianorum & civitati recuperandæ.

Comes Flandrenſis obit.

CAP. VII.

Petrariæ duorum Regum, & petrariæ exercitus fidelium turrim Maledictam, *& magnam partem muri conquaſſant & diſſipant.*

REx *Franciæ* citius convaluit de infirmitate & machinis intendebat conficiendis, & petrariis aptis locis applicandis, quas nocte dieque inceſſabiliter inſtituit jaculari; quarum unam habuerant peroptimam, quam vocavit malam vicinam. *Turci* vero infra civitatem alteram habebant quam vocabant malam cognatam, quæ vehementibus jactibus frequentius diſſipare ſolebat malam vicinam, quam Rex reædificabat quouſque jugiter jaciendo principalem civitatis murum in parte diruit, & turrim *maledictam* conquaſſavit. Hinc & petraria Ducis *Burgundiæ* non in vanum jaciebat, illinc Templariorum petraria *Turcos* vaſtabat egregie, & Hoſpitalariorum *Turcis* metuenda nequaquam ceſſabat à jactibus. Præter has quoque fuit quædam petraria communicatis

Rex Franciæ ſtatim atque convaluit machinis conficiendis laborem impendit.

nicatis

nicatis impensis compacta, quam vocitabant, petrariam Dei. Juxta illam prædicabat presbiter assidue, vir magnæ probitatis, multam conquirens monetam ad eam jugiter restaurandam, & ad conducendum qui lapides congregarent jaculandos. Per ipsam demum ad æstimationem duarum perticarum juxta turrim maledictam conquassatus est murus. Comes *Flandriæ* petrariam habuerat electam, quam post ejus mortem habuit *Richardus* Rex & præterea minorem electam. Hæ duæ sine intermissione jaciebant versus turrim juxta portam quendam, quam *Turci* frequentabant, donec turris medietatem diruerunt. Et præter has fecerat Rex *Richardus* alias novas duas operis electi & materiæ, ineffabiliter destinatam percutientes quorumcunque metam locorum. Ædificaverat etiam machinam firmissimis compactam compagibus, gradibus ad ascendendum dispositis, vulgo dictam *Berefredum*, sese nexibus arctius complectentibus, coriis opertam & funibus & solidissimis ligneis tabulatis, nec petrariarum jactibus dissolvendam, nec ignis Græci profusione nec cujuscunque materiæ cessuram injuriis. Duos etiam præparavit Mangunellos quorum unus tantæ fuerat agilitatis & vehementiæ quod jactus ejus pervenirent in interiores macelli civitatis plateas. Petrariæ itaque Regis *Richardi* diu noctuque jugiter jaciebant, de quarum una certissime constat quod unius lapidis jactu prostraverat in mortem XII. homines, idem lapis ad *Salahadinum* transmissus est videndus, quem ille nobilis Rex *Angliæ* illuc attulerat à *Messana* civitate, quam ceperat, tales silices marinos & lapides limpidissimos ad perimendos *Saracenos*, quorum ictibus nihil potuit resistere, quin quassaretur vel in pulverem minueretur. Rex vero acrius febribus molestatus lecto decubuerat plurimum desolatus, quod *Turcos* videret nostros frequentius provocantes, & importunius se ingerentes, quibus præ infirmitate congredi nequibat, gravius enim torquebatur ille *Turcorum* importunis irruptionibus, quam ferventissimis quibus urebatur febribus.

CAP. VIII.

Turci *igne* Græco *comburunt omnes machinas* & Cattum & Cereleiam *Regis* Franciæ oppugnantis urbem.

CIvitas *Achonensis* situ fortissima & *Turcorum* electorum munimine tutissima, difficillime videbatur impugnatione obtinenda. Plurima quidem prius solicitudine operam frustra machinis impenderant *Franci* conficiendis, & instrumentis fabrilibus ad muros diruendos, quia quæcunque *Franci* magnis procuraverant impensis, *Turci* repentinis ignis *Græci* perfusionibus dissolvebant, vel prorsus edacibus absumebant incendiis. Nam & inter alias machinas & instrumenta, quæ fecerat Rex *Franciæ* ad subvertendum murum civitatis, magno præparaverat studio instrumentum quoddam muris ascendendis applicandum, unde & illud Cattum nominabant, eo quod more catti surrependo muro inhæserit occupando. Aliud quoque fecerat instrumentum ex cratibus virgis rigentibus firmissime consolidatis, quod *Cercleiam* vocabant. Sub hac craticula crudis coriis vestitæ Rex sæpe sedere consuevit balistæ jacula solicite contorquens, & *Turcorum* explorans super murum eminentium adventum, quos inter propugnacula feriret improvidos. Contigit autem die quadam dum instarent *Franci* soliciti Catto muris applicando, ecce *Turci* pertinacia vehementi dejicientes à muris ligni siccioris struem supra Cattum congerebant, nec mora ignis *Græci* copiam desuper jaculabantur, & super craticulam, quam tanto opere præparaverat, & insuper petrariam eo versus jacientem ejecerunt, & ecce subito sunt omnia correpta igne, & petrariæ jactibus dissipata. Unde Rex *Franciæ* immoderato turbatus furore in universos suæ ditioni addictos cœpit horrifica imprecatione maledicere, & probrosis dehonestare

Francorum omnes Machinæ igne Græco consumtæ.

neſtare convitiis, quod non expeterent condignam ultionem à *Sarracenis* in ſe talia perpetrantibus. In ipſius iracundiæ fervore, eadem die jam adveſperaſcente, ſub voce præconis propoſuit edictum in craſtino faciendum aſſultum.

CAP. IX.

Exercitu Regis Franciæ *murum ſuffodiente Chriſtiani intra foſſatum poſiti viriliter repellunt* Turcos *ab exterius ſe graviſſime impugnantes.*

Salahadini vana jactatio.

MAne itaque cunctis armatis diſponunt ad exteriora foſſata cuſtodes virtutis eximiæ præcipui & prælecti, propter contingentes importunitates & *Sarracenorum* repentinas incurſiones. *Salahadinus* quippe jactaverat eadem die ſe foſſas potenter tranſiturum, quantæ fuiſſet virtutis ea demum die in Chriſtianorum contritione oſtenſurum. Veruntamen verbo non ſtetit nec venit, ſed exercitus ſuus ferociſſimus & pertinax cum *Kahadino* procuratore ejus conglobatim ſe in foſſam ingerens contendebat violenter pertranſire, quibus *Franci* non ſegniter reſiſtentes abigere pertentabant. Congredientium fit utrorumque ſtrages non modica, *Turci* relictis equis pedites incedebant expeditius, & conſerto gravi prælio, gladiis ſtrictis comminus pugnatur, & pugionibus & bipennis ancipitibus; nec non & clavis dentibus hirſutis acutiſſimis. Hi feriunt, illi cadunt, iſti exclamant, illi gemunt, perimuntur indifferenter quamplurimi, ingruunt *Turci* improbiſſimi, quos rejiciunt Chriſtiani præſtantiſſimi, tanto vero laborioſius, quanto pertinacius inſtant *Turci* graviori multitudine. Æſtuant utrique duplici fervore, æſtus quippe temporis erat. Pars exercitus ad expugnandam civitatem deſtinata inceſſabiliter inſtabat vel tela mittere vel muros ſubfodere, vel crebris ictibus machinarum obtundere, vel muris ſuperandis irrepere. Quorum tantam animoſitatem *Turci* formidantes incluſi elevato in altum ſigno *Salahadini Turcis* exterioribus intimabant, ut *Francis* irruerent amovendis, aut properanter venirent eis in auxilium. Quo comperto *Kahadinus*, *Turci* exteriores ſe pertinacius ingerentes, totis viribus ſe in noſtros agentes foſſam violenter impleverunt, quiquibus noſtri nihilominus repugnantes irruentibus ſe oppoſuerunt, pro muro Deo protectore impenetrabili, & eos repulerunt. Interea Regis *Franci* foſſores cuniculis ſubterraneis ſub terra paulatim progredientes, eo uſque profecerant ut muri extrema fundamenta diruerent, & illam interruptionem lignis igne ſuppoſito repleverant, nec mora lignis igne conſumptis, quibus murus ſuſtentabatur, magna pars muri ſubſedit, & paululum inclinans, nec prorſus ad terram decidens. Eo verſus accurrerunt Chriſtiani plurimi, ut intrarent, & *Turcorum* aciem ut repellerent, O quot ibi videres Banerias, & quot ligna multiformia, tantam *Turcorum* improbitatem ignem *Græcum* in noſtros jaculantium, hinc allatis ſcalis contendebant *Franci* murum non omnino proſtratum tranſcendere, illinc *Turci* è converſo ſcalas applicantes interruptionem muri defendere.

CAP. X.

Albericus Clementis *cum murum per ſcalam aſcendiſſet à* Turcis *occiditur.*

IBi contigit factum memorabile, nequaquam ſilentio prætereundum. Erat vir famoſus prædicandæ virtutis & præſtantiæ nomine *Albericus Clementis*, hic perpendens *Francos* laborioſa deſudantes inſtantia minus proficere, in

ſpiritu

ſpiritu vehementi vires exercens ait, hodie moriar aut in *Achon* Deo volente ingrediar. Hæc dicens ſcalam audacter ſcandit, & muri nactus ſummitatem irruentes undique *Turcos* complures occidit. Ipſum *Franci* per ſcalam ſecuturi, præ nimia multitudine corruerunt in terram, quia ſcala tot ferre nequibat, quorum quidam ad mortem contriti ſunt, quidam læſi plurimum extracti ſunt. Ad quorum caſum exclamantes *Turci* tanto gratiori applaudebant lætitia, quanto graviori confundebantur infortunio. *Albericum Clementem* ſolum in ſummitate muri relictum *Turci* vallantes oppreſſerunt, telis undique confodientes innumeris, cujus eſt ſic veritate confirmata ſententia, qui, ſicut prædixerat, eadem die martyr occubuit dum *Achon* auxilio deſtitutus intrare nequibat. Pro cujus occaſu totus deſolatus exercitus prætermiſſo aſſultu lamentationi ſuper ejus mortem vacavit & planctibus, maximæ quippe fuit vir auctoritatis & nominis & eximiæ virtutis. *Albericus Clementis à Turcis occiſus.*

CAP. XI.

Turris maledicta exterius à Francis *interius à* Turcis *è contra fodientibus ſuffoditur.*

NEc multo poſt foſſores *Francorum* fodiendi ſtudio turrim maledictam meatu ſubterraneo diruerant & lignorum truncis ſuppoſitis ſuſpenderant. *Turci* autem ex adverſo ſub terra fodientes ad eundem fundamenti locum pervenerant, & percuſſo fœdere pacis inter utroſque ita convenit, ut *Turci* abirent illæſi, & Chriſtianorum quidam quos tenuerunt in vinculis captivi, ſimiliter ipſis conſentientibus evaſerunt ſoluti. Quod *Turci* comperientes vehementer contriſtati cuniculos quibus exierant obturaverunt.

CAP. XII.

Rex Richardus *licet valetudinarius cum ſuis urbem impugnat. Baliſta propria manu plures occidit, foſſoribus & petrariis turrim quandam dejecit.*

REx *Richardus* nondum plene de infirmitate convaluerat; veruntamen gerendorum ſolicitus magnopere vacabat urbi capiendæ. Procurabat igitur civitatem à ſuis oppugnari, ſi forte pro voto gratia divina proficeret. Fecit itaque fieri craticulam multiplicatis nexibus conſolidatam, vulgo dictam Circleiam, ſtudioſiſſimo compactam apparatu, quam in foſſatum extra murum civitatis ſtatuit producendam. Subtus erant ſui baliſtarii peritiſſimi, ſeque illuc fecit deferri in culcitra ſerica, ut *Sarracenos* ſua honoraret præſentia, & ſuos animaret ad pugnandum. Inde ſua utebatur baliſta cujus erat peritus, & plures peremit jaculis emiſſis & pilis. Sui quoque foſſores meatu ſubterraneo turris illius, ad quam petrariæ ſuæ jaculabantur, fundamenta quæritabant, de quorum dehiſcente diruptione, cum lignorum materiem inſtruſam igne ſuccenderent, crebris etiam petrariarum ictibus, ſubito corruit fragore. *Rex Richardus plures Turcas ſua manu perimit.*

CAP. XIII.

Homines Regis Richardi *viriliter urbem impugnantes* Turci *viriliter repellunt, sed armatum armis* Alberici Clementis *Balista Regis* Richardi *occidit.*

Rex Richardus proposito præmio militum animos erigit.

PErpendens itaque Rex processus rerum difficiles, & adversarios bellicosissimos, &, quod in negotiorum articulis opus est virtute, commodius ratus est juvenum animos propensius præmiis propositis allicere, quam angariis præceptorum urgere, quem enim non trahat odor lucri? Præconem igitur statuit clamare, ut, quisquis unam petrariam à muro juxta prædictam turrim extraheret, duos aureos à Rege perciperet. post promisit tres aureos, demum quatuor, ut pro singulis, quot quisque extraheret à muro, lapidibus, quatuor pro mercede reciperet aureos. Tunc videres juvenes prosilire, & magnæ virtutis satellites in murum irruere, & lapidibus extrahendis, tam laudis avidi quam mercedis, certatim insistere, qui, inter tela quoque adversariorum, audaciter elaborant murum diruendo proficere, quorum autem vulnerati plurimi defecerunt inutiles, alii metu mortis cessere periculo, nonnullos *Turci* viriliter repulerunt à muro deorsum, quosdam nec clipei valuerunt protegere vel arma. Nimia quidem erat muri celsitudo, & crassitudo non modica. Veruntamen viri virtutis animositate superantes periculum quamplurimos lapidum extraxerunt à muri soliditate, in quos *Turci* catervatim irruentes à muris contendunt ipsos dejicere, &, dum laborant adversarios repellere, armorum immemores exhibent improvide se telis expeditos pene inermes. Unus *Turcorum* supra memorati armatura *Alberici Clementis*, qua se munierat, male glorians, dum in eminentiori muri loco in nostrorum invidiam jactanter promineret, Rex *Richardus* vulnere lethali jaculo balistæ pectoris ampla transfixit, super cujus occasu cæteri *Turci* condolentes indifferenter accurrunt, ut viz. ipsum ulciscerentur, & propter eorum instantiam minus dolore cæderentur. Se nimis audaces exhibent tanquam jacula non formidantes vel missilia, feriunt, impellunt, nostrisque ut furentes insistunt, quibus nunquam erant cujuscunque credulitatis viri præstantiores, & ad defensionem aptiores, ipsorum gesta dum recolit obstupescit memoria. In illius congressionis articulo, quantumcunque tenax armatura, vel lorica duplex, sive perpunctum, pilis Balistarum tanta jactis violentia resistere non valebant. *Turci* nihilominus fodiebant interius, ut & nostros oporteret retrocedere, tunc *Turci* cœperunt clamare vehementer tanquam obtinentes propositum.

CAP. XIV.

Armigeri nostri & Pisani prædictam turrim conquassatam viriliter ascendunt, ut in urbem irrumpant, quos Turci *tam armis quam igne* Græco *cum animositate repellunt.*

Christiani urbem frustra impetunt.

DEnique crebris petrariarum nostrarum jactibus, & lapidum avulsionibus, turri prædicta prostrata. Cum jam à fodiendo homines Regis *Richardi* quiescerent, & assultus conquievisset, tunc se armaverunt Armigeri nostri, avidi laudis & victoriæ, bellis apti & expediti. Ibi erat Banneria Comitis *Leicestriæ*, & banneria *Andreæ* de **Cavegin**, & *Hugonis Bruni*. Eo quoque venit decentissime instructus Episcopus *Salesburiensis*, nec non & quamplurim

plurimi alii. Hora erat quasi tertia, hora scil. prandii, qua se applicuerunt, viri virtutis, & præstantes armigeri turrim prædictam oppugnaturi accesserunt, quam & statim audaciter ascenderunt. Quos videntes *Turcorum* speculatores exclamare cœperunt, & ecce commota civitate raptim arma sumentes accurrunt. *Turci* densissime, & armigeris agillime se agentibus se ingerunt. Contendunt Armigeri in civitatem intrare, *Turci* repellere, conglobatim congrediuntur, utrinque comminus pugnatur, conseruntur dextræ dextris, colliduntur gladii gladiis, hi se mutuo comprehendunt, hi propellunt, hi feriunt illi cadunt. Armigerorum pauci erant. *Turcorum* multitudo jugiter crescebat ignem *Græcum* etiam jaculantium in ipsos, cujus incendium tandem non ferentes Armigeros retrocedere coegit, & à turri descendere, quorum etiam nonnulli armis cæsi sunt & incendio perniciocissimo combusti. Denique *Pisani* laudis avidi vel ultionis potentissime turrim ipsam ascendunt, sed & in ipsos irruentes *Turci* velut furentes debacchati sunt vehementer, ut quamvis *Pisani* præstantissime se gererent, tamen eosdem *Turcos* effrænatos demum sustinere non valentes oporteret retrocedere turrimque relinquere. *Pisani quoque repulsi.* Nunquam enim illi genti *Turcorum* similis visa est in rebus bellicosis adeo efficax. Ea vero die capta civitate consummaretur negotium, si totius exercitus communicata virtute & prudenti consilio pugnatum fuisset, exercitus vero pars multo major eadem hora prandebat, & operis illius negotium præsumptuose fiebat, unde non datum est proficere.

CAP. XV.

Commendatio oppidanorum Turcorum *qui tamen ex desperatione mittunt* Meftoc *&* Caracois *ad Reges nostros pro dilatione habenda, quousque* Salahadinum *conveniant, sed frustrati redeunt.*

Quid de gente illa incredula dicendum quæ ita tuebatur civitatem. Miranda quidem erat & virtutum bellicarum meritis, & totius genere probitatis, quæ, si recta fuisset fide insignita, melior ea, secundum hominem dico, non esset. Attamen formidabant nostrorum animositatem, nec immerito, cum vidissent de totius Christianitatis amplitudine electos eis imminere destruendis, muros & partim dirutos, partim conquassatos, gentem suam ex parte magna mutilatam, occisam, vel vulneribus debilitatam. Veruntamen infra civitatem superrerant ad huc sex millia *Turcorum*, & *Mestoc*, & *Caracois* eorum majores, qui tamen de venturo desperabant auxilio. Perpendebant Christianorum exercitum plurimum desolatum, super mortem *Alberici Clementis*, & super morte filiorum & consanguineorum, qui ceciderant in bello, & quod parati essent, ut aut fortiter morerentur, aut *Turcos* obtinerent, nihil medium arbitrantes honestum. Sane communi consilio & assensu petierunt inducias obsessi, ut statum suum *Salahadino* nunciarent, quatenus juxta gentilitiæ ritum superstitionis olim eis præstitam securitatem, vel eis cito transmitteret auxilium, vel honorifice exeundi impetraret licentiam. Sub hujus petitionis gratia duo *Sarracenorum* nobiliores, & totius paganismi nominatissimi *Mestocus* & *Caracois* accesserunt ad Reges nostros, spondentes, nisi citum *Salahadinus* eis destinaret auxilium, reddendam civitatem, ea conditione ut libere exirent omnes *Turci*, qui erant infra civitatem obsessi, cum armis suis, & omnibus quæ eorum erant, quo vellent ituri. Hujus colloquii conditioni cum Rex *Franciæ*, & universi pene *Franci* præberent assensum, Rex *Richardus* prorsus renuit, & contradixit concedendum, ut viz. post tanti temporis tam laboriosam civitatis obsessionem, omnibus bonis vacuam intraret civitatem, sicque Regis *Richardi* intellecta voluntate, *Caracois* & *Mestoc* infecto negotio reversi sunt in urbem; & *Salahadinus* interim, legatis obsessorum auditis, man- *Turci inducias frustra postulant.*

 davit

davit ut perſeveranter durarent, & civitatem, ut cœperant, viriliter defenderent, proculdubio ſcituri ſufficientiſſimum eis in brevi venturum auxilium. Aſserebat enim ſibi notificantibus legatis pro certo conſtare, maximam militum manum à *Babylonia* in proximo venturam in navibus & galeis, quas eo venire prius citaverat, & quod ſignificaverat *Muleinæ*, quatenus omni occaſione remota infra octo dies ad eos veniret. Quorum ſi forte hi prædicti ex condicto non venirent jurejurando promiſit eis, quod quam poſset honeſtiorem verſus Chriſtianos pacem procuraret, & exeundi libertatem. His auditis redeunt ad urbem legati, & ab eis *Salahadini* recitatis promiſſionibus ad reſiſtendum adhuc perſuadentibus, ad venturum anxii *Turci* ſuſpenduntur adjutorium.

CAP. XVI.

Noſtris viriliter urbem oppugnantibus multi ex Turcis *ex deſperatione ab urbe aufugiunt.*

Chriſtiani urbem inceſſanter oppugnant.

INterea nocte & die Chriſtianorum non ceſsabant petrariæ muros jugiter conquaſsantes, quod videntes obſeſſi admirati ſunt, conturbati ſunt, commoti ſunt, tremor apprehendit eos, quorum quidam timori cedentes, exterriti à muris de nocte ſe dederunt præcipites, & ut evaderent, non expectato quod promiſsum eſt auxilio, eorum quoque complurimi Chriſtianitatis & baptiſmi petierunt ſuppliciter ſibi concedendum ſacramentum; ſuper quorum ſumma meritorum non immerito ambigendum, cum videatur præſumendum, quod potius ab inſtantis timoris anguſtia, quam inſpirante gratia divina, id ſibi fieri poſtulaverunt: ſed multis gradibus ſit recurſus ad ſalutem. Intercurrentibus aſſidue nunciis ſatis innotuit *Salahadino* quod periculoſa nimis erat ulterior perſeverantia in civitate *Turcis*, quam à facie Chriſtianorum tueri non poſsent.

CAP. XVII.

Ut pacem inierunt obſeſſi conſilio Salahadini *cum Chriſtianis.*

Salahadinus obſeſſos urbem Chriſtianis reddere jubet.

S*Alahadinus* perpendens moram trahere periculum, petitionibus obſeſſorum tandem decrevit annuendum; præſertim hoc eidem perſuadentibus Admiraliis ſuis & Satrapis, & amicis potentibus, quorum erant parentes & cognati & amici obſeſſi, allegantibus etiam *Saladino* obſeſſis, quod teneretur eis præſtita ſecundum legis *Mahumeticæ* cultorum ritum ſecuritate, quod honorabilem eiſdem in neceſſitatis articulo procuraret libertatem, ne forte jure belli comprehenſi haberentur exterminio, & probroſæ mortis ludibrio, unde lex *Mahumetica* ab anteceſſoribus diligenter obſervata, quantum in ipſo eſset caſsaretur, & ſuæ nihilominus dignitatis & nominis excellentiæ plurimum derogaretur, dum à Chriſticolis obtinerentur veneratores *Mahumetici*. Rogabant etiam *Salahadinum* ut moneretur ſuper eo, quod *Turcorum* genus electum, ipſius obediens perſuaſionibus, in ipſa tamdiu coanguſtabantur obſidione, & civitatem tanto tempore pro ipſo defenſarent. Reminiſceretur etiam ipſorum, qui obſidebantur, uxorum, & miſerandæ familiæ, quas jam tranſactis tribus annis inchoatæ obſidionis non viderant: ſed & potius civitatem reddendam quam tantæ gentem probitatis perdendam eſse dicebant. Hæc & his ſimilia perſuadentibus *Salahadino* principibus ſuis, ne pejora fierent poſteriora prioribus, annuit pacem, quam commodiorem facere potuiſsent, faciendam.

endam. Ibidem itaque provisum est & prolocutum, quam censerent aptiorem formam pacis contrahendæ. Renunciantibus denique nunciis *Salahadini* sententiam & satraparum, gavisi sunt obsessi gaudio magno. Et ecce egressi sunt majores eorum ad Reges nostros, & per interpretem obtulerunt *Achon* civitatem reddendam liberam, & sanctam crucem resignandam, & ducentos nobiliorum Christianorum, quos tenuerant captivos, & quinquaginta reddendos: sed cum nostris perpendissent ingratum, obtulerunt duo millia nobiliorum Christianorum, & quingentos captivorum inferiorum, quas *Salahadinus* quærere faceret, per totam terram suam, ita quod à civitate exeuntes *Turci* nihil secum præter Camisias asportarent singuli, relictis armis suis, & rebus omnibus cum victualibus. Et præterea pro redemptione capitum suorum darent duobus Regibus ducenta talentorum *Sarracenorum* millia. Super his fideliter observandis, traderent obsides *Turcorum* nobiliores & excellentiores, qui reperirentur in civitate. Cumque super his Reges nostri utrum forent concedenda tractantes, cum suorum sapientioribus conferrent ad invicem, in eo tandem universorum conquievit sententia, quod oblata reciperent & conditionibus conquiescerent, ut de securitate præstitis juramentis & confectis scripturis, datis obsidibus vacui recederent à civitate.

CAP. XVIII.

Datis obsidibus de Cruce & pecunia & captivis infra mensem reddendis Turci *urbem exeunt, & Christiani intrant. Reges quoque omnia inter se æqua sorte dividunt.*

IGitur die Veneris proxima, post translationem beati *Benedicti*, dati sunt obsides & accepti Admiralii ditiores & nobiliores, & de Sancta cruce reddenda, & de captivis requirendis præfixus est unius mensis terminus. Hujus facti notitia, divulgante fama, cum ad universos pervenisset civitatem redditam, iracundia commotum est vulgus insipiens, sapientiores vero non immerito lætati sunt uberius quod expedite & sine periculo obtinuissent, quod tanto tempore prius obtinere non posent. Tunc voce præconis clamatum est & prohibitum, ne quis forte præsumeret dictis aut factis quocunque modo quenquam *Turcorum* oprobriis dehonestare, vel lacessire convitiis, nec ulterius jacularentur vel missilia muris dissipandis, vel *Turcis* in summitate propugnaculorum forte visis. In illius articulo diei cum gens illa *Turcorum* probitatis admirandæ, virtutis eximiæ, bellicis exercitiis viri strenuissimi, magnificentia insignes, in murorum altitudine jam egresuri oberrarent curiosissimis oculis eos intuentur Christiani, tanquam bellatores præcipuos admirantes, & recolendæ memoriæ. Egredientium nihilominus à civitate pene vacuorum vultus obstupescunt elegantiam, & habitudinem adversitatibus invictam, & quos modo pene extremitatis necessitas ad supplicandum vix edomuerat jam vincendos, egredientes nec mordax solicitudo confregerat, nec rerum amissio dejecerat, sed nec vultus perierat constantia, imo animositatis habitudine simulabant victoriam. Harum autem potentias virium depravavit ritus prævaricationis superstitiosæ, corrupitque miserandus error idolatriæ. Omnibus denique *Turcis* egressis, Christiani, quos duo Reges jusserunt, reseratis januis libere civitatem ingressi sunt, cum tripudio & lætitia & summa vocum exaltatione, Dominum glorificantes, & gratias agentes, quia magnificavit Deus misericordiam suam cum ipsis, & visitavit, & fecit redemtionem plebis suæ. Regum itaque in altitudinem murorum & turrium præfiguntur Banneriæ & vexilla multiformia, & fit civitatis æqua distributio duobus Regibus, qui etiam armorum & victualium repertorum proportionaliter æqualem sortiuntur divisionem. Captivorum nihilominus summam prætaxatam sorte mediante

Christiani tandem civitatem ingrediuntur.

 partiti

partiti sunt. In partem Regis *Franciæ* cessit vir ille nobilis *Caracois* & cætera plurima multitudo, Regis vero *Richardi* portioni *Mestoc* accessit cum reliquis plurimis. Præterea Rex *Franciæ* pro parte sua habuit Templariorum nobile palatium cum omnibus pertinentiis, & Rex *Richardus* palatium Regale, in quod misit Reginas suas cum puellis & ancillis eorum, sicque suam uterque pacifice partem obtinuit. Exercitus autem per civitatis amplitudinem hospitabatur; & post tantos diuturnæ obsidionis protractos agones, jam genio vacantes satis optata quiete refrigerantur. Eadem nocte sequente proxima post ingressionem nostram, à timore nostrorum secessit *Salahadinus* cum exercitu suo ab illo, quo consederat, loco, & montem occupavit ulteriorem.

CAP. XIX.

Quam viliter & ignominiose Turci, *dum urbem possederunt, sancta nostra tractaverunt.*

AB eo die, quo sic est reddita civitas, quatuor anni jam effluxerant ex quo occupaverant eam *Sarraceni.* Reddita est igitur, sicut prædictum est, in crastino translationis Sancti *Benedicti.* Ecclesiarum autem status infra civitatem non sine horrore tunc visebantur, nec etiam sine mœrore nunc rememorantur in ipsis visa inconvenientia. Quis enim fidelis siccis oculis intueretur venerandarum vultus imaginum ipsius filii Dei crucifixi, sive etiam quorumlibet sanctorum, deturpatos, sive quocunque modo dehonestatos? Quis non horrifica contremuisset repræsentatione, qua contumeliosa gens illa *Turcorum* nefanda diruisset altaria, & cruces sanctas dejecisset in terram, & contemtibiliter verberasset, & *Mahumerianas* suas in locis sanctificatis exhibuisset, & eliminatis omnibus humanæ redemtionis & Christianæ religionis indiciis, omnes superstitionis *Mahumeticæ* spurcitias instituisset.

CAP. XX.

De discordia duorum Regum pro Marchiso *& Rege* Guidone, *& pacificatione eorundem.*

PRocessu temporis inter duos Reges maxima est orta discordia, occasione illius supramemorati *Marchisi* cui Rex *Franciæ* favebat, omnem acquisitionis suæ factæ vel faciendæ in terra sancta, quæ ei contingeret, dispösuerat concedere portionem, Cui concessioni Rex *Richardus* compatiens afflictionis Regis *Guidonis*, noluit præbere assensum, quia Regi *Guidoni* potius videbatur competere. Super hoc igitur articulo dissentientibus aliquamdiu Regibus, denique mediantibus principibus & populi majoribus, interveniente tali conditione, pacificati sunt, ut *Marchiso*, qui Regni videbatur sortitus in matrimonio hæredem, etiam in recompensatione præstiti adjutorii exercitui in obsidione cederet in possessionem hæreditariam Comitatus *Tyri*, *Tiri* viz. & *Sidonis* & *Baruth*: *Gaufrido* vero de *Luziniaco* fratri Regis *Guidonis* in laboris sui & operis remunerationem cederet comitatus *Joppensis*, scil. *Joppa* & *Aschalon.* Quod si forte Regem *Guidonem* contingeret prius clausisse diem extremum, tunc *Marchisus* ille, qui Regni hæredem licet nefarie, sicut supradictum est, sub spe regnandi rapuerat in conjugem, insignitus diademate Regali Regi *Guidoni*: & *Marchisum* simul cum conjuge si contingeret exui rebus humanis, dum Rex *Richardus* in illis ageret partibus, tunc Regis *Richardi* relinqueretur arbitrio, ut pro voluntate disponeret de Regno. Hujus fine conditionis universorum conquievit contentio.

CAP. XXI.

Urbe reddita Rex Franciæ, *omnibus admirantibus, diſſuadentibus, maledicentibus, ad repatriandum ſe præparavit.*

SIc ſe rebus habentibus, exeunte jam menſe Julii poſt redditam civitatem, infra quem crux ſancta promittebatur à *Turcis* pro liberandis obſidibus reddenda. Ecce rumor per exercitum increbuit Regem *Franciæ* in quo pendebat ſpes populi velle repatriare, & iter ſuum magnopere præparare. O quam probroſum, quamve contumelioſum, adhuc imminente tanto & pendente negotio, ipſum velle abire, cujus intererat tantam populi multitudinem regere, & in opus tam pium populo Chriſtiano tam neceſſarium inſtigare, & negotii tam ardui procurare proceſſum. O quid tantopere via longiſſima eo avida pene inutiliter pervenerat intentione prope rediturus! O quam egregie votum abſolutum, terram ſcil. tantum intraſſe & tam brevibus in *Turcos* decertaſſe triumphis! Sed quid? Rex *Franciæ* morbum allegavit ſuæ cauſam eſſe peregrinationis, &, in quantum dabatur, jam votum perſolutum; maxime quia ſanus & incolumis extitit, quando crucem cum Rege *Henrico* inter *Triam* & *Giſortium* ſuſcepit: ſed huic ejus aſſertioni non comparuit, qui teſtimonium perhiberet. Veruntamen non eſt quidem inficiendum ipſum Regem *Franciæ* in eadem terra civitati expugnandæ plurimam operam impendiſſe ſimul & impenſam, & quod quampluribus opem præbuit & auxilium, & auctoritate præſentiæ ſuæ demandaverit executioni feſtinantius expediendæ operis tanti conſummationem, circa obtinendam civitatem, tanquam viz. Regum *Chriſtianorum* potentiſſimus & excellentiſſimæ dignitatis: unde quanto virtute potentior & excellentia præſtantior tanto recuperandæ terræ deſolatæ, & auxilio deſtitutæ, in quam gentes venerunt polluendam, teneretur obnoxior, & ſecundum *GG.* cum augentur dona rationes creſcunt donorum, & cui plus committitur, plus ab eo exigitur. Verum cum jam Regis *Franciæ* regrediendi cunctis innotuiſſet inflexibilis voluntas, ut nec ſuorum adquieſceret gemitibus vel lachrymoſis ſupplicationibus, ejus ſi fieri poſſet *Franci* renunciarent ditionis ſubjectionem, & abominarentur dominium; & jam receſſuro imprecabantur quicquid adverſitatis vel infortunii potuerit in hac vita miſeranda cuiquam mortalium ingruere. Rex nihilominus iter ſuum qua potuit properantius expediebat, & in loco ſuo reliquit in terra illa Ducem *Burgundiæ* cum gente plurima. Fecit etiam rogari Regem *Richardum* duas ſibi præſtari galeas, cui Rex *Richardus* gratanter duas ex melioribus contradi præcepit, ſed hujus obſequii ſatis in poſterum apparuit ingratitudo.

Rex Franciæ invitis omnibus reditum parat.

CAP. XXII.

Rex Franciæ *juravit Regi* Richardo, *ſe ſervaturum pacem hominibus ſuis, & terris ſuis, donec ipſe repatriaret.*

REgem *Franciæ* Rex *Richardus* cenſuit conveniendum de mutua conſervanda fidelitate ſecuritatis. Ipſi etenim ficut & patres eorum ſeſe tenera ſimultate reverebantur, & palliata charitate, quæ nec in poſteris unquam creditur foras miſſura timorem. Hujus itaque titillationis urtica Rex *Richardus* ſolicitus, exegit à Rege *Franciæ* juramentum de fidelitate ſervanda, quod nec in ſuos, nec in terram ſuam ſciens & prudens delinqueret, dum Rex *Richardus* in peregrinatione perſeveraret. Quod ſi qua occaſione in tantum incorrigi-

incorrigibiliter reprehensibile videretur esse, Rex *Richardus*, postquam in terram suam redisset, quadraginta diebus conveniretur à *Francis* de corrigendis, si qui forte fuissent, excessibus, antequam Rex *Franciæ* de expetenda ab eo moneretur ultione. Hæc omnia præstito sacramento juravit Rex *Franciæ* se fideliter observaturum Regi *Richardo*, & obsides contradidit Ducem *Burgundiæ* & Comitem *Henricum*, & alios quinque vel plures, quorum nomina exciderunt, quam fideliter vero huic stetit conventioni & juramento, satis innotuit universis. Statim enim ut in patriam rediit commovit terram, & conturbavit *Normanniam*. Quid plura, accepta licentia Rex *Franciæ* ab exercitu *Achonensi* recessit, cunctis ei pro benedictionibus adversa optantibus, & maledictiones.

Rex Franciæ pactis cum Rege Richardo non stetit.

CAP. XXIII.

Recedente Rege Franciæ *cum obsidibus suis &* Marchiso *in* Tyrum, *remansit, Dux* Burgundiæ, *& multi* Franci *cum Rege* Richardo.

Rex Franciæ Acone digressus Tyrum navigat.

DIe Sancti *Petri ad vincula* navem ascensus Rex *Franciæ* versus *Tyrum* navigavit, sed exercitus partem majorem cum Rege *Richardo* reliquit. Cum quo etiam tunc ille nefandus *Marchisus Tyrum* rediit, & secum adduxerunt memoratum *Caracois*, & quot Regi *Franciæ* contigerant in forte obsidum *Sarracenorum*, pro quorum redemptione Rex *Franciæ* æstimabat se recepturum centum millia vel plures aureos ad exhibendam gentem suam in illa terra usque Pascha: verum exeunte termino præfixo, reddendæ redemptionis nihil curare videbantur, quorum intererat de obsidum absolutione, quorum quidem major pars periit, pro quibus nec obolum tunc constat fuisse solutum nec ovum, sed nec eorum occasione quicquam omnino acquisitum, nec medietas victualium in occupata civitate repertorum. Unde *Franci* frequentius rememorati sunt, quod aliam non acceperunt à Rege *Franciæ* remunerationem. Inde quoque non modicum contentionum & murmuris inter eos ortum est seminarium, quousque Rex *Richardus* rogatu Ducis *Burgundiæ* accommodavit eidem Duci, super obsides suos, quinque millia marcarum argenti ad exhibendam gentem suam.

Liber

Liber Quartus.

CAP. I.

Rex militibus largitur munera, muros & Achon *reparat,*

Videns igitur Rex *Richardus* ſummam totius negotii, & rei proceſsum, & impenſas, & opera ipſum prima fronte reſpicere, hilariter & copioſiſſime diſtribuit aurum & argentum *Francis*, & alienigenis cujuſcunque rationis, unde ſe reficerent abundanter, & vadimonia redimerent. Rege *Franciæ* ſicut prædictum eſt præpropere repatriante, Rex *Richardus* muris civitatis operam dabat reparandis in altius & perfectius quam prius dieruerentur. Ipſemet etiam obambulabat jugiter operarios exhortans, & inſtruens cementarios, tota ſiquidem intentione ſatagebat hæreditati Dei conquirendæ infatigabiliter inſiſtere. *Rex Richardus muris civitat. reſtituendis ſedulo incumbit.*

CAP. II.

Salahadinus *pactioni non ſtat de cruce Dominica & pecunia reddenda, obſideſque ſuos negligit.*

Expectabat igitur terminum compactionis initæ inter ipſum & *Turcos*, ſicut prædictum eſt, Interim petrariis operam dabat & mangunellis in ſarcinas colligere ad tranſportandum. Poſtquam enim exivit terminus præfixus à Saracenis de Sancta cruce reddenda, & obſidibus liberandis; ea qua dictum eſt conditione, cum jam poſt terminum per tres ſeptimanas expectaſset, ſi *Salahadinus* ſtaret fidelitati vel pactioni pactorum, convertit fieri tranſgreſſorem, quod *Salahadinus* videbatur inde nihil curare, forte Deo ita diſpenſante ut aliquid commodius fieret. Veruntamen dilationem complendæ promiſſionis & crucis quæritandæ, exigebant *Sarraceni*. Frequenter audires Chriſtianos quærere rumores quando crux ſancta veniret, Deus autem eam tunc noluit reddi in abſolutionem eorum, pro quibus promittebatur reddenda, ſed ut potius perirent, unus aliquis dixit jam crux venit, alter aliquis viſa eſt in exercitu *Sarracenorum*, ſed eorum uterque ſic dicentium fallebatnr, non enim procurabat *Salahadinus* crucem reddi; imo obſides neglexit obligatos, ſperabat enim mediante cruce multo majoris negotii procurare proceſſum. Interea *Salahadinus* ſæpius Regem xeniis frequentabat & nuntiis, verborum fallaciis tempus redimens & aſtutiis, deſponſionis autem effectu nihil complens: ſed multiplicatis argutiis, & verborum ambagibus, in longa tempora Regis animum ſtudebat ſuſpendere. *Salahadinus crucem, ut pactum erat, non reddit.*

CAP. III.

Rex Angliæ *bis miſit* Tyrum, *antequam recipere poſſet exercitus noſter à* Marchiſo *obſides* Salahadini, *ipſemet redire contempſit.*

Interea miſſis *Tyrum* legatis ex parte noſtra denunciatum eſt *Marchiſo*, ut in exercitum rediret adducens ſecum obſides Regis *Franciæ*, quos tenebat commendatos, recepturus portionem redemptionis, quæ Regem *Franciæ* contingeret,

tingeret, ſcil. medietatem ſolutionis. In illa legatione miſſi ſunt Epiſcopus *Salesburienſis*, Comes *Robertus* & *Petrus* de *Pratellis* miles peroptimus. His tribus legatis indignanter reſpondit *Marchiſus*, quod nullatenus veniret, prætendens occaſionem quod formidaret Regis *Richardi* præſentiam. Præterea jactitabat veræ crucis, ſi quando receptæ, ſe recepturum medietatem vice Regis *Franciæ*, nec prius ſe obſides reſignaturum quàm hoc compleretur. Intellecta tanta *Marchiſi* pertinacia blanditiis eum tentaverunt mitigare legati, offerentes unum eorum obſidem remanſurum, quo ſecurior ad Regem *Richardum* ſalvus iret & rediret. Nequaquam conſenſit, imo jurejurando affirmabat ſe non venturum. Legati revertuntur inacti & vacui, & rem, ut erat, Regi notificant inde plurimum indignanti. Regis tamen rogatu in eadem tranſmiſſi ſunt legatione *Tyrum* iterum Dux *Burgundiæ*, & *Drogo* de *Amiens*, & *Robertus* de *Quinci* prædictum rogaturus *Marchiſum*, ut veniret cum eis, ejus quippe præſentia negotiorum profectibus videbatur neceſſaria, præcipue cum ad obtinendum Regnum aſpiraret, quod fugiebat adquirere. Et præterea ut meandi facultas daretur navigantibus per *Tyrum* victualia allaturis, quorum adventum idem *Marchiſus* more ſuo præpedierat. Prædictis nuntiis *Gyrum* venientibus, & legationem exponentibus, & obnixius vice Regis *Richardi* rogantibus, ut *Marchiſus* in eorum veniret adjutorium in *Syriam*, cujus ſe ſperabat obtenturum Dominium, proterve reſpondit & arroganter, ſe conteſtans nullo modo venturum, imo civitatis ſuæ curam habiturum. Diutius itaque ſingulis contraria pro partis ſuæ aſſertione facientia allegantibus, eo uſque tandem vix ſumma negotii deducta eſt, ut tres illi legati ſecum obſides *Sarracenorum* ad Regem *Richardum* reducerent. *Marchiſum* autem nulla ratione vel perſuaſione prævaluerunt à ſua deflectere pertinaci nequitia.

Marchiſus obſides Saracenorum reddit Richardo.

CAP. IV.

Occiduntur à noſtris obſides Salahadini.

POſtquam revera conſtitit Regi *Richardo*, tranſacto jam termino & ultra, quod obdurato corde *Saladinus* nil ultra curaret de redimendis obſidibus, coacto conſilio majorum in populo, decretum eſt nil ulterius fruſtra expectandum, ſed ut obſides decollarentur, reſervatis aliquot tamen majoribus & nobilioribus, ſi forte vel ipſi redimerentur, ſive pro aliis quibuſcunque Chriſtianorum captivis commutandis. Rex *Richardus* in opprimendis *Turcis* funditus ſemper aſpirans, ad conterendam ipſorum protervam arrogantiam, & legem Mahumeticam confundendam, Chriſtianitatem vindicandam, die Veneris proxima poſt Aſſumptionem beatæ *Mariæ*, à civitate juſſit educi *Turcorum* obſidum vinctos duo millia & ſeptingentos ad decollandum. Nec mora proſiliunt ſatellites alacriter juſſa complentes, & animo gratanti, ut viz. in ultione redderent talionem, annuente gratia divina, ſuper morte Chriſtianorum, quos ipſi peremerant arcuum miſſilibus vel baliſtarum.

Turcarum obſides 2700. capite truncantur à Chriſtianis.

CAP. V.

Itinere tam marino quàm terreſtri præordinat Rex Richardus *exercitum movere verſus* Aſchalonem.

ADveſperaſcente jam die voce præconis denunciatum eſt, movendum exercitum in proximo, & fluvium *Achonem* ſe tranſmeandum, in nomine Domini omnium largitoris bonorum, ut ad *Aſchalonem* procederent ad perquirenda

quirenda maritima. Igitur ex præcepto victualia quæ x. diebus sufficerent navibus imposuerunt exercitui apportandum, panem scil. biscoctum & farinam, carnes & vina, & quæ viderentur esui necessaria. Nautis igitur firmiter est injunctum, ut semper navigarent è regione procedentes per terram exercitus cum bargis onerariis & neckis, quæ victualia veherent & homines armatos. Sic igitur procuratum est ut bipertito progrederentur exercitu, parte media marino, parte altera itinere terreno, non enim aliter fuit possibile terram acquirere sic à *Turcis* occupatam.

CAP. VI.

Quot ex majoribus nostris decesserunt per annum & dimidium in obsidione Achon.

SCiendum quod in illo exercitu, qui jam ad expugnandam *Achonensem* civitatem moram fecerat per duas hiemes & unam æstatem, maximis dispendiis & impensis usque ad medium autumnum, in quo, sicut prædictum est, decollati sunt *Turci*, sicut satis meruerant apud Deum & Homines, propter Ecclesiarum destructionem & hominum occisionem, defuncti sunt Christianorum innumeri. Fidem quidem excedere videretur universorum multitudo recitata, qui in exercitu tanto tempore decesserunt; summa vero tantummodo majorum, sicut quidam scribit, omissa numerositate, quam se dicit ullatenus posse expedire, sic colligitur. In exercitu mortui sunt sex Archiepiscopi & Patriarchæ, duodecim Episcopi, & præter hos defuncti sunt quadraginta Comites, & quingenti proceres potentes, Presbyteri quoque & clerici & populi multitudo cujus numerus comprehendi non poterit.

Quot Archiepiscopi Patriarchæ Episc. comites, &c. in obsidione Achonensi obierint?

CAP. VII.

Rex Richardus Francos *ab* Achon *exire coegit & tentoria sua extra urbem fixit.*

POst illam *Turcorum* decollationem Rex *Richardus*, recuperata pristina sanitate, à civitate *Achon* egressus, cum omni sua sequela, tentoria sua in planitiis extra civitatem figi constituit, & omnes suos etiam nolentes à civitate exire coegit, & sic in præfatis planitiis, extra fossata nostra, commoratus est exercitus ut ad iter aggrediendum expediretur. *Francorum* autem nonnullos allexit blanditiis, hos prece, alios pretio, nonnullos violenter compulit exire. Fecit itaque Rex multitudinem satellitum peditum circa papiliones suos in tentoriis suis & umbraculis commorari, ad præsidii firmamentum, propter frequentes *Turcorum* incursiones, qui tota die repente appropiantes ipsos exclamabant improvidos. Fuit autem Regiæ consuetudinis semper ut primus exiret armatus ad *Turcos* invadendos, &, prout divinitus daretur, afficiendos.

CAP. VIII.

Comes Hungariæ *& marescallus Regis fugantes* Turcos, *qui in nostros irruerant ab eis capti sunt.*

FOrte die quadam, *Turcis* de more in nostros subito irruentibus, & turbam facientibus, commota sunt castra nostra. Nostris itaque ad arma currentibus Rex, cujus armatus processit eques, & cum eo quidam Comes ar-

 matus

matus de *Hungaria*, & *Hungri* quamplurimi contra *Turcos* exierunt, quos ſine mora fugientes proſequuti ſunt, ſed longius quam oporteret. Quidam enim noſtrorum, licet præſtantiſſime ſe egiſſent, ibi comprehenſi ſunt & probroſe contrectati. Comes ille *Hungrenſis* vir magnæ probitatis & famæ comprehenſus eſt, & abductus à *Turcis*, & quidam miles *Pictavenſis Hugo* nomine, Regis *Richardi* mareſcallus. Ibi ſe Rex gerens indifferenter, ſui negligens, equo vehementius admiſſo, totis viribus conabatur *Hugonem* mareſcallum ſuum ſi poſset eripere, veruntamen fuga velociori avulſus eſt & abductus. O quam ambigua fata bellorum! ordine perverſo nunc victores vincuntur, nunc qui victus erat vincere ſæpe ſolet, prædictis militibus bene fugaſse perire fuit, quoniam à fugatis comprehenſi ſunt fugantes, &, quicquid jure debuerat aſcribi gloriæ, addictum eſt inſipientiæ, ſic virtutis opus fuit ipſius cauſa periculi. *Turci* denique non ut noſtri armaturis ſunt onerati, ſed incedentes expeditiores noſtros multo majori ſæpius perturbabant gravamine. *Turci* fere ſunt inermes arcam tantum gerentes, & clavam præacutis dentibus hirſutam, & gladium, arundineum etiam haſtile cuſpide ferrata, & cultellum leviter appenſum; & quando forte vehementius procul effugantur, equis avolant rapidiſſimis, quibus in mundo non agiliores, volatibus hirundinum curſu comparandi velociſſimo. *Turcorum* etiam moris eſt, ut quando perſenſerint ſe fugantes a perſequendo ceſsare, tunc & ipſi fugere ceſsabunt, more muſcæ faſtidioſæ, quam ſi abegeris avolabit, cum ceſsaveris redibit, quamdiu fugaveris fugiet, cum deſieris præſto eſt; non ſecus eſt de *Turcis*, cum proſequi deſiſtens reverteris, *Turcus* tunc inſequitur, ſi fugaveris fugiet, ita ſcil. Rege fugante pertinaciter fugiebant, cum redire diſponeret, & ipſi imminebant a tergo quandoque non impune, ſed & quandoque noſtros plurimum debilitantes.

Turci leviori armatura utuntur quam Chriſtiani.

CAP. IX.

Exercitus noſter dilitiis deditus urbem vix compulſus exire flumen tranſit Achonenſe, Turcis *undique infeſtantibus.*

REx *Richardus* in papilionibus degebat expectans exercitum exeuntem a civitate, ſegniter autem exibant & moroſe, tanquam minus voluntarie, & parum augebatur exercitus, civitas autem fuit plurima repleta multitudine. Exercitus quidem totus, cum his qui adhuc a civitate non exierant, æſtimabatur trecenta millia. Populus nimiæ deditus deſidiæ & luxui tenuiter egrediebantur ab urbe, quæ nimis erat deliciis abundans, viz. vino peroptimo, & puellis pulcherimis; mulieres igitur frequentantes & vina, nimis diſsolute ſe gerebant quamplurimi, ut civitas pollueretur a luxuria inſipientium, & gula inhabitantium in ea, a quorum impudentia facies ſapientiorum contrahebat ruborem. Ad auferendam autem hujus maculæ rubiginoſam ſpurcitiam, procuratum eſt de conſilio, ne qua mulier exiret a civitate cum exercitu, ſed remanerent in civitate, niſi tantum pedites lotrices, quæ non forent oneri, nec occaſio peccati. Die tandem prænominato, mane armatur exercitus, & ordine decenti diſponitur. Rex erat in extremo agmine, ne forte *Turcis* incurſantibus, qui in proximo imminebant, turbaretur exercitus, ea dieta modica erat. Ex quo gens illa nefanda motum noſtrum vidit exercitum, more corruentium undarum impluebant catervatim a montanis, agminibns diſperſis; hic quaſi xx. ibi xxx. ſic per cætera, ſicque multifarie diſperſi diligenter captabant, qua pernicioſius noſtrum urgerent exercitum; vehementer enim condoluerant ſuper morte parentum ſuorum, quorum videbant, ſicut prædictum eſt, trucidata cadavera, & idcirco protinus noſtrum angebant exercitum jugiter perſequentes, & qua poterant gravantes. Sed, opitulante gratia divina, *Turcis* pro voto nihil obtinentibus, fluvium *Achonenſe* indemnis noſter tranſivit

Chriſtianorum exercitus deliciis & Luxui deditus.

vit exercitus, & ultra fluvium non longe denuo fixere tentoria, donec univerſus congregaretur exercitus die Veneris, quæ fuit in vigilia Sancti *Bartholomæi.* Die Lunæ ſequenti computabantur duo anni tranſacti ex quo civitas *Achonenſis* primo fuit obſeſſa à Chriſtianis.

CAP. X.

Exercitus noſter ordinate diſpoſitus ordinibus proceſſit, & Turcos *viriliter irruentes fortiter repulerunt. Hic* Standardus *deſcribitur.*

IGitur in craſtino Sancti *Bartholomæi*, hoc eſt dominica, in nomine Domini, mane diſponitur per acies exercitus per maritima proceſſurus. O quam decenter attrectatam ibi videres militiam; juventutem eximiam, cui ſimilis difficile reperiretur, ibi gentem videres electam, ſatellites multæ probitatis & audaciæ, decentiſſimas armaturas, tot penuncellos cum ſignis micantibus, & multiformiis Baneriis, tot hoſtilia albicanti cuſpide, loricas lucentes & galeas, exercitum hoſtibus terribilem,& caſtrorum acies ordinatas. Rex *Richardus* primo præfuit agmini, & primariam gerebat cuſtodiam: *Normanni* vallabant *Standardum*, quod, ut plenius innoteſcat, non ab re duximus deſcribendum. Eſt igitur trabes longiſſima, velut malus navis, ſuper quatuor rotas ſoldiſſimis compoſita laquearibus, & compaginata juncturis, ferro veſtita, quæ nec gladiis vel ſecuribus videretur ceſſura, vel igni, in cujus eminentiori cacumine Regium vexillum ventilabat affixum, quod vulgo dicunt Baneriam. Huic inſtrumento conſervando alectorum militum manus ſolet, præſertim in prælio campeſtri, deputari; ne viz. hoſtili incurſione diſſipetur vel quacunque dejiciatur injuria, quia ſi forte quocunque caſu dejiciatur, tunc diſſipatur exercitus & confunditur; quia confugiat quo non comparet; ſed & belli ducem tunc pavido corde exiſtimant jam ſuperatum, cujus ſignum non conſiderant porrectum, nec ad reſiſtendum adverſariis facile populus ulterius convaleſcit, cujus principem incurriſſe diſcrimen ſui vexilli dejectione pertimeſcit; verum, dum ſignum iſtud perſeverat erectum, habet populus certum quo recurrat refugium. Huc infirmi curandi, huc conferuntur vulnerati vel etiam in prælio forte perempti; qui fuerunt viri famoſi vel illuſtres; unde, quia ſtat fortiſſime compaginatum in ſignum populorum, à ſtando ſtandardum vocitatur. Super rotas quoque non incongrue collocatur, quatenus ſecundum prælii ſtatum id producatur cedentibus hoſtibus, vel retrahatur eiſdem ingruentibus. Huic igitur Standardo *Normanni* aſſiſtebant & *Angli*. Dux *Burgundiæ* cum *Francis* extremam aciem agebant, qui minus expedite ſequentes, interveniente mora, fere maximum incurrerunt diſpendium. Exercitus itinerabat juxta mare quod eis erat à dextris, & gens *Turcorum* a ſiniſtris omnes geſtus noſtros a montanis proſpiciebant. Ingruente ſubito nebula periculoſa turbabatur aer, venit exercitus ad quaſdam viarum anguſtias, qua tranſitus erat bigarum victualium portantium. Ibi propter angiportum confuſis acierum ordinibus ſparſim attenuati procedebant & indiſciplinate; quod attendentes *Saraceni* repente irruunt in veredarios & bigas onuſtas, & homines improvidos ſine mora peremerunt & equos, & plurimum ſarcinarum diripuerunt, & ſibi reſiſtentes pertinaciter pertranſibant & diſpergebant, & uſque in oram maris cedentes profligabant. Ibi fit acerrimus conflictus viriliter, utriſque pro capitibus certantibus: ibi tunc a *Turco* quodam amputaretur manus dextra cum gladio, quem ſtrictum tenebat, cuidam *Everardo* homini Epiſcopi *Salesburienſis*, ipſe vultu conſtanti & in nullo mutato gladium arripuit ſiniſtra, & adverſus *Turcos* imminentes concludens, & in diverſa gladium vibrans ab omnibus animoſius ſe defendit. Hinc conturbato vehementer exercitus agmine extremo, & ob infortunium nimis obſtupeſcente, *Johanne* filio

Turcæ in extremam aciem Chriſtianorum irruunt.

Lucæ equo velocius admiſſo, Regi *Richardo* adhuc ignoranti rem quæ acciderat indicavit. Quo ſtatim rapido curſu ſuorum vallatus agmine in extremorum rediit adjutorium, & gladio fulminante ferebatur in *Turcos* à dextris proſternens & à ſiniſtris. Nec mora velut olim *Philiſtii* à facie *Machabæi*, ita nunc *Turci* diſſipati diffugerunt a facie Regis *Richardi* & montana occupaverunt, quorum tamen quidam amiſſis capitibus noſtris remanſerunt. Illo quidem in congreſſu quidam *Francorum* nomine *Willielmus* de *Bartis*, quem olim orta ſimultas Regi *Richardo* ſe reddiderat diſcordem, probitate magnifica mediante, in priſtinam meruit reconciliari familiaritatem & gratiam. *Salahadinus* non procul inde fuit cum omni virtute exercitus ſui. Verum a prædicta repulſione. *Turci* proficere deſperantes ab impetendo noſtros ulterius ſe cohibuerunt, nos a longe ſpeculantes. Noſter igitur reſtauratus ordinate procedebat exercitus uſque ad flumen, quod forte reperierunt, & ciſternas quas probaverunt, ibi fixerunt tentoria, & reſederunt in planitie ſpacioſa, in qua viderant *Salahadinum* prius commoraſſe ibi fixis tentoriis, & per ambitum loci triti & amplitudinem perpendebant exercitum *Turcorum* eſſe permaximum. Prima quidem die ſic noſter afficiebatur exercitus, id procurante Deo, ut cautius ſe gererent, quatenus ſemel expertum in quantum daretur iterato præmuniti præcaverent diſpendium.

CAP. XI.

Caſtra noſtra à flumine Achon *ad* Cayphas *perveniunt.*

Turcæ inſidias ubique Chriſtianis ſtruunt, ſed fruſtra.

SAladinus cum *Turcis* ſemper in inſidiis noſtrum procurans detrimentum, occupabat viarum anguſtias inter prærupta montium, quæ noſter erat tranſiturus exercitus. Præmeditabantur enim ut vel noſtros attenuatos in inexitibus occiderent, aut comprehenderent, vel certe afficiendo diſſiparent. Gens vero noſtra a prædicto flumine promota caute procedebat & ordinate moderata dieta pervenientes juxta *Cayphas* ibi fixerunt tentoria ut vulgus ſequens expectaret. Intra mare & oppidum *Cayphas* utrinque noſter reſidens exercitus biduo ibi morabatur, perſcrutans & revolvens ſarcinas, partem abjiciebat qua ſe arbitrabatur poſſe carere, partem retinens neceſſariam; vulgus etenim pedes incedens, maximo ſarcinarum & victualium onere gravabatur, & armis maxime, ut etiam in prælio præfato plurimos labor afficeret, & ſitis extingueret.

CAP. XII.

Caſtra noſtra à Cayphas *per maritima ubi à ſpinis vulnerantur & feras inveniunt, & per* Capernaum *ad caſam anguſtiarum viarum perveniunt.*

DIe quadam Martis *i. e.* die tertia poſt factam ſub *Cayphas* moram per acies ordinatus procedebat exercitus: ea die primariam aciem deducebant Templarii, & ultimam Hoſpitalarii, quorum utrique ſtrenue agentes magnarum virtutum prætendebant imaginem. Ea die ſe ſolito cautius agebat exercitus, & magna conficienda reſtabat via, quam quidem plurimum præpeditam ſpinetis & herbarum luxuriantium copia, repererunt vultus ſuos jugiter flagellantibus, & maxime facies peditum conterentibus. Maxima etiam illis in locis maritimis copia ſilveſtrium reperiebatur animalium inter pedes frequenter proſilientium a locis herboſis & fruticetis denſiſſimis, unde non quæſitis

quæsitas & forte oblatas sufficienter capiebant feras. Cum venisset Rex obiter ad oppidum *Capernaum*, quod solo tenus *Sarraceni* diruerant, descendit ab equo & comedit, interim expectante exercitu, gustabant etiam qui volebant, & statim post carpebant iter inchoatum, usque ad casam dictam *angustarum viarum*, ibi quippe coangustatur meatus, ibi fixis quieverunt tentoriis. Moris erat in exercitu, ut singulis noctibus antequam dormituri cubarent, quidam ad hoc deputatus voce magna clamaret fortiter in medio exercitu dicens, juxta quod vulgo dicitur, *Sanctum Sepulchrum adjuva*; ad hanc vocem clamabant universi eadem verba repetentes, & manus suas cum lachrymis uberrimis tendentes in cœlum, Dei misericordiam postulantes & adjutorium. Tunc & ipse præco secundo repetebat exclamans eadem, quæ prius, *Sanctum Sepulchrum adjuva*, singulis hoc idem repetentibus, similiter & tertio clamantem eadem iterantes imitabantur universi cum maxima cordis compunctione & lachrymarum effusione. Quis enim hoc in tali non faceret articulo? cum etiam hoc commemorasse tunc factum potuerit ab audientibus pias lacchrymas elicere; hujusmodi siquidem clamore non minimum sibi videbatur exercitus recreari. *Christiani Capernaum perveniunt.*

CAP. XIII.

De Tarrentis, *qui pungendo veneno populum affligebant.*

INstantibus singulis noctibus imminebant quidam vermiculi, vulgo dicti *Tarrentes*, solo repentes, atrocissimis ferventes puncturis; de die non nocebant, superveniente vero nocte, ingruebant molestissimis armati aculeis, quibus quos pungerent statim grassato veneno inflabantur percussi, & vehementissimis angustiabantur doloribus. Viri vero nobiles & ditiores tumores eorum data statim inungebant Theriaca, & dolores efficaci sedebant antidoto. Prudentiores denique advertentes vermes pestiferos sonitu vehementiori fugari, appropiantibus *Tarrentis* instituebant fieri strepitum maximum & fragorem, tundentibus singulis & flagellantibus clipeos & galeas, sellas & asseres, dolia & flascones, pelves & patellas, & caldarias, & quodcunque ad manum erat instrumentum aut supellex, ad faciendum sonitum idoneum; qui auditus fragor abigebat vermes illos. Ad casellam prænominatam biduo morabatur exercitus, amplus enim locus erat & satis accommodus, donec eo venerunt naves, quas expectaverant venturas, Bargæ scil. & Galeæ victualibus onustæ, quibus opus habebant, quæ viz. naves lateratim itinerantes per terram velificabant, portantes cibaria. *Tarrentum tumores Theriaca curantur.*

CAP. XIV.

Castra nostra à casa angustarum viarum ad Merlam, *& ab inde* Cæsaream, *& ab inde ad flumen mortuum perveniunt*, Turcis *nostros impugnantibus & nostris triumphantibus.*

PRæmunitus adversus *Turcos* semper à latere prominentes procedebat exercitus usque ad oppidum *Mirlam* dictum, ubi Rex pernoctaverat una prædictarum noctium. Ibi Rex præordinaverat quod die sequenti primam aciem ipse deduceret propter contingentes inoportunitates, & quod Templarii extremæ agminis agerent custodiam. *Turci* namque jugiter imminebant à latere propiantes. Ea die Rex calcaribus subditis equo ferebatur admisso in *Turcos* merito laudem obtenturus, & facti gloriam, nisi interveniente quorundam *Rex Richardus Turcas viriliter persecutus, suorum desidia desistere cogitur.*

rundam desidia, quæ denigraret negotii processum, Rege namque *Turcos* longius abigente quidam eorum restiterunt à prosequendo cessantes, unde vespere non immerito reprehendebantur. Regem si legitime comitantes prosecuti fuissent *Turcos* fugientes opus egregium magnifice consummassent. Veruntamen *Turcos* omnes à facie sua Rex effugavit. Exercitui fuit iter in littore maris molestissimum, propter nimium fervorem, æstus quippe erat, & dietam conficiebant permaximam. Plurimi quidem æstuantes, longæ etiam viæ fatigati labore extinguebantur, quos ubicunque defecerunt sepeliebant, plurimos vero fatigatos itinere, vel languore aut quocunque affectos incommodo, fecit Rex eis compatiens in galeas transportari, & navibus usque ad destinatas dietas. Consummato maximo cum labore diei illius itinere, pervenit exercitus usque *Cæsaream*. Ibi prius fuerant gens *Turcorum*, & muros & turres ex parte diruerant; & villam quam maxime destruxerant, sed nostris appropiantibus aufugerant.. Fixis ibidem tentoriis pernoctabat gens nostra juxta fluvium civitati proximum, qui vocatur fluvius Crocodillorum, eo quod Crocodilli duos milites devoraverant olim ibi balneantes. Civitatis *Cæsareæ* maximus ambitus, & operosa ædificia mirandæ structuræ. Locum illum cum discipulis frequentans Christus olim divinis illustrabat virtutibus. Illuc mandavit Rex naves suas ad exercitum venire. Interea quoque fecit edictum in civitate *Achonensi*, jussu regio clamante præcone, ut gens adhuc ibi desidiosa commorans ascensis navibus, quas eo miserat, pro Dei amore veniret ad exercitum, & pro fidei Christianitatis exaltanda religione, & voto peregrinationis plenius absolvendo. Ad Regis mandatum quamplures veniunt *Cæsaream* cum classe Regia, victualium copia sufficienter onerata, quam & disponebat processuram è regione progredientis exercitus. Eo adunata navium plurima multitudine, & armato exercitu, & ordinate per turmas disposito, quadam die circa horam tertiam à *Cæsarea* processerunt gressu moderato, propter imminentes jugiter *Turcos*, qui singulis diebus, quando a stationibus promovebatur exercitus, irruebant qua propius audebant, quam poterant inferentes molestiam & gravamen. Ea itaque die solito vehementius infestabant exercitum, sed adjuvante Deo exieramus indemnes, & ipsi unum eorum capite truncato nostris reliquerunt Admiralium, maximæ virum audaciæ, & probitatis eximiæ, & nominis famosi, qui tantarum prædicabatur virium fuisse, quod eum nunquam quisque ab equo prævaleret dejicere, vel auderet ipsum saltem invadere, lanceam enim gestabat duabus nostris grossiorem, cujus erat nomen *Aias Estoy*. Super cujus ruina tanto *Turci* afficiebantur mœrore & lamentatione, quod equorum suorum caudas amputabant, & illius Admiralii libenter si licuisset asportarent cadaver. Verum nostri inde processerunt usque ad fluvium, quem vocabant fluvium mortuum, quem & *Sarraceni* ante nostrum adventum cooperuerant, ne videretur quatenus ex improviso nostri incidentes periclitarentur, sed & ibi conservavit nos Dominus & ex eodem fluvio discooperto nostri biberunt, & duabus ibi noctibus morati sunt.

Classis Regia ad Cæsaream appellit.

Christiani Turcas in se irruentes fortiter propellunt.

CAP. XV.

Castra nostra à flumine mortuo antequam proveniunt ad flumen salsum à Turcis *nimis affliguntur, perimentibus equos & homines nostros.*

A Flumine mortuo, tertia die, progrediebatur paulatim exercitus per terram devastatam, & omnibus bonis vacuatam, ea die per necessitatem per montana procedebat exercitus; quia per maritima graminibus obsita, propter luxuriantium herbarum copiam, viam carpere nequibant. Per turmas etiam solito densiores se cohibebat itinerans exercitus. Deducendæ extremæ legioni præfuerant Templarii, qui tot equos ea die *Turcis* irruentibus à tergo

tergo amiſerunt quod fere deſperati ſunt. Comes nihilominus de Sancto *Paulo* quamplurimos ibi perdidit equos, ipſe vero tantæ fuit virtutis ut *Turcis* continue imminentibus ſe audaciter opponeret, & infatigabiliter viciſſim incurſantibus occurreret, quatenus ipſe laborante, & cæteri tuti procederent; inde nimiam ea die promeruit totius populi gratiam & laudis favorem. Rex *Richardus* ea die pilo vulneratus in latere dum cædendo *Turcos* abigeret, verumtamen levi tactus vulnere, potius incitabatur ad hoſtem aggrediendum, dum ex labore vulneris appeteret avidius talionem ultionis; unde tota die vehementius inceſſanter dimicans *Turcos* repellebat potenter, jugiter incurſantes. Turci quippe improbitate pertinaci graſſantes, & exercitui noſtro progredienti collaterantes, quanta poterant, nos afficere moliebantur injuria, pila mittentes, & ſagittas imbrium more denſiſſime volantes. Heu quot ibi pilis equi transfixi defecerunt, quot graviter vulnerati non multo poſt mortui ſunt, pilorum enim & ſagittarum tantam ibi videres pluviam, ut nec quatuor pedum ſpatium terram pilis jacentibus reperires vacuum, qua tranſibat exercitus. Tota die talis eis imminebat faſtidioſa tempeſtas, quouſque nocte ſuperveniente *Turci* ſe retraherent ad tentoria & habitacula ſua. Gens quoque noſtra juxta quandam aquam fluvium ſalſum dictam tentoria fixerunt, & pernoctabant. Proxima die *Martis*, poſt feſtum Sancti *Ægidii*, eo venerunt, & biduo ibi morati ſunt. Ibi facta eſt preſſura non modica, ſuper cadaveribus mortuorum equorum pinguium, qui vulneribus perierant, ſuper quorum carnium emptione non facilis pretii plebs avida contendebat turba, uſque ad percuſſiones. Quo Rex audito, clamante præcone promulgandum propoſuit, ſe cuilibet vivum equum daturum, qui ſuum mortuum diſtribueret probiſſimis ſervientibus, qui egebant. Sicque carnem comedebant equinam quaſi ferinam, quam, fame vice ſalſamentorum condiente, reputabant dulciſſimam.

Rex Richardus leviter vulneratur.

Chriſtiani carne equina veſcuntur.

CAP. XVI.

Caſtra noſtra à flumine ſalſo per foreſtam de Aſſur *illæſa ad flumen* Rochetailie *perveniunt.*

DIe tertia, circa horam tertiam, à flumine ſalſo per acies ordinatus procedebat exercitus: fama namque fuit *Turcos* eis in inſidiis ſedere in foreſta de *Arſur*, qui ſilvam ipſam dicebantur igne ſuppoſito ſuccenſuri, ne tranſiret exercitus. Verum noſtri ſeriatim procedentes per ipſam foreſtam, inſidiarum dictarum loca tranſierunt indemnes. Quibus exeuntibus a ſilva tranſmiſſa contra occurrit planities, in qua fixis tentoriis pernoctabant, juxta flumen Rochetailie vulgo dictum; inde miſſi ſpeculatores ad conſiderandum renunciaverunt *Turcorum* exercitum, cujus non erat numerus, non procul inde adventum ipſorum expectare, qui æſtimabantur trecenta millia, qui operuerant circumquaque faciem univerſæ terræ, numerus vero *Chriſtianorum* non excedebat centum millia, Die *Jovis* ante nativitatem beatæ *Mariæ* Chriſtianorum exercitus ad fluvium Rochetailie pervenit, & ibidem morabatur, & in craſtino.

CAP. XVII.

Castra nostra à flumine Rohetailie *versus* Arsur, *prodeuntia, ordinant se ad bellandum versus* Turcos, *quos noverant se eadem die tota virtute impugnaturos.*

Christianorum acies ad pugnam instructa procedit.

SAbbato scil. Vigiliis nativitatis Sanctæ *Mariæ* summo diluculo armis suis attentius muniebantur universi, tanquam *Turcos*, statim excepturi, quos jam cognoverant eorum transitum præoccupasse, nec sine prælio gravissimo *Turcorum* posse declinare proterviam, qui jam acies suas contra gentem nostram disponebant, semper paulatim appropiantes, ideoque solicite sibi providebant nostrorum universi, prudentissime dispositis totius exercitus ordinibus. Rex nimirum *Richardus* rerum bellicarum peritissimus acies per turmas ordinavit, quis primo, vel quis extremo proficisceretur aptius agmini deducendo. Duodecim itaque constituit turmas, divisis proportionaliter ordinibus per acies v, coaptatis disciplina militari distinctionibus virorum quidem bellicosissimorum, quibus in præliorum negotiis nusquam sub cœlo invenirentur efficaciores, si tantum corda eorum firmissime fuissent in Deo confidentia, quantum universorum quidem est provectio bonorum. Eo die exercitus ordini primo regendo præfuerunt Templarii, post ipsos seriatim ordine suo progrediebantur *Britones* & *Andegavenses*, post hos ordine tertio Rex *Guido* cum *Pictavensibus*, ordine quarto *Normanni* & *Angli* Regio vexillo deputati portando,extremi procedunt ordinati Hospitalarii, ipsa quidem acies extrema ex electa fuit constituta militia, distincta per turmas ordinate partita. Densissimis itaque sibi cohærens agminibus, quod pomum projectum in terram non caderet, nisi contingens hominem vel equum; & ab exercitu *Sarracenorum* protendebatur exercitus noster usque ad littora maris. Ibi videres distinctiones aptissimas, divesir schematis vexilla, & signa multiformia, gentem quoque robustissimam, vegetam, animosam, bellis aptissimam. Ibi fuit Comes *Legecestriæ*, *Hugo* de Gurnay, *Willielmus* de Borriz, *Walklinus* de *Ferrariis*, *Rogerus* de Toony, *Jacobus* de *Avennis*, Comes *Robertus* de Druell, & Episcopus *Belvacensis* frater ejus *Willielmus* de *Barris*, *Willielmus* de *Garlanda*, *Drogo* de *Mirlo*, & consanguinei ejus plurimi. Comes *Henricus Campaniæ* custodias agebat à parte montana, semper observans à latere, Satellites quoque pedites, omnium extremi sagittarii, & balistarii ordinabantur, extremitatem exercitus concludentes veredarii & bigæ, cum sarcinis victualia portantes & res alias, inter exercitum & mare itinerabant ne forte invaderentur ab hostibus. Ita se agebat exercitus sensim progrediens, & paulatim ne forte disgregaretur, quia minus cohærentes acies ordinatæ, minus ad resistendum valerent. Rex *Richardus* & Dux *Burgundiæ* cum sequela militum electa, hinc inde oberrantes, undique observabant a dextris & sinistris, solicitius *Turcorum* perpendentes habitudinem & statum, ut juxta quod viderent expedire producendum castigarent exercitum. Ipsorum quippe pernecessaria fuit diligentia.

CAP. XVIII.

Nostri tanta perpessi sunt mala à Turcis *in eos undique & maxime à tergo continue irruentibus, vulnerantibus, prosternentibus, ut pondere belli & desperatione defecissent, nisi simul & retrogradi processissent, & gratia Dei affuisset.*

Turcæ Christianos totodie admodum infestant.

INstante jam hora diei quasi tertia, ecce *Turcorum* nimia multitudo quasi x. millia impetu rapido ingruentes in nostros, certatim pila jaciebant, & mittebant

mittebant ſagittas, confuſis vocibus perſtrepentes horrendum. Poſt hos accurrebant gens larvalis colore nigerrimo, quæ etiam non inconvenienter ex re nomen habent, quia ſicut ſunt nigri, vocantur nigreduli. *Sarraceni* quoque commanentes in ſolitudine vulgo dicti *Bedewini*, horridi, fuligine obſcuriores, pedites improbiſſimi, arcus geſtantes cum pharetris, & ancilia rotunda, gens quidem acerrima & expedita. Hi inflexibiliter noſtro jugiter imminebant exercitui. Extra memoratos per campeſtria videres accedentium *Turcorum* competentius procuratas phalanges, tot ſigna lanceis connexa, tot vexilla tot bannerias particulatim variatas; tot acies per turmas aptiſſime diſtinctas, per catervas turmis diſpoſitis, qui ad æſtimationem excedere videbantur xx. millia *Turcorum* armatorum, ſeriatim accedentium, qui impetu indeclinabili, velocioribus aquilis equis, more fulminum adactis, in noſtros irruebant, à quorum curſu rapidiſſimo turbato vehementius pulvere, aer tenebroſa obducebatur caligine. Ante faciem admiralii quidam ad hoc deputati præibant, tubis clangentes & lituis, alii tenebant buccinas, alii tibias & timpana, ſiſtra vel cimbala, alii alia ad clangendum inſtrumenta, qui huic tantum deputabantur exercitio, ad ciendos clamores, & ululatus horriſonos. A quorum vocibus aſperrimis & frementibus clangoribus ecce reſonat undique terra, ut nec audirentur tonitruorum fragores a tumultuantium vehementia tubarum, & clangentium buccinarum; nam id fieri inſtituerant ad excitandam animoſitatem & audaciam, quanto enim clangor fuerit vehementior, tanto fit ad certamen animus fortior. Sicque undique & a parte maris & terræ ſolidioris *Turci* nefandi noſtro ingruebant exercitui, ut nec a duobus circumquaque milliaris quicquam ſpatii, vel quantum pugno comprehenderetur, viſui pateret niſi gens inimica *Turcorum*. O quam pertinaciter ingruebant, & obſtinatos continuabant inſultus, ut graviſſimis noſtros afficerent diſpendiis, tranſfodiendo pilis & ſagittis equos noſtros, quorum per maxima facta eſt ruina. O quam neceſſarii fuerunt ea die validiſſimi baliſtarii, & ſagittarii ſatellites rigidiſſimi, qui concludentes extremitatem exercitus, continuis pilorum jactibus, in quantum dabatur, *Turcorum* retundebant pertinaciam. In quos non multo poſt, more aquarum inundantium, tanta fortitudine irruentes imminebant adverſarii, ictus exaggerantes immani debacchabantur feritate, ut pondus calamitatis & miſeriæ ſuſtinere non valentes, plurimi baliſtariorum noſtrorum, abjectis arcubus & baliſtis, ne forte excluderentur infra denſitatem exercitus ſe ingerebant, metu quippe mortis intolerabilibus cedebant injuriis. Audaciores vero & præſtantiores virtute, quos vel verecundia cedere vetuit, vel mens conſcia coronæ roboravit, ut in agone perſeverantes, tanta demicaverunt conſtantia, & infatigabili contendebant virtute, ut verſa facie imminentes à tergo *Turcos* obtundentes, tanquam cedentes ambularent retrogradi in tergum, ne forte minus provide ſibi præcaverent averſi. Tota quidem illa die, quia *Turci* imminebant à tergo apud eos, verſa facie itinere præpoſtero potius viam carpendo quam eundo proficiebant. O quantæ diei illius anguſtiæ! quam amara tribulatio, ubi etiam in inconſtantiores irruerant timores ſoliciti, ubi non erat tantæ quiſquam confidentiæ vel magnamitatis eximiæ, cujus non fuerit illius temporis articulo in optione potius conſummata peregrinatione in patriam rediiſſe, quam in illius ambigui prælii caſibus corde pavitanti perſtitiſſe. Tanta nimirum gens modica obſidebatur undique *Sarracenorum* multitudine, quod nuſquam, etiamſi tentaretur, fuga pateret, nec tot reſiſtere virtus ſuppeditare videretur, imo, tanquam intra fauces luporum grex ovium diſſipandus, ita concluſi, circa ſe nihil præter cœlum conſpicerent & inimicos ex omni parte improbiſſimos. Domine Deus! quæ mens tunc fuerit gregi Chriſti puſillo, tanta anguſtiato perplexitate, quem tanquam cribrandum tam pertinaciter oppreſſerunt hoſtes, tanta urgentes ingruentia? quis conſimili contritus eſt potentia? Ibi videres milites noſtros, equis dextrariis amiſſis, cum peditibus pedites ambulare, & vel baliſtis miſſilia, vel arcubus emittere ſagittas in hoſtes, & prout facultas ſuppetebat & virtus vicem

reddere pro vice. *Turci* ſiquidem quorum eſt ſtudium ſe jugiter arte ſagittaria exercere, & baliſtis, ſine ceſſatione inſiſtunt, telà pluunt, volant ſagittæ, ſtridet aer, ſolis fulgor, tanquam tempore brumali grandinum denſitate vel nivium, ita miſſilium nigreſcit multitudine, transfodiuntur equi mucrone pilorum & ſagittarum, quarum copia cooperiebatur circumquaque terræ ſuperficies, ut ſiquis vellet colligere numerum ad minus xx. unico raptu compleret. *Turci*, tam fortiter imminebant, quod propemodum turmas ordinum Hoſpitalariorum contriverant, unde ſignificarunt Regi *Richardo* ſe non poſſe ulterius impetum vehementem inimicorum ſuſtinere niſi milites equis admiſſis ipſos invaderent. At Rex id fieri diſſuadet, adhuc patienter agmine denſato ſe cohibere monet, perduravit igitur, ſed vix in tanti mole pericli, & miſerandam tolerantes anguſtiam, jugiter ſuſpirant, quibus non licuit reſpirare, veruntamen ſic carpendo viam proficiebant. Cæterum illa die fuerat permaximus æſtus unde duplici laborabant moleſtia temporis fervore & hoſtium infeſtatione. Sudant igitur in agone jam probati Chriſti martyres, quos qui perpenderet in arcto poſitos, ſic indurantes pondus diei & æſtus, & preſſuram gentium perniciofiſſime imminentium, & pertinaciter graſſantium, & ſeſe cohortantium, in exitium Chriſtianorum, non immerito poſſet animo vacillare, & ex deſperatione & ambigua trepidatione augurare ſiniſtra de paucula gente noſtra, à tanta ſic concluſa multitudine: quinimo malleatorum more ſupra dorſum procedentium fabricaverint prævaricatores, ut non jam ſagittis eminus uterentur & pilis, verum etiam propius accedentes lanceis perpungerent, & clavis graviſſimis contunderent, & gladiis comminus ſtrictis impeterent, & ſuper armorum duritiam reſultu tanquam ſuper incudem innumera reſonant flagella *Turcorum* contundentium. Æſtuant angariati quibus non dabatur requies. Ingravatum eſt prælium in extremam aciem Hoſpitalariorum, eo gravius quo repugnare non licuit, injuriati patienter procedunt, clavis contriti ſilent, flagellati non repercutiunt, cedunt loco, non valentes tanti molem ſufferre diſcriminis, & ex imminentis metu mortis ordine confuſo cædentium, furori cedentes in anteriorem ſe cuneum ingerunt, fugiunt imminentes à tergo *Turcos* effrænato crudeſcentes furore. Quis nimirum aſſiduum, imo continuum ſuſtineret non repercutiens aſſultum talium etiam & tantorum imminentium inimicorum? Totius virtus paganiſmi concurrerat à *Damaſco* & *Perſide*, à mari mediterraneo uſque ad orientem, non reſederat vel in extremis terrarum receſſibus vir famoſus vel præpotens, populus virtutis, gens audax bellicis exercitiis probata, vel cujuſcunque ſtrenuitatis, quam *Saladinus* non exciverit in auxilium prece vel pretio, vel ditionis ſubjectione, ad conterendam gentem Chriſtianorum, quam tunc funditus deſuper terram delere ſperaverat, ſed fruſtra,non enim, opitulante Deo, ad effectum ſufficiebant votum deducere. Flos enim juventutis egregiæ Chriſtianitatis & militia probata eo confluxerat, & tanquam granorum ſimila ab ariſtis exerta ab extremis finibus terræ tunc temporis ibi fuit coadunata, quam ſiquis ad internecionem conterendo diſſipaſſet proculdubio non ſupereſſet in mundo qui de cætero uſquam reſiſteret.

Hoſpitalarii à Turcis ultra modum laceſſiti & infeſtati manus cum ipſis conſerere prohibentur.

CAP. XIX.

Item de eadem pugna, & de mirabili Chriſtianorum victoria.

Obducto nubilo pulveris aere æſtuabant itinerantes & inſuper fervore temporis, quibus ut dictum eſt imminebat à tergo gens ferociſſima, faſtu inſolens, inſtigante dæmone pertinax, populus nihilominus Chriſtianorum probiſſimus, & conſtanti libertate ſecurus, ſemper paulatim progrediendo proficiens, quos inceſſanter fuſtigando minabant à tergo, veruntamen reſilie-

bant

bant ictus ab armorum munimine; hinc se *Turci* ingemiſcunt parum extra votum proficere, & ſuos impetus fruſtrari invidioſo immurmurant ſuſurro, hinc & pernicioſiori furentes immanitate, gentem noſtram appellant ferream nulli ceſſuram injuriæ. Tandem turbati irruunt ſubito *Turcorum* pluſquam xx. millia, comminus clavis malleantes, & gladiis in Hoſpitalarios congeminant ictus, contundunt, affligunt, & variis urgent conatibus, cum ecce propemodum pene victus immanitate, unus eorum, frater *Garnerius* de *Napes* nomine, exclamavit voce magna dicens, Sancte *Georgi* miles egregie, nunquid nos ſic confundendos relinquis, nunc perit Chriſtianitas, quia contra hanc gentem nefandam non repugnat. Ad hoc Magiſter Hoſpitalariorum Regem adiens ait illi, Domine Rex, vehementer infeſtamur infamia perpetua devotandi, quaſi repercutere non audentes, quiſquis noſtram ſuam gratis amittit vecturam, & quid ulterius ſuſtinebimus? Cui Rex, bone magiſter, ait, ſuſtinendum quidem eſt, eſſe nemo poteſt ubique. Redeunte Magiſtro inſtant *Turci* ferociſſimi cædentes à tergo, ubi non erat princeps, vel Comes, qui maximo non erubeſceret pudore, dicentes ad invicem, ut quid equos non laxamus ad curſum? heu heu in perpetuum merito timidæ redarguemur inertiæ, quibus nunquam ſimile contigit, nunquam per incredulos tanto exercitui tanta devotandum infamia contigit opprobrium, niſi citius nos defendentes irruamus in ipſos, ſcandalum ſempiternum erit nobis, tanto quidem magis, quanto longior intervenerit dilatio concertandi. O quam cæca ſors humana! quam lubricis vacillans articulis,! heu quam ambiguis volvitur rotis, & ancipiti curſus humanos explicat ſucceſſu. Inæſtimabilis quidem *Turcorum* multitudo periiſſet, ſi, juxta quod fuerat communiter prælocutum, obſervato ordine rei negotium proceſſiſſet. Verum peccatis ut creditur exigentibus, currente rota, amphora quæ inſtituebatur, interveniente errore confuſionis, exibat urceolus; nam dum noſtri tractarent invicem, & in unam denique conveniſſent ſententiam de committenda in hoſtes incurſione, per duos milites moræ impatientes confuſa ſunt omnia. Fuit quippe communi procuratum decreto, ut ſex tubæ ſonarent in exercitu tribus in locis, quando verſus *Turcos* congrederentur, viz. duæ tubæ ante exercitum, & duæ poſt exercitum, duæ quoque in medio exercitu, ad diſtinguendam notitiam Chriſtianorum à *Sarracenis*, & certificandam utrorumque in congreſſu diſtantiam. Quod ſi ita fuiſſet obſervatum univerſi illi *Turci* fuiſſent interempti & confuſi, prædictorum vero militum nimia properatio, univerſitatis non obſervato decreto, cedebat in detrimentum ſucceſſui communis negotii. Ipſi nimirum primi proruperunt ab ordine, equis admiſſis *Turcos* invadentes, quorum ſinguli ſingulos proſtraverunt *Turcos* lanceis transfoſſos, unus eorum erat miles quidam *Mareſcallus* Hoſpitalariorum, alter autem erat *Baldwinus* de *Carreo* nomine, miles peroptimus, & ut leo confidens, ſodalis Regis *Richardi*, quem à terra ſua eo uſque Comitem adduxerat. Hos duos prædictos audaciter in *Turcos* irruentes, cæteri Chriſtianorum, cum attendiſſent clara voce Sancti *Georgii* auxilium invocantes, regiratis equis in nomine ſalvatoris Chriſti, illos duos ſequentes,impetum fecerunt unanimiter in hoſtes ſe pertinaciter impetentes. Nec mora ſpatio correpto Hoſpitalarii, qui ea die equitaverant ſeriatim, plurimum gravati cum cuneis ſuis, prædictos duos ſequentes viriliter irruerunt in hoſtes, ſicque ſingulæ turmæ ſecundum ordines conſtitutos, retroactis equis, ferebantur in hoſtes, viz. ut qui fuerant primi in exercitu in itinere carpendo,moverentur extremi juxta ſitum diſpoſitionis hoſtes impetendo. Unde primi congreſſi ſunt Hoſpitalarii, qui fuerant ordinati in exercitu extremi, prorupit quoque Comes *Campaniæ* cum turma ſua electa, *Jacobus* etiam de *Avennis* cum conſanguineis ſuis, *Robertus* etiam Comes *Druenſis*, & Epiſcopus *Belvacenſis* frater ejus, Comes quoque *Legeceſtriæ* curſu ferebatur ferventiori verſus maritima à parte ſiniſtra, quid ſinguli nominentur? impetuoſe ſimul omnes progreſſi ſunt, qui fuerant in extrema primum acie ordinati. Poſt prædictos itaque proruerunt citiſſimi *Pictavenſes* ſimul & *Britones*, & *Andegavenſes*, & alii ſimiliter univerſi cum

Tandem convenit inter Chriſtianos impetum in Turcas facere.

cum turmis suis, quorum singuli tantæ fuerant virtutis & audaciæ, ut *Turcorum* singulos obviantes fortiter exciperent, & ab equis lanceis transfixos ducerent. In illa mutuæ congressionis turbatione excitato pulvere nigrescebat aer. Universi *Turci*, qui de industria ab equis descenderant, ut pila & sagittas expeditius in nostros dirigerent, in illo egressu militantium sine mora decapitati sunt, ipsos enim à militibus prostratos decollaverunt pedites nostri. Rex *Richardus*, ut conturbatum vidit exercitum, & cum *Turcis* congressum, equo calcaribus acto ocius advolat, nec prius à cursu temperavit quam pertransisset Hospitalarios primitus congressos, quibus opem cum sequela sua laturus, se fulminans à dextris perniciter ingessit in *Turcorum* peditum turbam improbissimam, ob ejus ictus & suorum vehementer obstupescentium, quos cogebantur experiri, cadebant enim ab eo a dextris & sinistris. O quot ibi subito viderentur, passim equis sessoribus evacuatis, globatim prosterni, hos gemebundos casus asperos conqueri, illos extremum trahentes spiritum in proprio cruore volutari, quamplurimos quoque truncari, exanimes a prætereuntibus sine respectu conculcari. O quam multum distans, & dissimilis quæcunque contemplatio claustralium juxta columnas meditantium, horrendo illi exercitio militantium. Ibi Rex, Rex singularis, ferus, *Turcos* insectatur, invadit, passim prosternit, cujus gladium non fuit qui ab eo tactus effugeret; ipse enim, quacunque se gereret vel ageret, viam undique late patentem vibrans gladium effecit. Qui cum infatigabiliter progrediendo continuatis gladii percussionibus nefandam gentem, velut quis falce messem metendo contereret, cæteri morientium exemplo turbati viam cedebant ampliorem: dimidii quippe spacium milliarii *Turcorum* undique occupaverant occisorum cadavera, super faciem terræ jacentia. *Turci* denique prosternuntur, a sessoribus sellæ evacuantur, & concertantium commixtione pulvis evolat nostris plurimum perniciosus; nam cum ab occisione fatigati tanquam auram captaturi a turbæ densitate forte secederent, non se poterant recognoscere præ tanti pulveris nubilo super capita imminentis, verum tunc percutiebant indifferenter a dextris & a sinistris, ut, qui suorum visu mediante non habebant notitiam, universos trucidarent ut inimicos, quos præpediente pulvere ignorabant amicos. Constanter cædendo gladiis malleant Christiani, expavescentes contabescunt *Turci*, diutius pugna ambigua conseritur, mutuos dant ictus, vincere contendunt utrique, hi cruentati retrocedunt, illi cæsi in mortem corruunt. O quot ibi videres in terram decidere Banerias, & vexilla multiformia, penuncellos, & signa innumera, tot probatos gladios sparsim jacentes, tot lanceas ex Canna ferrata cuspide, tot arcus *Turkenses*, tot clavas dentibus præacutis horrentes, tot possent per agros colligi quarelli pilaque, & cum sagittis missilia, ad conficiendas viginti vel eo amplius bigarum sarcinas, tot ibi viderentur detruncati jacere *Turci* turbati, quorum quidam aliquamdiu ex desperatione animosiores contendebant resistere, donec, nostris invalescentibus, alii equis discussi inter fruticeta se occuluerunt. alii arbores subierunt à quibus sagittati horrisono gemitu moribundi corruerunt, alii gratis equos deserentes lubricis anfractibus fugituri versus mare elabuntur, & sese dederunt præcipites in profundum à maris promontoriis, quasi quinque perticas habentibus altitudinem. Eximie quidem repellebatur illa gens inimica, ita quod infra duo milliaria non videretur nisi gens tum fugitiva, quæ prius extiterat tam pertinax, & fastu tumida, & ferocissima; sed, auxiliante Deo, sic periit eorum arrogantia, qui nec etiam cessaverunt fugere, nostris etiam à persequendo cessantibus, fugientium quidem pedibus timor addidit alas. Quinimo totus noster exercitus distinctus per ordines in *Turcos* irruerat, *Normanni* quoque & *Angli* ad observandum Standardum prælecti, moderatis passibus paulatim appropiaverunt exercitui cum *Turcis* congredienti, non procul a certamine subsistentes, ut ad eos certum omnes haberent confugium, difficillime quippe virtus eorum dissiparetur. Peracta cæde nostri substiterunt fugientibus *Turcis*, nostros igitur regredientes cum attendissent *Turci*, vires resumentes, sine mora plusquam xx. millia

Christiani ingenti Turcarum edita strage eosdem in fugam vertunt.

millia inſequentes, irruunt in eos qui regrediuntur extremi, geſtantes clavas graviſſimas in manibus, ut quos noſtri proſtraverant liberarent à manibus eorum, O quam diriſſime videres ibi noſtros flagellatos, in quos etiam recedentes pila mittebant & ſagittas, equitum noſtrorum clavis conquaſſabant capita brachia, cætera membra, ut gravibus cedentes tunſionibus ſuper ſellarum inclinarent antellis ſtupidi, ſed ocius recuperato ſpiritu, & viribus reſumptis, tanto acrius velut leæna raptis catulis ſitientes ultionem, ferebantur in hoſtes, & eoſdem velut retia dirumpentes pertranſibant, ibi videres ſellas retorqueri, *Turcos* prius fugientes reverti, quorum inſtantia gens noſtra adeo vehementer premebatur, ut nec per unius jactum ſagittæ itinerando proficeret indemnis, niſi firmius cohærens perſtitiſſet immobilis. *Turcorum* illi multitudini præerat *Admiralius* nomine *Tekedmus*, conſanguineus *Salahadini*, habens Baneriam inſignitam miro genere diſtinctionis, ſcil. inciſarum ſchemate braccarum, hæc pro vexillo gerebatur ſuis notiſſimo. Ipſe idem *Tekedmus* Chriſticolas odio pertinaci ſæviſſime ſemper proſequebatur, hic addictos ſibi de familiaribus ipſius *Salahadini* ſecum agebat pluſquam ſeptingentos *Turcos* electos & robuſtiſſimos, quorum ſingulæ turmæ croceam in ordine ſuo præferebant Baneriam, cum penuncellis alterius tincturæ. Hi magno impetu advenientes cum fremitu & faſtu nimio, gentem noſtram ab eis verſus Standardum divertentem invaſerunt cædentes, & haſtilibus arundineis perpungentes, & atrociter in tantum affligentes, ut noſtra tum etiam præcipuorum conſtantia ab ingruentium mole vacillaret, noſtri perſtant immoti neceſſario vim vi repellentes, confligunt acerrime, congeminant ictus, fervet bellum; hi conterere illi elaborant repellere, vires exerunt, pari certant ſtudio vincendi, & licet noſtri numero pauciſſimi, ſe multo minorem adverſariorum affecerunt multitudinem, nec tamen illa pars noſtri exercitus, qui ſic illo deſudabat in certamine, poterat de facili ad noſtrum Standardum reverti, propter tantam hoſtium multitudinem graviter opprimentium, à quorum immanitate noſtrates jam vacillabant concluſi, quorum pauci quidem in hoſtes auſi ſunt reverti. *Turci* nimirum furore vehementi debacchantes inæſtimabili noſtros affecerunt inſtantia, contundentes clavis & gladiis galeatos, ubertim ſanguine fluido à conquaſſatione ſtillante. Quos demum attendens jam titubantes jam deficientes *Willielmus* de *Barris* miles egregius, agmine dirupto præceps cum ſuis ferebatur in hoſtes, quos tanta ſtatim affecit inſtantia, quod quibuſdam in ore gladii ejus corruentibus, cæteri trepidi fugerent, à facie ejus. Rex nihilominus equo favello *Cypri* ſedens, cujus non erat ſimilis, verſus montana proſiluit cum electo agmine ſuo, & quoſcunque *Turcorum* diſſipavit obvios, & undique cadebant ab eo tinientibus galeis, & prodeuntibus a ferri colliſione ſcintillis. Tanta quidem ea die vehementia concitabatur in *Turcos* lethales multiplicans ictus, ut ab ejus importabili congreſſu in brevi hoſtes univerſi diverterent, & exercitui noſtro progreſſum cederent. Sic in parte noſtri lacerati ad Standardum denique perveniunt, & iterum per acies ordinati proceſſerunt ſeriatim uſque ad *Arſur*, & extra oppidum fixere tentoria. Quibus dum intenderent figendis, ecce *Turcorum* cuneus maximus invaſit extremitatem exercitus noſtri. Audiens autem Rex *Richardus* vociferationem aggredientium ſuam gentem, exhortans ad pugnam, reflexis loris rapido curſu cum xv. tantum ſociis audacter hoſtes aggrediens exclamavit voce magna dicens, Adjuva nos Deus & Sanctum Sepulcrum, & ſic exclamavit ſecundo, & ſic tertio, cujus vocem cum cæteri ſuorum audiſſent feſtinanter ſecuti ſunt eum, & *Turcos* invaſerunt, & ſtatim diſperſos & diffugientes uſque ad *Arſur*, ex qua prius exierant, jugiter cædendo & proſternendo fugarunt, ibi etiam *Turcorum* quamplurimi corruerant. Reverſus denique Rex cum ſuis ad caſtra à cæde fugientium *Turcorum*, poſt tantam vexationem fatigati illa nocte quieverunt. Quiſquis avidus lucri prædas hoſtium voluiſset colligere, rediit in locum certaminis, & ſufficienter onuſtus pro voluntate ſibi placentia diripuit. Referebant etiam qui poſtea eo redierant, ſe numeraſſe *Turcorum*

Turcæ Chriſtianos iterum perſecuti profligantur.

Turcæ tertia vice fugantur.

corum Admiralios repertos occiſos ea die XXXII. quos fuiſse perpendebant viros maxime auctoritatis atque potentiæ, ex armatura nobiliori, & apparatu pretioſiori, quos & *Turci* poſtea quæſierunt aſportandos, quia reputabantur digniores, præter quos etiam, ſecundum æſtimationem, VII. millia *Turcorum* lacerata cadavera cæſa retulerunt, exceptis vulneratis, qui divertentes à certamine ſparſim, poſtquam defecerant, jacuere per arva defuncti. Noſtrorum autem, Deo protegente, non occiderunt in bello *Turcorum* comparatione ſaltem pars decima, vel etiam decima decimæ. O gravis illa dies, O militia probata, quia multæ ſunt tribulationes juſtorum, O funeſta calamitas, & amara miſeria, quantam putavimus peccatorum rubiginem, hujus igne tribulationis ad purum excoqui? ſi tamen pia longanimitate, abdicato murmure mentis, inſtantem neceſſitatem certaſſent evincere, afflictorum altior eſt ſenſus.

CAP. XX.

In ſecunda pugna occiditur Jacobus *de* Avennis *miles Admirandus.*

SEd de *Jacobo* de *Avennis* plurimum quidem dolendum, quem *Turcorum* illa prædicta multitudo oppreſſerat, cujus equus caſu acerbiſſimo, dum in ipſo funeſto congreſſu fortiſſime dimicaret, corruit in terram, & ipſum ſeſſorem ſolo tenus proſtravit, quem *Turci* globatim circumdantes, poſt multos ſudores oppreſſere. Ipſe vero, referentibus his, qui corpus ejus quæſitum miſſi reportaverunt, quod antequam prorſus deficeret ferme quindecim *Turcos* detruncaverat, qui circa ipſum reperti ſunt jacentes occiſi. Tres cum eo reperti ſunt conſanguinei ejus occiſi, quibus ex noſtris quidam ibi præſentes debitum non præſtiterant auxilium, qui ipſos proh nefas! in agone deſeruerant reluctantes contra *Turcos* irruentes. Unde ſuper hoc non immerito deteſtandæ notam infamiæ Comes *Druenſis*, cum his qui cum eo ibi fuerant, poſtmodum incurrit. O quam varii belli caſus, quanti gemitus & ſuſpiria ea nocte fuerunt in exercitu, pro abſentia illius *Jacobi* de *Avennis*, *Jacobi* militis præſtantiſſimi, bellatoris incliti, quem, quia non reſpiciunt cum cæteris præſentem, præſagiunt occiſum, ipſe enim cum familiaribus ſuis non apparuit, unde totus conturbatur exercitus, & ſuper incomparabili obſtupeſcit infortunio. Sabbato proximo ante Nativitatem beatæ *Mariæ* fuerat illa prædicta pugna commiſsa, & Dominica ſequenti, hoc eſt ipſa die nativitatis beatæ Virginis, decretum eſt corpus prædicti nobiliſſimi quæritandum, ut ſepeliretur. Armantur igitur Hoſpitalarii & militia Templi, quam plures ſecum ducentes *Turcopelos* validiſſimos, cum quibus nihilominus alii plurimi perrexerunt, qui, cum in locum certaminis perveniſſent, ſolicite quæſitum corpus ultimo repererunt, concreto ſanguine oblita facie, quod vix niſi prius aqua lotum cognoverunt, quia ſanguine cruentatum, & ex vulneribus tumidum erat, & viventi plurimum diſſimile, corpus igitur decenter involutum detulerunt ſecum ad *Arſur* redeuntes, ibi videre fuit maximam multitudinem militum, contra corpus proſequendum procedentium; Super morte tanti viri lamentabantur univerſi, rememorantes ejus probitatem, & largitatem, & eundem ornatum plurimarum dote virtutum; Rex *Richardus*, & Rex *Guido* ejus aſtiterunt ſepulturæ, pro cujus anima Miſſa ſolemniter celebrata cum oblatione non modica in Eccleſia ipſius Reginæ Cœli dominæ noſtræ, cujus dies nativitatis tunc erat; poſt miſſam, exequiis rite celebratis, corpus viri nobiles ſuſcipientes in ulnis depoſuerunt in foſsa humo diligenter tumulandum, ibi cuncti ululantes & flentes lamentabantur propter ipſum; expleta ſepultura, Clerus inſtantis diei ſolemnitatem beatæ *Mariæ* diligenter debitis exequebatur obſequiis.

Jacobum de Avennis in pugna occiſum ingenti luctu proſequitur exercitus.

CAP.

CAP. XXI.

Confusio Turcorum *prius retro tergentium nunc autem fugientium & omnia sua post se in prædam nostris per campos relinquentium.*

Sane *Sarracenorum* Admiralii & nobiliores, quibus *Salahadinus* terras donaverat & divitias multas, ipsius *Salahadini* auribus prurientes, magniloqui lingua verbis ampullosis ipsum spe refecerant inani, dicentes proculdubio, adjuvante *Mahumeto*, ea die velle Christianos à terra funditus extirpandos, sed eos omnino *Mahumeticum* fefellit augurium, & ipsorum insolens reprimebatur jactantia. *Turcorum* enim fugientium per montana in die belli, referentibus his qui viderant, legeres vestigia per prædam abjectam, & camelos & equos passim jacentes mortuos, qui ceciderant per viam, millenos & centenos, sarcinis onustos gravissimis. *Turci* enim intendentes & mittentes arcum à facie nostrorum conversi sunt in die belli, & abierunt retro cum omnibus quæ sibi relicta fuerant, qui quanto solicitius fugere properabant, tanto ocius extincti defecerunt, & incredibilem supellectilum abjecerant multitudinem, tanto nimirum impetu irruerant in *Turcos* nostri in ultimo congressu, ut si aliquanto pertinacius institissent, & paulo longius ipsos fugassent, nunquam de cætero illi *Turci* rebellarent, imo terra illa *Turcis* evacuata Christianis relinqueretur inhabitanda. *Turcæ in fugam à Christianis versi maximam prædam post se relinquunt.*

CAP. XXII.

Salahadinus *victos suos exprobrat & subsannat, sed illi Regem* Richardum *& exercitum ejus laudant & omni militiæ præferunt.*

Audiens *Soldanus* gentem suam electam, in qua plurimum fuerat confisus, à nostris ita dissipatam & superatam, iracundia plenus & confusione, convocatis Admiraliis suis, dixit ad eos, Eia quam magnifica sunt gesta familiarium meorum! quam egregie proficiunt, qui tanta prius vigebant jactantia & arrogantia intollerabili, cui tanta toties contuli donaria, ecce Christianitas pro libera voluntate terram *Syriæ* perambulat nullo resistente vel repugnante, ubi nunc sunt tantæ jactantiæ, & clara opera militantium meorum? ubi nunc minæ & lanceorum percussiones egregiæ? & gladiorum ictus tanta promissi constantia faciendi? ubi nunc sunt illa præclara initia maximorum bellorum, & inenarrabilium exercituum pugnantium contra Christianos, quos se consummaturos jactitabant? Ecce bellum jam præsto est quod quærebant, sed ubi victoria de qua jactitabant? O quam degeneres moderni illis nobilissimis antecessoribus nostris, qui tanta bella præclara contra Christianos conficiebant merito memoranda, quorum memoria tota die nobis recitata perseverabit in æternum, inconvenienter res agitur & probrose, cum gens nostra proh pudor! omnium mundi gentium fuerit effecta peritissima in rebus bellicis, & antecessorum nostrorum respectu jam nihil sumus, nec ovum valemus. Ad hæc & his similia *Salahadini* improperia dimissis in terram vultibus silentibus Admiraliis, unus eorum *Sanscunsus* nomine de *Halapia* sic ei respondit. Sacratissime *Soldane* salva gratia majestatis tuæ injuste nos culpæ redarguis cum *Francos* omni nisu impeterimus & solicita invasione ipsis intenderimus conterendis, sed & eorum gravissimas sustinuerimus repercussiones, nil autem eis obesse potest, nil afficere vel confundere, ipsi enim non sicut nos sed inæstimabili muniuntur armatura impenetrabili, nulli generi pilorum vel telorum vel

 gladiis

gladiis cessura, unde nostros omnino conatus in ipsis tanquam in silicibus inefficaciter expendimus. Et præterea quod maxime mirandum de quodam ex numero eorum, ipse gentem nostram confundit & destruit, nunquam talem vidimus, vel ei similem experti sumus, ipse semper alios præcedit, in omni negotio primus invenitur & præcipuus tanquam miles electus & probatissimus, ipse est qui nostram mutilat gentem, ipsi nemo potest resistere, nec quenquam quem apprehenderit à manibus ejus eruere, ipsum appellant suo idiomate *Melech Ric*. Tali quidem Regi terra immerito regenda debetur qui tanta præditus virtute potenter terras sibi subjicit, sed quid amplius super tam forti viro tam invincibili restat agendum.

CAP. XXIII.

Salahadinus *dirui facit omnia castella præter* Jerusalem, & Crach & Daram.

Salahadinus in ejus iracundiæ fervore, advocato fratre suo *Saphadino*, inquit, jam nunc scias meæ esse voluntatis experiri quantam merito deberem habere confidentiam in gente mea in hujus articulo negotii, egredere sine mora & muros turresque *Ascalonis* solo tenus dirui facito, civitatem etiam de *Guadres*, *Darum* autem conservandum committe custodiæ qua gens mea transeat. Dirui vero facito *Galatiam* & *Blanchewardam*, *Joppen* & casellum de *Planis*, & casellum *Maen*, & Sanctum *Georgium*, & *Ramulam*, & *Bellum Montem*, *Toronem* castrum *Ernaldi*, *Beanveriæ*, & *Mirabellum*. Præterea omnia frange castra montana, non parcat oculus tuus omni civitati vel castello sive casello, omnia dirue, omnia proſterne, præter *Crac* & *Jerusalem*. Egressus itaque *Saphadinus* omnia quæ præceperat *Salahadinus* incunctanter peregit.

CAP. XXIV.

Turci *cum* xv. *millibus armatorum nostros per flumen* Arsuri *invadunt, sed minime proficiunt.*

INterea quidam *Sarracenorum* nominatissimus & potens, *Caysac* nomine, respondens persuadere cœpit *Salahadinum* ut mitteret speculatores in planiciem *Ramulæ*, ad cognoscendum quo *Franci* diverterent, spero enim, inquit, si probatos habuero comites, *Francos*, si forte illac transire proposuerint, ex parte majore delere, & viam eis arctissimam cedere, ut ab angiportu & à manibus nostris eorum extorqueantur pauciores. Ipsius itaque instinctu misit *Salahadinus*, ad flumen *Arsuri* occupandum, xxx. Admiralios famosos & potentes, quorum quilibet habuit secum ferme quingentos *Turcos* bellatores robustissimos. Observabant igitur flumen, ne quando *Franci* illac transirent indemnes. Tertia die, post prædictum bellum, hoc est die Lunæ, in crastino nativitatis beatæ *Mariæ*, Rex *Richardus* cum exercitu profectus est ad *Arsurum*. Ea die ordinati in exercitu *Templarii* procedebant extremi, & seriatim profecti sunt & caute, propter hostium repentinas incursiones; sed postquam ad prædictum flumen de *Arsur* pervenissent offendiculi nil invenerunt. *Turci* vero, qui consederant in insidiis, sperantes opprimere *Francos* venientes eis obviam procedentes oppugnare tentabant, pila jacientes & sagittas, veruntamen parum aut nihil proficientes, anterioris belli non immemores recesserunt ab eis, & gens nostra super flumen *Arsuri* fixis tentoriis ea nocte resederunt: inde vero mane plebs cum peditibus nostris, qui ad itineris laborem vix perseveraverant, & cum eis hospitiorum procuratores antecedebant exercitum, usque *Joppen*

Turcæ Christianos ad flumen Arsuri frustra invadunt.

pen

pen jem à *Sarracenis* funditus dirutam, ita ut in ea exercitus non poſset hoſpitari, ſed in ejus parte ſiniſtra: fixis igitur tentoriis in oliveto pulcherrimo manebat eo veniens exercitus, & quid plura? jam tranſierant tres ſeptimanæ ex quo primo receſſit exercitus ab *Acone*.

CAP. XXV.

Naves noſtræ victualia nobis ab Achon *uſque* Joppen *ferunt.*

Sedens igitur exercitus extra *Joppen* in aprico diverſorum fructuum abundantia refocillabantur, erat enim in loco copia racemorum & ficuum, pomorumque granatorum, & amygdalorum grandium nimis, quibus arborum rami ad plenum circumquaque fuerant onuſti. Et ecce claſſis Regis *Richardi*, naves etiam aliorum eo veniunt, ſequentes exercitum, libera quoque navigatione ibant naves & redibant à *Joppe* uſque *Achon*, & è converſo portantes victualia & cætera quæ videbantur neceſſaria, plurimum quidem inde *Turcis* dolentibus, quoniam navigationem præpedire non poterant. *Chriſtianorum exercitus fructuum optimorum abundantia refocillatur.*

CAP. XXVI.

Rex Richardus *conſulit* Aſchalonem *à diruentibus eruere, & eam reparare ſed prævalente* Francorum *pejore conſilio* Joppen *reparant, ubi & vitiis & luxuriæ intendunt.*

Salahadinus interim dirui fecerat muros & turres *Aſcalonis*, quod quidam plebeii inde noctu fugientes exercitui noſtro venerunt nunciare, quod jam turribus diruendis inſiſterent magnopere *Saraceni*; minus tamen credendum hoc noſtris videbatur, ut viz. *Salahadinus* ex deſperatione hoc fieri juſſiſſet, tanquam turres conſervare non poſſet, vel non auderet, qui maximæ reputabatur virtutis & potentiæ. Ad hoc itaque certius inquirendum, miſit Rex de conſilio magnatum in una galea fortiſſima *Gaufridum* de *Liziniaco*, & *Willielmum* de *Stagno*, & cum ipſis alii quamplures navigaverunt uſque *Aſcalonem*, & ante civitatem ſubſiſtentes rei ſtatum & veritatem conſideraverunt: quod cum certiſſime didiciſſent, veloci redeuntes remigio renunciaverunt verum eſſe, quod prius audierant. Igitur convenientes in unum Rex *Richardus*, & principes, & magiſtratus populi, communi conſilio decreverunt tractandum, utrum magis expediret omnibus aut proficiſci *Aſchalonem* ad diſturbandos inde *Turcos* ne penitus dirueretur, ſive verſus *Jeruſalem* procedere; multis multa prout utile videbatur allegantibus, & plurimum diverſa ſentientibus, tandem Rex *Richardus*, præſente Duce *Burgundiæ*, & majoribus in populo, ita ſuam propoſuit ſententiam dicens, ſicut mihi videtur, inconvenienter ſicut & inutiliter diverſi ſentimus diverſa, quod quidem in non modicam (quod Deus avertat) poterit nobis retorqueri perniciem, *Turci* qui *Aſcalonem* diruunt nobiſcum bellare non audent, mei quidem ſciatis quod animo concipio ſanioris eſſe conſilii civitatem *Aſcalonem*, fugatis *Turcis*, conſervare incolumen; quia totius orbis peregrinis eo perneceſſarius non ignoratur eſſe tranſitus, hoc mihi videtur eſſe faciendum noveritis univerſi. His vero pertinaciter *Franci* contradixerunt, allegantes ipſam *Joppen* potius reſtaurandam, & labore commodiore reparandam, quippe quod ad breviorem peregrinationem in *Jeruſalem* commodius potuiſſet opus conſummari. Quid multa? ad horum conſilium conſequendum multitudinis invaluit acclamatio. O cæcum ignavorum conſilium! O damnoſa deſidum pertinacia! qui quanto prudentius ſibi proſpexiſſe *Aſcalon à Turcis diruta.*

ſpexiſse videbantur, & labores commodius evitaſse & impenſas, tanto in poſterum pœnitenda commiſerunt: nam ſi tunc *Aſcalonem* à *Turcis* excuſſiſsent, omnis prorſus terra evacuaretur ab ipſis. Verum populi convaleſcente vociferatione ſtatutum eſt faciendam collectam ad ipſam *Joppen* reædificandum; inſiſtebant ſolicite, & foſſis faciendis & turribus reparandis. Sedet ibi exercitus diutius ociis vacans & jocis, de die in diem augebatur peccatum multiplex in exercitu, crapula ſcilicet & luxuria; redibant enim mulieres in exercitum ab *Achon*, fomes delictorum, incrementum facinoris, unde plurimum contaminatur populus, & peregrinationis confunditur diligentia, debitaque negligitur devotio.

Joppe reparatur à Chriſtianis, neglecta Aſcalone.

CAP. XXVII.

Rex Richardus *populum in* Achon *regreſſum, & in tabernis morantem, in* Joppen *reducit, ubi & exercitus* VII. *ſeptimanis commoratur.*

EXeunte jam menſe Septembri, & reparata in parte civitate *Joppe*, ecce exercitus à pomeriis exivit, & circa caſellum *Abacuc* tentoria tetendit: nimis autem minoratus exercitus, quia pars non modica navigio jam receſserat ad *Achon*, & morabatur in tabernis. Rex *Richardus* attendens ignaviam populi, & peregrinorum nimiam diſsolutionem, mandavit per Regem *Guidonem*, quem miſit legatum uſque *Achon*, in exhortationem peregrinorum, ut redirent *Joppen* in expeditionem; ſed cum nec ſic niſi rariſſime veniſsent, ipſe Rex *Richardus* uſque *Achon* navigavit, & multa inſtantia & ſolicitudine exhortans, & efficaciſſime verbum ad populum faciens de fide & ſpe quæ in Domino eſt, & peccatorum remiſſione, dummodo peregrini ficti non fuerint, quamplures ab *Achon* ratione ſermonis excitatos uſque *Joppen* ſecum reduxit. Reginas etiam cum puellis ſuis uſque *Joppen* venire fecit. Ubi fere ſeptem ſeptimanis oportunum æſtimabant exercitum commorai, ad coadunandam gentem, quæ jam ex parte fuerat diſperſa, gens itaque noſtra undicunque collecta, cum denique conveniſsent in unum, multo major quam prius effectus eſt exercitus.

CAP. XXVIII.

Rex Richardus *indiſcrete cum paucis egreſſus à* Turcis *apprehenderetur, niſi* Willielmus *de* Pratellis *ſe Regem fingens pro eo ſe eis dedidiſſet.*

ACcidit eo tempore ut Rex *Richardus* cum pauciſſimis familiaribus nimis ſolitarius quadam die egreſſus, cum falconibus ſuis ſpatiatum, etiam, ſi quos *Turcorum* videret, ſtatum conſideraret, & improvidos apprehenderet, ex itinere fatigatus & labore pertæſus forte obdormiret. Et ecce repente *Turci* hoc comperientes cum impetu magno ferebantur ad ipſum comprehendendum: Rex autem ex advenientium fremitu expergefactus, vix equum ſuum ſavellum *Cyprum* aſcendiſſe potuit, cum Comitibus ſuis ſimul ſuos aſcendentibus, cum irruerent *Turci* & ipſum apprehendere conati ſunt, in quos Rex extracto gladio, inſurgens ſine mora ipſos fugam ſimulantes inſecutus eſt, uſque ad locum inſidiarum ipſorum, unde ſubito irrumpentes *Turcorum* plurimi, Regem cum pauciſſimis ſociis ſtatim circumdederunt comprehendendum, ipſe vero gladium vibrans fortiter ſe defendit ab irruentibus, & ad ipſum comprehendendum, ipſe vero gladium vibrans fortiter ſe defendit

ab

ab irruentibus, & ad ipſum comprehendendum ſingulis manum protendentibus, ſed cito eas retrahebant ictus gladii ejus timentes, quem forte tunc humano deſtitutum auxilio comprehendiſſent, ſi *Turci* tunc ipſum cognoviſſent. Sed ecce confuſo certamine contendentibus exclamavit unus ſociorum Regis, nomine *Willielmus* de *Pratellis*, idiomate *Sarracenico* vociferans ſe eſſe *Melech*, quod latine dicitur Rex, quod *Turci* credentes confeſtim ipſum *Willielmum* comprehenſum ad exercitum ſuum deduxerunt captivum. In congreſſu ipſo occiſus eſt de ſociis Regis *Reignerius* de *Marum* miles egregius, ſed fere inermis, & ejuſdem nepos *Walterus* nomine, & præter hos etiam *Alanus* & *Lucas* de *Stabulo* ibidem occiſi ſunt. Fama facti divulgata totus noſter conturbatus eſt exercitus,& feſtinanter aſſumptis armis, ſubditis equis calcaribus, Regem quæſituri procedunt quouſque occurrerent revertenti, ſuper cujus ſalute eximie lætati cum eodem regrediente procedunt, & *Turcos* jam longius abeuntes inſectati ſunt præpeti curſu, ſed fruſtra laborantes ipſos aſſequi non potuerunt, quia perniciter cum prædicto *Willielmo* captivo aufugerant, congaudentes uberius, quia ſe Regem comprehendiſſe ſperaverant. Rex, Deo procurante, reſervatus eſt ad majora neceſsarius proſequenda negotia. *Turcis* denique ocius abeuntibus, gens noſtra rediit ad exercitum, ſuper eo quod Regem ſalvum receperant & incolumem, gaudens & exultans in Domino eo uberius, quo periculoſius oberrans pene perierat, *Willielmo* vero de *Pratellis* plurimum condoluerant, qui tam fideli liberalitate ſe dedens hoſtibus gratis corpore proprio Dominum ſuum Regem redemit. O prædicanda fides,O rara devotio ut quis ſpontaneo ſe ſubjiciat periculo, ut partiatur alieno! Regem igitur, ſuper frequentioribus præſumptionibus, quidam ejus familiarium, dilectionis ſervata gravitate, caſtigantes monuerunt, rogantes ne de cætero ſic oberraret tam ſolitarius, ne forte quandoque incideret in hoſtiles inſidias, quoniam in ipſius ſalute, ut aiunt, pendebat univerſorum integritas, & ſuis omnibus penſaret animam ſuam merito pretioſiorem, quia præ cæteris avidius *Turci* venabantur, ſed quoties, inquiunt, cordi eſt hujuſmodi machinari digreſſiones, aſsumendi videntur fortes auxiliarii, bellatores robuſti, non enim eſt ſingulorum multos ſemper concludere. His & his ſimilia dicentibus, ut Regem arguerent, auſu familiaritatis ejuſdem dilectis, ipſe nihilominus (quis enim vel furca poterit funditus abdicare naturam) in omnibus congreſſionibus primus eſse gaudebat in aggrediendo, & ultimus in regrediendo poſt conſummationem, cui quidem aut merito virtutis aut certe gratia divina ſemper fere ſuccedebat ad votum, ut vel *Turcorum* quamplurimos reduceret ſecum captivos, vel reſiſtentes contereret detruncatos.

CAP. XXIX.

Rex Richardus *&* *exercitus ejus caſella de* Planis *& de* Maey *reædificant, &* Turcos *irruentes ſæpe trucidant.*

POſt quietis recreationem, cum exercitus priſtinum jam videretur recuperaſse vigorem, ecce Regium proponitur Edictum, ut ad expeditionem in nomine Domini inſtruantur univerſi,ad proficiſcendum ad caſellum de *Planis* reſtaurandum, hoc enim reputabatur maxime neceſsarium, propter tranſitum peregrinorum illac itinerantium. Conſtituit igitur Rex qui *Joppen* obſervarent, & conſummarent muros ejus, & portus ſtrictiſſime cuſtodirent, ne quis abiret à populo, præter mercatores apportantes victualia. Ad hæc igitur obſervanda deputati ſunt Epiſcopus *Ebroicenſis*, & Comes *Chalonenſis*, & *Hugo Ribole* cum quibuſdam aliis qui reſiderunt in *Joppe*. Die *Mercurii* autem feſto omnium ſanctorum, cum Rex oberraret in planitiis *Ramulæ*, quoſdam *Sarracenorum* ſpeculatores, quos forte proſpexit, audaciter invaſit, & velut

aper effulminans omnes ftatim diffipavit, & quofdam eorum trucidavit, inter quos nobiliffimum Admiralium truncato capite delevit à terra, cæteri vero fugerunt. In craftino autem fcil. in vigilia omnium fanctorum cum exercitu profectus non procul in itinere abreviato, inter cafellum de *Planis*, & cafellum de *Maey* fixerunt ad manendum tentoria. *Turcorum* exercitus tunc fuit apud *Ramulam*, unde fæpius nos infeftabant repentinas molientes incurfiones. Quindecim diebus vel eo amplius refedit exercitus nofter inter duas prædictas cafellas. Rex interim cafellam *Maen* ufque ad perfectam reparavit. Templarii nihilominus reædificaverunt cafellam de planis, *Turcis* jugiter imminentibus, & qua poterant infeftantibus, quorum cum equitibus ferme mille cum una dierum maxima multitudo, tanquam in noftrum exercitum irruens, immineret, Rex cum fuis feftinanter equum afcendens proceffit eis obviam in pugnam, conturbatur exercitus nofter, & cum ad arma irruerent univerfi, verfi funt *Turci* in fugam, quorum XXVI. perempti funt, & XVI. vivi retenti, alios autem in equis agillimis fugientes tunc non contigit comprehendi, quamvis plurima conftantia eos fuiffet Rex profecutus, quoufque perfpicue confideraffet *Ramulam*, ubi *Turcorum* fedet exercitus, omnes igitur noftri inde ad exercitum reverfi funt.

Chriftan. exercitus inter Caftellum de Planis & de Maey tentoria figit, & Turcas irruentes fortiter repellit.

CAP. XXX.

De incredibili Regis Richardi *victoria & fuorum, Armigeros fuos dum furrarent contra* Turcos *defendentium.*

POft feftum omnium Sanctorum, fexta fcil. die Sancti *Leonardi*, exierunt in regionem fatellites & armigeri ad quæritandam herbam equis fuis & pabulum jumentis. Templarii præerant ipfis confervandis armigeris, qui per valles oberraverunt difperfi ut loca confiderarent herbidiora, fic enim de more folebant, herbæ caufa quærendæ, vagare difperfi, quam quidem nonnunquam luebant fanguine fufo, quando minus provide fe gerebant. Templariis, ut prædictum eft, armigeros fervantibus, ecce à parte *Bombrac* exilientium *Turcorum* quafi quatuor millia equitum, per quatuor turmas decenter ordinatas, in ipfos arroganter irruebant Templarios, & ftatim circumdatos incluferunt, & pertinaciffime infiftebant, ut vel contererent vel comprehenderent, ex jugiter concurrentibus augebatur multitudo *Turcorum*. Templariis itaque fic ab imminentibus arctati, perpendentes de neceffitate excercendam virtutem, expedite defcenderunt ab equis fuis, & dorfa finguli dorfis fociorum habentes hærentia, facie verfa in hoftes fefe viriliter defendere cœperunt. *Turci* vero irruentes tres ftatim occiderunt Templarios. Ibi videre fuit pugnam acerrimam, ictus validiffimos, tinniunt galeæ à percutientium collifione gladiorum, igneæ exfiliunt fcintillæ, crepitant arma tumultuantium, perftrepunt voces, *Turci* fe viriliter ingerunt, Templarii conftanter rejiciunt, hi imminent, illi retundunt, *Turci* probe invadunt, Templarii fe ftrenuiffime defendunt: ingruente denique *Turcorum* multitudine, finguli eorum tendunt manus ad apprehendendum fere oppreffos Templarios, & multorum continue oppugnantium vexatos. Cum ecce, cognitis his quæ gerebantur, *Andreas* de Chamgui, præpete curfu eo verfus ferebatur in auxilium ipforum, cum XV. militibus fociis, & Templarios in arcto pofitos liberavit à manibus inimicorum fuorum. Præftantiffime fe quidem ibi gerebat idem *Andreas*, ficut & focii ejus, in impetendo & effugando hoftium turbam. *Turcorum* autem femper augmentabatur multitudo, nunc fugiunt, nunc inftant, & à congredientibus utrifque denuo pugna conferitur. Interea Rex *Richardus* operationi cafellæ *Maen* reparandæ diligenter indulgens, tumultuantium comperta vociferatione congredientium, imperavit duobus Comitibus de Sancto *Paulo* & de *Leiceftria*

Templarios, qui in Turcarum infidias inciderant, Rex Richardus liberat, Turcis fortiter depulfis & fugatis.

Leiceſtria ad Templarios prope equitare, ut opportunum ferrent auxilium, cum quibus & miſit *Willielmum* de **Cageu**, & *Othonem* de *Pranſinges*, quibus jam progredientibus, auditus eſt clamor memoratorum armigerorum ad convocandum auxilium. Tunc Rex Comites exhortans præparare, ipſe quam citius cucurrit ad arma, & curſu citiſſimo præfatos Comites ſecutus eſt: Comitibus itaque feſtinanter equitantibus, ecce ab inſidiis repente de juxta quodam flumine proſilientes quaſi quatuor millia in quatuor cuneos partiti ſunt, quorum duo millia præfatos Templarios invaſerunt, & duo millia in illos duos Comites, & in eos qui cum eis erant converſi ſunt: quod cum ipſi proſpexiſſent agminibus apte digeſtis ſe ordinaverunt ad pugnam. Ibi Comes de Sancto *Paulo* minus commendabilem propoſuit conditionem illi nobili Comiti *Leiceſtriæ*, ut viz. Comes ipſe de Sancto *Paulo* cum hoſtibus congrederetur, & Comes interim *Leiceſtriæ* obſervaret exterius rerum eventus, opem laturus ſi neceſſe perpenderet, aut ut Comes *Leiceſtriæ* dimicaret cum *Turcis*, & Comes de Sancto *Paulo* interim obſervaret à latere, & curam gereret pugnantis is qui forinſecus vacuus ſtaret: Comes *Leiceſtriæ* conditionis partem elegit ut in hoſtes irrueret, quia nimis ægre ocioſus attenderet. Segregatus itaque cum gente ſua cum impetu valido ferebatur in turbam *Turcorum*, quam proſpexit denſiorem, & duos ex noſtris milites quos comprehenderant à manibus inimicorum eiſdem atrociter inſiſtentium viriliter excuſſit, tanta quidem virtute tanta dimicavit inſtantia, hos dejiciens illos detruncans ut ab illa die & deinceps ob meritum virtutum plurimum favoris ejus famæ adderetur & gloriæ. Jam utrinque crebreſcebat conflictus ferventiſſimus commixtis indifferenter univerſis, cum Rex *Richardus* fremens advenit, cujus cum gens rariſſima ſuos conatus æſtimaret impares hoſtium tantæ multitudini, dixerunt nonnulli ad eum, Domine Rex, inconveniens æſtimamus quid inchoare quod non facile poterit conſummari, non arbitramur ad præſens fore tutum congredi cum paucis adverſus tantam hoſtium multitudinem tam fortem, quod ſi forte reputaveris præſumendum, non poteris eos ſuſtinere, nec ad optatum pervenies effectum, ſi his excutiendis ſuccurendum cenſueris, quia ad tot virtus noſtra non ſufficit, imo minoris creditur detrimenti illos ab hoſtibus ſic excluſos tantum deperire, quam te quoque cum ipſis *Turci* involvant, & Chriſtianitatis de cætero ſpes pereat, & confidat confidentia, ſanioris arbitramur eſſe conſilii te eſſe ſalvum, dum licet declinare periculum. Quibus ita perſuadentibus Rex ex fervente ſanguine mutato colore ſic reſpondit, quando dilectos ſocios rogatos præmiſi ad bellum, ſub ſponſione ſubſecuturi auxilii, ſi non, ut prædixi, quantum valuero ſic mihi credulis non fuero præſidio, ſed me abſente & vacante mortem, quod abſit, incurrant, nunquam Regis nomen ulterius uſurpavero, nec plura fatus calcaribus urſit equum, & inæſtimabili fervore ne dicatur furore irruens in *Turcos* impetu validiſſimo ordines cohærentes diſſipavit, & fulminis more pertranſiens ſolo plurimos proſtravit impulſu, & rediens in eoſdem gladium vibrans diſperſit ſine mora univerſos, iens & rediens huc & illuc ferebatur, ad nullius, ſicut nec leo, paveſcens occurſum, quocunque ſe divertit paſſim cadunt ab eo, huic manus amputante, illi brachia vel caput. Inter cæteros quendam Admiralium validiſſimum & famoſum, quem ipſi ſors obtulit obvium percuſſit, interfecit, *Aralchais* nomine. Quid ſingula? ſuperatis omnibus, quibuſdam fugatis, aliis cæſis, ſive captivatis, dum fugientes aliquamdiu fuiſſent perſecuti cum plurimis captivis ad ſuos reverſi ſunt. Sic ea die geſtum eſt in nullo *Francis* auxiliantibus. Eodem die tres forte metu mortis Apoſtatæ *Turcorum*, contempta ſuperſtitioſa vanitate, ad Chriſtianæ religionis fidem converſi, Regi *Richardo* ſe ſubdiderunt.

CAP.

CAP. XXXI.

Salahadinus *fallaciis & promiſſionibus defraudavit & aliquamdiu detinuit Regem* Richardum, *& à bello ceſſare fecit ſub ſpe reddendæ ei terræ ſanctæ ut interim caſtra quædem dirueret.*

Rex Richardus per legatos totum Syriæ regnum ſibi reddi poſtulat.

Reparatis jam ex parte duobus Caſtellis prænominatis, cùm Rex *Richardus* perpendiſſet exercitum ſuum *Turcorum* faſtum abominari, & perfecto odio deteſtari, & etiam eos minus vereri, quos in frequentibus congreſſibus expertos vel diſſipaverant, aut certe multo plures, opitulante Deo, contriverant, miſit legatos noſtros nobiles & induſtrios ad *Salahadinum* & *Saphadinum* fratrem, ejus exigens Regnum integrum *Syriæ* cum omnibus pertinentiis, quæ Rex leproſus ultimo tenuerat. Exigebat præterea & tributum à *Babylone* ſicut Reges anteceſſores ejus quicunque habuerant; omnia enim à quocunque tempore Regni terræ *Jeroſolymorum* pertinentia jure hæreditario ſibi debita repetebat, ratione conſanguinitatis prædeceſſorum, qui prædictam adquiſierant & tenuerant. Officio legationis functi nuncii, cum *Salahadino* quæſito & invento ſummam Regiæ exigentiæ enucleatius expoſuiſſent, non adquievit *Salahadinus*. Indebitam, inquit, exigit Rex quæſturam, cui, ſalva honore Paganiſmi, aſſentire non poſsumus; veruntatem per fratrem meum *Saphadinum* Regi veſtro mandabo, quod terram totam *Jeruſolymitanam* eidem dimittemus liberam, viz. à flumine *Jordanis* uſque ad mare occidentale, ſine qualibet exactione, vel impedimento, ea tantum conditione ne unquam *Aſcalon* civitas reædificetur à Chriſtianis nec à *Sarracenis*. Cum hoc igitur *Saphadinus* Regi *Richardo* nunciare veniſset, Rex ea die cum eo loqui noluit, qui ſanguine fuerat minutus, *Stephanus* autem de **Torneham** eidem *Saphadino*, juſsu Regio ad prandium minſtrabat multimodorum delicias cibariorum, qui comedebat ea die in plano, inter caſtellum de *Templo* & caſtellum de *Joſaphat*. In craſtino miſit *Saphadinus* Regi *Richardo* VII. camelos pretioſos, & tentorium optimum; *Saphadinus* itaque veniens ad Regem, cum eidem mandata *Salahadini* indicaſſet, penſans Rex res turbatas, & belli caſus in ambiguo pendere, ſuſtinendum arbitrabatur ad tempus, quatenus in ſequens ſibi cautius præcaveret, heu minus in his prudens quod nondum eorum dolum præſenſiſſet, quod ipſum eo intuitu ambagibus in redeundum tempus longius pertraxiſſent incautum, quatenus interim diruerentur civitates, & caſtra, & terræ illius munitiones; *Saphadinus* denique tanta Regem nimis credulum circumvenit aſtutia, & compoſita fefellit verboſitate, ut tanquam mutuam viderentur contraxiſſe familiaritatem: nam *Saphadini* xenia Rex adquievit ſuſcipere, inter eos frequenter medii diſcurrunt nuntii à *Saphadino* Regi *Richardo* portantes munuſcula, unde Rex non modicum ſuis videbatur reprehenſibilis, & cum Ethnicis contraxiſſe familiaritatem nefas eſſe dicebatur. *Saphadinus* autem ſe aſſerebat ſolicitum ſuper pace certa & firma concordia inter eos reformanda, qua Rex ſuſpenſus intentione ſano ſibi videbatur uti conſilio, ut ad amplificandam Chriſtianitatem, & fines eorum dilatandos pax honeſta reformaretur; eo quoque quamplurimum quod Rex *Franciæ* jam receſſerat, cujus inconſtantiam reverebatur & dolum, quippe cujus amicitiam nonnunquam fuerat expertus teneram & ſimulatoriam. Nunciis, ut dictum eſt, mediantibus, Regem *Richardum* tanquam colere xeniis videbatur *Saphadinus*, qui cum demum eorum aſſertiones perpendiſſet eſſe verba, nec ad expectatum exitum prodire negotium, maxime propter *Erac* de *Monte Regali* quod infra conditionem pacis componendæ Rex petiit dirui & ipſi non adquieverunt, tunc ſe prorſus alienavit ab eis. Poſtquam igitur erat notorium pacem & concordiam non prodire, ecce *Turcos* a dextris & a ſiniſtris frequentes videres moliri incurſiones, quibus Rex

Saphadinus Regem Richardum falſa pacis ſpe deludit.

Richardus

Richardus ſæpius occurrebat in pugna, &, ad abolendam impoſitæ ſibi notam infamiæ, innumera hoſtium capita amputata detulit oſtendenda, in argumentum ſibi falſo criminis imputati, & quod occaſione Chriſtianorum in hoſtem moræ non ſegnis incitaretur. Tales autem quidam ei fuerant impedimento, & impoſiti criminis infamiæ cauſa, qui ſæpius ipſius exhauriendæ inhiabant crumenæ, ſiquidem valde rarum conſtat qui non invitetur bono odore lucri.

CAP. XXXII.

Quæ incommoda ex pluviis & ab hoſtibus pertulerunt noſtri dum morarentur inter Sanctum Georgium *&* Ramulam, *vel in ipſa* Ramula.

Reparatis duobus caſellis, & cuſtodibus deputatis, movit Rex exercitum verſus *Ramulam* ſeriatim ordinatum, quo audito *Salahadinus*, quia bellum inire non præſumpſit, villam funditus *Ramulam* juſſit diruere, primus omnium inde diſcedens verſus *Darum*, quia in montanis potius confidebat. Exercitus noſter, fixis tentoriis inter Sanctum *Georgium* & *Ramulam*, ſedit XXII. diebus ut gentem expectaret venturam & annonam. Ibi quoque infeſtiſſimas ab inimicis ſuſtinuimus incurſiones, præterea quidem ingruentes pluviæ à ſedibus noſtris nos exturbabant, in tantum ut Rex *Feroſolymorum* & gens noſtra infra Sanctum *Georgium* ad hoſpitandum ſe transferrent & in *Ramulam*. Comes de Sancto *Paulo* ad caſellum *Balneorum*. Apud *Ramulam* quidem morati ſumus circiter VI. Septimanas, verum non in deliciis, ſed dura principia dulci fine quandoque remunerantur. Igitur dum moram ibi facimus frequentes *Turcorum* experti ſumus incurſiones, ipſi quippe quantumcunque noſtrorum invidentes quietem ad irritandum ſæpius irruunt, vel ad inquietandum jacula mittunt. Vigilia beati *Thomæ* Apoſtoli, cum Rex *Richardus* paucis comitatus exiret à caſtris verſus caſtellum dictum *Alba cuſtodia*, ut *Sarracenis* tenderet inſidias, præſagiente corde nonnihil imminere periculi, a propoſito, ut creditur, divinitus averſus ad caſtra reverſus eſt. Et ecce eadem hora intimatum eſt ei a duobus *Sarracenis*, qui ad ipſum tunc confugerant, quod *Salahadinus* paulo ante præmiſerat ad *Albam cuſtodiam*, quo Rex ire propoſuerat, trecentos *Turcos* armatos electos. Eadem die profectus eſt Rex *Guido* verſus *Achon*, *Stephanus* quoque de Tornehamtertia die ſequenti verſus *Achon* profectus eſt. Nocte Sanctorum *Innocentium* media Hoſpitalarii & Templarii a caſtris egreſſi diluculo reverſi ſunt ad *Ramulam* cum præda ducentorum boum, quam in unum coactam a montanis juxta *Feruſalem* abegerant.

Rex Richardus quas ipſi Turcæ ſtruxerant inſidias divinitus præſagiiſſe creditur.

CAP. XXXIII.

De admirabili pugna & victoria Comitis Leiceſtriæ *contra* Turcos *noſtris poſtmodum ad ſuccurſum venientibus.*

Accidit die quadam ut nobilis Comes *Leiceſtriæ Turcorum* plurimos cum faſtu maximo appropiantes paucis comitatus invaderet ad abigendum, quos perniciter fugientes inſecuti ſunt cæteris velociores tres milites ſocii Comitis, quos, cum jam in *Turcos* feriendos ſeſe imprudenter ingeſſiſſent *Turci* inter ſe comprehenderunt abducendos, quod Comes comperiens, non ulterius ratus parcendum, in plures quam centum *Turcos* equo acto ſe præcipitavit ut ſocios ſuos excuteret. Et ecce, dum *Turcos* illos ultra flumen quoddam inſectaretur, *Turcorum* equites circiter quadringenti venerunt a latere ſinguli tenentes lanceam arundineam & arcum, cum impetu magno Comitem cum

paucis ſociis ab exercitu ne rediret excluſerunt à tergo, ſicque circumdatum ſolicite ſatagebant comprehendere. Jam ab equo proſtratum clavis ferratis crudeliter contundebant *Garinum* filium *Geroldi.* Ibi fuit conflictus acerrimus perſtrepunt lanceæ, dum confringuntur, tinniunt ad galeas gladii, mutuo inflicti reſonant ictus, & ecce non multo poſt proſtratus eſt ab equo *Drogo* de *Fontenillo Putrell*, nec non *Robertus Nigelli.* Comitem ipſum obſedit tanta multitudo *Turcorum* & *Perſarum*, in ipſum comprehendendum irruentium, ut poſtremo vix ab equo durius flagellatum dejicerent, & in ipſo flumine propemodum in turba ſubmergerent. Ipſe vero gladium vibrans, ut ſibi proſpexit opus inſtare, *Turcis* ſibi imminentibus impertiebat ictus à dextris & à ſiniſtris. In ipſo articulo Comiti fuerunt auxilio *Henricus* filius *Nicholai*, & ille merito recolendæ memoriæ *Robertus* de *Novo Burgo*, cujus immortalis liberalitas eidem nomen acquiſivit æternum, videns enim Comitem crudeliter fuſtigatum æſtuare, & inter tot hoſtium manus dubio laborare certamine, equum ſuum à quo ipſe deſcendit obtulit Comiti ſcandendum, ſua reputans precioſiorem Comitis ſalutem. Factum conſimile vereor rariſſimos parentare ſequentes, imo e contrario dives eſt omnis iniquitas ſocietate plurima. Sic ſe vir nobilis *Robertus* ingenuo facto ſuo & ſe conſeruavit & Comitem. Erant præter hos cum Comite *Radulphus* de *Sancta Maria*, & *Arnaldus* de *Boſco*, *Henricus* de Mailot, *Willielmus* & *Saulus* de Bruil, ſed quid hi inter tantos? Veruntamen diutius hi ſe præſtantiſſime defendebant. Virtus vero paucorum non ſufficiebat adverſus innumeros, tanta ſiquidem contumacia recentiores pro fatigatis ſe *Turci* ſupponentes, Comitem cum ſociis ſuis pauciſſimis improbiſſima vexarant inſtantia, & jugi flagellatione affecerant, ut pondus importabilis belli diutius ſuſtinere non ſufficerent, ſed jam equorum ſuorum colla complectentes ad malleantium contuſiones perferendas perdurarent immobiles, quos ſic demum tanquam ſtupidos, nec ulterius repugnantes *Turci* verſus *Darum* deduxerunt captivos. O quam bonum ſperare in Domino, quia non dormitat qui cuſtodit *Iſraelem*, nec quenquam ſuſtinet tentari ultra quam poteſt. Talibus geſtis in exercitu noſtro auditis raptim armati prodeunt milites, *Turcos* ferventius inſequuntur, invadunt, diſpergunt, lacerant. Noſtratum autem hi *Andreas* de Chaugui, *Henricus* de Gray, *Petrus* de *Pratellis*, & alii quam plures viri virtutis nominatiſſimi. Singuli noſtrorum perimunt ſingulos *Turcorum* in primo congreſſu factos obvios. *Turcus* quem *Petrus* de *Pratellis* obvium percuſſerat, tantæ probitatis fuerat & potentiæ, ut nec ipſe *Petrus* ſed nec quamplurimi ejuſdem ſocii prævalerent ipſum *Turcum* ſalvum comprehendere, vel vivum abducere, imo vix ſuperatum peremerunt. Admiralium quoque, quem in ipſo congreſſu ſors obtulit obvium, *Andreas* de Chaugui lancea transfodit medium, & lethaliter vulneratum equo dejecit non ulterius turbam ducturum. Idem vero *Turcus* *Andreæ* brachium haſta cannea contriverat perforatum. Ad caſum Admiralii concurrunt *Turci*, atrociter dimicant ut Admiralium ſuum eruant, ſed penes eum opus eſt conſummatum, *Turci* nihilominus violenter noſtros opprimunt, ictus iterant, cannis ferratis propellunt. Jam prævalere æſtimarentur niſi noſtrorum numerus augeretur, & virtus jam fatigatorum primorum ſubſequentium corroboraretur adventu. Tunc pertinax pugna conſeritur, Comes impetit & impetitur, *Turcos* dejicit & contunditur, plurium imminentium ſibi cervices abradit, multorum pluries excipit ictus, ſingulis ingerens unum tantum ictum nec opus eſt ulterius adjicere. Duo ſub eo perempti ſunt equi, de quo nimirum ferebatur nunquam ejus ætatis alterum tantilli corporis hominem tantorum fuiſſe præditum magnificentia geſtorum. In cujus etiam auxilium tanta militum electorum ab exercitu noſtro multitudo concurrerat, ut nullus eorum in tanta rerum turba ceciderit, imo *Turcis* diſſipatis & in diverſa diſperſis diutius perſequerentur fugientes, donec affecti tædio reverterentur ad exercitum in pace.

CAP.

CAP. XXXVI.

Quæ incommoda per pluvias & tempestates, & hostium irruptiones gens nostra per Betenoble *transiens versus* Jerusalem *pertulit.*

INterea cum innotuisset *Salahadino* gentem nostram esse in procinctu adeundi sanctam civitatem *Jerusalem*, & jam ab exercitu suo duobus distaret milliaribus, quia cum Christianis pugnare non reputavit fore tutum, jussit solo tenus *Darum* diruere, turres & muros & inde fugit ad *Jerusalem*. *Turci* quoque de planitiis transeuntes occupaverunt montana. Quibus amotis, præconis vociferatione denunciatum est à nostris, exercitum transinigrandum usque ad montis radicem. Rebus itaque dispositis, & digesto per acies exercitu profecti sunt feriatim usque ad casellum dictum Betenoble. Tunc nobis ingruebant pluviæ gravissimæ, & aeris intemperies sævissima; unde jumentorum nostrorum periere quamplurima, tanta quippe exorta est tempestas pluviarum, grandinum, ventorumque vehementium irruebant fragores, ut papilionum palos avellerent, & longius dejicerent, & equi frigoris magnitudine, & nimietate aquarum perirent, & pars maxima victualium panis biscoctus distemperabatur in dissolutionem, & carnes suillæ vulgariter Bacones compurescebant, loricæ & arma quamplurima obducebantur rubigine, vix maxime rotando ad pristinum reducenda fulgorem; vestes resolvebantur, & ex externarum situ regionum naturali suæ complexioni contrario contabuerunt plurimi, & tantarum lue miseriarum elanguerunt. Hoc solum eis supererat pro solatio, quod sperabant in proximo Dominicum visitaturos sepulcrum, ultra quidem modum desiderabant videre civitatem *Jerusalem*, & peregrinationem consummare. Comportabant igitur singuli victualia ad obsidionem complendam, tunc videres gentem undique confluere cum jocunditate in quamcunque expeditionem voluntariam. Ipsi quoque, qui apud *Joppen* decubuerant, infirmi deferebantur in grabatis & lectulis ad exercitum, sub spe procedendi versus *Jerusalem*. Similiter & undicunque confluebat multitudo copiosa nimis, quatenus simul & cum exercitu Dominicum visitarent sepulchrum, hæc spes sola omnia cætera superabat incommoda. *Turci* vero, dum sic afferrentur infirmi, irruebant in eos, & tam portitores trucidabant quam infirmos, nullis parcendum putantes, quos sibi cognoverant esse inimicos: sed quid quacunque morte justus fuerit præoccupatus salvabitur, præsertim martyr reputandus, cujus tam gloriosa commendat causa martyrium, quibus nihilominus, licet mala intentione hostes intulerunt mortem, illud cedebat ad lucrum, quod tam brevibus impendiis cita morte consummati expleverunt tempora multa.

Maxima hominum multitudo spe sanctum visitandi sepulcrum ad exercitum undique confluit.

CAP. XXXV.

Populus arma sua præparat gaudens de peregrinatione in Jerusalem, *quam dissuadent Templarii & sapientiores sed consilium eorum populus adhuc non exaudit.*

IGitur lætabatur exercitus eximie, eo quod se sperabat in proximo ad Dominicum pervenire diu desideratum sepulcrum. Rotantur loricæ, ne rubigine squallescant, tractantur galeæ mapulis, ne forte pallescant, humore lambente fulgorem gladiorum, birris exterguntur mucrones, ne qua humectatione claritudini inimica corrumpantur. Quid autem per singula numeranda ?

ad aggrediendum iter se solicite singuli expediunt, ullis nec hostili incursione retardandi obstaculis, verba quidam jactantes magniloqua, invitis *Sarracenis* se præmasticant, olim devotam consummaturos peregrinationem. Verum plebis desiderio minus circumspecto sapientiores non censuerunt adquiescendum. Templarii enim & Hospitalarii, *Pisani*, nihilominus terræ illius in futurum oculos acutiores habentes, super agendis Regi *Richardo* dissuaserunt versus *Jerusalem* in illo articulo eundum, tum quia, si civitas obsideretur, & tota intentione insisterent expugnare *Salahadinum*, & hos qui cum eo coercerentur inclusi, exercitus *Turcorum* exterior, qui non procul inde in montanis sedebat, obsidentibus repentinas moliretur incursiones, & periculosior pugna committeretur hinc ab externis inde ab exeuntibus obsessis, tum & si omnia succederent ad votum, & obtinerent civitatem *Jerusalem*, nec hoc etiam expedire visum est, nisi statim viri robustissimi deputarentur qui custodirent civitatem, quod quidem autumabant non de facili posse compleri, præsertim cum plebem perpendissent avidissimam ad peregrinationem consummandam, ut inde sine mora repatriarent singuli, turbationis rerum jam ultra modum pertæsi. Hæc omnia pensantes subtilius hoc suaserunt differendum, quatenus belli & robur vulgi de consilio conservaretur, & tamdiu cohærerent quamdiu non consummaretur peregrinatio, soluto quippe voto dissolveretur exercitus. Sed adhuc consilium eorum non omnino exauditur.

CAP. XXXVI.

Quos Turcos *Rex* Richardus *cum suis delitescens ad casellum* Balneorum *occiderit in prædicto itinere versus* Jerusalem.

JAm incipiebat novus annus, annus viz. Domini MCXXII. qui & Bissextilis erat, habens post locum Bissexti D. Dominicalem literam. Et ecce post circumcisionem Domini, die tertia, cum exercitus noster ad progrediendum se solicitus expediret, deformium multitudo *Turcorum*, qui eadem nocte præterita juxta casellum de *Planis* in insidiis delituerant, inter fruticeta prosiliit diluculo, in viam observandam, per quam noster transiturus erat exercitus. Duos itaque ex nostris satellites, quos primos viderent mane progredientes invadentes, sine mora peremerunt, quos tamen Deus providerat in brevi vindicandos. Rex quippe *Richardus*, cui prius innotuerat de prædictorum *Turcorum* insidiis, ut viz. insidiantibus insidiaretur, mane progrediens cum *Turcorum* attenderet incursionem, rapido cursu eo versus ferebatur, sperans prædictos satellites à manibus eorum vivos excutere. Verum ipsis detruncatis, cum Regem ex ejus imminente Baneria *Turci* cognovissent, statim fugere cœperunt; erant autem ferme centum *Turci*, quorum quosdam à facie ejus divertentes in montana Rex insequens, septem ex eis aut perimit aut comprehendit. Octoginta vero *Turcorum* versus *Mirabel* fugientes Rex sedens equo suo favello *Cyprio* velocius acto apprehendit, & statim in ipso congressu *Turcorum* duos equis dejectos detruncavit, antequam quisquam suorum comitum ad ipsum pervenisse potuisset. Equus quippe favellus incomparabilis erat velocitatis. Ibi tunc erat *Galfridus* de *Liziniaco*, cum aliis quibusdam, qui tunc quoque ex illis *Turcis* viginti tantum vel occiderunt vel vivos retinuerunt, quod si longius fugientes instantius persecuti fuissent, profecto multo plures comprehendissent.

Liber

Liber Quintus.

CAP. I.

Ad perſuaſionem Templariorum & prædictorum, contra voluntatem plebis nunc demum noſtram peregrinationem in Jeruſalem *intermittunt ut prius reædificationem* Aſcalonis *intendant.*

ANno igitur Domini MCXXII. poſt Epiphaniam Domini, non multis evolutis diebus, coacto conſilio ſapientiores iterum ut ſupradictum eſt inter ſe ſtatuerunt tractandum, aſcitis etiam diſcretioribus illius terræ oriundis, utrum expediret vel procedere verſus civitatem *Jeruſalem* expugnandam, vel alias divertere. Allegantibus itaque Hoſpitalariis & Templariis & *Piſanis*, ut dictum eſt ſuperius, variis nitentibus rationibus ad id plurimum ſentientibus, diſſuaſum eſt omnino progrediendum, imo Aſcaloni civitati potius inſiſterent reædificandæ, quatenus ibi tranſitus obſervaretur *Turcorum* à Babylonia verſus *Jeruſalem* cibaria portantium. Huic tandem ſententiæ in commune annuerunt majores, quod potius expediretur tunc temporis *Aſcalonem* à *Turcis* ereptam reædificare, & ne liberiori tranſitu *Turci* gauderent ulterius ibidem obſervare. Igitur cum jam revera innotuiſſet exercitui regreſſionis decretum plebs inæſtimabili contabuit mœſtitia, gemunt omnes & ſuſpirant, ſpem eorum, quam alto corde conceperant de Dominico viſitando ſepulcro, ita repente fuiſſe præciſam. Imminens itaque triſtitia præcedentem de progrediendo lætitiam prorſus abſorbuit, & priorem ſpei conceptionem ex jam auditis expungebat deſperatio, Imprecantur hujus decreti promulgantibus omnem malum anxii, maledicunt voti dilationem & tam contrariorum geſtorum procuratores. Verum ſi eiſdem plenius innotuiſset de ſtatu & penuria eorum, qui in *Jeruſalem* erant, moderatiori forte ſolicitarentur anxietate, ex inimicorum tribulatione quantamcunque habentes conſolationem. *Turci* quippe, qui intra *Jeruſalem* civitatem ſe cohibebant, pernicioſiſſimis anguſtiabantur ſuppliciis multimodis; nivium enim & grandium opprimebantur nimietate, ex quarum nihilominus reſolutionibus aquarum diluvium à montanis defluens, equos eorum & jumenta catervatim involvit, vel certe frigoris aſperitas necavit. In tantum nimirum excubuerunt penuria & nimia periclitabantur defectione, ut ſi noſtris revera conſtaret de *Turcorum* tanta oppreſſione ob aeris intemperiem lenibus tunc temporis laboribus & impenſis obtineretur, & proculdubio de facili civitas illa diu deſiderata *Jeruſalem* expugnaretur, ſed diu a noſtris retineri non poſſet, quia peracta peregrinatione populo repatriante non ſupereſſet gens quæ eam defendere valeret.

Aquarum inundatio Hieroſolymis.

CAP. II.

Populus ultra modum anxiatur & doloribus afficitur nimis ultra modum pro peregrinatione in Jeruſalem *dimiſſa, & reverſione ſua in* Ramulam.

INſtante jam feſtivitate Sancti *Hilarii*, tanta populum noſtrum perurgebat de regrediendo ſolicitudo & mœroris nimietas, ut propemodum Apoſtatarent quamplurimi, dies exſecrantes nativitatis eorum ſe dolebant ad tantam reſervatos

reſervatos deſolationem. Præterea ægritudinum vehementia plures debilitabantur & penuria, ut vix cum maximo labore & ærumna ſufficerent: ſed tamen non ſufficiebant ad reportanda victualia ſua equi eorum & jumenta; frigoris aſperitate, & aquarum gelidarum ingruentia in tantum defecerant, ut labentibus genibus, deficiente virtute, frequenter ruerent, & fame affecti in locis cœnoſis volutarentur ſub ſarcinis. Tunc audires eos, qui jumenta minabant, comploſis manibus viciſſim gemere, vel ſibi palmas in faciem dare, &, præ amaritudine animæ & afflictione ſpiritus, verba jaculari redolentia in parte blaſphemiam. Quinimo acerbiori nunquam, imo nec conſimili, æſtimantur quicunque vel ſcelerati, vel ſuppliciis addicti facinoroſi, agitati anguſtia vel attriti depreſſione, vel pari cruciati defectione pene ultima. O juventus tot præclare geſtorum gloria inſignis? O militia tot articulis probata! jam emarceſcit mœrore, deſperatione languet, & præter corporalem infirmitatem, quâ populi laborat infinita multitudo, exulcerantur præcordia ſtimulis ſolicitudinis, quibus nihil & gravius, ſicque duplici contritione ſunt obruti, infirmorum quippe quamplurimi ſibi non ſufficientes ibi periclitarentur neglecti, niſi Rex *Richardus*, divinæ motus intuitu pietatis, univerſorum curam haberet: miſſis enim nuntiis circumquaque quærere ægrotantes, in virtute ſua congregabat pereuntes, & coadunatos cunctos ſecum verſus *Ramulam* procurant deportari, ubi totus diſpoſitus exercitus regreſſus eſt, unde paulo ante deceſſerat.

Regis Richardi pietas in ægrotos.

CAP. III.

Quantis tribulationibus & mœroribus ultra modum anxiabatur exercitus inter Ramulam *&* Aſcalonem *ex viarum periculis, & imtemperie aeris, & receſſu multorum* Francorum *ab exercitu*

IGitur dum apud *Ramulam* in maxima triſtitia ſederet exercitus, cœperunt quamplurimi, vel ad declinandum iter laborioſum, vel ob contumaciam & indignationem, ab exercitu recedere, unde non minimum diminutus eſt exercitus. *Francorum* enim pars maxima ob iracundiam receſſerat, qui & apud *Joppen* aliquamdiu reſederunt in ociis, quidam etiam ad *Achon* regreſſi ſunt ubi victualium non erat egeſtas. Nonnulli etiam profecti ſunt *Tyrum* ad *Marchiſum* qui plurimum eos ad id ſolicitaverat, quidam quoque cum Duce *Burgundiæ* ob iram & indignationem diverterunt ad Caſellum de *Planis*, ubi per octo dies morati ſunt. Rex *Richardus* ſuper rerum ſtatu non minimum exaſperatus, cum *Henrico* Comiti *Campaniæ* nepote ſuo, & cum reſiduo exercitus jam ex parte ſic diminuto, profecti ſunt verſus *Ibelinum*, vias autem adeo cœnoſas invenerunt, & lutulentas, ut hoſpitandi tempore nihil æſtimaretur adeo fatigatis optata quiete magis neceſſarium, apud *Ibelinum* moratus eſt ea nocte exercitus, non minus mœrore affectus quam laboris pertæſus, magnitudinem quidem tribulationis & miſeriæ nec calamus deſcribere, nec lingua ſufficeret depromere. Summo diluculo præcedentibus his qui tentoriis deputabantur figendis, prodibat ſeriatim armatus exercitus, ſuper calamitatem vero illius diei itineris minimum æſtimaretur quicquid anterioris diei exaggeraverat anguſtia, feſſi nimirum dum proficiſcerentur, gelidæ nives impluunt vultibus, grandinum denſitates reverberant, pluviæ torrentes involvunt, ut tanquam ad examinandum omne cœlum deputaretur affligendis, ſed & terra pedibus cedebat ambulantium cœnulenta, locis paluſtribus decidunt veredarii equi & homines, qui dum ſolicitius toto conamine elaborant emergere deſperabilius revolvuntur in præceps quamplurimi non amplius evaſuri. O quis æſtimaret illius amaritudinem diei? quis pondus anguſtiæ? quis miſerorum penſaret infelicitatem gemitus & ſuſpiria? conſtantiſſimorum etiam vultus non minus

Francorum alii ad Joppen alii ad Acon alii Tyrum divertunt.

lachrymis

lachrymis rorabant quam pluviis, quos nimirum ob ſuppliciorum immanitatem torpentes jam ſupereſſe tædebat, Deficientibus jumentis decidentia paſſim periere victualia, vel cum aquarum torrentibus defluentia, vel in locis bituminoſis immerſa, ſic contriti, probati, fatigati, ſæpius diei qua nati ſunt maledicentes, frequentius ſeipſos colaphizantes tandem ad *Aſcalonem* civitatem pervenerunt, quam omnino ita dirutam à *Sarracenis* ſolotenus repererunt, ut vix cum ſummo labore per portarum introitus ingredi potuiſſent ſuper congeries lapidum. Dies illa fuit viceſima menſis Januarii. Ea nocte pro facultate virtutis ſingulorum ſibi quiſque vacabat. *Chriſtiani tandem ad Aſcalonem perveniunt.*

CAP. IV.

Item quantis incommodis affligebatur exercitus apud Aſcalonem, *ex aeris intemperie, & penuria victualium.*

ASCALON civitas juxta mare *Græcum* ſita eſt, qua quidem nuſquam eſſet altera civitas competentius locata, nec ſitu fortior, nec ſuburbanis felicior, ſi modo portum navibus aptum haberet applicandis. Portum quidem habet ſed periculoſum, quo maris fervor irrequietus naves ſolet ex aſſidua jactatione diſſolvere, unde ea tempeſtate, qua eo pervenit exercitus, maxime propter imminentem aeris intemperiem, per octo dies nulla navis *Aſcalonem* præſumpſit adire cum victualibus, quibus plurimum indigebat exercitus, ſed nec homines vel jumenta per VIII. dierum ſpatium quicquid aliud guſtaverunt, præter id modicum quod illuc attulerant, nec enim propter *Turcorum* inſidias in regione tutum erat cibaria quæritare. Denique, ſerenato aliquantiſper tempore, venerunt eo naves quædam onerariæ cum victualibus. Nec mora, graſſante rediviva tempeſtate, cœpit iterum exercitus egere, naves quippe quas Bargas vocant & Galeæ, propter victualia tranſmiſſæ, vi turbinum ingruentium ventorum reſolutæ perierant, cunctis fere ſubmerſis qui fuerant in ipſis, omnes etiam Snakæ Regis & aliorum confractæ ſunt, ex quarum materiis fecit Rex ſuas longas naves conficere, quibus æſtimat ſed fruſtra tranſfretare. *Aſcalonis ſitus.*

CAP. V.

Saladinus *audita reverſione & diſperſione exercitus noſtri, Principes & exercitum ſuum uſque ad* Maium *ad propria remittit.*

SAlahadinus, audito quod gens noſtra per maritima fuiſſet diſperſa, & quod ex parte noſter eſſet diſſipatus exercitus, ſuos principes cum gente ſua in propria reverti [juſſit, ut] uſque menſem *Maium*, ſcil. tempus expeditioni competens, vacantes, res ſuas ſinguli curarent domeſticas. Interea *Turci*, qui jam per continuum quadriennium ſub *Saladino* laborioſiſſime militaverant, in caſtris voluntarie digreſſi ſunt ut deſideratam reviſerent familiam. Tunc audires tot Admiratos, tot principes exercitus & magnates, nimis damnoſam rememorari expeditionem, & ſuper infortunia obſtupeſcere, ut qui conſueverant, retroactis temporibus, in ſingulis fere congreſſibus perſeverare victores, & quoſlibet adverſarios conterere, & ſpolia diripere, nunc è contrario tanto tempore non tantum nihil acquiſiviſſe, verum etiam, cum rerum ſuarum diſpendio, & parentum partem non minimam in præliis frequenter amiſiſſe. Præterea inconſolabiliter commoti ſunt ſuper expeditionem principum illorum, & Admiratorum, & aliorum, quos, quia *Salahadinus* ex condicto neglexit redimere,

mere, Rex *Richardus* apud *Achon* jusserat decollari, sicut prædictum est. Ex hoc igitur inexorabilem adversus *Salahadinum* conceperant indignationem, & odium. Cum gemitibus igitur & lamentis exercitus *Salahadini* secessit ad tempus.

CAP. VI.

Rex Richardus Francos *ab exercitu digressos quoscunque potuit allicere revocat, & communi consilio* Ascalonem *reædificant.*

EXeunte jam mense Januario, & instante aere puriore, Rex ægre ferens exercitum in diversa dispergi, destinatis nunciis mandavit *Francis* persuasorie, quatenus ad castra redirent *Ascalonem*, & unitate communionis consolidaretur exercitus universitas, & decerneretur à cunctis quonam tum conferetur commodius divertendum, expedit enim, inquit, ad capiendum consilium, scil. virtute & consilio, universitatem exercitus simul adesse, ne forte (quod absit) interveniente discordia perniciosius à mutuis destituamur auxiliis, & desperabilius ab insidiatoribus expugnemur adversariis. His auditis *Franci* Regi, significant ejus mandato se profecto parituros, sed tantummodo usque Pascha, ea quoque conditione ut, si forte mallent ad Pascha *Franci* recedere, sine qualibet conditione & impedimento libere recederent, eis autem libere recedentibus auctoritatem præstaret & conductum, Omnibus his Rex annuit, utpote pensans multa pro tempore dissimulanda, & ecce redeuntibus *Francis* consolidatus reparatur exercitus. Visum est igitur in communi muros *Ascalon* reparare, & civitatem reædificare; verum proceres & majores in tantum exti-terant jam attenuati, ut vel ad modicum non sufficerent. Et tamen singuli secundum propriam virtutem inchoare cœperunt, unius itaque portæ majoris altius fundamenta confodiendo perquirentes usque ad ipsius maceriei soliditatem dejecerunt dirutam lapidum congeriem, ibi videre fuit universos in commune operari, Proceres, Nobiles, Milites, Armigeros & servientes à manu ad manum lapides & saxa protendere. Hæc erat distinctio inter Clericos & Laicos, inter ingenuos & plebeios, inter satellites & principes, idem omnibus par labor & opera simul omnes fecit æquales, hinc & in brevi profecerunt usque ad ipsorum etiam operantium admirationem. Postea perquisitis & adhibitis cementariis fervet opus, & expeditius surgit altitudo murorum. Erant civitatis *Ascalon* turres plurimæ à solo jam prorsus equatæ numero quinquaginta tres eminentiores & firmissimæ, præter minores moderatioris altitudinis. Quinque quoque turrium prædictorum propria fortitæ sunt vocabula à suis fundatoribus; quia, secundum antiquorum assertionem conscioruin veritatis, & famam publicam, primus extiterat illius famosi *Noe* filiorum *Cham* nomine potentissimus, qui XXXII filios generavit post ipsum regnantes, ipsi civitatem *Ascalonem* construxerunt, ipsi, ut fama prædicat, ad consummandam quam inchoaverant civitatem, circumquaque per suæ fines ditionis asciverant auxiliatores, in quorum gratiam conciliandam, & nomen æternum, dicuntur puellæ construxisse turrim quæ dicitur puellarum. Simili modo ædificaverunt milites turrim nuncupatam scutorum, Turrim vero sanguinum vocitatam asseverant fundatam de quolibet reorum redemptione, &, quomodo hujusmodi obsequio à sui reatus supplicio vitæ sanguinem redemisse dicitur, turris sanguinum appellatur. Quarta Admiratorum turrim dictam ædificasse feruntur Admirati. Quintam *Bedewinorum* turrim, construxerunt eam *Bedewini*. Hæ itaque quinque turres ab his constitutæ dicuntur auctoribus, à quibus singulæ singula traxerunt vocabula. Applicatis igitur operi cementariis electis expeditius opus excrevit. Rex idem operando etiam insignis enituit, qui in omnibus operibus suis singularis eminebat,

Franci ad exercitum redeunt.

Cham Noachi filius Ascalonem primus fundasse dicitur.

eminebat, ipse manibus ædificando, ipse sermone persuadendo, ipse impensas distribuendo, efficacius proficiebat. Ad cujus exhortationem singuli procerum & magnatum proportionaliter, pro suæ possibilitatis facultate, partem amplexati sunt consummandam, quorum siquis, deficiente forte pecunia, ab operando defecissent, tunc Rex magnanimus in corde major quam dignitate eisdem impertiit de facultatibus suis, prout singulos noverat indigere. Ipso denique innuente, ipso persuadente, ipso operam impendente simul & impensas, in tantum opus invaluit, ut tres ædificandæ civitatis partes ejus sumptibus dicerentur consummatæ.

CAP. VII.

Qualiter Rex Richardus *à* Turcis *apud* Darum *mille ducentos Christianos captivos in* Babyloniam *captivandos excussit.*

INterea procuravit *Salahadinus* mille ducentos Christianos *Francos*, viz. & illius terræ oriundos, Babyloniam producendos captivos, quos cum ipsius *Salahadini* domestici produxissent usque ad castrum dictum *Darum*, & ibidem pernoctassent in crastino profecturi, accidit, Deo sicut creditur dispensante, quia per Regem *Richardum* excussi sunt à servitvte. Rex enim dum forte die quadam exiret cum electa manu militum castrum visurus *Darum*, quo quomodo comprehendendum, quia nimis erat illac meatus accommodus *Turcis Babyloniam* euntibus & *Jerusalem*, qui victualia portarent & escas, Regis adventum cum ex imminente Baneria sua comperissent *Turci*, qui paulo ante ad occasum jam sole vergente usque *Darum* pervenerant, timore perterriti vitæ suæ consulentes in turrim castri se velocius intromiserunt, & quos adduxerant captivos extra castrum reliquerunt, qui confestim in quandam Ecclesiam, quam conspexerunt vicinam, alacriter confugerunt. Quos Rex eo veniens sine mora solutos illæsos fecit abire, & *Turcorum* quamplurimos trucidavit, quos scil. in manus suas & suorum tunc temporis contigit incurrere. Equos pretiosos Rex ibi lucrifecit quamplures, & de majoribus *Turcis* comprehendit vivos xx, exceptis peremptis. Quis Regis eo adventum captivandis tam necessarium à Deo procuratum dubitaverit? qui nisi tunc cum suis sic venisset, universi, quos excussit à manu hostili, proculdubio perpetua damnarentur servitute.

CAP. VIII.

Rex Richardus Marchiso *mandat, sed ille mandatum respuit.*

HIs itaque gestis, mandavit Rex *Richardus*, missis legatis illi satis præmemorato *Marchiso*, sicut & antea pluries fecerat, ut in expeditionem veniret *Ascalonem*, vices suas executurus ex animo pro parte Regni ad quod aspiraverat, & hoc mandavit ei super præstitum olim super eodem coram Rege *Franciæ* etiam fide media juramentum. Super hoc mandato perverse sentiens & subsannans ille degener *Marchisus* asserebat se eo nullatenus venturum, nisi prius habito cum Rege *Richardo* colloquio, aliter autem ad exercitum protestatus est quod nec pedem portaret, sed nec pes ipsum. Veruntamen ex condicto apud castellum *Ymbrici* convenerunt postmodum ad colloquium.

CAP. IX.

Dux Burgundiæ *cum Rege* Richardo *revocatus ad* Aſcalonem *recedit ab eo ad* Achon, *quia noluit ei accommodare pecuniam.*

IGitur dum Rex cum cæteris muris *Aſcalon* intenderet omni diligentia reſtaurandis, mergente ſimultate orta eſt inter Regem & Ducem *Burgundiæ* diſcordia. Conſumptis ſiquidem ex parte majore victualibus, & propemodum attenuatis uſque ad nudum ſingulorum ſubſtantiis, cœperunt *Franci* ipſum Ducem interpellare ſuper ſibi debitis ſtipendiis, ſine quibus ſe proponebant ulterius in caſtris non poſſe militare. Super hac exactione cum ſoliciti-us Ducem urgerent, nec ad hoc ipſe ſufficeret, viſum eſt ei Regem *Richardum* ſuper ampliori præſtanda pecunia convenire. Prius etenim, ut ſupra dictum eſt, eiſdem *Francis* ad Ducis petitionem accommodaverat innumeratam pecuniam apud *Achon;* reddendam ei de redemptione in *Achon* comprehenſorum *Turcorum*, ſed illius pecuniæ priſtinæ ſolutio defluxerat in nihilum, quia captivi pro quibus redimendis non eſt ſoluta pecunia dederunt tantum capita ſua, unde Rex *Richardus* Ducis non annuit petitioni. Hac occaſione, & intervenientibus aliis à parte Ducis nonnullis jurgiorum ſeminariis, receſſit inde Dux commotus, cum quo nihilominus *Franci* properanter verſus *Achon* profecti ſunt.

CAP. X.

Apud Achon *Piſani faventes Regi* Guidoni, *&* Genuenſibus *faventibus* Marchiſo *&* Franci *confligentes, Ducem* Burgundiæ *equo dejecerunt, & ipſum cum* Marchiſo *in* Tyrum *fugaverunt, & pro Rege* Richardo *miſerunt, qui eos pacificavit.*

ILli autem ad *Achon* venientes invenerunt atrociter inter ſe confligentes *Genuenſes* & *Piſanos*. *Piſani* namque mera liberalitate, & juſtioris cauſæ contemplatione, favebant Regi *Guidoni*, *Marchiſi* vero partes fovebant *Genuenſes*, præſertim ob fidem præſtitam & juramentum, quo tenebatur *Marchiſus* Regi *Franciæ*. Hinc orta eſt diſcordia, fiunt cædes, & mutuæ impugnationes, & tanquam bellum civile in *Achon*, & motus rerum, & turbatur tota civitas. Appropinquantes civitati cum audiſſent tumultum plurimum, & populi ſtrepitum ſeſe mutuo cohortantium ad pugnam, feſtinanter Dux cum *Francis* armatur, ſicque *Genuenſibus* opem ferre cupientes procedebant armati. Super quorum adventu *Genuenſes* ſunt contumacius elati. *Piſani* nihilominus cum ſe impeti attendiſſent irritati, & exeuntes ipſis obviam, audacter acceperunt advenientes ad pugnam, quoniam facies eorum erat pugnare volentium. In Ducem *Burgundiæ*, qui major eorum eſſe videretur, inſurgentes, impetu magno ipſum circumdantes, ab equo ſtatim lancea transfixo dejecerunt in terram, ſicque ſe recipientes in civitatem, portas firmiter clauſas obturaverunt, propter contingentes importunitates. Didicerant enim jam *Piſani*, *Genuenſes* illos ſignificaſſe *Marchiſo*, ut quam citius veniret ad occupandam civitatem *Achon*, quam eidem ſcil. Spoponderant tradendam. Ob hujuſmodi factionis cautelam nimirum ſibi præcavebant *Piſani*, & civitatis indemnitati. Nec mora *Marchiſus* eo venit in Galeis ſuis cum armata gente plurima, ſperans occupare repente civitatem. Ad quorum adventum *Piſani* conſtanter inſiſtunt Petrariis & *Mangonellis*, tribus diebus fere oppugnantibus ſic reſiſtunt *Piſani* virtu-

Marchiſus ad Achonem occupandam expeditionem fruſtra ſuſcipit.

te

te ſua confiſi & cauſa meliore, ſicque ſe invicem experientes viriliter concertant, donec *Piſani* mandaverunt Regi *Richardo* rerum ſtatum, ut velocius accederet. Rex eo tempore venerat *Cæſaream*, iturus ad colloquium quod habiturus erat cum *Marchiſo*, ubi præfati nuntii obviam Regi venientes, rem ut erat cum expoſuiſſent, & vice *Piſanorum*, ut concite veniret ad conſervandam *Achon*, poſtulaſſent, nocte ſubobſcura redierunt *Achon*. *Marchiſus* autem, cum Regem *Richardum* accepiſset eo in proximum venturum, ſine dilatione regreſsus eſt *Tyrum* properanter, tanquam Regis adventum ſibi male conſcius reputaret ſuſpectum. Dux nihilominus *Burgundiæ* cum *Francis* prius *Tyrum* adierat. Rex rerum cognita perturbatione, poſtquam *Achon* pervenerat, in craſtino cinerum poſtera die negotiorum omnium curam, tanquam jam fere ſolus in terra relicta, in ſe ſuſcepit agendam; & convocato populo rationibus acutiſſimis ediſserens perſuaſit, nihil inter conſortes inſignius amicitia, nihil familiaritate jucundius, nihil conſenſu vel concordia ſuavius, vel unitate ſolidius, nihil è contrario ſimultate pernicioſius, nihil quod periculoſius diſſipat pacis unitatem, quod & fœdus polluit dilectionis. Denique quicquid mutuæ charitatis glutino confirmatur & corroboratur gratia amicitiæ, profecto livoris fermento diſsolvitur. Hujuſmodi Rex allegationibus cum *Piſanis Genuenſes* ad pacis unitatem & concordiæ revocavit, & priſtinam inter eos in pacis oſculo reformavit ſocietatem.

Diſſidium inter Piſanos & Genuenſes à R. Richardo componitur.

CAP. XI.

Rex Richardus *apud caſellum* Ymbrici *colloquium habens cum* Marchiſo, *monet eum redire ad unitatem exercitus, qui, quia noluit, abhæreditatur terris & redditibus ſibi promiſſis.*

HIs itaque pacificatis, mandavit Rex *Richardus Marchiſo*, ut rediret ad colloquium apud caſellum *Ymbrici*, ſi forte gratia divina concordantes in unam ſententiam efficacius in agendis proficerent, & totius Regni reſpublica ex utriuſque communicata virtute fortius adminiſtraretur. Convenerunt ſiquidem & diutius collocuti ſunt, ſed modicum profecerunt. *Marchiſus* Ducis *Burgundiæ*, nec non & *Francorum* prætendebat receſsum, & argumentoſis cavillationibus ſe nitebatur à negotiorum exercitio excuſare, ſicque, *Francorum* allegata abſentia, *Tyrum* rediens ſe contulit uxoriis thalamis, ſuſpenſus à caſtris militaribus. Cernens Rex *Richardus* Ducem *Burgundiæ* & *Marchiſum* cum *Francis* ſe gratis à caſtris abſentaſse, penſans etiam altius pactæ initiata fœdera pacis, diutius fluctuans animo, quid in tali diſcrimine ſibi potius eſſet agendum, cum majoribus populi & diſcretioris habuit miniſterium conſilii, quid ulterius competentius cenſerent. Qui, cum trutinatis ſubtiliter cauſarum meritis, adjudicaſsent *Marchiſum* juris decreto demeruiſse redditus dudum ſibi, ſicut prædictum eſt, aſſignatos in Regno, ratione prævaricationis ejuſdem redditibus ipſum cenſuerunt privandum. Hinc pertinacius radicata eſt diſcordia inter magnates *Franciæ* & Regem *Richardum*, inter *Marchiſum* maxime, qui tunc ut prius ſæpius ſollicitaverat *Francos* univerſos ab *Aſcalone Tyrum* ad ſe venire, totumque Regnum & terram adeo conturbavit, ut Rex *Richardus*, fallaciam *Marchiſi* non ignorans, a craſtino Cinerum uſque ad diem *Martis* ante Paſcha ab *Achon* civitate non diſcederet. Inimicum enim quamvis humilem prudentis eſt cavere.

Decretum R. Richardi Marchiſum & Franciæ magnates exacerbat.

CAP. XII.

Dum Rex Richardus *esset* Achon, *nostri de* Joppe *&* Ascalone *exeuntes infinitam prædam reduxerunt, & apud* Achon *filium* Saphadini *militem Rex fecit.*

TErtia die ante Dominicam Palmarum exiens à *Joppe* turba juvenum usque *Mirabell*, prædam maximam animalium à *Sarracenis* diripuerunt, & triginta *Turcos* trucidaverunt, & vivos usque *Joppen* reduxerunt quinquaginta, cum præda infinita. Cujus medietas Comiti, qui custodiebat civitatem, cedebat, altera medietas vendita est VIII. millibus *Bisanciis Saracenicis* probatæ monetæ. Item in crastino, i. e. Sabbato Dominicæ Palmarum, exierunt ab *Ascalone* omnes, qui equos habebant, & totam percurrebant regionem, referentibus his qui intererant, usque in *Ægyptum* ultra *Darum* quatuor milliariis, & congregatam diversi generis animalium prædam plurimam adunaverunt equorum, equarumque, asinorum xx, Camelorum xxx, ovium quoque & aliorum pecorum septuaginta, *Sarracenorum* etiam fere ducentos cum mulieribus & parvulis secum reducentes redierunt alacriter *Ascalonem*. Dominica Palmarum Rex *Richardus* apud *Achon* filium *Saphadini* ad hoc transmissum insignivit magnifice in angulo militiæ.

CAP. XIII.

Dux Burgundiæ *&* Marchisus, *invidentes profectibus Regis* Richardi, *mittunt pro* Francis, *qui cum eo apud* Ascalon *&* Joppen *erant.*

INterea invidiæ zelo fervente, cujus est semper superioris contabescere virtutibus, Dux *Burgundiæ* & *Marchisus* missis a *Tyro* legatis usque *Ascalonem* mandaverunt residuis, qui ibidem resederant *Francis*, quatenus quantocius ad ipsos properarent *Tyrum*, & ipsorum adquiescerent consilio, & ut juxta juramentum prius Regi *Franciæ* præstitum in unicam convenirent sententiam. Tunc manifestus factus est dolus & præmeditata machinatio, ab eo tempore quo fœdus inierat ipse *Marchisus* cum Rege *Franciæ* & *Francis*, ut viz. post Regis decessum sibi *Francos* haberet confœderatos, ad ea quæ cogitaverat expeditius perpetranda. Hinc itaque tanquam in tantum sibi obligatos intendebat ab expeditione subducere *Francos*, quatenus Rex *Richardus* minus valeret ad exercenda negotia Regni.

Marchisi dolus fit manifestus.

CAP. XIV.

Rex Richardus *rediit* Ascalonem *&* Franci *i. e. septingenti milites remandati à Duce* Burgundiæ *&* Marchiso *à Rege discedunt versus* Tyrum.

DIe *Martis* ante Pascha rediit Rex ab *Achone Ascalonem* ad exercitum, tristis nimium & turbulentus. In crastino quoque die *Mercurii* accedentes ad Regem majores *Francorum*, postulaverunt ab eo, ut juxta pactam sponsionem, deputaret eis duces viarum, & abeundi libere securitatem. Quibus Rex annuens assignavit eis deducendis itineris socios quamplurimos, viz. Templarios

Templarios & Hoſpitalarios, & Comitem *Henricum Campaniæ*, & alios multos. Ipſe quoque, nihil omittens ex contingentibus, cum eiſdem proceſſit proſequendis cum lachrymis liberaliter obſecrans, & blande deprecans, ut cum ipſo aliquantam moram facerent, ejus impenſis ſufficienter exhibendis, ut quantum daretur deſolatæ terræ ſuccurrerent. Quos cum prorſus renuentes dimiſiſſet abire, reverſus eſt *Aſcalonem*, & ſtatim rapido curſu miſſo nuntio uſque *Achonem*, mandavit civitatis cuſtodibus ne *Franci* infra civitatem admitterentur ad commorandum, ſed nec eiſdem quæcunque fieret contumelia vel moleſtia, & unde poſſit ſcandalum oriri, aut contentionis occaſio. Sicque *Franci* eo venientes extra civitatem cœperunt ſtationem.

CAP. XV.

Audito receſſu Francorum Salahadinus *pro exercitu ſuo mittit & venit.*

IGitur die Cœnæ Domini ex *Francorum* diſceſſione graviter eſt deſolatus exercitus, cujus ex parte non modica robur eſt diſſolutum. Receſſerant enim *Francorum* ferme ſeptingenti milites, armis probati, & præclaris geſtis inſignes & expediti. Hujus itaque occaſione diſceſſionis & diminutionis exercitus, populus lamentatur & dolet, lachrymatur, & tabeſcit mœrore. *Turci* vero lætabantur, his quæ gerebantur auditis; *Salahadinus* etiam, referentibus his qui hoc audierant, ſtatim miſſis legatis & veredariis literarum ſuarum portitoribus univerſis ſuæ ditioni addictis, mandando præcepit edicto propoſito & Admiratis, ut omni occaſione poſtpoſita concite redirent in terram *Jeroſolymorum*. *Franci* jam, inquit, oborta inter ipſos ſimultate receſſerunt, terram deſerentes, jam fere vacuatam defenſore, quia robur belli & virtus exercitus Chriſtianorum jam decidit: unde de facili & totam terram & principales civitates *Achon* & *Tyrum* obtinendas non diffidimus in brevi. Ad *Soldani* mandatum redeunt *Turci* minus tamen voluntarii, præteritorum non immemores, & agmine rariore, licet noſtræ reſpectu paucitatis ad ſuperfluentem numerum excreverunt.

CAP. XVI.

Ad ſepulchrum Domini ſecundum morem ignis de cœlo lampadem accendit, vidente Salahadino, *quo jubente ter extinguitur ſed ter reaccenditur.*

IN vigila Paſchæ erat *Salahadinus* ſuorum conſtipatus obſequio, ad honorabile illud ſepulchrum Dominicum in *Jeruſalem*, ut viz. ſuper rei certificaretur veritate, cœleſtis, inquam, ignis adventu, ea die, ſingulis annis de more in lampadem divinitus deſcendentis. Plurium itaque Chriſtianorum captivorum compeditorum devotionem, & lachrymas Dei miſericordiam deprecantium cum *Salahadinus* diutius attentius attenderet, cum cæteris *Turcis*, ecce ſubito videntibus univerſis advenit ille divinus ignis, & lampadem ſuccendit evidentius ſtatim ardentem. Quod cum cuncti vidiſſent, commotus eſt populus vehementer, lætantibus Chriſtianis, & Dei magnificentiam vocibus collaudantibus altiſonis. *Sarraceni* vero, ſuper tam evidenti ſtupendo miraculo, etiam oculis ſubjectam pervertebant viſionem, aſſerentes fallacibus præſtigiis ignem phantaſticum machinatum, unde ſuper eo volens certificari *Salahadinus* juſſit extingui lampadem divinitus accenſam, quæ extincta fine mora opere divino reaccenditur, quod & ſecundo juſſit infidelis ille extinguere, ſecundo nihilominus illuminatur, tertio extincta tertio illuminatur. O magna

Dei patientia! quid eſt repugnare invincibili? non eſt conſilium contra Deum, cujus voluntati non eſt qui poſſit reſiſtere. Super hujus viſione miraculi, & fidem & devotionem Chriſticolarum admirans *Soldanus*, & acriter commotus, ſpiritu prophetico conſtanter aſſeruit dicens, proculdubio vel in proximo hac vita decedo, vel hanc civitatem poſſidendam amitto. Sed nec ipſum fefellit augurium, quoniam in proxima ſequenti quadrageſima mortuus eſt *Salahadinus*.

Salahadini de ſeipſo prophetia.

CAP. XVII.

Qualiter Rex Richardus *apud* Aſcalonem *celebrabat ſolemnitatem die Paſchæ.*

ILlius ſolemnitatis Paſchalem feſtivitatem, quæ fuit Nonas Aprilis, Rex *Richardus* tranſegit egregie, *Aſcalone*, quoſcunque volentes exhibens in abundantia ciborum & potuum. Papiliones etenim ſuos in ſuburbanis campeſtribus *Aſcalonis* fecit figi, &, ad exhibendam gentem ſuam feſtivitati magnificentius celebrandæ, convenientia cuncta procuravit adminiſtrari copioſiſſime. Ibi videre fuit nihil glorioſius voluntaria dapſilitate, quando bonæ voluntati concordat ingenuitas factorum. Cumque cor egregium præclaris conſonat actis.

Non decet in manibus patulis anguſtia cordis
Detrahat imo manus, cor largum dando ſequatur.

CAP. XVIII.

Conſummata eſt reædificatio Aſcalonis *Regiis impenſis.*

DIe Lunæ Paſchalis hebdomadæ Rex diligenter opus repetens inchoatum, ferventius inſtitit muris civitatis perficiendis, cæteroſque ad operandum familiarius urgebat, nec multo poſt, ipſo procurante & collaborante, conſummatum eſt opus ſuis operibus & impenſis, & abſque *Francorum* ſolicitudine, qui receſſerant, quos jure deberet æque reſpicere portio laboris, conſummata ſunt omnia.

CAP. XX.

Rex Richardus *profectus eſt ad conſiderandum* Gazam *&* Darum.

DIe *Martis* Paſchæ hebdomadæ, Rex cum paucis profectus eſt uſque *Gazam* conſiderandam. Die *Mercurii* nihilominus apud *Darum* profectus, qua parte commodior pateret aſſultus diligenter inveſtigavit, circumquaque perambulans. *Turci* vero, qui infra *Darum* ſe concluſerant, in Regem & ſuos cum arcubus & baliſtis plura jaciebant miſſilia ſimul & convitia, tanquam incomprehenſibiles. Conſideratis omnibus Rex rediit *Aſcalon*.

CAP. XX.

Franci *ab* Aſcalone Tyrum *revocati tantum luxuriæ & tabernis ibi vacant.*

ABeuntibus, ut prædictum eſt, *Francis*, hi, qui eos uſque *Achonem* juſſu Regis deduxerant, reverſi ſunt *Aſcalonem* ad exercitum. *Franci* vero *Tyrum* venientes, quibus vacaverunt ſtudiis & operibus, non æſtimatur ab re notandum. Ipſi quidem, quos puræ peregrinationis in terram ſanctam putabatur perduxiſſe devotio, relictis caſtris militaribus; jam amatoriis indulgebant cantionibus muliebribus, & ſcortantium commeſſationibus; referentibus enim his, qui hoc fieri proſpexerunt, mulicularum & ipſi applaudebant choreis, luxus quoque veſtium otium loquebatur effeminatorum, manicarum mimirum hiatus multiplici laqueo claudebantur, operoſis conſtricta cingulis latera laſciviunt, & ne rugoſæ veſtis concluſio manifeſtius intuentibus pateret, chlamydes in anteriora contortas ordine præpoſtero comprimebant inter brachia, & quæ velandis poſterioribus fuerant primitus procreata, aliarum partium cogebantur in uſus, ventres palliis velabantur non dorſa, circa colla gemmarum radiis ſtellata coruſcant monilia, florumque varietate contexta inſidunt ſerta verticibus, manibuſque pateras tractabant non enſes, noctes in compotationibus deducuntur inſomnes, jamque mero æſtuantes puellarum ſolebant frequentare proſtibula, vel ſi prius forte aliis ad opus conſimile admiſſis clauſa reperiſent diripuerunt oſtiola, verba jaculantes ampulloſa, & horrorem audientibus ſobriis ingerentia juramenta, ut non ignoratur, de more *Francorum*. Quid plura? levitatem interiorem arguebat ſtatus exterior, proh pudor! hujuſmodi ſe ſtudiis *Franci* applicabant. Veruntamen hujus ineptiæ non omnes aſſerimus arguendos, erant quippe, quos & ipſorum diſſolutio non minimum conturbavit, quos & inter Regem & ipſos contriſtavit diſcordia.

CAP. XXI.

Diſcordia qualis inter Chriſtianos noſtros nunc in terram Sanctam venientium probant exempla nunquam inter veteres contigiſſe.

REx magnificus *Karolomannus* nomine, famoſus & opere, qui tot acquiſivit terras, & Regna ſuo ſubjugavit imperio, cum in *Hiſpaniam* proficiſceretur ſubjugandam, nunquam fertur in exercitu ſuo interveniſſe contentio, vel quando idem Rex prædictus comprehendendam in expeditione adivit *Saxoniam*, ubi plura geſſit inſignia, ubi ad internecionem peſſundedit illum famoſum *Wercelinum*. Quando etiam illi potentiſſimo *Agulando Roma* tranſiens profectus eſt obviam, excipiendo in bellum, qui cum manu validiſſima, & niſi Deo opitulante hominibus pene invincibili, *Sarracenorum* applicuerat apud *Riſam* civitatem *Calabriæ*, nulla inter ſocios erat diſcordia. Quando quoque terra illa *Jeroſolymitorum* tot ſæpius bellis concuſſa, quibus tot ſtrages factæ ſunt hoſtium incredulorum, tot feliciter pugnæ confectæ, ſive ubicunque terrarum, ſub quibuſcunque principibus famoſa antiquorum bella narrantur patrata, nunquam quidem ſub uno militantem exercitum Imperatore diſſipavit diſcordia, vel diverſarum oriundos regionum diſtraxit contentioſa ſimultas, nec ſub unius principis ditione agentes diſcrevit invidia, nec ſunt inter ipſos audita convitia vel opprobria. Imo mutuum ſinguli ſingulis exhibebant honorem & gratiam, & una gens appellata propter unitatem, in quibus

nullæ

nulla potuit durare diſſenſio. Hinc olim *Franci* univerſis prævalebant externis, ſimiliter & noſtri moderni commodius antiquorum haberent exempla imitari.

CAP. XXII.

Prior Herefordenſis *miſſus eſt in terram Sanctam qui . . . . Regem . . . . . . ſuam . . . . . . ſedit . . . . . in . . . . . . contra . . . . .*

POſt Paſcha completum, imminente transfretantibus opportuno tempore, venit nuntius ad Regem *Richardum* totum quidem commoturus exercitum, Prior ſcil. *Herefordenſis* Prioratus cujuſdam *Angliæ*, venit itaque Prior ille deportans literas Regi ex parte *Willielmi Elienſis* Epiſcopi Regis Cancellarii, ſe ſignificantis cum aliis, quos Rex Regno *Angliæ* deputaverat interim gubernando, jam fuiſſe à terræ munitionibus exturbatos, nonnullos etiam parti ſuæ faventes in ſeditionibus peremptos, ſicut idem Prior ſe vidiſſe teſtabatur, & quod, procurante fratre Regis tunc Comite *Johanne*, ab *Anglia* Regis eliminato Cancellario, nihil pecuniæ in theſauro Regio ſupereſſet relictum, vel ubicunque locorum, niſi tantum quod vix in Eccleſiis reſederat occultatum. His etiam adjiciebat idem Prior, quod poſtquam pluribus moleſtiis & injuriis fugatus eſt in *Normanniam* prædictus ejus Cancellarius Presbyter & Epiſcopus, & totius Regni præfectus, Comes præfatus exigebat pertinaciter à Regni Comitibus & proceribus juramenta fidelitatis & ſubjectionis, & caſtrorum cuſtodias. Nec non & manus extenderat ad Regis fiſci præſtationes annuas uſurpandas, quæ dicuntur de Scaccario. Super his igitur, inquit Prior, niſi maturius captaveritis conſilium quantocius repatriandi, & injurias noſtras in nos inſurgentes vindicandum, his addent pejora, nec abſque belli diſcrimine poteritis ulterius jus veſtrum recuperare. Super auditis Rex nimirum vehementer obſtupeſcens, animo diutius plura volvens, & pauca proloquens, vix credendum arbitrabatur, quia tanti ſceleris factio fidem videbatur excedere.

Comes Joannes R. Richardi frater Regnum Angliæ occupare conatur.

Attamen cujus bona diripiuntur & patienter ſuſtinet? quis æquanimiter patitur injurias? cæterum quælibet adverſa licet incerta ſolicitius vera potius auguratur eſſe timor, rerum turbatio cum ad aliorum jam perveniſset notitiam, conturbantur & ipſi, animo fluctuant, æſtuant, rerum penſantes ſtatum confuſum, & inter Principes inexorabiles diſcordias. Tunc quidem, ſi Rex recederet, non inveniretur qui remaneret, quoniam inter *Aſcalonitas* & *Tyrios* zelus eſset & contentio, ſicque terra illa proculdubio libera cederet *Turcis* in poſseſſionem æternam.

CAP. XXIII.

Exercitus, audito Regis ſecreto, quod à Legato acceperat, & ejus propoſito repatriandi, conſulit ſibi Regem præfici, potius eligens populus Marchiſum *quam* Guidonem.

IN craſtino Rex, coram convocatis majoribus exercitus, rem, ut audierat, expoſuit, interpretans prædicta verba Prioris, aſſerens ſe de neceſſitate oportere repatriare. Quod ſi tum abiret, ſtipendiis ſuis trecentos milites & duo millia peditum electorum ſpopondit exhibendos in expeditione in illa terra. Sciſcitatus eſt itaque quis eorum cum ipſo ſimul repatriare vellet, quis in terra illa remanere, neminem enim ad utrumlibet cogebat, eorum relinquens optioni, quam partem gratis inclinatores eligerent. Communicato ſuper

ſuper hoc aliquamdiu conſilio, prudentiores dant inquiſitioni Regiæ tale reſponſum, quod quia terra deſolata eſt propter diſcordantium diſsenſionem, & caſus rerum eſset incertus, præſertim quia Rex *Guido* Regni negotium obtinendi nondum potuit ad effectum deducere, neceſsarium quam maxime cenſebant in terra novum Regem creandum, cui omnes obedirent, cui terra committeretur, qui prœliaretur bella populi, quem denique cunctus ſequeretur exercitus. Quod ſi fieri non contingeret ante Regis *Richardi* diſceſsum, omnes ſe receſsuros acclamant, utpote qui terræ non ſufficerent cuſtodiendæ. Ad hoc Rex ſtatim intulit inquirens utrum duorum mallent eligere, ſive Regem *Guidonem* ſive *Marchiſum*, cui ſine mora puſilli cum majoribus omnis ſimul populus flexis genibus ſuppliciter exorabant *Marchiſum* in principem elevandum & defenſorem, qui quidem ipſum reputabant Regno magis neceſsarium quia potentiorem. Rex igitur cum univerſorum attendiſset petitionem, aliquantulum eorum modeſte redarguit levitatem, qui prius *Marchiſo* frequentius detraxerant.

CAP. XXIV.

Rex ut ſatisfaceret populo miſit pro Marchiſo *licet ſeditioſus eſſet & confœderatus cum* Salahadino.

REx *Richardus*, poſtquam pro *Marchiſo* ſibi præferendo totius populi perpendiſset petitionem, præbuit & ipſe aſsenſum, procurans viros nobiles *Tyrum* deſtinandos, qui *Marchiſum* honorifice adducerent. Generalitatis itaque Rege conſentiente decreto propter *Marchiſum* ab univerſis electum, miſſi ſunt ſufficienter inſtructi viri nobiliſſimi *Henricus* Comes *Campaniæ* & *Otho* de **Tranſinges**, *Willielmus* de **Cague**, hi cum ſuorum obſequio Galeati procedunt verſus *Tyrum*, properantes *Marchiſo* diu deſideratum ferre nuntium optimum, verum ut proverbialiter dici ſolet

Buccam fruſtrari ſæpe accidit à cocleari.

Indignum forte Regno Deus probaverat *Marchiſum*, ad cujus æſtimationis argumentum hoc etiam poteſt accedere, quod poſt receſsum *Francorum* Rex *Richardus* ipſum toties, ſicut & prius, rogaverat ſuper auxilio præſtando Regno perquirendo, ſicut præfati ſumus, ſed ſemper contumaciter renuit, quod ad culpam non immerito poterat imputari: & præter hæc omnia jam laborabat in machinatione contra honorem Regiæ coronæ, & contra exercitum *Aſcalonicum* cum *Salahadino* fœdus inire pacis, ea ſcil. conditione, ut ad ipſum veniens juraret mutuam ſe de cætero obſervaturum concordiam, medietatemque civitatis *Jeruſalem* obtenturus tenendam de *Salahadino*, haberet etiam caſtrum *Baruth*, & *Sidonem*, totiuſque terræ medietatem citra flumen. In hanc pacis conditionem ſatis aſsenſit *Salahadinus*, renuente tamen fratre ejuſdem conſtanter *Saphadino*, pertinaciter namque *Salahadino* diſsuadebat, ſicut poſtmodum accepimus, ne unquam quamcunque pacis concederet conditionem cum quocunque Chriſtiano præter aſsenſum Regis *Richardi*, quo nullus inquit melior invenitur Chriſtianus, vel etiam probitate conſimilis, citra cujus conſcientiam vel voluntatem concordiam quamcunque reformandam nec conſulo nec aſſentio. Hinc diſſipatum eſt conſilium nequam, hinc infecto negotio proditionis pendebat proceſsus. Hoc quidem ſic fuiſse machinatum certiſſimis poſt patebat indiciis, nam inter *Salahadinum* & *Marchiſum*, dum hujus nefandi procuratores negotii mutua verba reportantes ſoliciti diſcurrerent Legati, contigit *Stephanum* de **Tornehant** ipſis obviare exeuntibus à *Salahadino* de *Jeruſalem*, quorum nomina tunc temporis ob notam infamiæ ſatis erant notoria,

unus eorum vocabatur *Bahanus* de *Ybelin*, alter *Reginaldus* de *Sydone*; ſed hos demittamus, eorum quidem omnis opera & ſtudium ſolicitum merito cedebat in nihilum, tanquam pulvis quam quis portat in ventum.

CAP. XXV.

Audiens Marchiſus *in Regem ſe eſſe electum cum omnibus ſuis nimis repletus eſt gaudio & præparant ſe ſui armis & aliis neceſſariis ad coronationem ejus.*

INjuncta nuncii functa legatione, qui propter *Marchiſum* adducendum fuerant deſtinati, *Tyrum* pervenientes, *Marchiſo* plenius expoſuerunt ab univerſis unanimiter ipſum electum fuiſſe in Regem, aſſentiente Rege *Richardo*, & coronam Regni conceſsam, quatenus veniret Regni negotia viriliter cum exercitu ſuo geſsurus, ultiones in *Turcos* exacturus, & ut de cætero Regno *Jeroſolymitano* tanquam ſuo intenderet gubernando. Quo audito *Marchiſus*, præ nimia cordis exultatione, protenſis in cœlum manibus fertur oraſse ſic, Domine Deus qui me creaſti, & animam in corpus infudiſti, qui es Rex & verus & benignus concede mihi quæſo, Domine, ut ſi me Regno tuo gubernando dignum judicas coronatum me videam, ſin autem, Domine, de me aliter ſenſeris, nunquam ad me conſenſeris promovendum. Poſtquam in civitate *Tyro* plenius innotuit *Marchiſum* in Regem coronandum, fit lætitia magna in populo, ſingulis quæ ſua fuerant procurantibus, & operam dantibus his ſolicitius, quæ coronationis celebrationi videntur competere. Ad inſtructionem vel veſtium vel armorum mutuantur pecuniæ, quatenus eo viderentur ornatiores comparere, quanto is in cujus erant obſequio dignitate collata excellentius noſceretur exercuiſse. Ibi viderentur arma tractari, rubigine ſqualida renovari, gladios acuere, loricas rotare, milites & ephebos bellorum imagine geſticulare, & concertantium ſimulantes conflictum etiam futuram *Turcorum* jactitantes contritionem, & revera magnæ virtutis gens aderat, ſi tamen divinum non defuiſset auxilium. Gens itaque diſsolvebatur lætitia eo inconvenientiori quo immoderatiori, unde proverbialiter dicitur, Nec nimis gaudendum nec nimis dolendum, omnis enim nimietas reprehenſibilis eſt.

CAP. XXVI.

Marchiſus *à duobus juvenibus* Hauſaſſis *à ſeniore de* Muſſe *tranſmiſſis duobus cultellis transfoditur.*

COmes interim *Henricus*, qui poſt legationis executionem ad civitatem *Achonem* declinaverat, cum nunciis ſociis ſuis, dum ſe decentius inſtruerent, jam ad exercitum reverſuri *Aſcalonem*, inopina morte præventus eſt apud *Tyrum* idem *Marchiſus*. Qui, dum die quadam à convivio Epiſcopi *Belvacenſis*, cum quo comederat familiariter invitatus, in pace reverteretur hilaris admodum & jocundus, & jam veniſſet ante teloneum civitatis, ecce duo juvenes *Hauſaſſiſſi* ſine palliis expediti, rapido impetu accurrentes duobus cultellis, quos manibus gerebant, exertis, hinc inde transfixis præcordiis lethaliter ipſum vulnerantes capto curſu prætervolabant. *Marchiſus* ſtatim lapſus equo moribundus volitabatur, unus homicidarum ſtatim detruncatus eſt, alter vero in Eccleſiam quandam ſe ſtatim immiſit, qui nihilominus inde raptus per mediam civitatem pertrahendus condemnatur, quouſque tantæ reum proditionis ſpiritum deficiens exhalaret, unus antequam expiraret diligenter inquiſitus,

tus, cujus inſtinctu vel quare ſic egerit, ſe profeſſus eſt à multo tempore eo fuiſſe tranſmiſſos ad id perpetrandum, & ob monentis auctoritatem & ſalutiferam obedientiam hoc præſumpſiſſe, quod verum fuiſſe manifeſte jam patuit. Ipſi quippe juvenes diutius extiterant in ipſius obſequio *Marchiſi* competentem ad id perpetrandum captantes temporis articulum. A ſeniore enim de *Muſſe* ſe tranſmiſsos aſserebant, qui *Marchiſum* morte dignum judicabat, & infra certum illius temporis terminum trucidari mandaverat, omnes enim, quos ſenior ille de *Muſſe* vita reputaverit indignos, eodem modo procurat perimendos. Senior quidem de *Muſſe* de more hæreditario quamplurimos in obſequio ſuo ſolet educare pueros nobiles in palatio ſuo, quos docere facit omnem prudentiam & doctrinam, & diverſo inſtrui idiomate, quatenus ubicunque terrarum ſine interprete in omni gente ſe noverunt familiariter gerere. Eſt autem eorum crudelitas crudelis nimis & obſcura, ad quam ſectandam maxima cura & ſolicitudine imbuuntur diſcipuli: Igitur quos ille ſenior perpenderit adultæ fuiſse ætatis aſcitos facit ſtare coram eo, quibus in remiſſionem omnium peccatorum injungit aliquem, quem ipſis expreſserit ex nomine, virum potentem & tyrannum, huic ſubducere vitæ, in hujus etiam executionem miniſterii ſingulis ſingulos cultellos contradit horrificæ longitudinis acutos. In hujus obedientiam mandati devotius inſiſtentes abſque dilatione procedunt, quouſque ad quemcunque prænotatum pervenerint tyrannum, in cujus tamdiu perſiſtunt obſequio, donec tempus nacti præmeditatum conſummaverunt negotium, tali ſe ſperantes obſequio gloriam promeruiſſe cœleſtem, hujus nimirum extiterant ſectæ qui *Marchiſum* nefarie peremerant. *Marchiſum* igitur jam extremum ſpiritum trahentem ſui circumquaque vallantes leniter in ulnis comprehenſum ad palatium deportant, inconſolabiliter dolentes & flentes, quia tam brevis paulo ante concepta perſeveraverat eorum lætitia. Salutaribus autem fidelium ſacramentis perceptis, uxori ſuæ firmiter injunxit ut civitati *Tyro* conſervandæ vigilanter intenderet, nec cuiquam homini reſignaret niſi Regi *Richardo*, ſive illi, cui Regnum jure hæreditario contingebat; nec mora defunctus eſt, & apud Hoſpitale cum planctu vehementi ſepultus eſt, ſicque prius uberius exſultantium abbreviata eſt lætitia, & diutius deſiderati nondum prægustati prorſus evanuit ſumma Dominii, & ecce terræ deſolatæ peremptum eſt ſolatium, & exuberans nova mœſtitia præcedentem exuperavit lætitiam.

CAP. XXVII.

Franci *quidem ex invidia infamant Regem* Richardum *ſuper occiſione* Marchiſi.

IN illa populi tanta confuſione, jam ſuccreſcentia triticum corruperant, quæ ſuperſeminaverat inimicus homo zizania. Exiit enim ſuſurrium à quibuſdam *Francis, Francorum* nequitiam tali fictione velare putantibus, lingua viroſa confictum, ſibilus ſcil. univerſis popularibus auribus infuſus quod Rex *Richardus* nequiter procuraverat mortem *Marchiſi*, & mercede conductos *Hauſaſſiſſos* ad id agendum duos illos deſtinaverat homicidas. O livor infamis! ſemper carpens meliora, dente corroſivo bonum zelat, & quam nequit extinguere claritatem geſtorum intendit denigrare. Nec ſic Regem *Richardum* in partibus illis defamaſſe contenti ſunt invidi imo Regi *Franciæ* mandaverunt, ut ſibi præcaveret ab *Hauſaſiſſis* ſatellitibus ſenioris illius de *Muſſe*, quomodo *Marchiſus* ab illis occiſus eſt, & quod hujus ſuperſtitionis miniſtros Rex *Richardus* direxerit quatuor ad Regem *Franciæ* perimendum. O cujus æſtimandi ſunt meriti qui fuerant hujus adinventionis auctores, cujus occaſione ſicut creditur tot conturbatæ ſunt gentes & concuſſæ provinciæ, hujus autem ſuæ

 malignitatis

malignitatis commento arbitrabantur infames sic robur addidisse, fucumque palliasse nequitiæ.

CAP. XXVIII.

Apud Tyrum *Comes* Henricus *eligitur in Regem & super hoc & super occisione* Marchisi *nuncii Regi* Richardo *remittuntur.*

Franci Tyrum urbem sibi tradendam ab uxore Marchisi frustra postulant.

SEpulto *Marchiso Franci* convenerunt in unum, qui extra civitatem sederant in tentoriis ferme x. millia, qui, postquam super rerum statu invicem aliquamdiu tractassent, mandaverunt uxori *Marchisi*, ut ipsis contraderet civitatem absque dilatione & contradictione observandam ad opus Regis *Franciæ*. Quibus ipsa respondit quod, quando Rex *Richardus* ipsam visere veniret, ipsi potius redderet civitatem & nulli alii, sic Dominus suus præceperat moriens, non est alter qui terram sic elaboraverit à *Turcorum* manibus eripere; & pristinæ libertati restituere, ipsi quidem merito fortiori debetur Regnum proout viderit dispensandum. Super hoc mandato *Franci* nimium commoti sunt indignantes. Quibus in hunc modum super obtinenda civitate contendentibus, Ecce Comes *Henricus* super audito rerum eventu non modicum obstupescens venit *Tyrum*, quem statim ut vidit populus præsentem sine dilatione tanquam à Domino missum elegerunt in principem & Dominum, & ad ipsum accedentes cum omni diligentia supplicare cœperunt ut patienter sine omni contradictione & excusatione susciperet Regni Coronam, & viduam *Marchisi* duceret uxorem, cui Regnum jure hæreditario debebatur. Quibus Comes incunctanter respondit, quod super hoc negotio consummando, ad quod Deus eum vocarat, secundum Regis *Richardi* avunculi sui consilium se gereret. Nec mora mittuntur Legati, qui celebratam solemniter ab omni populo electionem Regi *Richardo* significent, & *Marchisum* nefarie peremptum.

CAP. XXIX.

Quanta instantia Rex Richardus *quotidie* Turcos *affligit, occidit, captivat.*

INterim autem, antequam nuncii prædicti venerunt à *Tyro* ad Regem *Richardum*, instante jam tempore sereniore post brumales rigidos menses, Rex *Richardus* infatigabili exercitio *Turcos* invadens incessabiliter persequebatur & pertinaciter. Nunquam enim similis illi comparuit in terra illa quem *Turci* sic metuerent, qui sic ipsos afficeret, sine intermissione contereret, se pene solum frequentius in multos ingereret, capita hostium reportaret, singulis fere diebus quibus *Turcos* sibi contingeret occurrere, nunc capita x. nunc xII. nunc xx. vel xxx. nihilominus, cum sibi visum esset, vivos reducebat captivos. Nunquam profecto per unum hominem tot *Sarraceni* deleti sunt temporibus Christianis.

CAP. XXX.

Mestoch *redemptus recedit & armigeri quidam ex nostris furrantes à* Turcis *capiuntur.*

DIe *Jovis* ante festum Sancti *Alfegi Mestoc* ille, qui sicut prædictum est cum aliis in *Achone* civitate comprehensus, redemptus abire liber permissus est. Nec multo post Armigeri nostri & servientes, pabula jumentis

tis quæſituri, cum incaute longius proceſſiſſent, *Sarraceni* proſilientes ab inſidiis quoſdam eorum peremerunt, quoſdam captivos abduxerunt, & equos quamplures.

CAP. XXXI.

Pugna inter Regem Richardum *& aprum ſibi occurrentem, quæ Regi fere erat periculoſa.*

DIe *Mercurii* ante feſtum Sancti *Marci* Evang. Rex cum exercitu apud *Gadidam* cuſtodiendam profectus eſt, ſed neminem inveniens, hoſtes quipp propter ejus adventum prius fugerant, dum reverteretur aprum feroциſſimum invenit, dentibus armatum eminentibus, qui cum Regis clamorem moderatis paſſibus non procul evaderet reſtitit oppoſitus inſequenti. Spumantes itaque dentes ob iram tremendam acuens, ſubrigentibus hiſpidis ſetis, erectis auribus videbatur in ſe indignationem recolligere, & furore ferveſcere, ut fortius vel exciperet irruentem vel impeteret. Qui cum nec ad Regis clamorem loco moveretur, imo ad admirantis circuitionem in orbem ſe girando infra ſpatium præoccupatum ſe cohiberet, Rex lancea utens vice venabuli infigendum invaſit, quem & aper irruentem lateratim paulülum occurrens, repercutere volens appropiavit Regi. Fuit quidem corpore immani, timidis horrendus aſpectu, cujus patulo pectori lancea fortius infixa duorum ſeſe mutuo comprimentium impetum ferre non ſuſtinens confracta eſt media, aper ex vulnere ferventior impetu validiſſimo ferebatur in Regem, ad quem quaqua verſum declinandum cum breviſſimi temporis vel loci non ſuppeteret articulus, Rex equo, cui inſederat, ſubditis calcaribus aprum in directum tranſiliente præteribat illæſus, equi phaleras apro tamen diſſipante poſteriores, cujus quidem ictum fruſtraverat equi ſaltus expeditior, lanceæ etiam particula apro fuerat impedimento propius congrediendi, quoniam in ſummo pectore ſteterat paulo eminentior. Deinde ſingulis ſeſe impetentibus aper concurſu concito invaſurus Regem aggreditur, cui Rex venienti vibrato gladio cervicem illiſit pertranſiens, quem ad ictum validiſſimum ſtupidum effectum Rex accelerans equo regirato ſubnervavit, ſicque perdomitum aſſignavit venatoribus mancipandum.

CAP. XXXII.

De captione quorundam Turcorum *à noſtris.*

DIe *Martis* ante feſtum Sanctorum Apoſtolorum *Philippi* & *Jacobi Rogerus* de Clanvill à *Candida cuſtodia* profectus eſt cum ſociis ſuis: ante portas *Jeruſalem* potenter tranſiens, quoſdam *Sarracenos* interceptos ad vincula cotas ſecum reduxit captivos. Die *Mercurii* ſequente Rex *Richardus* inter egit & ſecum reduxit captivos. Die *Mercurii* ſequente Rex *Richardus* inter *Albam cuſtodiam* & *Gazam* invenit quoſdam *Sarracenos*, de quibus tres occidit & v. cepit, & *Aſcalonem* miſit.

CAP. XXXIII.

Item de captione Turcorum *à Rege apud* Furbiam *& à Templariis apud* Darum.

DIe beatorum Apoſtolorum *Philippi* & *Jacobi* & nocte ſequenti, dum Rex pernoctaret apud *Forbiam* cum paucis, ſummo mane irruentes *Turci* æſtimaverunt ſe noſtros improvidos prorſus comprehendere vel conterere. Rex igitur primus exiliens à ſtratu ſuo ſcutum tantum arripuit & gladium, qui progrediens obviam irruentibus ſeptem cepit ex *Turcis* & quatuor occidit, cæteri vero fugerunt à facie ejus. Poſtea cum Rex Templarios & *Turcopolas* emiſiſſet, ad explorandam terram circa *Darum* dictum caſtrum, invenerunt xx. *Sarracenos* hordea mittentes, qui à caſtro exierant, illos ceperunt & *Aſcalonem* miſerunt.

CAP. XXXIV.

Prædictis nunciis à Tyro *venientibus, & Regi nunciantibus mortem* Marchiſi *& electionem* Henrici, *lætatur Rex pro electione, dans ei totum quæſtum ſuum, mittitque pro* Francis.

REx *Richardus*, dum in diebus illis in planitiis *Ramulæ Turcos* agitaret inſequens fugitantes, ecce apparuerunt præfati nuncii ad ipſum à *Tyro* deſtinati, rei ſtatum ipſi indicantes, & de morte *Marchiſi*, & de electione Comitis *Henrici* ad Regnum ſuſcipiendum, quod tamen, præter ejus aſſenſum & conſilium, id Comes ſuſcipere non præſumpſit. Rex audita morte *Marchiſi* diutius ſuper tam inſolito mortis genere & inopinato conticuit ſtupens. Super electione vero nepotis ſui & honore Regio ſolemniter exhibendo lætabatur eximie, noverat ſiquidem ſuos id plurimum optaſſe. Ex quo, inquit, urgente fato inevitabili, ſicut aſſeritis, emigravit *Marchiſus*, quid ſuper hoc dolor nimius conferret ſolatii viventibus? vel proficeret planctus animæ mortui? Comitis quidem *Henrici* plurimum congratulor electioni, & admodum deſidero ut ad Dei voluntatem de Regno præficiatur gubernando poſtquam terra erit prorſus acquiſita, ſuper ducenda vero *Marchiſi* relicta in conjugem non conſulo, quoniam vivente viro ſuo *Marchiſus* ipſam injuſte rapuit, & polluendo adulterium commiſit, Regnum vero Comes ſuſcipiat, cui dono in Dominium civitatem *Achonem* in poſſeſſionem æternam cum omnibus pertinentiis, *Tyrum* quoque & *Joppen*, & terram totam Deo annuente perquirendam. Cui vice mea dicatis, ut quam citius potuerit redeat ad nos in expeditionem, *Francos* ſecum adducens, propoſui namque *Darum* comprehendere, ſi qui fuerint *Turci* qui reſiſtere præſumpſerint, Rex vero rediit ad *Aſcalonem*.

CAP. XXXV.

Prædictis Legatis à Rege in Tyrum *redeuntibus, & ejus voluntatem nuntiantibus, conjungitur* Marchiſa *Comiti cum univerſorum lætitia, cui redduntur* Tyrus *& Caſtra alia.*

AUdito Rege revertuntur Legati *Tyrum* ad Comitem Regem futurum, renunciantes verba Regis. Tunc reviviſcit lætitia, tunc exultant univerſi, Comitem itaque vallantes perſuadent hæredem Regni ducere uxorem, Comes renuit ne incurrat offenſam Regis *Richardi*, *Franci* vero & Regni magnates,

tes, allegantes rem fortius conjugio ſtabiliendam, urgent itaque fieri, quibus etiam procurantibus, *Marchiſia* ſponte ſua accedens ad Comitem obtulit ei claves civitatis. Quo facto ſtatim ad inſtantiam *Francorum*, rem ſolicite acce- lerantium, contractum eſt matrimonium ſolemniter inter Comitem *Henricum* & *Marchiſiam* in facie Eccleſiæ, præſentibus Clericis & Laicis. Comitem quidem ad hoc agendum perſuadentes non plurimum laboraſſe putantur, non enim laborat qui cogit volentem. Celebrantur nuptiæ magnificentia Regali, omnibus optatum gaudent univerſi conſummatum negotium, exultant *Franci*, *Normanni* lætantur pari voto contenti, quia idem Comes erat nepos utriuſque Regis *Franciæ* & *Angliæ*. Hujus fœderis intervenientis conglutino ſperantur tempora lætiora, & in unam concordiam reditura diffidentia; Completis nuptiis miſit Comes qui civitatis *Achon* & *Joppen*, & aliarum terræ civitatum, & caſtrorum auctoritate ſua ſuſciperent cuſtodiam,& in jus ſuum manciparent, ut omnium obtineret dominium, quatenus de Cætero ipſi reſponderent ut Domino. Poſtea propoſuit Edictum ut ſine mora inſtruerentur univerſi profecturi in expeditionem verſus *Darum* caſtrum expugnandum.

C. Henricus Marchiſi relictam uxorem ducit.

CAP. XXXVI.

Cum quanto gaudio receptus eſt Comes Henricus *apud* Achon *tendens cum Duce* Burgundiæ, *& cum exercitu ſuo verſus* Aſcalonem *in auxilium Regis* Richardi.

DIſpoſitis itaque cuſtodibus, qui *Tyrum* civitatem & terræ munitiones fideliter obſervarent, movit Comes *Henricus* exercitum cum Duce *Burgundiæ*, verſus *Achon* ut expedirent proceſſum, & quæ forent neceſſaria providerent, ſecum etiam duxit uxorem qua nondum potuit patienter carere. Comitis adventus cum innotuiſſet his qui reſederant in *Achon*, novo Domino applaudentes, ſumma cum lætitia tripudiantes exibant obviam advenienti, ob ipſius excipiendi reverentiam & honorem, quem & introducebant circumvallantes in civitatem, quam videres circumquaque ornatam, ad ſimilitudinem templi, cortinis & pannis ſericis expoſitis, & injecto thure per vicos & plateas fumigantia thuribula, mulieres ducentes choros turbam tumultuantem in jubilo & exultatione. Quid ſingula? populus infinitus armatus proceſſerat eidem obviam excipiendo tanquam millia LX, in ſignum Domini novi, quem corde voluntario ſic ſe ſuſcipere conteſtabantur. Clerus ipſum deduxit ad manum uſque in Eccleſiam coram altare, ſanctamque crucem cum aliis quoque reliquiis ei protulerunt oſculandam. Ibi ipſe & alii quoque quamplurimi pretioſa munera obtulerunt; deinde deductus in palatium Regale magnificentiſſimum inſtruxit convivium, ipſi quoque tanquam Regi futuro unuſquiſque pro facultatibus ſuis intendebat honorando.

CAP. XXXVII.

Regi Guidoni *pro probitate militiæ ſuæ & Regni amiſſione Rex* Richardus *pietate motus confert Inſulam* Cypri.

VErum quia vix eſt ut unus creſcat niſi altero decreſcente, ut viz. unius diſpendium alterius vertat in commodum, quo Comes *Henricus* jam gloriatur adepto, Rex *Guido*, Regno privatur, cujus occaſione tot prælia confecerat, quod tot redemerat laboribus, & defenderat ſudoribus, nunc tanquam privatus incedit, non quia Regnum demeruerat, quo nimirum Rex alius nullus

lus inveniretur magnificentius morigeratus, ſed eo ſolo quod ſimplex erat & minus aſtutus, quo debebat jure haberi venerabilior, reputatus eſt contemptibilior. Miles erat probatiſſimus *Achonem* primitus à *Sarracenis* occupatam ſtrenuiſſime obſedit, & diutius oppugnavit, ſed *Turcorum* jugiter creſcente multitudine à parte marina expugnare non prævaluit, quam ſicut prænotatum eſt vix duo Reges obtinere potuerant. Nunquid virtus ſimplicitatis obtinendo juri ſuo eidem debuerit obeſſe? eo nimirum jam ſecularis invaluit ſumma perverſitatis, ut is amplioris reputetur gloriæ dignior & honoris, quo geſtis noſcitur immanior, ſicque reverentiam acquirat aſtutia, dum ignominioſe jaceat pietas ſimplicitatis, hujus ſeculi regnante prudentia. Hic eſt *Guido* Rex ſine Regno. Veruntamen Rex *Richardus* ſuper ipſum motus pietate, & propter ipſius notam probitatem, Inſulæ *Cypri*, quamvis eam prius Templarii à Rege emiſſent, eidem contulit gratis Imperium. Sicque Rex *Guido* Templariorum emptionis commutata conditione Inſulæ *Cypri* factus eſt Imperator.

Rex Guido fit imperator Cypri.

CAP. XXXVIII.

Nuncii ab Anglia *ſæpe veniunt qui diverſa Regi nuntiantes Regem redderunt incertum quidnam ei faciendum eſſet.*

EO tempore, quo ſicut prædictum eſt *Tyro Marchiſus* occiſus eſt, frequenter venerunt nuncii ad Regem *Richardum* ſolicitantes ipſum ut repatriaret, quorum quidam afferebant omnia tuta, alii terram *Angliæ* in proximo occupandam, quidam perſuadebant ut repatriaret, alii perquirendæ peregrinationis terræ, quam adierat, omnem adhiberet diligentiam, ſic diverſis ipſius animum perturbabant aſſertionibus, ut cui jam cederet ſententiæ prorſus ambigeret. Cæterum Regis *Franciæ* ex anterioribus indiciis ſatis animum metiebatur, juxta quod proverbialiter dicitur, non proculdubio habet malum mane qui malum habet vicinum.

CAP. XXXIX.

Qualiter ſine auxilio Francorum *Rex* Richardus *tantum cum ſuis* Darum *expugnavit in* IV. *diebus, cepit in eo trecentos* Turcos.

INterea Comite *Henrico* cum *Francis* apud *Achonem* ſe ad expugnandum caſtrum *Darum* accurrentibus. Rex *Richardus* oſor deſidiæ cum ſuis exiit ab *Aſcalone*, & petrarias ſuas navibus membratim impoſitas verſus *Darum* deſtinavit portandas. Aſſignavit igitur qui cuſtodirent *Aſcalonem*, & mercede copioſiſſima conduxit ſervientes probiſſimos, quos ordinavit per vicina circumquaque caſtra ad obſervandos de die omnes tranſitus viarum, nocturnas etiam exercentes excubias ſolicite, ne qua forte poſſent, ſicut prius, verſus *Darum* liberum habere *Turci* diſcurſum, ad portanda victualia vel arma, vel quæcunque *Turci* procuraſſent ad exercitum ſuum *Jeruſalem* deportanda, vel ſicut conſueverant in tranſeundo apud *Darum* tutum ulterius haberent receptaculum, unde noſtris frequenter moliebantur inſidias. His ita diſpoſitis Rex cum ſuis tantum domeſticis armatus profectus eſt ad caſtrum *Darum*, quo quadam Dominica pervenientes non procul inde ſita ſunt tentoria ipſius & Comitum ejus. Verum propter gentis noſtræ paucitatem ambigebatur qua parte caſtrum obſideret, quoniam gens tantilla obſidione illud cingere nequibat, ſi enim ex omni parte gens diſperſa ſederet, *Turcorum* forte irruentium non ſufficeret ſuſtinere aſ-

ſultum,

fultum, fic nec hoftes expugnare, unde fimul verfus villam in quadam planitie refederunt collecti. *Turci* tam paucorum parvipendentes conatus à caftro exeunt, & dum aliquamdiu, tanquam experimenti caufa, noftros follicitaffent tanquam provocantes ad bellum, in caftrum denique fe receperunt, & obferatis firmiffime portis fe præparant defendere. Nec mora ecce petrariæ Regis navibus allatæ venerunt, quas Rex etiam cum aliis proceribus & nobilibus particulatim disjunctas, à littore portabant in humeris fuis eundo pedites, non fine fudore, ficut tunc vidimus, fere per fpatium unius milliarii: denique cum fuiffent confolidatæ & erectæ petrariæ, & cuftodibus affignatæ, ipfe Rex unam fibi affumpfit exercendam, qua turris principalis impeteretur, alteram habuerunt *Normanni*, *Pictavenfes* tertiam, omnes tres jaciebant ad caftellum diffipandum. *Turci* defolantur videntes fibi proximum imminere exitium, veruntamen imprimis fe viriliter tentabant defendere. Petrarias fine intermiffione die noctuque fecit Rex jacere. *Darum* eminebant XVII. turres fortiffimæ & convenienter aptatæ, quarum una fuit cæteris eminentior & fortior, quam & exterior foffa cingebat profundior, quæ etiam ex una parte ftrato confolidabatur pavimento, ex parte vero altera rupis eam imminebat nativa, genti vero perfidæ denique timor inerat ignaviæ, ne fe defenderet efficaciter, vel faltem inde fugeret. In craftino Rex foffores fecit fubtilius fodere fub terra, & pavimentum dirumpere, & murum cavare. Petrariæ jugiter jacientes mangunellum unum *Turcorum*, in principali turri erectum, crebris jam ictibus diffipaverant, unde *Turci* plurimum defolati funt. Verum primitus faxis & pilis arcuum & baliftarum noftros rejiciebant, miffilia enim denfiffime volabant emiffa. Baliftarii vero noftri in adverfariorum noftrorum vigilantiffime exitium, cum ipfos forte profpexiffent in propugnaculis expofitos, emiffis percutiebant miffilibus, quorum tot perimebant fauciatos, ut vix cæteri præ timore fe movere præfumerent, ftatus quidem eorum infirmus erat, & ecce porta caftri diruta eft, & igne fuppofito combufta, & cum petraria Regis difipata. *Turci* etiam jam miffi in defperationem ex continua vexatione non prævalebant ad defenfionem fufficere, quorum jam plurimi perempti funt, alii decubuerant vulnerati. Cæterum perpendebant Regem *Richardum* in omnibus, quæ inchoaffet operibus, conftantiffimum & invincibilem, & quod turres fuffodiendo & petrariis jaciendo nunquam quiefceret. Tunc exeuntes tres *Sarraceni* pervenerunt ad Regem, petentes pacem, offerentes caftrum reddendum, ea tamen conditione ut liberæ abirent omnes animæ, relictis rebus omnibus quæ fuerant ejus. Rex non confenfit, imo dixit ut fe defenderent in quantum prævalerent. Quibus in caftrum regreffis, petraria Regis vehementer acta nunquam quiefcebat; nec mora, turris quædam, quam fubterraneo meatu infirmaverant Regii foffores, crebris impulfibus vexata cum horrifico fragore corruit, *Turcos* à mina fugientes raptim noftri mifcentur cædentes, qui refiftere non valentes fe intromiferunt in turrim principalem, nequiffimo quidem ufi confilio univerfos equos fuos, ne alienum cederent in ufum, prius fubnervaverant. Ipfis fugientibus noftri viriliter ingrediuntur in caftrum, quorum primus erat *Seguinus* **Borret** cum Armigero fuo nomine *Ofpiardo*, tertius intrantium *Petrus* erat de *Gafconia*, alii poftea quamplurimi quorum jam nomina exciderunt. Baneria *Stephani* de *Longo Campo* prima muris imminebat impofita, Secunda Comitis *Leiceftriæ*, tertia *Andreæ* de **Chauegui**, quarta *Remundi* filii Principis, *Genuenfes* etiam & *Pifani* multiformia figna fua fuper muros erexerunt, ficque Baneriæ noftræ funt erectæ & *Turcorum* dejectæ. Ibi viderentur *Turci* velocius verfus turrim fugientes vel gladiis percuffi corruere, vel pilis transfixi deficere, antequam in turrim venire potuifsent, quos noftri in propugnaculis repererunt adhuc perfiftentes, ejecerunt eos in profundum membratim excerpendos in terram. Numerus occiforum diverfis in locis in caftro LX. *Turcorum* erat. Ipfi vero, qui confugerant in turrim, videntes fuorum perditionem, & caftrum occupatum, turrim nihilominus in proximo diruendam, ad quam quippe fuccidendam fe jam applicuerunt viri virtutis ad Regis inftantiam

Caftrum Darum à Rege Richardo captum.

R. Richardus propofitam ab obfeffis conditionem refpuit.

inſtantiam, perpendentes nihil ulterius ſalutis ſupereſse contra faciem Regis, ſe jam in extrema neceſſitate, die *Veneris* ante Pentecoſten, expoſuerunt Regiæ clementiæ dedendos in perpetuam ſervitutem; præſertim quia quidam potentiſſimus Admiratus *Caiſac* nomine, cujus tutelæ caſtrum fuerat commiſſum, ipſis opem ferre diſſimulavit. Comprehenſo itaque caſtro *Daro*, ferme XL. Chriſtiani reperti ſunt in vinculis captivi, ſoluti ſunt & libertati reſtituti. Nocte Sabbati ſequentis, fecit Rex ſuos *Turcorum* adhuc exiſtentium in turri cuſtodiam habere uſque mane Sabbati, igitur vigilia Pentecoſtes ad Regis imperium deſcendentes à turri *Turci* arctiſſimis uſque ad rugitum conſtricti ſunt loris, vinctis poſt terga manibus, quorum numerus trecentorum *Turcorum* erat, præter parvulos & mulieres. Sic ante *Francorum* adventum obtinuerat Rex *Richardus* eleganter cum ſuis tantum domeſticis caſtrum *Darum* expugnatum in quatuor diebus, plurimum quidem noſtri ſategerant ut abſque *Francis* id fieret, quod ad gloriam utique ipſis aſcribebatur ampliorem.

Caſtrum Darvi expugnatur.

CAP. XL.

Rex Richardus *Comiti* Henrico *adventanti apud* Darum *dedit ipſum Caſtrum & receſſit inde ad* Forbiam.

Comprehenſo *Daro* venit Comes *Henricus* cum *Francis* & Duce *Burgundiæ* eo verſus plurimum feſtinantibus, ut & ipſi ad comprehendendum caſtrum adeſsent, verum prius res conſummata eſt. Rex exiit obviam advenienti Comiti, & cum exultatione præcipua excepit deducens in caſtrum, cui quoque conceſſit, & coram plurimis donavit in obtinendi Regni primitias ipſum caſtrum cum pertinentiis perquiſitis vel perquirendis. In caſtro *Daro* die magno feſtivitatis Pentecoſtes commorati ſunt univerſi. Die Lunæ poſitis in caſtro cuſtodibus Comitis profecti ſunt verſus *Aſcalonem*, per mediam *Gazam* tranſeuntes uſque *Forbiam*, ubi Rex tribus ſedit diebus, cæteri vero uſque *Aſcalonem* profecti ſunt, ubi *Franci* Pentecoſtes feſtivitatem ſolemnizabant.

CAP. XLI.

Rex Richardus *audiens* Cayſac *Admiralium cum mille* Turcis *munire caſtrum* Ficuum, *illuc venit ut illud expugnaret, homines inde aufugerunt.*

Apud *Forbiam* quidam Regis explorator, rediens à partibus caſtri *Ficuum* vocati, retulit Regi in caſtro *Ficuum Sarracenos* mille vel eo amplius cum Admirato *Cayſac* reſidere, qui etiam caſtro intendebant ſolicite muniendo contra Chriſtianos illuc forte venturos, quo Rex audito ſine mora eo verſus profectus eſt, quem & ſequebatur exercitus. Prima nocte pernoctabant apud caſellum nuncupatum *Arundineum*, ſive *Cannetum Sturvellorum*, diluculo profecti ſunt uſque ad prædictum caſtrum *Ficuum*, quo propoſuerant, quod contra ipſos *Turci* prædicebantur munire: ſed ibi neminem invenerunt, præter duos *Turcos*, quos ſecum deduxerunt captivos; ejuſdem caſtri portas inde *Turci* recedentes ſolo tenus demoliti ſunt, valde velociter fugientes, cum innotuiſſet eis de Regis *Richardi* & exercitus adventu. Super captionem ſiquidem caſtri *Dari* non modicum exterriti, & eorum, qui intus ſunt reperti, perditionis non immemores, ſibi præcaverant, ne & ipſi in conſimilem inciderent quæſtionem. Igitur cum caſtrum ſic inveniſſent deſertum, aſcendentes in propugnacula eminentiora, circumquaque perſpexerunt, ſi qui hoſtium apparuiſſent, quos invaderent; non invenientes cum quibus inirent certamen reverſi ſunt, pernoctaturi uſque ad caſellum *Sturvellorum*,

CAP. XLII.

Nunciata perturbatione terrarum ſuarum per Johannem *Comitem fratrem ſuum nimis commotus eſt, & repatriare ſe velle aſſerit.*

APud *Cannetum Sturvillorum* venit ad Regem ab *Anglia* deſtinatus nuncius, clericus nomine *Johannes* de *Alenzum*, indicans *Angliam* turbatam per Comitem *Johannem* fratrem Regis,qui,nec perſuaſioni Reginæ matris ejus, vel quorumcunque aliorum conſentiens, propriæ potius ducebatur motu voluntatis, à Rege *Franciæ* crebris intercurrentibus nunciis ſollicitabatur, ut jam eo res proceſſerat, quod niſi quacunque occaſione nefaria proditio refrænaretur, in proximo aſſeruit imminere ut *Anglia* alienetur à Regis *Richardi* ditione. His auditis Rex turbatus rumoribus, poſtquam diutius in ſilentio penſitando volviſſet animo, quid potius videretur eligendum, poſtremo fatebatur, oportere ſe revera repatriare, ne ſolo natalis patriæ & Regno patrum ſuorum, tanquam exul, immerito efficeretur extorris. Nondum autem fama plenius propalata hujuſmodi Regis voluntatis quidam dicebant profecto Rex abiturus eſt, alii vero non, ſed perſeverabit, quia rumores incerti non avocabunt ipſum à tam pii operis conſummandi negotio, quia nimirum acquirendæ terræ per ipſum hoc non expediret, nec honori ſuo competeret.

CAP. XLIII.

Totus exercitus conſenſit in unum ire ſcil. obſeſſurus Jeruſalem, *ſive repatriaret Rex* Richardus, *ſive non.*

SUper Regis receſſu ſic diverſis diverſa ſentientibus conveniunt unanimiter in unum Duces exercitus & Magiſtratus, *Franci, Normanni, Angli, Pictavenſes, Cenomannenſes, Andegavenſes,* & una voce ſibi mutuo compromiſerunt, quod ſive abeunte Rege vel remanente ſine omni occaſione procederent verſus *Jeruſalem* obſidendam. Hoc in exercitu jam cognito, fit in populo inæſtimabilis lætitia, in commune gaudent univerſi, divites & pauperes, puſilli cum majoribus, nec jam in exercitu quiſquam erat, qui pro modo ſuo non exhiberet exteriora indicia, teſtimonium gaudii cordis interioris; unde uſque in mediam noctem, copioſis accenſis luminaribus, ducebant choros, diverſis concrepitantes cantionibus, &

Patefacto de obſidenda Jeroſolyma conſilio, ingentis lætitia totus

Pervigili ducunt noctis diſpendia plauſu.

Solius animum Regis ex auditis curarum urtica ſolicitat, qui profunde meditans alternas variat cogitationes, quarum mole fatigatus ſe lecto ſternit iratus. Nihilominus tamen intrante jam menſe *Junio*, ſub uno conſenſu totus ad progrediendum animatur exercitus.

CAP. XLIV.

Muſcæ dictæ Sincenellæ *apud* Ybelin *facies exercitûs extermînant pungendo, ut leproſi viderentur.*

AB Arundineto autem *Sturvillorum* Rex & exercitus procedentes per planitiem verſus *Ybelin* Hoſpitalariorum, juxta *Hebron,* prope vallem ubi nata fertur beata *Anna* mater Dei genetricis *Mariæ*, ibi moram faciens exerci-

tus lætabatur eximie ex ſpe progrediendi verſus *Jeruſalem*: ibi ingruebant exercitui muſcæ quædam minutiſſimæ, ſicut ſcintillæ volantes, quas appellabant *Cincenellas*. His circumquaque Regio vicina replebatur, hæ improbiſſime inſtabant peregrinorum acerrime pungentes manus, colla, guttura, frontes, & facies, vel ubicunque pars nuda patebat, quarum ſcil. puncturas tumor ſtatim ſequebatur ferventiſſimus, ut univerſi, quos punxiſſent, viderentur leproſi, à quarum moleſtiſſima infeſtatione, vix aptatis circa capita & colla velaminibus, potuerunt muniri, ſpe nihilominus exhilarati fortius adverſa toleranda ducebant, mutuo quippe ſibi fuerant confœderati univerſi fide media, ad progrediendum verſus *Jeruſalem* obſidendam. Regem ſolum ex auditis ſolicitudinis fluctus exagitat.

Ad obſidendam Hieroſolymam omnes mutuo ſe fœdere conſtringunt.

CAP. XLV.

Quidam capellanus Regis Regem alloquitur, ſermone valde diſſuaſorio, quo motus Rex repatriare diſtulit.

CUm die quadam Regem in meditatione ſolitarium, fixis in terram luminibus ſedentem in tentorio ſuo vidiſſet capellanus quidam *Pictavenſis*, nomine *Willielmus*, altius indoluit, & quoniam Regem ex nuntiorum relationibus exiſtimavit exaſperatum, ipſum convenire non præſumpſit, ut ex his animum exoneraret, quibus admodum urebatur; flens igitur amariſſime piis oculis reſpexit Regem nihil dicens, quod cum Rex avidum loquendi ex geſtientis nutibus perpenderet, advocato dixit ei. Domine capellane fidelitate mihi debita te obteſtor, quatenus, omni amota dilationis & ſimulationis ambage, mihi edicas qua cauſa ſic fleveris, ſi me forte tantæ tuæ triſtitiæ reſpexerit occaſio. Cui cappellanus, oculis lachrymis gravidis, voce demiſsa, non, inquit, prius dicam quam revera mihi conſtiterit excellentiam veſtram ſuper expoſitis meis adverſus me non exacerbandam; Rex jurejurando ſpopondit impunitatem: tunc capellanus confidens ſic orſus eſt. Domine Rex ex eo quod reditum acceleras in patriam in exercitu ab univerſis defamaris, ab his maxime qui familiarius tuum optant honorem, quod Deus avertat ut incertorum occaſione rumorum ab hujus terræ deſolatæ avertaris acquiſitione, hoc quidem in æternum opprobrium credimus vobis cedendum, clarioris gloria cœpti non obfuſcetur regreſsu celeriori, non in poſterum objiciatur ignaviter receſſiſse pendente negotio. O finis plurimum diſſimilis prædicandis, ſi derogat inceptis. Provideatur oro ne glorioſum meritum inchoantes denigret virtus emarceſcens in poſterum. Domine Rex memento quanta tibi fecerit Deus, qui ubique tuos memorandos in ſecula proſperaverit actus, quibus glorioſiora vel frequentiora nunquam Rex tuæ ætatis fecerit. Rex recordare quod cum eſſes Comes *Pictaviæ* nullum unquam habueris vicinum tantæ virtutis, vel animoſitatis adverſarium, qui non tuis ſubactus viribus manus daret. Rex memento magnarum contentionum turbarumque *Brabaconum*, quas toties diſſipaſti rara manu & diſperſiſti, Rex memento quam glorioſe triumphaſti, ad amovendam obſidionem apud *Hauteforđiam*, quam Comes de Sancto *Ægidio* obſedit, & tu ipſum abegiſti, & probroſe effugaſti. Rex memento Regni tui, quod abſque ſcuto & galea liberum obtinuiſti & quietum, ſine quorumcunque contradictione. Rex memento tuarum tantarum virtutum, qualiter tot & tantas gentes ſubegeris, cum civitatem *Meſſanam* viriliter comprehenderis, quam te probum illuc exhibueris, cum gentem *Græcam* repreſseris, quæ te laceſsere & debellare præſumpſerat, à quorum manibus te divina liberavit clementia, ipſis peſſundatis & confuſis. Recole Rex virtutum inſignia, quibus te Deus ditavit, ſecundum divitias gratiæ ſuæ, quando *Cyprum* Inſulam ſubjugaſti, quod ante te nullus unquam præſumpſiſſe auſus eſt, quam in xv. diebus debellaſti,

Præcipua R. Richardi geſta hic enumerantur.

debellasti, quod auctore quidem Deo potuisti, & quod Imperatorem captivaveris, quodque navem illam singularem, quæ vento adversante in portum *Achonensem* intrare non potuerat, accurrens cum galeis tuis obruisti cum octingentis *Turcis* armatis, quando serpentes absorpti sunt fluctibus marinis. Memento Domine Rex obsidionis *Achonensis*, ad quam tempestive comprehendendam advenisti, & te oppugnante reddita est, & ab ægritudine, quam dicunt *Arnaldiam*, qua nimium lavoraveris, miserante Deo convaluisti, aliis quampluri-mis principum eadem infirmitate morientibus. Memento Rex terræ hujus, quam tuæ Deus commisit tutelæ, cujus te solum respicit cura, ex quo Rex ille *Franciæ* ignaviter abiret. Rex memento captivorum Christianorum quos à vinculis liberasti apud castrum *Darum*, quos *Turci* deducendo in captivitatem constrinxerant, quibus ut subvenires eo te Deus destinavit. O quam alto perpendere haberes intuitu cordis, quod te Deus innumeris honoraverit triumphis, & magnificaverit successibus, ut non jam sit Rex vel Princeps qui tibi resistat ulterius. Nunquid excidit memoriæ recenter subactum tua virtute & instantia castrum *Darum*, in quatuor diebus? & quid super eo sentiendum quod, cum minus provide recubans somno occupatus ab improba gente perfidorum pene opprimereris, ac te Deus expeditius illæsum eruerit à manibus eorum? singula quid memorem, quoslibetve ubicunque terrarum adversantes tua denique forti manu subactos, urbesve quassatas, & quodcunque proposueris feliciter exsuperasse negotium? Memorare quod ab occiduo huc usque egressus orbe ubique victor extiteris, ante tuos pedes vinculandi prociderint hostes, ante cujus faciem, *Nec cadere* Antheo *nec crescere profuit* Hidræ. Jam te tremit Soldanus, te *Babylonis* stupuere sinus, *Turcorum* impetus horret, & quid amplius? Omnes dicunt in commune, quod tu omnium pater extiteris, tu patronus & defensor Christianitatis, quam si modo deserueris, idem est ac si inimicis exposueris diripiendam. O Rex fortis ut cœpisti perdura diutius, opem genti confer isti, te sperat attentius protectorem, ope Christi procede felicius.

CAP. XLVI.

Rex voce præconaria per exercitum clamare fecit se non repatriaturum usque post Pascha.

IN hæc verba capellani Rex suspensus, in silentio volvebat multa animo, pensans verborum virtutem, ipso nimirum loquente capellano Rex omnino tacuerat, similiter & illi, qui cum ipsis consederant in tentorio, intenti ora tenuerant. Regis quidem eodem sermone commutatum est cor, & confirmata est cogitatio, ut clariori consolidaretur certitudine. Et ecce in crastino hora nona reversus Rex & omnis exercitus extra pomeria foris *Ascaloni* consederat, existimantibus singulis revera Regem recessurum, & quod jam reditum acceleraret. Verum mutato proposito, per inspirationem gratiæ Dei, & sermonem capellani, dixit Comiti *Henrico* nepoti suo, & Duci *Burgundiæ*, aliisque proceribus, quod nec per nuntium qualemcunque solicitantem, sive quoscunque rumores vel querelas, ante Pascha recederet à terra. Igitur pridie Nonas *Junii*, scil. in hebdomada Sanctæ Trinitatis, accersito *Philippo* præcone suo, jussit ut per exercitum clamaret notificans, Regem *Richardum* usque ad Pascha in terra remansurum absque omni dubietate, & ut singuli juxta possibilitatem suam se expedirent, instruentes ad civitatem *Jerusalem* obsidendam.

CAP. XLVII.

Audita Regis voluntate lætatur exercitus, & se præparat ad expugnationem Jerusalem.

AUdita voce præconis velut avis ex die parente congratulabantur universi. Tunc sine dilatione omnes se instruunt, sarcinas procurant, ad iter expediunt, & protensis in cœlum manibus dicebant. Te Deus omnipotens adoramus, & gratias agimus, quod nunc civitatem tuam videbimus, in qua *Turci* jam diuturniorem moram egerunt. O quam felix tanta nostra dilatio! quam beata expectatio? quam condignæ tribulationum singulorum passiones? quoniam tam optatæ jam sequitur visio civitatis. Hæc & his similia singulis protestantibus sola eos vexabat solicitudo & procuratio procedendi. Præterea turba vulgi humilioris, quam spes effecerat alacriorem, victualium sarcinas propriis gestabant cervicibus, singulis se proculdubio afferentibus ad unius mensis sufficientiam ferre copiam escarum, adeo quidem versus *Jerusalem* optabant progressum, nihil est etiam quod non exuperet animus volentis, dummodo fuerit voluntarius, & divinus emollit famulatus asperiorem duritiam.

CAP. XLVIII.

Rex & exercitus ab Ascalone *versus* Jerusalem *tendens venit ad* Candidam custodiam, *ubi duo ex nostris moriuntur morsu serpentum.*

IGitur ut prædictum est singulis se ad expeditionem instruentibus unanimiter placida gratitudine congruere videbantur quæcunque fiebant. Sedens itaque extra *Ascalon* Rex & exercitus, jam prorsus ad iter instructus, die Dominica, scil. in Octavis Sanctæ Trinitatis, ab *Ascalon* exiens progressus est summo mane versus *Jerusalem*. Gens egregie instructa, gens electa paulatim egreditur propter æstum. Ibi ditiores inferiorum compatientes impotentiæ, charitativo gratum ducebant succurere obsequio, & liberalitatis humilitate peditibus præbebant vecturam, & qui habebant equos, vel cujuscunque generis jumenta, pauperioribus peregrinis exhibebant, ad portandum & ipsos & sarcinas eorum, & ipsi pedites gratis post ipsos ambulabant, scil. juvenes expediti & potentes ad itinerandum. Ibi videre fuit innumeras ventilantes Banerias insignes, multimodosque penuncellos, tot matrum filios, tot regionum oriundos, tot arma multiformia, galearum apices gemmis vernantes, loricas nitentes, flammeos in scutis reptantes leones, vel aureos volitantes dracones, equos arduos ad cursum ferventiores, quorum indignata teneri spumescit ardore habena, tot mulos, tot lanceas acuta cuspide micantes, face gladiorum relucet aer, tot milites probatos & electos, quod, me judice, sufficerent ad *Turcorum* multitudinem, & satis ipsis majorem, conterendam sive sustinendam. Itinerando itaque adeo profecerunt, quod jam fluvium dulcis aquæ transeuntes pervenerunt usque ad candidam custodiam, in exterioribus igitur planitiis fixis tentoriis alacriter pernoctabant. Ille nocte prima duorum morsibus serpentum miles quidam, & ejus armiger interierunt, intra modicum terræ spatium, quorum animas Deus absolvat, in cujus obsequio sunt deprehensi. Ibi duobus diebus commoratus est exercitus.

Ditiores pauperibus subveniunt.

CAP.

CAP. XLIX.

Rex cum exercitu tribus diebus venit ad Betenoble *à* Candida cuſtodia, *expectans ibi populum per unum menſem, & multa interim inſigniter faciens.*

TErtia die quinto Idus *Junii* prodibat conglobatus exercitus, & abſque impedimento vel adverſitate pervenerunt uſque ad *Turonem militum.* Ea nocte comprehenſi ſunt quatuordecim *Parthi* à noſtris, qui de montibus deſcenderant ad prædandum. In craſtino poſt prandium motus eſt exercitus, præcedente ipſo Rege, cum domeſticis ſuis verſus caſtellum *Arnaldi*, in cujus parte dextra eminentiori figi ſibi juſſit tentoria. In craſtino venerunt *Franci*, & cunctus exercitus, profecturi verſus Betenoble; ibi aliquamdiu ſedit exercitus, ut expectaret Comitem *Henricum*, quem Rex miſerat uſque *Achonem*, ut ibi reſidentem in otiis ad expeditionem populum adduceret, ea propter oportuit totum commorari exercitum, per unum menſem vel plus, ad radicem montis, qua tranſire ſolebant peregrini, & à Sancta civitate reverti, Dum ea valle qua reſederat commorabatur exercitus, plura contingere vidimus accidentia, quæ non exiſtimamus prætereunda ſilentio. In craſtino Sancti *Barnabæ*, ſcil. die *Veneris*, Regi nunciante ſpeculatore *Turcos* in montanis ſedere in inſidiis tranſeuntium, Rex ſummo mane ad montana profectus eſt, *Turcos* quæritans uſque ad fontem *Emaus*, & in aurora ipſos comprehendit improvidos, in quos irruens xx. peremit, alios diſſipavit, cepit quoque præconem ipſius *Salahadini*, qui ſua clamando proponere ſolebat edicta, illi ſoli pepercit, & comprehendit tres camelos, & equos, & mulos, & pulchros *Turkemannos*: præterea ſibi lucratus eſt duas mulas optimas, onuſtas pretioſiſſimis ſericis indumentis, ſpecierum etiam genera multa *Aloen* & cætera, *Sarracenos* igitur perniciter proſequendo per montana fugavit, fugitantes cædendo, quouſque unum eorum in valle quadam conſecutus transfoſsum ab equo dejecit moribundum, quo contrito Rex proſpiciens vidit eminus civitatem *Jeruſalem* apparere.

C. Henricus Achonem à Rege miſſus ut milites ibi otioſa degentes ad exercitum adduceret.

Salahadini præco capitur à Rege Richardo.

CAP. L.

Turci *in* Jeruſalem *audientes Regem advenientem trementes fugerunt, &* Salahadinus *ſe præparavit ad fugam.*

IGitur cum ex fugientibus *Turcis* innotuiſset his, qui reſederant in *Jeruſalem*, Regem *Richardum* adventare, vehementer extimuerunt, ut, ſi Rex in illo formidinis ipſorum articulo proceſſiſset cum univerſo exercitu, profecto deſeruiſsent civitatem *Jeruſalem Turcis* quietam, & liberam Chriſtianis habitandam. *Sarraceni* quippe exeuntes velocius aufugerant univerſi, ut nec eſſet qui civitatem muniret, vel in ipſa reſidere præſumpſerat, nec minis *Soldani* diſtrictus, nec mercede allectus. *Salahadinus* nihilominus equum ſuum meliorem exegerat, & agiliorem ſibi præceperat exhiberi dextrarium, ut fugeret à facie Regis *Richardi*, quem non auſus eſt expectare.

CAP.

CAP. LI.

Item dum apud Betenoble *morarentur* Franci, *cum ducentis* Turcis *pugnantes confunderentur, nisi Episcopus* Salesburiensis *supervenisset eis in auxilium.*

EAdem die, dum Rex talibus intenderet studiis, & vacaret negotiis, ducenti *Sarraceni* à montanis descendentes in plana versus tentoria *Francorum*, totum conturbabant exercitum antequam effugarentur, duos namque ex nostris satellites jam peremerant, qui longius exierant ob quæritandum pabula jumentis, ad quorum clamorem *Franci* prosilientes, Templarii quoque & Hospitalarii irruerunt in *Turcos*, qui ad radicem montis viriliter restiterunt nostros audacter repercutientes : *Turci* quippe congredi cum nostris vehementer refugiunt in planis, in montis vero descensu restiterunt, & unum ex nostris militem repente prostraverunt, unde *Franci* non minima denotabantur infamia. Ibi miles quidam nisi ordinis sui regulam fuisset transgressus memorabilis virtutis gessisset insigne, attamen id præsumpsisse potius videretur ascribendum audaciæ quam probitati; Hospitalarius hic erat, nomine *Robertus* de Bruges, qui cum jam Regium vexillum pertransisset, venit ad Regem, equo cui sedit peroptimo calcaribus vehementius acto, & suorum ordinem indisciplinate deseruit, & ex aviditate congrediendi cum hostibus, antequam alii ordine militari procederent, ferebatur solus in hostes; *Turcum* itaque quendam, quem decentissime prospexerat armatum, ex opposito veniens rapido cursu aggressus cum fortissima, quam gerebat lancea, tenacissima qua muniebatur *Turcus* armatura frustrata, medio transfodit corpore, ut jam emineret penetrato lancea tergo. Decidit in terram *Turcus*, cujus corpus non est ibi relictum, simul igitur universi nostri equis admissis irruerunt in hostes. Dixit igitur magister Hospitalariorum *Gerverius* prænominato *Roberto* de Bruges ut ab equo descenderet, & ordinis attenderet disciplinam, cui frater obtemperans pedes usque ad tentorium à loco certaminis regressus est, sic in patientia fuit expectans, quousque viri potentes & nobiles, coram magistro *Garverio* geniculantes, veniam impetrarent fratri *Roberto*, super transgressionis recessu, sed ut de cætero sic gerere caveret. Diutius igitur dubio utrique desudantes certamine pari voto insistunt imminentibus. Cœlum Marte tonat, sanguine madescit humus, collisi tinniunt enses, clipei crepitant, hos ira, illos agitat furor. Jam nimium nostri fatigati pondere belli, fluctuare cœperunt, & ecce, Deo providente, audito congredientium tumultu, eo venit Comes de Perthi, qui tamen se timide habuit, Episcopus vero *Salesberiensis*, nisi citius occurrisset *Franci* confunderentur in illa die.

Roberti de Bruges præclarum facinus.

CAP. LII.

Item dum ibi morarentur perplurimi milites nostri, quorum custodiæ deputata est Caravanna nostra à Joppe *ad exercitum ducenda, à* Turcis *vilissime tractati & durissime cæsi, & per Comitem* Leicestriæ *liberati sunt.*

QUinto decimo Kal. *Julii*, hoc est die Sancti *Botulfi*, scil. die *Mercurii*, egressa Caravanna nostra de *Joppe* versus exercitum veniebat, onusta victualibus, & aliis clitellis necessariis. Caravanæ conducendæ deputatus erat ea die *Ferricus* de *Viana* vice Comitis *Henrici*, qui custodire debuerat extremos,

mos, qui miſſus erat *Achonem*. *Ferricus* itaque rogaverat *Baldwinum Carron.* & *Clarenbaldum* de monte *Chablon.* ut ea die pro ipſo Carravannam cuſtodiret, ne forte diſsolutius oberrarent vel minus provide ſegregarentur. Verum incautius evagantes ea die ſuam luebant incuriam & negligentiam. Ibi fuit *Manaſſerius* de *Inſula*, & *Richardus* de **Orques**, & *Theodericus Philippus*, & quidam ſocii *Baldwini* de **Carron**, *Otho*, & armigeri plurimi, & conſanguinei & amici eorum, quorum amicitia probabatur in neceſſitate. Anterioribus itaque expeditius itinerantibus, ſequebantur tardius extremi paſſibus moroſis, & ecce ſubito non procul à *Ramula* proſilientes *Turci* à latebris inſidiarum, equites à montanis cum impetu rapidiſſimo irruerunt in extremos noſtros, ſinguli certatim alios anticipare cupientes, equos itaque, qui habuerunt extremam noſtrorum catervam, penetrantes tranſibant, Ibi dejectus eſt equo ſuo *Baldwinus Carron.* qui, ſtatim extractum vibrans gladium, ab impetentibus juges multiplicans ictus ſe fecit inacceſſibilem. In illo congreſſu nihilominus exturbati ſunt ab equis *Richardus Torques*, & *Theodericus*: *Baldwinus* autem fortius dimicabat, donec homines ſui equum ei exhibitum, quem adquiſierant, ipſum fecerunt aſcendere. Ibi videres conflictum acerrimum, & decentiſſimas congreſſiones, & percuſſiones aptiſſimas, gladios exertos ſcintillare, invaſiones infatigabiles, & occurſus rigidiſſimos, equos innumeros ſeſſoribus dejectis vagari, *Turcos* ruere, noſtros inſtanter dimicare. Quoties *Turci* quemcunque proſternerent, alii ſe in turbam ingerentes proſtratum erectum equum aſcendere fecerunt, & ſibi mutuis probiſſime auxiliabantur collationibus. Verum ſorte plurimum impari contendebant noſtri, dum ſatis pauciores illis hoſtilibus catervis immixti ſinguli longius digrederentur ab aliis, & inter hoſtes præ multitudine eorum quaſi abſconderentur, unde *Turcorum* multitudine noſtros excludentium non fuit plurimum mirandum, ſi conſtantiſſimorum etiam quis dejiceretur, tot hoſtium incurſione gravatus, pila nimirum *Turcorum* denſiſſime volantia equos vulnerabant, & nimium debilitabant. Præterea ecce denuo proſtratus eſt ab equo *Baldwinus*, qui confeſtim armigerorum ſuorum uni præcepit ab equo, cui ſederat, deſcendere, & ei contradere; *Baldwinus* aſcendit, & ſine mora illius ſui armigeri, qui dum equo ſedit, probiſſime ſe geſſerat, vidit caput amputari. Ibi ſe defendentes conſtiterant noſtri, ibi comprehenſus eſt *Philippus* ſocius ipſius *Baldwini*, qui præ aliis omnibus ſe gerebat inſignius. Cum *Philippo* quoque abduxerant *Turci* quendam armigerum præſtantiſſimum, & fratrem *Richardi* occiderunt. Ibi quidem horrendus timidis videretur iteratus congreſsus, contendunt gladiis, concertant totis viribus *Baldwinus* & ſocii ejus. Porro *Clarebaldus* de monte *Chablun.* jam ipſos deſeruerat fugiens perniciter, ex quo *Turcorum* proſpexit creſcere multitudinem. Ibi quoque renovatur conflictus acerrimus, ibi tertio equo dejicitur *Baldwinus*, & ipſum adeo clavis contundunt ut propemodum redderetur inutilis, ſanguis ei emanabat plurimus a naribus & ore, & enſis ejus acumen ab aſſiduitate feriendi fuit retuſum, & inefficax confracto mucrone, hoſtium itaque conſtipatus mole ingruentium exclamavit voce magna ad *Manaſſerium* de *Inſula* militem præſtantiſſimum, & *Turcos* omnes conterrentem, dicens O *Manaſſeri* igitur me deſeris, quo audito *Manaſſerius* ocior advolat ad exutiendum *Baldwinum* ab inſiſtentium *Turcorum* improbitate; porro plures erant *Turci* & ipſis duobus invincibiles, qui dum diutius duo contra innumeros decertaſsent, in ipſa congredientium multitudine equo etiam dejectus eſt *Manaſſerius*, quem jam proſtratum crudeliter flagellabant clavis ferreis & dentatis, & ipſum ſtantes adeo laniabant, & vulnerando contriverant, & immiſericorditer vexaverunt, ut & ejus unam tibiarum uſque ad medullam detruncarent, ſicque *Baldwinus* & *Manaſſerius* in hoſtili turba depreſſi, ſuis ignorantibus quid de ipſis factum eſset, erant perditi. At ecce miſit eis Deus liberatorem & propugnatorem præſtantiſſimum Comitem de *Leiceſtria*, qui ſtatum ipſorum ignoraverat. Comes igitur cum impetu magno adveniens quendam quem primum habuit obvium ab equo ſtatim dejecit, cujus caput *Auſconus* ſocius *Stephani* de

Philippus à Turcis captus.

Baldwinus & Manaſſerius vulnerati.

de *Longo Campo* amputavit, & procul abjecit. Ipſe quoque *Stephanus* viriliter ſe geſſit in omnibus articulis, & ecce gens noſtra crevit,& *Turcorum* virtus elanguit, & converſi ſunt in fugam verſus montana præpete curſu abeuntes, præter eos quos conſequuti ſunt noſtri. Vulneratos igitur noſtros, qui jacuerant, leviter equis impoſitos uſque ad exercitum deduxerunt. Sic igitur quod ea die geſtum eſt æſtimabatur mihi memorandum, & quod per Comitem de *Leiceſtria* effugati ſunt *Turci*, qui quoſdam interfecit, quoſdam cepit.

CAP. LIII.

Item dum ibidem morarentur, quidam Epiſcopus Surianus *de Sancto* Georgio *quandam crucem Dominicam Regi* Richardo *detulit & dedit.*

QUidam Epiſcopus *Surianus* de *Sancto Georgio*, qui deſtructa regione circa *Jeruſalem* cum eo primum veniſſent *Sarraceni*, pro ſe & pro ſuo genere ſub *Salahadino* tributarius extiterat, cum quadam Sanctæ crucis particula venit ad Regem *Richardum*, cum maxima turba virorum ac mulierum gentis ſuæ, & Regi crucem illam tradidit.

CAP. LIV.

Item dum ibidem morarentur quidam Abbas Regi dicebat ſe particulam quandam Sanctæ crucis abſcondiſſe in loco quodam, ad quem Rex cum Abbate veniens partem illam invenit, & cum populo adoravit.

ITem accidit tertia die ante feſtum Sancti *Johannis Baptiſtæ*, die Sancti *Albani*, ubi tunc morabatur exercitus, ut ex rumore Regi notificato univerſus conſolaretur exercitus, venit enim ad Regem quidam Abbas religioſiſſimus, forma vultus ſignificante ſanctitatem, de Sancto Elye extitit Abbas,barba prolixa, capite cano, effigie reverenda. Hic dixit Regi ſe quandam Sanctæ crucis particulam à multo tempore ſervaſſe occultatam, quouſque opitulante Deo terra Sancta vacuaretur a *Turcis*,& in priſtinum ſtatum reſtituerentur univerſa, hujus repoſiti theſauri ſe ſolum conſcium aſſerebat, a *Salahadino* quoque ſe ſæpius dicebat arctatum, & ut crucem illam proponeret difficillimis quæſtionibus frequentius coercitum, ſed ſe ſemper exactorem dubia ſuſpendiſse ambage, & fruſtratoriis deluſiſse reſponſionibus, quem cum hujus inquiſitionis occaſione ſtrictiſſimis mandaſset *Salahadinus* loris arctari, ſe conſtanter aſseruit Abbas crucem illam amiſiſse in comprehenſione civitatis *Jeruſalem*, ſicque deluſa ſolicitudo quærentis eſt. His auditis Rex confeſtim cum gente plurima cum Abbate ſeriatim profectus eſt uſque ad deſtinatum, de quo Abbas prædixerat locum, qui ſanctam crucem illam a loco ſublatam alacriter retulerunt cum reverentia condigna ad exercitum, quam & populo ſumma cum devotione certatim oſculante adoraverunt, ubertim piis fluentibus lacrimis.

Liber

Liber Sextus.

CAP. I.

Rex Richardus, *Francis* volentibus ire versus *Jerusalem*, *pluribus de causis non consuluit sine consilio Templariorum & Hospitalariorum & indigenarum.*

IGitur, cum sanctam illam diutius in exercitu crucem adorassent, super illa non modicum gavisi, plebs & vulgus ignobile conquesti sunt dicentes, Domine Deus quid igitur erit nobis? nunquid adhuc in *Jerusalem* eundum est? quid ultra faciemus? an ad itineris illius consummationem durabimus? & factum est murmur in turba & maxima querela. Super his tractaturi conveniunt Rex & majores in populo, utrum expediret ad *Jerusalem* obsidendam prodire an non, *Francorum* quidam Regem attentius rogabant, & sæpius hortabantur ut procederet ad obsidionem, quoniam hoc convenientius videbatur. Quibus Rex è contrario respondit hoc fieri non posse, ne me, inquit, in hoc negotium ducem videbitis deducendi populi, unde notam incurram reprehensionis vel infamiæ, imprudentis quidem est æstimatio huic me deputari præsumptioni, si autem vobis placuerit nunc *Jerusalem* petere, vos non deseram, socius ero vester non Dux, prosequar non præcedam, quicquid in nostro apud nos agitur exercitu novit *Salahadinus*? quem status noster scitis latet, quæ sit virtus nostra vel virium effectus, à maritimis plurimum distamus, quod si forte *Salahadinus* cum gente sua descenderit in plana *Ramulæ*, & transitus viarum observantes, ne quid ad nos victualium perveniat usitatos obsederint meatus, nunquid non æstimandum hoc esset perniciosissimum obsidentibus? & nimis sero pœnitenda luerent inchoata. Præterea civitatis *Jerusalem* obsidendæ, sicut accepimus, amplissimus est ambitus, quam si tantilla gens nostra undique proportionaliter obsideret, non sufficeret bipartitus noster exercitus, & ad obsidendum, & ad excutiendos victualium nostrorum portitores, si forte à *Turcis* invaderentur, imo prorsus de facili perimerentur universi, quibus nimirum non essent auxiliatores. Ego igitur si hujus præsumptionis auctor existerem, & exercitui me duce quid infortunii, quod absit, accideret solus reputarer arguendus fatuitatis, & super universorum periculo reprehensibilis, si nunc exercitum ad obsidendam *Jerusalem* producerem. Cæterum proculdubio certissime novi nonnullos hic in præsentiarum esse, nec non & in *Francia* tales, qui pridem non ignorantur voluisse, & nunc etiam velle, & plurimum optasse, me talibus negotiis minus provide operam impendisse, sive opera perpetrasse, quæ merito possent redargui, & ego contraherem detestabilis crimen infamiæ. Ea propter in tam arduorum aggressus negotiorum, sub incertitudine tam dubia, non arbitror incircumspectius præpropere præcipitandum. Nos præterea vel gens nostra alienigena hujus regionis prorsus situs ignoramus, nec viarum transitus, vel locorum angustias, quibus cognitis tutius procederemus & cautius, quatenus optatis gauderemus successibus: Indigenarum autem consilio, qui territoria sua & pristinas desiderant recuperare hæreditates, quicquid ipsis commodius visum fuerit, qui terrarum noverint plenius tractus, reor salubrius agendum. Templarii quoque & Hospitalarii quicquid æstimaverint, & fideliter decreverint, potius aggrediendum, imitabile videtur utrum ad obsidendam *Jerusalem* sit progrediendum, vel ad *Babyloniam* comprehendendam, vel *Baruth*, sive ad *Damascum*, ipsorum quidem in agendis nostris si imitamur decretum, non, ut nunc est, tanta dissensione noster in adversa distraheretur exercitus.

CAP. II.

Communi aſſenſu viginti viri diſcreti eliguntur quorum conſilio ſtent univerſi, qui jurati Babyloniam *potius quam* Jeruſalem *adire conſulunt, Rege hoc annuente* Franci *contradicunt.*

AD Regis igitur exhortationem communi decretum eſt aſsenſu ut, quicquid viginti jurati fideliter arbitrenter agendum, abſque contradictione unanimi ſequerentur aſsenſu. Electi ſunt igitur ad id decernendum de Templariis quinque, de proceribus *Francorum* quinque, de Hoſpitalariis quinque, de *Surianis* terræ illius indigenis quinque, hi viginti convenientes in unum, cum aliquamdiu mutuo ſuper prædictis tractaſsent, potioris reſponderunt fore proculdubio commoditatis *Babyloniam* obſidendam adire. Quod audientes *Franci* conſtanter contradixerunt, nec ſe alias quam *Jeruſalem* obſidendam profecturos poteſtabantur. Cum Rex *Francorum* attendiſset protervium & defectionem, turbatus reſpondit, *Franci*, inquit, ſi meis acquieſcerent conſiliis, & juxta prædictorum juramentum ad *Babyloniam* obſidendam procedere voluerint, ecce claſsem meam apud *Achonem* decenter inſtructam eis exhiberem, ad portanda victualia & omnia neceſsaria, & exercitus confidenter procederet per maritima, ego quoque ſtipendiis meis eo deducerem milites ſeptingentos nomine Domini, & duo millia ſervientium. Præterea ſiquis ope vel pecuniæ meæ, vel quorumcunque, quæ mea ſint, indiguerit, pro certo exponendum noverit liberaliter, prout cuique opus videbitur. Porro quia ipſis ſecus æſtimatur agendum, me quidem cum ipſis non inficior iturum, ſed tantummodo cum domeſticis, & non alienos conducturum. Tunc ſine dilatione præcepit ut in tentoria Hoſpitalariorum ſui convenientes ſolicite inquirerent quod quiſque ad conſummandam conferret obſidionem, & quantam gentem ibi exhiberet. Venerunt quidem & ibi, ut prædictum eſt, compromiſerunt magnates cum cæteris ad obſidionem ſe magna exhibituros, qui & minimum habebant in loculis. Verum ſuper tam ambiguis & incertis articulis nimis indiſcrete videretur præſumptionis illud appetiſſe, vel etiam inchoaſſe *Jeruſalem* obſidere, poſtquam jurati id tanto opere agendum fuiſſent dehortati.

R. Richardus multa promittit Francis, ſi ad Babyloniam obſidendam pergere velint.

CAP. III.

Item dum ibi morarentur, Bernardo *Regis exploratore nunciante Carravannas maximas de* Babylonia *venientes, proſiliit Rex ad eas comprehendendas cum* Francis, *& è contra* Salahadinus *miſit milites ad eas obſervandas.*

IGitur dum ſuper his quæ à ſingulis obſidioni conferri deberent ſolicitius indulgerent, ecce *Bernardus* explorator Regis *Richardi* cum aliis duobus, qui illius terræ fuerunt omnes indigenæ, cum veſtibus *Sarracenicis*, qui de partibus *Babyloniæ* venerunt, qui revera à *Sarracenorum* in nullo diſcrepabant habitu, & *Sarracenorum* ſolummodo vacabant ſtatum diligentius addicere Regi *Richardo* notificandum, nemo ipſis efficacius *Sarracenico* loquebatur idiomate, horum trium quilibet, hujus gratia miniſterii, prius acceperat à Rege *Richardo* centum marcas argenti. Hi igitur notificaverunt Regi, ut ſine mora cum ipſis ipſe ſimul cum gente ſua veniret ad intercipiendas Carravannas à *Babylonia* venientes, ad quas ipſos ſe ſpoponderunt proculdubio conducturos.

Rex

Rex ſuper auditis admodum exhilaratus mandavit Duci *Burgundiæ*, ut in hoc negotium cum ipſo expeditius veniret *Francos* ſecum adducens, qui ſic quidem fecit, ſed ea conditione ſe *Franci* compromiſerunt eo profecturos ut tertiam partem quæſtus haberent, Rex annuit. Igitur indilate prodeuntes æſtimati ſunt quaſi quingenti milites bene armati, & ſervientes expeditiſſimos mille duxit Rex conductitios. Rex alios antecedens, adveſperaſcente jam die,proceſſerunt tota nocte, ad Lunæ ſplendorem itinerantes, uſque ad *Galatiam*: ibi modicum quieſcentes propter victualia *Aſcalonem* miſerunt, interim diligentius ſibi Caventes armis muniebantur, donec redirent vernaculi, qui propter victualia miſſi fuerant. Porro ex quo gens noſtra primitus, ut dictum eſt, ad comprehendendas Caravannas promota eſt, ſtatim explorator quidam indicavit rem *Salahadino* in *Jeruſalem*, quod viderat Regem *Richardum* cum gente ſua verſus Caravannas ſuas accelerantem, & ſic revelatum eſt conſilii noſtri myſterium. *Salahadinus* igitur confeſtim quingentos *Turcorum* electos miſit properanter ad conſervandas Carravannas, hi habebant arcus & cannas, qui,cum omnes convenient in unum, cum his qui prius Caravannis deducendis deputabantur, duo millia equitum æſtimabantur exceptis peditibus plurimis.

Salahadinus 500. Turcos electos mittit ad Caravanas conſervandas.

CAP. IV.

Dum Rex cum ſuis viriliter cum Turcis *dimicando cepit Caravannam unam pretioſiſſimarum rerum, quarum pretium æſtimari non poterat & innumerabilium camelorum, Dromedariorum, equorum, aſinorum.*

DUm Rex *Richardus* cum gente ſua apud *Galatiam* conſiſtit, ecce quidam explorator indicans ei unam Caravannam de prædictis Caravannis tranſire per rotundam ciſternam, ad quam feſtinanter comprehendendam monuit procedere,& exercitum interim ſe cohibere, quiſquis, inquit, hanc Carvannam comprehenderit maximum quæſtum faciet; verum quoniam ille explorator illius terræ fuerat oriundus Rex ei ſoli certiſſimam fidem non arbitrabatur habendam. Miſit igitur ſtatim *Bedewinum* quendam, & duos vernaculos *Turcopolos* prudentiſſimos, ad rei veritatem inquirendam & certius indagandam, quos & in modum *Bedewinorum* redimitos fecit *Sarracenis* aſſimilari, de nocte quoque profecti tranſierunt colles ſpeculis aptos, viciſſim deſcendentes, donec proſpexerunt *Sarracenos* quoſdam in loco eminentiori, qui & ipſi fuerant ſpeculatores inſidiantes tranſeuntibus, ad quos pedetentim cum noſter *Bedewinus* accederet explorandi cauſa, *Sarraceni* diligentius inquirebant qui vel unde fuiſſent, vel quo pergerent, quibus *Bedewinus* duobus ſuis ſociis innuens ut tacerent, ne ex idiomate poſſent agnoſci, reſpondit quod à partibus *Aſcalonis* redirent, quo perrexerant cauſa prædandi, cui *Sarracenorum* unus dixit imo venis nobis nequiter inſidiari, degis enim cum Rege *Anglorum*, cui *Bedwinus* mentiris, inquit, & eo dicto feſtinanter proceſſit ad Carvannas,quos & *Turci* illi aliquamdiu proſecuti ſunt cum arcubus & cannis, acrius infeſtantes quouſque tædio affecti proſequi deſtiterunt, vehementius tamen ſuſpicati ſunt ipſos fuiſſe ſuos potius quam alienos. Exploratores igitur noſtri, cum ſuper memoratis Caravannis ipſis verum conſtitiſſet, indilate reverſi ſunt ad Regem *Richardum*, dicentes quod abſque dubio poſset Caravannas comprehendere,dummodo properanter procederet. Quo cognito Rex, equis annona data aliquamdiu refectis, cum gente ſua feſtinanter profectus eſt, nocteque ſequenti ambulabant quouſque prope locum veniſsent, quo Carvanna reſtiterat cum cuſtodibus pauſantibus. Non procul inde ſubſiſtens Rex & ſocii confeſtim armati ſunt, & acies per turmas inſtruxerunt, Rex in primo & *Franci* diſponuntur in ordine ultimo. Rex clamante præcone ſtatuit inhibendum ne quis ſpoliis intenderet diripiendis, imo potius inſiſterent viriliter univerſi ad *Turcorum* acies penetrandas, & conterendas. Igitur, cum jam dies eſset, & dum

agminibus ſolicitius inſiſterent ordinandis, ecce præpete curſu veniens alter explorator indicavit Regi, quod à ſummo diluculo expediebatur Caravanna illa inde velocius motura, quoniam cuſtodibus innotuit de Regis & ſuorum irruptione futura. Quo audito Rex ſtatim præmiſit Baliſtarios & Sagittarios expeditiſſimos, quatenus *Turcos* ad faciendam moram itineris, tanquam ad bellum perfunctorie provocantes, retardarent, ut moroſius itinerantes noſtri citius aſsequerentur. Ad quorum frequentiorem infeſtationem cum *Turci* moras innecterent, ordinatæ acies noſtræ expeditius appropiabant. Quos cum *Turci* attendiſsent in collem quendam vicini montis ſe recipientes, convenerunt in unum, tanquam habentes ad firmamentum locum illum eminentiorem, & exercitum ſuum per turmas ordinaverunt diſpoſitum; ſed ſolito minus tunc infremuit faſtus eorum. Igitur, dum *Turci* irruentes acies noſtras ſagittas & pila denſiſſime emitterent, more roris ſuper faciem terræ decidentis, interim in uno loco quieſcente Carvanna. Rex bipertito exercitu irruit repente ſuper eos, & *Turcorum* anteriorem aciem potenter cum ſequacibus penetrando diſſipavit. Tam violento quippe impetu ipſos impetendo proſtraverat, undique cadentes ab eo etiam quos non percuſſerat, ſed fugientes oppreſſerat, ut jam non ulterius ſupereſſet qui reſiſteret, niſi quis forte fugiens pilum remitteret à tergo vel ſagittam. Fugiunt perniciter univerſi, tanquam lepores caventes canes inſectantes, in diverſa diſperſi ante faciem proſequentium Carvanna reſtitit relicta, & gens noſtra infatigabiliter abeuntes jugiter cædendo a dextris & a ſiniſtris perſequi non ceſſabant, ut in arenti eremo *Turci* ſiti paſſim ruerent extincti. Quotquot autem milites noſtri aſsecutos dejecerunt ab equis peremerunt Armigeri? ibi viderentur ſellæ retorqueri, & ſuperatos miſerabiliter peſsundari, eximie dimicant Regales, ſtrenuiſſime *Franci*, ut pote præliis exercitati. Porro Rex *Richardus* glorioſiori præ cæteris omnibus enitet magnificentius prærogativa, nulli comparandus, ſublimi ſubvectus equo, ſingulariter agitur in hoſtes, in ictus rigidiſſimos fraxinus librata jam frequentioribns in hoſtes vexata percuſſionibus defecerat, & plurimas infecta multo cruore diſſilierat in particulas, nec mora gladium vibrans exertum fugientibus imminet, comprehendit, poſternit, demetit poſteriora, abradit extremos, ignavi domitor vulgi, fulgurat incedens, laniat fugitivos, quemcunque conſequitur, non obſtante cujuſcunque genere armaturæ, à capitis vertice acumen ſtricti gladii uſque in dentes infligit, ventilat, exagitat diſſipatos, quaſi lupus fugientes bidentes inſectando. Verum, Rege ſic infatigabiliter *Turcos* ventilante, in diverſa diſperguntur univerſi qui ſupererant, quorum quidam, quia Rex jam curſu velociori etiam fugientium per montana præoccupaverat anteriores, fuga directa a manibus Regis elabi deſperantes, arcuatore curſu declinantes ab eo, reverſi ſunt verſus noſtros extremos, per quandam a latere ſemitam; ſperaverant enim ſe nonnihil profecturos potius verſus alios quoſcunque in Regis abſentia, cujus ab aſpectu quoque contabeſcebat virtus eorum, Regem quippe non immerito reveriti ſunt uſque ad mortem, mors enim hoſtium in manibus ejus. *Turcorum* igitur quaſi triginta fugiendo regirantes impetu magno ferebantur in *Rogerum* de **Toony**, cujus equum ſtatim peremerunt ſub eo, ipſum quoque propemodum comprehenderunt, a quorum manibus cum ad *Rogerum* excutiendum adveniret quidam ſocius **Jukel**, *Cænomanenſis*, & ipſe abſque mora dejectus eſt ab equo, quem tamen *Rogerus* de **Toony** ſe quoque conſtanter defendens pedes accedens liberavit. Interim accurrit gens noſtra, Comes etiam de *Legeceſtria* proſternens a dextris & a ſiniſtris, venit quoque *Gillebertus Malemanus* cum quatuor ſociis, venit & *Alexander* **Arſi**, & alii milites ferme viginti, *Stephanus* quoque de *Longo Campo*, qui *Rogero* de **Toony** præſtans liberaliter obſequium, a medio *Turcorum* belligerantium, equum exhibuit ut ſcanderet. Ibi cædes renovantur, cœlum Marte tonat, gladiis ſcintillantibus ſplendeſcit aer, madet humus cruore, tinniunt arma armis colliſa, membratim laniantur cadavera, ſparſim jacent abſciſſa brachia, manus, pedes & capita, quorum quidam in impetu ferientium fuerant detruncata,

uſque

usque ad oculos vel ora vel guttura, secundum quod sors vel congredientium fervor administraverat virtutem. Ex occisorum igitur *Turcorum* cadaveribus, densissime per arva jacientibus, nostri ambulantes impediebantur, & corpora, quæ modo detruncaverant, offendunt eos usque ad lapsum. Egregie se gerebant *Pictavenses*, *Franci*, *Normanni* & *Andegavenses*, Rex autem *Richardus* flos virtutis & vertex militiæ, universis eminentius omne tulit punctum, a cujus virtute laus omnis inferior est. Tantam quidem ibi videres *Turcorum* stragem, quantam nullus antecessorum unquam prius viderat, tanta quippe tabescebant confusione, & defecerant oppressione, ut puer, quantumlibet invalidus, potuisset sic affectorum decem vel quot offenderet perimere. Ibi retunsa est prorsus *Turcorum* superbia, & fastus abolitus, & audacia repressa; ibi potenter Carvanna a nostris est mancipata: ibi *Turci* jumentorum onerariorum Caravannæ custodes & veredariorum, se gratis dedebant captivandos militibus nostris & armigeris, & manus supplices protendentes implorabant misericordiam & miserationes, cætera quodammodo levia reputantes dummodo vitæ parceretur. Per capistra jugales equos & camelos cum Sarcinis offerebant,& mulos & mulas portantes diversi generis species pretiosas,aurum, & argentum multum nimis, pallia holeserica, purpuram, ciclades, & ostrum, & multiformium ornamenta vestium, præterea arma varia, tela multiplicia, insutas loricas vulgo dictas *Gasiganz*, culcitra acu variata operosa, papiliones & tentoria pretiosissima, panes biscoctos, frumentum hordeum & farinam, electuaria plurima, & medicinas, pelves, utres, & Scaccaria, ollas argenteas & candelabra, piper, Cynimum, Zucarum, & ceram, aliasque diversorum generum species electas, pecuniam infinitam, & rerum copias innumerabiles, quod sicut dicebatur nullorum unquam præliorum temporibus tanta simul & semel fuerant acquisita, vel præda consimilis, tam multiplex tantarum opum opima variarum.

R. Richardus Turcorum ingenti edita strage Carravanuam cepit.

CAP. V.

Quot Cameli & Dromedarii fuerint capti & quot Turci *occisi.*

PErfidorum cæde completa,& comprehensa Carvanna,novo cœperunt nostri solicitari labore pro coadunandis Camelis, cursoriis, & Dromedariis, unde totus turbatur exercitus, adeo quippe velociter comprehendendi fugiebant equites nostros insequentes, quod nunquam animal aliud tantæ videbatur velocitatis, quorum comparatione cervus aut damula, vel quodcunque alterius fugitivi generis. Animal, pigrescere videretur & morosum, dummodo paululum arrepto spatio promoverentur ad cursum. Denique vero utcunque adunati æstimabantur, sub incerto tamen numero, quatuor millia & septingenta Camelorum & Dromedariorum. Tot præterea comprehendebantur Mulorum & Mularum, Asinorum onerariorum, quod sub numero non cadebat multitudo, ut etiam tantorum copia hominum potius videretur. Præterea *Turcorum* equitum, ea die diversis in locis peremptorum, numerus excreverat ad mille & septingentos, exceptis peditum quamplurimis ad internecionem contritis.

CAP.

CAP. VI.

Dum Rex rediit cum ſpoliis Betenopolin, *unde egreſſus fuerat, occurrit ei Comes* Henricus ab *Achon, veniens cum exercitu pro quo miſſus fuerat.*

HIs ita peractis, & Sarcinis ad reditum aptatis, cum ſpoliis multis paſſibus equis rediens Rex & exercitus, juxta prædeſtinatas manſiones regreſſi ſunt uſque juxta *Bethaven*, quæ diſtabat quatuor milliariis à *Joppe*. Ibi partiti ſunt ſpolia ſua cum præda. Inde procedentes altera die profecti ſunt uſque *Ramulam*. Interea venit *Ramulam* ab *Achone* Comes *Henricus*, cum ea quam inde adduxerat gente, ad exercitum ad *Ramulam*; profecti ſunt omnes uſque *Betenopolim*, unde primo moti fuerant. Ibi ergo reuovatur lætitia, congaudentibus univerſis, & admirantibus ſuper copia jumentorum, quibus replebatur exercitus. Ibi Rex magnificus Camelos ſuos, quibus nunquam viſi ſunt aptiores, diſtribuit militibus illis, etiam qui reſederant ad exercitum tuendum, æqua proportione quam & his qui in expeditionem profecti ſunt, Regem *David* bellatorem fortiſſimum in eo imitans eleganter, ut æquam ſcil. acciperent portionem & progredientes ad bellum, & ſedentes ad Sarcinas. Aſinos etiam univerſis ſervientibus diviſit. Tot igitur repletus eſt exercitus Camelis & Aſinis, aliiſque jumentis, ut vix tanta multitudo cohiberetur. Juniorum Camelorum carnes aſſas lardo ſaginatas libenter manducabant, candida quippe caro fuit & ſatis grata.

CAP. VII.

Populus lamentatur, quod tam ratione quam ſapientiori conſilio prohibentur ire verſus Jeruſalem.

NEc multa in medium mora ſuper diſtributorum multitudine jumentorum, populus faſtiditus conqueretur, quod hordeum & nimiam conſumerent annonam, quorum jam occaſione pluris quam prius venundabantur. Tunc nihilominus repetitur querela & planctus in populo, quod non ut optabant expediretur progreſſus ad obſidendam *Jeruſalem*, renitentibus illis xx, qui ſicut prædictum eſt, ſuper hoc ipſo decernendo juraverant, & ratiocinationibus quod id fieri foret graviſſimum, vel impoſſibile propter aquarum penuriam, quibus homines & jumenta carere non poſſent, præſertim tunc inſtante feſtivitate Sancti *Johannis*, quando omnia naturaliter areſcunt, æſtatis invaleſcente fervore, maxime circa *Jeruſalem*, quæ in montanis ſita eſt: & præterea *Turci* obturaverant univerſas ciſternas ex omni parte civitatis, ut infra duo milliaria non invenirentur aquæ potabiles, unde nimis anguſtiaretur exercitus, nec enim ab inchoata obſidione remotius aquas quæritare tutum fuiſſet, minimus quidem aquæ rivulus ad radicem montis *Oliveti* decurrens tanto non ſufficeret exercitui, hæc eſt aqua *Siloe*. His de cauſis tunc temporis obſidere *Jeruſalem* diſsuaſum eſt, quod cum in exercitu factum eſset notorium quod non procederet ad *Jeruſalem*, imo jam reverſurus inde fuiſset exercitus, ex nimia deſolatione & vehementiori triſtitia cœperunt maledicere moram ſuam,& ſpem progrediendi conceptam, nec ſe optaſſe dicebant ulterius vivere quam uſque Chriſtiani obtinerent *Jeruſalem*, & Sancta non darentur in manus alienorum. Deus autem juſtus judex ſenſibus humanis inveſtigabili diſpenſatione opera moderatur & tempora, cujus etiam eſſe propitiationis creditur & miſecordiæ, quod vitia proſequitur errantium ulciſcens in omnes adinventiones eorum.

CAP.

CAP. VIII.

De invidia Francorum *contra ſeipſos, laniant & detrahunt, & à noſtris ſe dividunt, &* Henricus *Dux* Burgundiæ *invectionis carmen in Regem* Richardum *componit.*

NEc mirandum peregrinos tanquam inefficaciter fuiſſe vexatos, & quod pro voto ſibi dolebant non ſuccedere, quoniam inter ipſos invaluerat nimia diſsentio, & propoſiti *Francorum* vaga levitas, & ab aliis inconſtantia diſcreta. Nam exercitu quoquam procedente, dum adveſperaſceret, pernoctaturi *Franci* ſimiliter in unum conglobati, ab alio declinantes frequentius exercitu,in aliquam partem ſemoti ſedebant, tanquam aliorum dedignantes conſortium. Nec tamen hujuſmodi contenti ſunt divortio, ſed & inter ſe diſſidentes abominationis notam importantia verba jaculabantur irriſoria, ſalibuſque mordaces invectiones, unde nonnunquam inter ipſos obſcena alternabantur convitia, ſuam ſingulis jactantibus præſtantiam, & alterius derogantibus ignaviæ. Et ſuper hæc omnia *Henricus* Dux *Burgundiæ* arrogantiæ nequam ſpiritus inſtinctu, vel zelo forte ductus livoris inconvenientis plurimum cantionis inſtituit verba compoſita publice cantitari, verba quidem pudenda nec proferendum in publicum, ſi qua ſupereſset ea componentibus verecundia, non tantum viris ſed & viros ultro rapientibus mulieribus, quinimo manifeſtos ſe faciebant, qui talibus operam dabant non decentibus ineptiis: ſed ex eo quidem potenter innotuit qualis intentio cordis meriti fuerit, ſimiles enim ſui fontis oportet eſse rivulos turbidos aut claros. Poſtquam hæc invidioſa adinventio paſſim per exercitum frequentaretur, Rex nimium ſuper eo commotus, conſimili tantum arbitratus eſt infligendam vindictam talione, cantavit igitur & ipſe nonnulla de ipſis, ſed non plurimum laboravit in adinventionem, quia ſuperabundans ſuppetebat materia, quid enim ſiqua reſponderet verba ad tot fictitia & objecta oprobria? Porro indubitata conſtat fides ſuper eximiæ Regis *Richardi* geſtis, cujus virtutem cum æmuli deſperarent aſsequi, impugnabant qua poterant gratis invidia. Non enim hi fuerant quales olim vere peregrini in *Antiochena* expeditione, quam gens noſtra potenter obtinuit, unde quoque & adhuc recitatur in geſtis ſuper tam famoſa victoria *Boiminidi* & *Tancredi*, nec non & *Godefredi* de Bulloigne, & aliorum Procerum præſtantiſſimorum, qui tot præclaris triumphaverant victoriis, quorum opera jam nunc fuerunt tanquam cibus ab ore narrantium, qui, quia corde non ficto gratuitum Deo præſtabant obſequium, reddidit eis Dominus mercedem laborum ſuorum, & exaltavit magnifica opera ſua immortali memoria, ut etiam ipſorum tota poſteritas ampliori prædicetur veneratione.

R. Richardus invidis Francorum carminibus irritatus carmen etiam in ipſos componit.

CAP. IX.

De reverſione à Betenopoli *in patriam ſuam.*

POſt comprehenſionem Caravannæ, aliquot ita diebus ſedit exercitus triſtis apud Betenoble admodum deſolatus, quia verſus *Jeruſalem* diſſuaſus eſt progreſsus, ut Dominicum viſitaret ſepulchrum; unde quatuor tantum tunc diſtabant milliariis. Revertuntur igitur affecti ſummo mœrore ut nunquam gens electa conſimili contabeſceret languore. Diſpoſitis itaque agminibus, cum ordinatus iter aggredi moliretur exercitus, à montanis irruentes *Turci* invaſerunt extremos, & in impetu ſuo quoſdam ſervientes noſtros peremerunt,

merunt, equos nec agiles habentes equites conftanter infiftentes ipfos abegerunt. Poftea procedentes pervenerunt ufque inter Sanctum *Georgium* & *Ramulam*, ubi pernoctabat exercitus, ftationem ceperunt *Franci* à finiftris, *Rex* cum gente fua à dextris, craftino fequenti nihilominus itinerabant divifi, nocte proxima pridie Nonas *Julii* refederunt apud cafellum medium; inde nonnulli recedentes ab exercitu perrexerunt *Joppen*, ob faftidium & penuriam, quam fuftinuerunt in expeditione.

CAP. X.

Salahadinus, *cognita diffenfione & receffione Chriftianorum, à pugnando recedentium convocat infinitam multitudinem* Turcorum.

IGitur cum exercitus noftri ftatus innotuifset *Salahadino*, quod noftri fumma confilii confifteret ad retrocedendum, revixit fpes ejus, & gaudio refolutus & lætitia, fine mora nuncios deftinat expeditiffimos, cum literis anulo fuo fignatis ad omnes Admiratos Principes regionum ditionis fuæ, & Satrapas, & Præfectos, notificans ipfis quod Chriftianos diffipafset difsentio, & quod jam diffidentes abirent. Ideoque quifquis ejus ftipendia vellet accipere fine cunctatione veniret ad eum in *Jerufalem*; nec mora tanta concurrit multitudo *Turcorum*, ut æftimarentur xx. millia equitum armatorum, excepta peditum infinitate, quæ facile numerari non pofset.

CAP. XI.

Rex Richardus *videns fuorum defectum, inducias fibi prius oblatas repetit, fed non dantur: unde* Darum *diruit*, Afchalonem *munit. & per* Joppen *ad* Achon *tranfit.*

INterea gens noftra paulatim defluxit, quorum quidam fecefserunt in *Joppen*. Quod cum Rex perpendifset quod ad ipfos cohibendos non proficeret, quia difficile quidem in unam convenirent fententiam, quod potius in illius temporis articulo arbitrabatur agendum mandavit *Saphadino* quatenus juxta prius oblatam pacis conditionem in planitiis *Ramulæ* conveniret *Salahadinum* fuper impetrandis induciis, rebus ut tunc fe habentibus, ufque ad tempus certum, quo poffit à patria fua rediifse, & quid fuper his proficeret expeditius ei fignificaret. *Salahadinus* autem quem noftri ftatus fumma non latuit, & vires noftras paulatim infirmari præfenfit, nequaquam confenfit nifi diruta folo tenus *Afcalone*. Quod cum Regi nunciis referentibus innotuifset nihil inde vifus eft moveri, nec vultus ejus vel in modico mutari, imo ftatim imperavit equos afcendere Templarios & Hofpitalarios, & cum ipfis quofdam alios, ut fimul omnes efsent trecenti milites, qui pergerent diruere & diffipare caftrum *Darum*, & ut impofitis cuftodibus firmiffime munirent *Afcalonem*. Regia præcepta juffi accelerant, & caftro *Daro* equato folo revertuntur ad exercitum. Exercitus igitur regreditur ufque *Joppen* gravi corde & conturbato, inde quoque fine mora profecti funt *Achonem* Rex quoque cum cæteris. Porro quamplurimi refederant in *Joppe* incolumes & infirmi. Et fic *Achonem* reverfus eft exercitus ineffabiliter defolatus, & adverfitatis immenfitate confternatus, quos nimirum adhuc Deus pro meritis fuis minus dignos reputaverit benigniori gratia donari.

CAP. XII.

Cum quali exercitu Salahadinus *venit* Joppen.

Audiens *Salahadinus Joppitas* jam Regis carere præſidio, eo verſus progreſſurum diſpoſuit exercitum, de facili ſperans civitatem poſſe comprehendi in abſentia Regis *Richardi*. Movit itaque exercitum gentis coadunatæ quam plurimum, numerus equitum xx. millia. Aderat autem Admiratus potentiſſimus de *Bala* & filius *Arcisi*. Præterea admirati ferme centum & ſex, peditum nihilominus à montanis multitudo innumerabilis, qui cooperuerunt faciem terræ ſicut locuſtæ, exiens igitur exercitus ab *Jeruſalem* deſcendit in plana *Ramulæ* cum faſtu magno & fremitu, in turmas ruunt tanquam furiis agitati, & cohortes, & Chriſtianos omnino delendos.

CAP. XIII.

Salahadinus *tanta virtute oppugnat* Joppen, *quod eam jam cepiſſet niſi obſeſſi inducias petiiſſent in craſtinum.*

Eadem Dominica proxima ante feſtum Sancti *Petri* ad vincula, qua Rex *Richardus* pervenit *Achonem* cum exercitu, acceſſit *Salahadinus* cum exercitu ſuo ad obſidendam *Joppen*. Die Lunæ ſequenti cœperunt oppugnare caſtrum, exſilientes autem hi, qui fuerant in civitate, in pomeria ſuburbana, viriliter eis reſtiterunt tota die, ut nequirent appropiare muris, ſed nec die *Martis*, cum in idem conveniſſent certamen, nec die *Mercurii* ſe potenter defendentes, facienteſque de neceſſitate virtutem: die vero *Jovis Turcorum* improbitas ſe dolentium à pauciſſimis repelli, minuſque proficere, magis invaluit, & confirmata eſt obſidio. Ad Imperium *Salahadini* quatuor eriguntur Petrariæ graves nimis & efficaces, duo quoque Mangunelli ad jactandum habiliores. O quanta obſeſſorum tunc eſſet audire querelam, quorum numerus excedebat v. millia, cum his qui infirmabantur lamentantium & dicentium, Domine Deus virtututum quid ulterius refugii erit nobis. Heheu O Rex *Angliæ* dux noſter & protector, ad quid quæritandum profectus es *Achonem*, O deficiens Chriſtianitas jam periſti. Interea *Turcis* inſiſtentibus ferociſſime civitas oppugnatur, cum virtute maxima reſiſtunt viriliter obſeſſi, quos qui videret ſic perplexos expeditius conſcendere in propugnacula & deſcendere, & pro agendorum varia neceſſitate agiliter in diverſa raptari, nimia pietate flecteretur in lachrymas. Petrariæ ſine intermiſſione jaciebant, Mangunelli non ceſſabant. Interioribus quidem fuerunt Petrariæ, ſed minus fuerant peritiad utendum. Denique ad inſtantiam jugem *Turcorum* ad jactus crebros Petrariarum, porta quædam reſpiciens ad *Jeruſalem* die *Veneris* diſſipata eſt, & murus etiam à parte dextra ad menſuram duarum perticarum conquaſſatus eſt. O quam acerrimus fit conflictus dam *Turcis* obſeſſi reſiſterent, & repugnarent intrantibus, accreſcens autem jugiter *Turcorum* multitudo convaluit, & repulſis ab introitu Chriſtianis, introeuntes *Turci* perſecuti ſunt noſtros uſque in turrim caſtri. Heheu quam miſeranda fit ibi cædes ægrotantium, quos in domibus paſſim in grabatis languentes modis horrendis *Turci* cruciabant uſque ad mortem, quorum profecto perempti ſunt innumeri merito martyres reputandi. Quidam noſtrorum imminentium *Turcorum* graviſſimam ſententiam fugerunt in littus maris. Interea *Turci* crudeliſſima invaſione domos perſcrutantur ſubtilius, annonam diripiunt, ſed & univerſa vina doliis

Turci capta Joppe multos Chriſtianos occiderunt, aliis in turrim Caſtri ſe recipientibus.

conquassatis effuderunt, pars hostium turrim castri principalem oppugnat, pars insectatur fugientes ad naves ut salvarentur. Ibi quamplurimi perimuntur extremorum, ibi confugerat in navem *Albericus Remensis*, cujus erat castrum custodire, ut fuga navali mortem evaderet, proh pudor degenerem nimius timor arguebat, cujus socii qui restiterant arguentes ignaviam, & ad virtutis constantiam animantes virum revocaverunt, & quodam modo violenter in castri turrim impulerunt, qui, cum non nisi periculum cerneret imminere, ait, hic ergo pro Deo moriendum est nobis, cum aliud fieri nequiret. Undique pertinaciter insistunt *Turci* turri demoliendæ, volant pila cum sagittis more grandinum, densitate texitur aer, qua parte se potius defenderent ignorant obsessi, sine cessatione perseverat insultus tota die, cujus vehementiæ forte cederent obsessi superati, nisi Deo dispensante præsens adesset nuper creatus Patriarcha, qui nec est fractus mortis formidine, nec imminentis mole discriminis dissolutus. Ipse nimirum, quem ad argumenta fecit argutum necessitas, mandavit *Salahadino*, ejusdemque fratrem interpellavit, ut impetraret super oppugnanda turri inducias liberaliter saltem usque in crastinum, ea conditione ut si forte ante horam nonam non venisset obsessis undecunque auxilium, pro redimendis tanti temporis induciis, quilibet eorum qui in turri superessent solveret *Salahadino* x. Bisantia auri, mulieres singulæ v. Bisantia, puer tria, & super his fideliter observandis seipsum Patriarcha contraderet obsidem, cum aliis viris nobilioribus alligandis in compedibus usque in crastinam horam nonam. Annuit *Salahadinus*, & ritu eorum confirmata securitate, super observanda dilationis conditione, contraduntur obsides cum Patriarcha *Albericus Remensis*, *Theobaldus* de **Treies**, *Augustinus* de *Londoniis*, & *Osbertus Waldinus*, & *Henricus* de *Sancto Johanne*, alii quoque quidam quorum nomina non tenemus, qui postmodum ducti sunt omnes captivi in *Damascum*, jam enim obsessi spem aliquam conceperant per Regem sibi succursurum venturum, pro quo ab initio adventus *Salahadini* ad *Achonem* miserant.

Patriarcha proposita certa conditione, inducias à Salahadino impetrat, & seipsum cum aliis obsidem tradit.

CAP. XIV.

Rex Richardus, *licet jam naves ascensurus repatriandi gratia, licet* Franci *denegarent subsidium, tamen à* Joppitis *per nuncios revocatus festinanter per Galeas ad* Joppen *venit, militibus per terram missis.*

INterea dum Rex *Richardus* ad repatriandum expeditius reditum accelerаret ab *Achone*, jam se navibus commissurus plenius instructis, licentiam acceperat & benedictionem à Templariis & Hospitalariis, præmiserat enim VII. Galearum suarum cum armata gente usque *Baruth*, qua transiturus erat, ut eos qui in castro resederant turbarent,, quasi provocantes ad congressum, qui timore exterriti à castro fugerunt. Dum Rex inquam in tentorio suo cum suis de reditu conficiendo conferret, quasi in crastino recessurus, ecce apparuerunt properanter applicantes missi nuntii obsessorum in *Joppen*, qui cum coram Rege scissis vestibus astitissent indicabant *Joppen* à *Sarracenis* occupatam cum omnibus quæ in ea erant, gentem quoque quæ superesset in turri castri obsessam, & nisi per ipsum in quo solo mors cunctorum pendebat & salus, maturius obsessis proveniret auxilium, una de omnibus superesset sententia proculdubio pereundi juxta pactam memoratam conditionem. Audiens Rex obsessorum discrimen pereuntium, miseratus perditionem, verba nunciorum causam adhuc prosequentium intercipit dicens. Vivit Dominus Deo duce proficiscar facturus quod potero, & confestim clamante præcone divulgatur Edictum ut ad itinerandam expeditionem excitetur exercitus, sed nec Regem honorare responso dignati sunt *Franci*, hoc solum vultuosi repetentes, quod nusquam ulterius

ulterius cum eo procederent, revera quidam nec cum ipſo nec quolibet alio uſpiam amplius profecti ſunt, quos nimirum in brevi contigit miſerabiliter mori, veruntamen cujuſcunque regionis oriundi, quorum Deus corda tetigerat, & tribulatio proximorum flexerat ad pietatem, accelerabant cum ipſo proceſsum, viz. Templarii & Hoſpitalarii, aliique milites validiſſimi quamplures, qui feſtinato itinere terreno profecti ſunt *Cæſaream*, Rex vero magnificus ponens animam ſuam in manibus ſuis, in Galeis inſtructione munitiſſimis navigio proceſſit, & cum eo Comes *Leiceſtriæ*, *Andreas* de Chavegui, *Rogerus* de *Satheya*, *Jordanus* de Humez, *Radulphus* de *Malo Leone*, *Achus* de Fay, milites quoque de *Pratellis* ſocii Regis, & alii etiam viri famoſo nomine plurimi, *Genuenſes* & *Piſani*. Qui vero perrexerant *Cæſaream* propter imminentes inſidias, quas didicerant à *Salahadino* procuratas à tranſeuntibus per viam, ibi aliquandiu reſtiterunt velut obſeſſi, quibus progrediendi tranſitus non pateret alias liberior propter filium *Arſaſiſi*, qui maritimos tranſitus obſervabat inter *Cæſaream* & *Arſurum*, præterea ventus contrarius irruens è regione naves Regis triduo ſiſtit immobiles ſubtus *Caypham* quo pervenerant. Rex moram importunam ægre ferens graviter ſuſpirans ait, Domine Deus ut quid nos detines, attende quæſumus cauſam neceſſitatis & devotionem voluntatis, nec mora, Deo annuente, ſecundus afflavit ventus à tergo claſſem curſu proſpero deducens in portum *Joppen*, nocte jam profunda ſequente die *Veneris*. Ad ipſius ſequentis Sabbati novam præfatæ redemptionis ſolvendæ terminus inſtabat, & conditionaliter gens erat tota diſtrahenda, O fides infida & perfidorum perfidia, ab ipſius mane Sabbati, ſcil. die *Ad vincula Sancti Petri*, ad *Turcorum* inſtantiam importunam angariati ſunt obſeſſi pactam ſolvere redemptionem. Qui cum à mane jam ex parte promiſſa Biſantia ad nonam ſolvere coacti cœpiſſent, *Turci* nequiſſimi beſtiis immaniores, humanitatis reſpectu carentes, capita ſolventium amputabant, jam ſic VII. decollatos in foſsa quadam congeſſerant, cum hoc comperientes, hi qui ſuperfuerant, adhuc in turri nimio confracti terrore & horrore confuſi lamentari cœperunt & lachrymabiles voces emittere. O quantus ibi luctus omnium mortem inevitabiliter imminere cernentium: ſinguli cum fletibus ad orationem flectunt genua ſuper commiſſis ſeſe reos confitentes, tundunt pectora, & qui jam ſe credunt deceſſuros, de ſalute corporis deſperati vel animarum curam habebant, hoc ſolum ſupereſse videntes, ſinguli quo potuerunt remotius fugerunt, quatenus vel breviſſimi temporis mora vitam redimerent; quem nimirum vel conſtantiſſimum non concutit imminentis metus mortis? certatim itaque ſe ſinguli ingerunt in interiorem caſtri munitionem ut vel modicum mortem differrent, illic operiebantur lictorum manus, ut eorum vita Martyrio conſummaretur, imis vibrat tremor oſsa medullis, fluunt ubertim lachrymæ amariſſimæ, ab intimis erutæ viſceribus, divinam impetrantes clementiam, quibus hoſtiis in brevi placata propitia divinitas, jam miſit eis propugnatorem qui liberaret eos, & ecce jam Regia claſſis videbatur in portu & ſolicite egreſsuri milites armantur.

Turcorum immanitas.

CAP. XV.

Cum quantis prœliis Rex littus occupaverit caſtrum Joppen *& incluſos liberaverit.*

INterea Regis Galeas cum navibus applicantes, dum *Turci* comperiunt, ruunt catervatim in littus parmas habentes, & ancilia, & ne qua parte liber pateret aſcenſus applicantibus, *Turcorum* reſiſtentium pluunt denſiſſime ſpicula, jacula cum pilis, & ſagittæ; fervet littus obſitum hoſtium multitudine, ut jam non ſupereſset locus: nec jam expectavit egreſsos excepturi, imo in ipſas naves & Galeas procul in pelagus jaciunt miſſilia, equites eorum, qua poterant profundius

profundius in mare se agebant efficacius missuri certatim sagittas, ne qui possent occupare littus adpulsi. Rex contractis in unum navibus sciscitatus est dicens, eja commilitones optimi mecum omnia communicati quid igitur restat agendum. Nunquid in hoc vulgus ignavum littus obsidens non applicamus? an animas nostras reputabimus pretiosiores animabus jam in absentia nostra pereuntium? quid potius censetis? ad hoc cum nonnulli respondentes dicerent, frustra quid ulterius esset tentandum, cum non crederentur qui liberarentur esse superstites, & inter tot hostium millia littoris aditus difficillimus. Rex curiosius oculo vagante cuncta perscrutans, vidit presbyterum quendam, se in mare de terra dejicientem, ut ad Regem natans veniret, qui in Regiam admissus Galeam, spiritu fatigato, & palpitante corde, dixit, O Rex magnifice jam gens residua, quæ tuum suspirat adventum, enses laniftarum vibratos operitur cervicibus exertis, sicut oves occisionis, jam jam profecto peritura nisi te cooperante divinum adsit adjutorium. Cui Rex non superest quisquam aut ubinam loci? Cui presbyter, etiam Domine coram turri illa coarctantur jam finiendi, quo audito Rex ait, si sic ergo Deo complacet, in cujus obsequium ipso duce huc advenimus, ut hic cum fratribus nostris commoriamur, pereat modo qui non processerit, Galeas igitur Regis ad imperium versus littus propulsis, ipse primus tibias inermis se misit in mare pube tenus, sicque potenter littoris aridam adeptus est; post Regem erant primi vel proximi *Galfridus* de *Bosco* & *Petrus* de *Pratellis*, hos sequebantur omnes alii prosilientes in mare ut pedites procederent, *Turcos* igitur obsistentes in littore pertinaciter invadunt audacter, quorum multitudine totum littus tenebatur; quos Rex singularis præstantiæ cum Balista, quam in manu tenebat, passim prosternit, cujus etiam Comites electi per littoris ampla *Turcos* cædentes persequebantur fugientes, nec enim ulterius viso Rege erat eis spiritus, nec eidem auderent appropiare, quos Rex insectans, exertum vibrans gladium vehementius agitabat, ut nec ipsis vacaret se defendere, ictus ejus subterfugiunt gravissimos, socii nihilominus Regis constanter afficiunt fugientes, propellunt, conterunt, lacerant, detruncant, ventilant, ut jam littus evacuaretur à *Turcis* violenter expulsis; comportatis postea fustibus & doliis, & undicunque raptis roboribus & amplis asseribus, navium quoque & Galearum antiquarum, materiis aptatis in littore, quasi munitionem sic sibi construxerant adversus hostiles irruptiones, ubi & constituit Rex milites & vernaculos & Balistarios ad custodiam, & ad arcendos inde remotius *Turcos*, qui cum aliter nostris obesse non possent, importunis ululatibus & clamoribus totum littus replebant, cum inde recederent. Tunc Rex per cocleam quandam, quam forte prospexerat in domibus Templariorum, solus primus intravit in villam, in qua amplius quam tria millia *Turcorum* invenit omnia diripientium, domorum interiora perscrutantium, & spolia asportantium. O invicti Regis animositas, qui ut infra civitatis muros se intromiserat, statim explicitas Banerias suas eminentius exposuit videndas Christianis, qui in turri obsidebantur, quibus visis ineffabaliter exhilarati, concepta fiducia, sumptis armis descenderunt à turri, ut convenirent ad Regem, quo cognito turbatur *Turcorum* exercitus. Rex cum evaginato gladio incedens insequitur, perimit, detruncat, ante faciem ejus fugientess cadunt à dextris & à sinistris densissime ab eo, aliis etiam à turri ingredientibus fit *Turcorum* cædes horrenda, quorum & plateas detruncata jam occupant cadavera, quid singulis immorer? sine dilatione trucidati sunt universi qui in castro erant, nisi quos forte fuga velocior eripuit, sicque condignam prius victores in suum exitium excipiunt talionem, quos & Rex in spiritu vehementi conterens insequitur etiam exeuntes a villa, successibus arbitratus insistendum, ne forte pepercisse argueretur inimicis Crucis Christi, quos Deus tradidit in manibus ejus, cæterum nemo unquam ipso magis abominabatur ignaviam.

Rex de misero obsessorum statu edoctus; primus in mare descendit, & in aqua pube tenus ad occupandum littus audacter procedit.

Rex Richardus Turcis partim occisis partim fugatis Joppen recuperat.

CAP.

CAP. XVI.

Item quibus prœliis Rex Salahadinum *ab obſidione fugaverit & tentoria ſua, ubi ejus fixa fuerant, fixerit.*

VErum tres ſolummodo tunc equos habebat, quid tres tantum inter tantos? porro nec ex geſtis antiquorum nec ex traditione narrantium, vel ex lectione ſcriptorum a longe retroactis temporibus, unquam alter cujuſcunque credulitatis tantæ virtutis prærogativa bellorum eximius enituit, quanta Rex *Richardus* omni carens exemplo ipſo die ſe gerebat. Cujus exeuntes a muris cum *Turcis* proſpexiſſent eminentius clara vexilla, fit fremitus horriſonus a dextris & a ſiniſtris Regis prodeuntis in hoſtes, nunquam nimium denſitate tanta vel pluviarum guttis aer texebatur, ut *Turcorum* jaculis tunc per inane volantibus licet ſole radiante emiſſa noctefcit arundine cœlum. *Salahadinus* audito Regis adventu, & ejuſdem cum ſuis *Turcis* tam eleganti congreſſu, & quod indifferenter quoſcunque factos obvios trucidaſſet, irruerunt in ipſum timores ſubiti, fuit quippe more leaporis fugitivi animal timidiſſimum, & avulſis properanter a loco tentoriis, ſubditis equo calcaribus, fugit a facie Regis *Richardi* ne vel ab eo videretur. Rex conſtanter cum ſuis commilitonibus inſequitur cædens jugiter & proſternens, Baliſtarii quoque Regis fugientium equos tanta perimunt ſtrage, ut & ultra duorum ſpatium milliarium pernicius aufugerent *Turci*. Rex igitur paris neſcius figit papiliones ſuos in eodem loco, a quo *Salahadinus* præ timore revulſis tentoriis paulo ante receſſerat, ſic opitulante Deo a tantilla gente *Turcorum* exercitu repulſo. *Salahadinus* convocatos Admiratorum ſuorum nobiliores affatus eſt, ore querelante dicens, omnes ergo nos agitat? nunquid Chriſtianorum ab *Achone* reverſus exercitus ita gentem noſtram afficit, non fundit, & debellat? cujuſmodi inſtructi apparatibus, quicunque fuerint, tanta vel potuerunt præſumere? equites an pedites incedentes quibus noſter prævalebat exercitus reſiſtere. Ad hæc quidam perverſæ mentis noſtri nimirum ſtatus conſcius intulit. Domine, inquit, non eſt ut æſtimaris, equos non habent, vel cujuſcunque generis jumenta, exceptis tantum tribus equis, quos ille vir mirandus Rex magnificus invenit in *Joppe*, ipſum autem opera faciliori arbitror poſſe comprehendi, quia pene ſolus in tentorio ſuo decubat fatigatus, quem qui apprehenderit terminum acquirat laborum, & omnis finem conſummationis. Exiit igitur ſermo infra *Turcorum* exercitum dicentium, quod in opprobrium ſempiternum ipſis verteretur & ſcandalum, tantum exercitum tot millia *Turcorum* à gente pauciſſima diſſipatum, & *Joppen* violenter adeptam. Murmurant igitur in invicem ſuper patratis, fremuntque confuſi.

CAP. XVII.

Quid factum ſit Chriſtianis, Turcis *porcis in urbe occiſis.*

SAne *Turcorum* gens execrabilis in *Joppe* comprehenſa, innumeram fecerant cædem infirmorum, porcorum etiam ſtragem non minimam univerſorum, ſcil. quos invenerant, ſuperſtitionis quidem *Mahumeticæ* eſt non manducare porcos, unde naturaliter ut immundos abominantur porcos, quia *Mahumetum* traduntur porci devoraſſe. In opprobrium igitur Chriſticolarum *Turci* collocaverant porcorum cadavera commixta cum corporibus hominum peremptorum corpora denique Chriſticolarum in pace a Chriſtianis ſepulta ſunt, *Turcorum* autem cadavera cum porcis fœtentia ejiciebant. *Qua de cauſa Turcæ carne porcina obſtineant.*

CAP.

CAP. XVIII.

De reparatione murorum Joppe.

IN craſtino, die Dominica, Rex ſolicite procuravit murorum diruta reparari, ſimiliter & die *Lunæ* & *Martis*, ut jam qualem haberent munitionem, reparatis murorum interruptionibus, ſed ſine calce & cemento: verum nimis vicinus *Turcorum* innumerabilis imminebat exercitus.

CAP. XIX.

Tunc quidam vocati Menelones & Cordivi jactitabant ſe comprehenſuros Regem dormientem vel improviſum.

INterea quædam generis *Sarracenorum* prava generatio nuncupata *Menelones* de *Halapia* & *Cordivi*, juventus ſcil. expedita convenit in unum ſuper agendis, rerum ſic ſe habentium habitura colloquium. Allegato itaque tantæ multitudinis ſcandalo, quod a tantillæ gentis facie, quæ equis carebat deſeruerant *Joppen*, ſe ipſos damnabant inertiæ, & pudendæ redarguebant ignaviæ, mutuum itaque ſibi fœdus ferientes jactitabant arroganter, quod Regem *Richardum* in tentorio ſuo comprehenſum præſentarent *Saladino*, a quo gratiſſimam reciperent remunerationem.

CAP. XX.

De adventu Comitis Henrici *à* Cæſarea *in* Joppen, *& de numero ſuorum.*

VEnit interim in Galea Comes *Henricus* a Cæſarea cum ſociis ſuis, ubi reliquis unitus noſter detinebatur exercitus, propter inſidias *Turcorum* circa tranſitus viarum, & pontium, & aquarum, incubantium, ita ut Rex ex univerſo ſuo exercitu non potuerit illius temporis articulo ſecum obtinere, niſi ferme LV. milites,, & peditum gentem robuſtiſſimam, & Baliſtariorum & ſervientium. *Genuenſium* & *Piſanorum*, & aliorum uſque ad duo millia, equorum etiam vix undecunque acquiſitorum fuerant ei XV. boni & pejores.

CAP. XXI.

Prædicti Menelones *&* Cordivi, *ut jactaverant, Regem in tentoriis comprehendiſſent, niſi quidam* Genuenſis *callens eos eum ſuſcitaſſet.*

INterea inſtruuntur hoſtes ad capiendum Regem incautum & inermem hora noctis media prædicti *Menelones* & *Cordivi*, procedunt armati ad Lunæ ſplendorem itinerante, ſuper agendorum modo quo commodius fieret conferentes ad invicem. O inviſus perfidorum adventus, tractant hoſtes ſolicitius de comprehenſione officioſi militis Chriſti,& ipſe dormit, irruunt armati multi ad comprehendendum unum inermem, & nihil periculi timentem. Jam a Regio tentorio non procul aberant ſe coaptantes ad apprehendendum incautum,

cautum, & ecce Deus misericordiarum, qui miris modis etiam cum ignorantibus dispensans, in ipsum sperantes non negligit, spiritum immisit contentionis in prædictos *Cordivos* & *Menelones*. Dicebant *Cordivi* vos pedites intrabitis ad Regem & gentem ejus tenendam, & nos in equis observabimus ne forte in castrum aufugiant, quibus *Melones*, vestrum, inquiunt, potius est pedites incedere, quia potiores dignitate, nobis quidem ab officio competit militia, vos hoc pedestre ministerium aptius respicit. Sic pertinaciter singulis contendentibus quis eorum videretur esse major, diutius alternata verbositate procedendi moras innectunt, qui cum denique super aggredienda proditione vix consensissent in unum, dum præcipites proruunt, diei præambula apparuit aurora, diei viz. *Mercurii* proxime post festum *Sancti Petri ad vincula*. Cæterum ut Deus providerat, ne suum tantum athletam suis devotum obsequiis degeneres increduli dormientem opprimerent, suscitaverat spiritum cujusdem *Genuensis*, ut egrederetur in campestria loca vicina diluculo, qui cum reditum acceleraret ex concepto tanquam itinerantium fremitu & ambulantium strepitu equorum obstupescens, capite dimisso vidit eminus contra cœlum scintillare vertices Galearum vernantium. Quo viso cursu concito revertens ad castra non cessabat exclamare voce vehementi idem repetens, ut confestim armarentur universi. Ex audito clamore Rex excitatus exiluit à stratu suo pertubatus nimis, & loricam induit indissolubilibus nexibus concatenatam, & sine mora suos jussit excitari commilitones.

Dissidium inter Turcas exoritur.

Quidam Genuensis Turcorum adventum percipiens, clamore suo Regem dormientem excitat.

CAP. XXII.

De admiranda & omnibus seculis stupenda Regis pugna.

DEus virtutum, quem non afficeret tam subitaneæ commotionis conturbatio? dum ruunt hostes super improvidos, armati super inermes, innumeri super paucissimos, quibus nec temporis angustia sufficit ad vestiendum, sicut nec ad armandum. Unde Rex ipse & alii quamplurimi ex urgentis articuli conturbatione consternati nudis tibiis procedebant ad bellum, nonnulli etiam sine feminalibus, utcunque raptim armati sunt, tota die sic permansuri dimicantes. Nostris igitur se solicitius armantibus, jam propinqui sunt *Turci*, Rex equum ascendens processurus x. tantum socios habebat equites, quorum hæc sunt nomina, Comes *Henricus*, Comes de *Leicestria*, *Bartholomæus* de *Mortuo Mari*, *Radulfus* de *Malo Leone*, *Andreas* de **Chavegui**, *Giraldus* de **Finival**, *Rogerus* de **Sacy**, *Willielmus* de *Stagno*, *Hugo* de *Nova Villa* serviens probissimus, *Henricus Teutonicus* Regis signifer, hi tantum equos habebant, & quidam equos quidem ignobiles & debiles, armis inassuetos: per ordines igitur & turmas provida dispositione collocantur acies & agmina, singulis castigandis assignantur præfecti, locis maritimis destinantur milites propiores, non procul ab Ecclesia Sancti *Nicholai* à parte sinistra, quoniam eo versus se *Turci* præcipitarant agmine densiori, item extra hortos suburbanos assignantur *Pisani* & *Genuenses*, cum commixta gente diversa. O quis sufficeret ad plenum gravissimas enarrare perfidorum invasiones? Irruentes imprimis *Turci* clamoribus horrendis ululare cœperunt, & jacula creberrima mittere cum pilis & sagittis, ad quorum impetus improbissimos excipiendos nostri se prout poterant aptabant, genu dextrum singuli solo figentes, ut sic firmius cohærerent, & persisterent immobiles, dum pedum dextrorum articulos fixisent in terra, pedes vero sinistros sinuato poplite habebant, manus sinistræ clipeos protensos habebant, & parmas, & scuta, & ancilia, dextræ lanceas in terra fixis posterioribus capitibus,, anterioribus vero partibus oppositis ferrata cuspide perniciter irruentibus adversariis. Rex armorum peritissimus inter quoslibet duos sic se clipeis protegentes unum statuit Balistarium, & alterum juxta ipsum qui protensam

Christiani exercitus ordo.

expeditius jugiter aptaret Baliftam, ut viz. unius effet officium Baliftam tendendam, & alterius jugiter pila jaciendi, hoc quidem non modicum profuit noftris, & multum obfuit adverfariis. Sic aptatis fingulis, ut temporis angustia fimul & paucitas hominum fuppetebat, Rex inter fingulos difcurrens impiger confolator perfuadebat conftantiam, damnans languefcere degeneres animos, formidine vel ignavia flecti, adverfis inquit mentis imperterritæ rigorem opponite, convalefcat virtus folidati pectoris obvia hoftium afperitati evafura profecto fortunæ procellas, fcitote adverfa pati, quoniam omnis fortuna tolerabilis accidit animo virili, quinimo virtutibus ficut umbram profpera fic adverfa præftant lucernam, ad fugam non patet locus, cum cuncta loca jam hoftes occupaverint, fugam tentare eft mortem adfcifcere. Durate igitur & fævius urgens neceffitas fiat materia virtutis, virorum nimirum eft aut fortiter triumphare aut gloriofe mori, martyrium imminens animo gratanti eft accipiendum, fed antequam moriamur vita comite mortem noftram ulfcifcamur, gratias agentes Deo quod qualem quivimus per martyrium mortem nos invenire contigit, hæc eft merces laborum & finis vitæ fimul & præliorum. Vix fermone finito ecce præceps ruit cum faftu maximo hoftilis exercitus per feptem ordinatus acies & turmas, quarum quilibet quafi millenis conftabat equitibus. Ad quorum impetum fe noftri cooptantes excipiendum, infixis ad renitendum fabulo pedibus dextris, perftant folidius immobiles, contra irruentes lancearum cufpide protenfa, quos nimirum *Turci* tunc penetraffent fi noftri aliquatenus ceffiffent. *Turcorum* acies prima appropians, cum jam immineret irruitura, quia noftros attendit immobiles, fubito refilivit divertens in partem ab eis, *Turcos* autem recedentes Baliftarii noftri denfiffimis profequuntur miffilibus, homines quamplurimos transfodientes & equos. Nec mora fuccedit & altera acies noftros perpendens impenetrabiles, quoniam immobiles confimili priorum fcemate divertit in partem. Simili modo pluries *Turci* tanquam turbine veniebant adacti, ut imaginata invafione noftri gratis diffiparentur, & congrediendi fuppeteret facultas, & cum jam comminus viderentur præliaturi verfuta calliditate in partem alteram flexis loris equos regirabant. Quos cum Rex & gens fua æftimarent non aliter acturos fuper ipfos ulteriori perfunctorio fubterfugio, ægre ferentes Rex cum his, qui equos habebant, fubditis equis calcaribus & lanceis dimiffis vehementius agebantur in hoftium turbam denfiorem, profternentes à dextris & à finiftris, fellas feſforibus evacuantes, & nonnullos transfodientes, tanto quippe impetu fe primitus in ipfos impegerant ut *Turcorum* acies univerfas penetrantes in fpiritu vehementi tandem in pofteriori acie perfifterent. Et ecce Rex in partem refpiciens vidit eminus equo dejectum nobilem Comitem *Leiceftriæ*, quem cum egregie dimicantem Rex invictus cerneret, ipfum à manibus improborum opprimentium vivaciter eripuit, & ad equum fcandendum ipfe præftitit & obfequium. O quam gravis ibi pugna conferitur! confluit turba *Turcorum* plurima, & toto conamine infiftunt tam paucos opprimere, noftrorum dolent fucceffibus, pertinaciter irruunt ufque ad Regium cum leone vexillum, folius Regis animam pro mille quærentes: nec mora & ecce in illo conflictus pondere vidit Rex *Radulfus* de *Malo Leone* jam à *Turcis* diftrahi captivum, ad quem à manibus ipforum excutiendum Rex ocior advolat equo admiffo, & potentiffime ambigens fibi ipfi reftituit *Radulfum*. Rex, ut gigas in prælio, prærogativa virtutis infignis, inter tot hoftium millia tam vivaciter in diverfas fe partes torquebat, tam eleganter fe pene folus agebat, fingulariter fine quolibet præcedentium exemplo, ut cujufcunque vir præftantiæ, vel princeps virtutis aut potentiæ, non immerito multo reputaretur inferior. Ea quidem die in frementium turba *Turcorum* ita fe viriliter ingeffit & gladio fulminante innumeros trucidavit, hos a capitis vertice ufque in dentes profcindens, illis vel caput vel brachia vel quodlibet membrorum amputans, adeo jugi vexatus eft exercitio, ut vibrantis gladium detræ cutis rumperetur. Et ecce fic Rege incredibiliter in certando laborante, eo verfus rapidiffimo curfu *Turcus* quidam

Richard. cum Equitibus fuis Turcorum acies penetrat.

dam ferebatur ſpumanti vectus equo ſublimi, ipſe fuit ex parte *Saphadini* de *Archadia* fratris *Salahadini*, viri quidem liberaliſſimi & munifici, & viris optimis comparandi, ſi tamen Chriſtianæ religionis non reſpuiſſet credulitatem & fidem. Hic igitur *Saphadinus* duos equos nobiliſſimos *Arabicos* Regi propter ipſius notam probitatem deſtinavit, rogans attentius quatenus equos gratanter acciperet & aſcenderet, quibus videbatur tunc temporis egiſſe, & ſi gratia divina ipſum ab imminenti periculo ſanum eruiſſet & incolumem, illius quoque reminiſceretur obſequii, prout animo ſederet recompenſaturus, quos Rex ſuſcipiens magnifice poſtmodum remuneravit. O virtus & in hoſte laudabilis! ſic *Turcus* & hoſtis, ob eximiam Regis virtutem, ipſum ſic judicavit honorandum. Rex oblata non reſpuens, præſertim in anguſti temporis articulo, proteſtatus eſt, quod plures conſimiles ſuſciperet tunc equos ab inimico etiam ſeveriori in tali tam neceſſarios negotio. Et ecce graviſſimum conſeritur bellum, confluunt in pauciſſimos innumeri, contegitur univerſa terra pilis & ſagittis perfidorum, ut jaculorum multitudo unico raptu complectentium ſarcinam efficeret, quibus & ſauciantur innumeri, & importabiliter aggravatum eſt in noſtros pondus prælii, cædunt galeatores fugientes in Galeis, quibus eo advenerant, proh pudor ſoli fugiendo captantes ſalutem, ſoli virtutis amiſerunt conſtantiam. Interea factus eſt clamor magnus à facie *Turcorum* jam villam certatim occupantium, ſperantes enim noſtros opprimere repertos villam undique introibant. Quo audito Rex impiger occurrit duobus tantum comitatus militibus, ſed ſecum ducens Baliſtarios, qui cum in una villæ platea nobiliſſimi apparatus tribus *Turcis* obviaret, inſigniter irruens in ipſos more Regali trucidabat ſeſſores, & equos duos lucrefecit, cæteros *Turcos* univerſos in villa repertos reſiſtentes gladio ſubverberans exagitabat, ut ab eo extterriti, & in diverſa diſperſi, quæritarent exitium, etiam ubi non patuit. Murorum interrupta ſtatim mandavit Rex obturari, & conſtituit cuſtodes, qui cuſtodirent civitatem ab incurſione *Turcorum*.

Saphadinus Regem Richardum duobus equis nobiliſſimis in medio prælii donat.

CAP. XXIII.

Item de admirandis & omnibus ſeculis obſtupendis Regis præliis, in quibus divina virtute multipliciter hoſtes ſtravit, & de medio eorum incolumis ad ſuos rediit.

HIs itaque diſpoſitis raptim fertur Rex in littus maris ad Galeas, quibus jam plurimi corde pavitanti fugam tentarant, quos Rex revocatos efficaciſſimis ad bellum animat rationibus, ut in ſorte communi ſimul cum cæteris vita comite perſeverarent, ad cujus exhortationem redeunt ad certamen univerſi, gratanter jam excepturi quamcunque Deus ſortem deſtinaverit, ſingulis Galeis quinque deputatis cuſtodibus, cum reſiduis Rex recurrit ad pugnam, ad auxiliandum plurimum laborantem exercitulum ſuum, ad quem cum perveniſset ſpiritu tam vehementi, & impetu ferociſſimo, in dimicantium *Turcorum* ſe turbam ingeſſit, & penetrans omnia & diſſipans, ut etiam intacti ab eo corruerent eminus impulſu cedentium. Nunquam enim ab uno quocunque milite talis celebrata narratur invaſio, penetratis ſiquidem interioib. hoſtilis exercitus bellatoris inclyti ſe more gerebat. Quem *Turci* ſine mora circumvallantes concluſum conabantur opprimere. Noſtri interea Regem perpendentes nuſquam comparere pavido corde augurabant infauſta, ne forte periiſset, quem non viderent, quem cum nonnulli arbitrarentur quærendum vix ſe cohibuerunt acies noſtræ. Verum ſi quomodo diſpoſitorum agminum noſtrorum ſeries ordine rapto diſſolverentur, proculdubio tota gens noſtra penitus interiiſset. Quid autem de Rege ſentiendum circumſepto multis millibus hoſtium uno? ſuper quo quidem rigeſcit articulus ſcribentis, & animus

Rex exhortatione ſua milites fugientes ad pugnam reducit.

Rex Richardus maximum incurrit periculum.

mus meditantis obstupescit. Quinimo quis ejus similem audivit? cujus animositas semper rigida, adversis rerum immersabilis undis constantia, virtus jugiter florens, &, ut paucis multa pateant, bellis semper recens & infatigabilis. Quid igitur fabulosi siquidem illius *Antæi* virtus casu reparabili, & terræ contactu fuisse narratur invincibilis, sed hic *Antæus* a terra suspensus longo luctamine sublevatus interiit. Sed & stygiis intincta fluentis domitoris *Hectoris Achillis* caro fertur armis impenetrabilis,hic ergo cuspide subplantatus, qua solum parte potuit defecit. *Alexander Macedo* cujus præcipites animos in totum mundum subjugandum armavit ambitio, difficilia quidem ausus est, & innumera electorum militum manu bella peregit, cujus & in gente plurima virtutis summa stabat. Vir fortissimus *Judas Machabæus*,de cujus præliis narrabant omnes gentes,multa quidem & in seculis revera miranda gessit bellorum insignia, quem quoniam in belli discrimine sui deseruerant, raro agmine cum multis millibus alienigenarum congrediens non procul inde cum fratribus peremptus cecidit. Rex autem *Richardus* bella pati teneris induresceus ab annis,ad cujus virtutem *Rollandus* reputaretur invalidus, nescio quo pacto in uno munere divino inter quoslibet hostes perdurabat invincibilis, & impenetrabilis caro tanquam ænea nullorum cedebat armorum generibus, ensem dextra vibratum motu circumducens citatiori irruentes transverberabat hostes, nunc hos appropiantes, nunc obvios desecat illos; ineffabili quidem vivacitate in illa *Turcorum* multitudine se agebat trans ausus hominum, ad nullius pavens occursum, quemcunque factum obviam dissipans, conterens: ut quis messem falce sic hostes demetit ense, cujus merito mirandos quis digne referat ictus, quorum quemcunque contigisset unum experiri non opus erat secundo. In ipso denique fervore animi virtus erecta quodammodo se gaudebat invenisse exercitii materiam; quocunque se vertit ensis devorans carnes, adactus potenti dextra à capitis vertice sessores indifferenter abscidit, vel equos etiam usque deorsum, & quanto se comperit sociis destitutum tanto se ferventius urget ad pugnam, quem quo acrius insistunt hostes telis emissis opprimere, eo virtus irritata impetu regnat ardentiori, inter cætera ibi plura præclara, quæ in tali articulo constat ipsum egisse, Admiralium quendam cæteris eminentiorem, & insigni cultiorem apparatu, unico sed admirabili vulnere peremit, qui cum in gestu tanquam quid magnum jactitans, & alios velut desides redarguens & ignavos, subditis equo calcaribus rapido cursu venisset è regione Regi obvius dejiciendo, Rex gladium objiciens irruenti multipliciter armati caput amputavit cum scapula & dextro brachio, quo viso cæteris *Turcis* non supererat spiritus, sed undique viam spaciosam cedentes, vix ulterius à longe sagittas in ipsum emittere satagebant. Ab hostium itaque medio liber rediens & incolumis, ad suos animandos celerius evehitur. O quam à profundæ desperationis abysso eriguntur animi, cum Regem vidissent ab hostibus emersum! cui quid evenisset hæsitantibus mentibus ambegerant, sine quo nimirum superstite prorsus inanis Christicolarum foret conatus. Regis autem corpus circumquaque fuit obsitum pilis creberrimis, infixis sicut ericius aculeis, similiter ejus equus in ejus phaleris hærentibus horrebat sagittis innumeris. Sic miles eximius a certamine regresus est, certamine inquam crudelissimo, pugna gravissima, a mane commissa usque ad vesperam: miranda quidem relatu fideque forte censebuntur indigna,tam longe impari numero perdurasse certamina, sed revera Dei miserantis opitulatione non ambigendum hoc esse patratum, cum in illa tam funesta die nostrorum unus corruerit vel duo tantum. *Turcorum* autem equorum numerus, qui perempti passim per arva jaciebant, mille & quingentos excessisse fertur, ipsorum nihilominus *Turcorum* amplius quam septingenti perempti sunt, nec tamen Regem, ut jactaverant, mancipaverunt offerendum *Salahadino*, sed in oculis ipsorum hinc ipse inde socii sui commilitones militaris exercitii præclarissimi tot & tanta perpetraverant insignia, ut & inspicientium inhorrerent hostium pili.

In hac pugna 700. Turcorum periere, duobus tantum Christianis occisis.

CAP.

CAP. XXIV.

Irridet Saladinus *suos jactitantes de comprehensione Regis* Richardi, *qui suam arrogantiam defendentes, responderunt se nunquam tam strenuum militem vidisse.*

INterea dum a nostris, quos divina clementia sic conservarat indemnes, *Turcorum* declinasset exercitus, fertur *Salahadinus* tanquam arrogantium improperans ignaviam quæsiisse dicens, ubinam sunt qui Meleck *Richardum* adducunt captivum? quis igitur primitus ipsum apprehendit? ubi est, inquam, nunquid non producetur? Cui de ultimis terræ finibus oriundus quidam *Turcus* ait. Revera Domine non est hic Melech de quo quæritur, sicut cæteri hominum, a seculo non est auditum talem militem apparuisse, tam constantem, probatum, armis exercitatum, in singulis argumentis primus invenitur, in negotiis singularis, in congressibus anterior, in regrediendo posterior, quem quidem comprehendere solicite sed frustra sategimus, non est enim qui gladium ejus sustineat incolumis, cujus impetus horribilis, lethifer congressus, & gestus ultra humanum modum.

CAP. XXV.

Rex ex labore & fatigatione prælii infirmatur.

POrro ex illius pressura diei & certaminis gravamine Rex *Richardus*, & gens nostra plurimum vexata, decidit in languorem, tum ex prælii fatigatione, tum ex cadaverum fœtore, unde locus corruptus est, ut cuncti pene morerentur.

CAP. XXVI.

Salahadinus *mandat Regi ægrotanti se ad eum comprehendendum venturum, Rex mittit ad* Cæsaream *pro* Francis, *qui venire renuunt.*

INterea mandavit Regi *Salahadinus* quod ipse cum *Turcis* suis ad ipsum descenderet comprehendendum, si tantum adventum suum expectare præsumeret, cui Rex incunctanter remandavit, quod proculdubio ipsum ibi expectaret, ut qui scil. nullo pacto vita comite, dum pedibus vel certe genibus resistere suppeteret facultas, nec pedis ad passum ab eo refugeret, Regia siquidem animositas nec adversis sustinuit confringi; verum sentiens Rex se morbo gravatum, pensans temporis articulos & rerum statum, nec tutam fore quietem vicino serpente, destinavit Comitem *Henricum Cæsaream*, mandans his qui prius eo venerant *Francis*, ut ad ipsum venissent, & terræ tuendæ præsidio fuissent, significavit etiam quanto morbi laboraret incommodo, & super prædicto *Salahadini* mandato. *Franci* vero nullatenus vel in modico eidem succurrere volebant, imo, in quantum ipsis erat, ipsorum destitutus auxilio hostium expositus multitudini periisset, nisi procurasset inducias, quamvis in nonnullis reprehensibiles. Quid igitur inter tot *Turcorum* examina quis tam paucis ne dum infirmis locus tutus? *Ascalonem* potius dirui tunc temporis fuit consilii, quam ancipiti vicissitudine jactari; nam si Regem languidum grabato discumbentem hostes nullo resistente comprehendissent, tunc nimirum libere occuparetur *Ascalon*, vero consequenter tuta maneret *Tyrus* vel *Achon*? *Ascalonem diruendam esse concluditur.*

CAP. XXVII.

Regi volenti redire in Achonem *gratia curationis, sui viriliter contradicunt, unde Rex petit & recipit inducias trium annorum.*

INterea Rex super importuna corporis valetudine solicitus, examine subtiliori libratis rerum articulis mandavit exhiberi præsentes cognatum suum *Henricum* Comitem, & Templarios & Hospitalarios, quibus, exposito corporis incommodo, se protestatus est propter loci corruptionem, & minus securam munitionem, inde recessurum, quorum etiam quibusdam injunxit proficisci ad observandam *Ascalonem*, aliis autem ut ibi residentes præessent *Joppe* custodiendæ, ipse vero reverteretur *Achonem*, ut acceptis potionibus curaretur, nec aliter fieri posse dicebat. Cui cum universi uno animo & voce consimili contradixissent, se prorsus asserentes nulla conditione quamcunque munitionem ipso absente observaturos, & hac constantes perstiterunt sententia, quorumcunque castrorum abominantes custodiam, & his dictis abierunt retro, & jam cum illo non ambulabant. Hujusmodi responso turbati Regis angustiabatur animus æstuans, & suorum aversio eum in acerbissimum traxit dolorem, quia jam neminem reperiisset suis propositis consentaneum vel votis. Super agendis itaque diutius vacillando fluctuans, cui potius insisteret operi cogitationes mentis agens in diversa ab hoc recidebat in illud, quia non invenisset qui doleret vices ejus. Attendens denique jam universos defluxisse, neminemque vel tenuissima cura solicitari super communi causa, promulgari jussit edictum, ut quicunque Regis stipendia voluissent conducti recipere convenissent ad succurrendum, nec mora confluunt duo millia peditum & milites quinquaginta. Verum jam invalescente nimium ægritudine Rex de recuperando sanitate desperatus est, unde tam pro aliis quam pro seipso nimis anxius, inter plura quæ mentis ejus sagacitas non præteribat intacta, maluit minus inconveniens præeligere ut inducias exigeret, quam si infecto negotio recedens terram depopulandam omnino desereret, sicut & alii fecerant, jam catervatim abeuntes in navibus. Sic Rex perplexus & ignorans quid potius aliud fieret, mandavit *Saphadino* fratri *Salahadini*, ut ipso mediante qua potuisset honestioris conditionis inter ipsos impetraret inducias. *Saphadinus* vir eximiæ liberalitatis, qui & Regem ob ejus singularem probitatem crebris duxerat venerandum argumentis, solicite tales sub hac forma procuravit inducias. Viz. ut *Ascalon*, quæ superstes *Salahadini* terrori semper extiterat imperio, dirueretur, à nullo hominum reparanda ante terminum trium annorum ad Pascha proximum sequentium, vel incipientium : sed post tres annos quisquis superiori vigeret potentia cederet *Ascalon* eam occupanti. Concessit etiam *Salahadinus* ut *Joppe* restauraretur Christicolis libere & quiete inhabitanda, cum universa regione vicina, locis maritimis, & montanis. Confirmandam etiam sanxit inviolandam pacem inter Christicolas & *Sarracenos*, salvumque utrorumque libere per omnia esse meatum, & ad sanctum Dominicum Sepulchrum absque cujuscunque pensionis exactione accessum, & cum libertate transitum deducendarum per omnem terram quarumcunque rerum venalium, & ad exercenda libere commercia. Harum formam induciarum in scripturam redactam sibi recitatam Rex *Richardus* annuit observandam, quia nimirum sperare non poterat potiorem, utpote æger, & quam modico fretus auxilio, & prorsus non aberat ab inimicorum statione duobus milliariis. Quisquis super hujus pacis contractu contenderit aliter sentiendum, perversi mendacii se noverit incurrisse reatum.

CAP.

CAP. XXVIII.

Rex & Salahadinus *ad invicem amicabiliter confabulantur per nuncios.*

HIs itaque geſtis in articulo neceſſitatis, Rex cujus magnanimitas ſemper imitabatur excelſiora, moliens ardua, æmulans ſumma, miſſis legatis mandavit *Salahadino* dicens, audientibus ſatrapis multis, ſe tantum ea intentione tales expetiſſe pro tempore inducias in tres annos, revera ut in terram ſuam viſendam reverteretur, iterum ut gentem ſuam multiplicaret & pecuniam,& reverſus totam terram *Jeroſolymitanam* erueret ab ipſius Dominio, ſi tum eidem quacunque fiducia reputaret reſiſtendum. Cui *Salahadinus* ad hoc nuntiis deſtinatis reſpondit, legis ſuæ ſacra conteſtans & Deum omnipotentem, quod adeo Regis *Richardi* habuit gratam probitatem, magnanimitatem, & præſtantiam, ut ab eo terram mallet in potentia ſuæ virtutis obtineri quam ab alio quocunque Principum, quem unquam viderat, ſi tamen diebus ſuis terram eſſet amiſſurus. O quam profunda cæcitate humani caligant oculi? dum in longa tempora metiuntur agenda, prorſus ignorantes quid craſtina pareat dies, ſic Rex dubium mentis acumen extendens in longum, animo de futuris diſponente, ſperabat Dominicum recuperare quoque ſepulchrum, omnino non ſentiens quod

Omina ſunt hominum tenui pendentia filo.

CAP. XXIX.

Rex curationis gratia Cayphas *petit.*

SCriptis & juramentis confirmatis induciis, Rex uſque *Caypham*, prout potuit, ſe procuravit deduci, ut acceptis ibi ſalutiferis ſanaretur medicinis.

CAP. XXX.

Francis *Rege procurante pro eorum malitia eſt prohibitum, aliis eſt permiſſum Dominicum viſitare ſepulchrum.*

INterim *Franci* in *Achone* olim feriati ſe jam ſolicite expedirent ad repatriandum, qui licet memoratas mordacius reprehendiſſent inducias, ſe tamen condixerunt ad conſummandam plenius peregrinationem, antequam abirent in patriam, Dominicum adituros ſepulchrum. Quorum Rex non immemor deſidiæ, quippe qui nec in recuperanda *Joppe*, ſicut prædictum eſt, nec pluribus antea neceſſitatibus ei opem ferre volebant, imo jam conductum exigebant adeundi ſancti ſepulchri, deſtinatis nunciis induſtriis mandavit *Salahadino*, & eidem fratri *Saphadino*, ne cuiquam hominum liceret adire ſepulchrum ſanctum in *Jeruſalem*, niſi qui ſuas literas haberent vel Com. *Henrici* prout vellent, ut præſcripta inter ipſos teneretur conditio. Hinc amaricati *Franci* vehementer conturbati ſunt, & ſe minimum ibi perpendentes proficere, non multo poſt reverſi ſunt confuſi in patriam ſuam, nil ſecum præter rixam ingratitudinis reportantes. Audiens Rex ſibi detrahentium *Francorum* partem majorem repatriaſſe, & os obſtructum obloquentium iniqua ſecundum

cundum illud, ejice deriforem & exibit cum eo jurgium, partes peftilentium diffundere in omnes. Sub voce præconaria ftatuit promulgandum, quatenus populus qui vellet jam Dominicum vifitaret fepulchrum, & ut oblationes fuas reportarent *Joppen* ad auxilium conficiendorum murorum.

CAP. XXXI.

De peregrinatione primæ turmæ in Jerufalem, *cui præerat* Andreas *de* Chavigui, *& ejus timore indifcrete incedentis.*

IN tres turmas difpofitus populus ordinatur proceffurus, fingulæ turmæ fingulis præfectis committuntur regendæ. Prima *Andreæ* de Chavegui, fecunda *Radulfo* Teiffum, tertia *Huberto* Epifcopo *Salesberienfi*. Cum Regiis itaque literis feriatim profecti funt primi, qui fub *Andrea* erant. Exigentibus autem forte peccatis in graviffimas fere inciderunt tentationes; itinerantes etenim jam pervenerant in planitiem *Ramulæ*, inde communi confilio deftinatis nunciis fignificabant *Salahadino* fe cum literis Regis *Richardi Jerufalem* venturos, & ut procurante falvo itinere procederent & redirent. Qui hac legatione fungebantur, viri quidem nobiles erant, & induftrii fed probitas eorum ibi pene denigrata eft defidia, quorum unus erat *Willielmus* de *Rupibus*, alter *Girardus* de Turniball, tertius *Petrus* de *Pratellis*. Hi deftinati cum ad *Turonem militum* perveniffent, ibi fteterunt ut ulterioris itineris profequendi *Saphadini* tuerentur præfidio. Ibi dum moram facerent irruente fomno dormitaverunt omnes & dormierunt, quoufque jam ad occafum fole vergente dormientes præteriiffent omnes illi quorum ipfi fuerant deputati legationi. Turba igitur feriatim procedens, tranfmiffa planitie, jam approximabat montanis, cum ecce refpicientibus *Andrea* de Chavegui & cæteris apparuerunt præfati nuncii, qui dormierant poft ipfos properantes. Quibus cognitis, exterriti timore magno reftiterunt, nonnullis dicentibus Domine Deus adjuva nos, perimus, jam reputamur ficut oves occifionis, fi noftrum iter tam indifcretum deprehenderint *Sarraceni*, quorum nondum defluxit exercitus, ecce nuntii noftri poft nos quos jam fperabamus peracto negotio fecuritatis reverfuros, inftat vefpera, inermes fumus, morti proximi verfamur in periculo. Nuntios denique turbam affecutos, afperius negligentiæ redargutos, repetitis precibus in id ipfum deftinaverunt plurimum urgentes ut feftinarent, qui citato itinere, dum perveniffent *Jerufalem*, invenerunt extra civitatem in tentoriis refidentium *Turcorum* quafi duo millia vel eo amplius. Quæfito & tandem invento *Saphadino* caufam expofuerunt, ipfe vero acerbiffime duces eorum itineris reprehendens fatuitatis argumentabatur illos vitam fuam floccipendere, quod inftante nocte fic fe inter hoftes ingererent, abfque ducatu & cujufcunque tuitione. Qui dum fic confabularentur ad invicem in ipfo folis occafu, venit turba præfata peregrinorum expers armorum & confilii, ad quorum adventum *Turci* hirrientes refpiciebant prætereuntes torvis oculis vultuofi, in quorum facie fatis prætendebatur manifefte quam æmulans indignatio volvebatur in cogitatione, folet namque nonnunquam in vultus imagine exprimi habitus animi, hinc noftrorum etiam conftantiores ancipiti concuffi trepidatione multo magis optarent tunc temporis vultu fereniore vel *Tyro* reftitui, vel unde venerant *Achoni*. Porro juxta montem quendam in maximo timore non procul inde pernoctabant peregrini.

CAP.

CAP. XXXII.

Turci *ultionem petunt de peregrinis nostris*, Salahadinus & *Satrapæ non concedunt.*

IN craftino venientes *Turci*, genibus flexis coram *Salahadino*, fuppliciter rogabant ut liceret ipfis ultionem expetere à Chrifticolis in proximo refidentibus, fuper morte fuorum, primum in *Achone*, poftea paffim peremptorum patrum & fratrum, filiorum & parentum, tunc ut afferebant nacta temporis opportunitate. Super horum petitione *Salahadinus* habiturus confilium *Turcorum*, majores imperat accerfiri, adfunt *Meftoc*, *Saphadinus*, *Bedridinus*, *Dorderinus*, quibus ad invicem fuper propofitis conferentibus, in eo tandem univerforum eft ftabilita fententia, quatenus abfque omni impedimento & injuria liberius irent & redirent Chrifticolæ. In eo inquiunt *Salahadino* plurimum noftræ derogaretur excellentiæ, fi inter te & Regem *Angliæ*, nobis prævaricantibus, fœdus initum rumperetur, & *Turcorum* fides cujufcunque credulitatis nationi fervanda non immerito reputaretur in perpetuum inanis. Hæc & his fimilia Satrapis replicantibus, *Salahadinus* confeftim injunxit fatellitibus fuis, ut Chriftianorum curam haberent, fine moleftia deducendorum in civitatem & reducendorum in pace. Ad hæc fidelius explenda deputatus eft, qui fe gratis ingefferat *Saphadinus*, quo procurante peregrini libere & quiete Dominicum vifitarunt diu defideratum Sepulchrum, & gratuita liberalitate magnifice curati, confummata pro voluntate peregrinatione reverfi funt alacriter *Achonem*.

CAP. XXXIII.

De peregrinatione fecundæ turmæ in Jerufalem *cui præerat* Rad. Teiffun.

HIs ita revertentibus obvia venit turma fecunda peregrinorum, quæ fub *Radulpho* Teiffun erat inter caftrum *Arnaldi* & *Ramulam*. *Salahadinus* igitur, ficut prædictum eft, difpofuerat gentem fuam tranfitus viarum & femitas obfervare diligenter, quando quis peregrinorum *Jerufalem* verfus itineraret; unde libere tranfivimus & inoffenfi,& montana fuperantes pervenimus ufque ad montem gaudii, unde cum civitatem *Jerufalem* eminus vidiffemus, eximie lætati genibus in terram fixis, ficut mos eft, humiliter Deo gratias perfolvimus: inde quoque vidimus montem *Oliveti*, poftea procedentibus alacriter univerfis, hi qui equos habebant feftinanter præibant, ut licentius pro voto Dominicum ofcularentur fepulchrum. Præterea referentibus nobis his, qui præceſſerant equitibus, ipfis fecit *Salahadinus* exhiberi ofculandam & adorandam illam veram crucem Dominicam, quæ fuerat in bello olim. Nos autem pedites extremi vidimus quod potuimus, fcil. Monumentum Dominicum, ubi nonnullæ ponebantur oblationes, quas quia *Sarraceni* tollebant parcius ibi offerentes,partiti fumus his, quos ibi vidimus, in vinculis captivis *Francis* & *Syris*, qui fibi deputata laborabant fervitute: inde perreximus ad montem *Calvariæ*, quo crucifixus eft Dominus: ibi lapis increbuit quo infixa fuit crux Dominica in *Golgotha*, quem locum cum fuifsemus ofculati, perreximus in Ecclefiam fitam in monte *Syon*, in cujus parte finiftra locus apparuit à quo beata Dei genetrix *Maria* tranfivit ab hoc mundo ad patrem, illi loco fixis

 cum

cum lachrymis oculis cursitantes pervenimus ad videndam sacram mensam illam, in qua dignatus est Christus panem comedere, qua festinanter osculata, inde globatim sine mora decessimus; nec enim tutum erat nisi catervatim incedere propter profanæ gentis insidias; peregrinorum sparsim siquidem vagantium hic tres illic quatuor in aditus cryptarum attrectantes *Turci* clanculo suffocabant. Illinc properavimus usque ad sepulchrum beatæ Dei genetricis *Mariæ*, in *Josaphat* valle medio juxta *Siloe* osculandum devote & corde contrito. Deinde non omnino securi in ipsam illam testudinem accessimus, in qua dicebatur Dominus & redemptor noster nocte comprehensus crucifigendus in crastino; illic fusis piis lachrymis & effectuosius illi loco fixis oculis, properanter abscessimus, *Turcis* quoque nos abjicientibus non modicum, condolentes super pollutionibus, quibus profanaverant sacra loca infidelium *Turcorum* equi irreverenter illic stabiliti. Postea recedentes ab *Jerusalem* pervenimus *Achonem*.

Turci peregrinis insidias struunt.

CAP. XXXIV.

De peregrinatione tertiæ turmæ, cui præerat Episcopus Salesbiriensis Hubertus Walterus, *cui* Salahadinus *multum honorem exhibuit, & omnes petitiones ejus adimplevit.*

SAne tertia turma, cui præfuerat Episcopus *Salesberiensis*, jam non procul à gente ab *Jerusalem* misit *Salahadinus* gentem suam obviam Episcopo honorifice excipiendo, & pro voluntate per loca sancta ducendo. Cui etiam ob commendabilem probitatem, & opinionem prudentiæ, & prædicatam *Salahadino* claritatem meritorum, obtulit rogans ut apud ipsum mansionem acciperet suis exhibendus impensis. Renuit Episcopus, nequaquam, inquit, quia peregrini sumus. *Salahadinus* suis injunxit ministris eodem Episcopo & suis exhibere affluentius humanitatem, cui quoque quamplurima xenia misit accurata, quem & post invitavit ad colloquium ut videret gestus ejus & habitudinem, cui & sanctam crucem exhibuit videndam, deinde consedentes diutius familiariter collocuti sunt ad invicem. Sciscitatus est igitur *Salahadinus* de moribus Regis *Angliæ*, & quid dicerent Christiani de *Sarracenis* suis. Cui respondit Episcopus dicens, revera de Domino meo Rege quod non immerito dici potest dico ego, quod Regi *Angliæ* non est in mundo par miles in negotiis militaribus, nec æqualis in virtutis præstantia, vel in dandi largitate, qui nimirum omnium ad plenum commendabilium est insignitus moralitate gratiarum. Quid multa, si quis me judice exceptis peccatis tuis, tuarum dotes virtutum simul cum Regis *Richardi* communicaret compositas, ut uterque vestrum utriusque dotaretur præditus potentiis, tales in orbe terrarum duo Principes non invenirentur. *Salahadinus* patienter auscultato Episcopo demum intulit, satis nobis, inquit, innotuit Regem esse maximæ probitatis & audaciæ, verum minus prudenter, non dicam insipienter, se crebrius ingerit in periculum, nimis prodigus vitæ suæ. Ego quidem undecunque qualiscunque terrarum Princeps eximius fuissem, multo mallem dapsilitate ditari cum sapientia simul & modestia, quam audacia & immodestia. Post prolixius igitur inter ipsos habitum familiariter per interpretes colloquium, dixit *Salahadinus* ut Episcopus quodcunque magis optaret peteret donum & daretur ei. Ad hoc cum Episcopus gratias uberes reddidisset, petiit tempus deliberandi usque in crastinum, igitur rogavit Episcopus quatenus ad Dominicum sepulchrum quod visitaverat, ubi vix utcunque more *Syrorum* barbaro divina celebrabantur, permitterentur honestius divina celebrare duo Presbyteri *Latini* cum totidem Diaconis *Latinis* simul cum prædictis *Syris* ex oblationibus peregrinorum exhibendi,

Episcopus Salesburiensis sacra faciendi ad Sepulcrum Dominicum potestatem impetrat à Salahadino.

bendi, & ſimiliter totidem ad idem in *Bethleem*, ſimiliter in *Nazareth*. Erat quidem pretio magna, Deo ut creditur gratiſſima. Annuente rogatis *Soldano*, perquiſitos Epiſcopus, prout impetraverat, inſtituit Presbyteros in prædictis ſingulis locis cum Diaconis obſequium præſtans Deo, ubi non erat prius; ſicque impetrata licentia exeuntes ab *Jeruſalem* reverſi ſunt *Achonem*.

CAP. XXXV.

Peregrinatione peracta repatriantes multa in mari perpeſſi ſunt naufragia & pericula.

COnſummata populi votiva peregrinatione, naves inſtruuntur ad repatriandum, ſecundiſque ventis velis expoſitis, ſinguli diſponentes ſe commiſere navigiis. Nec mora varietate ventorum diſgregatæ naves in diverſa feruntur. Per marinos tractus jactantur peregrini diutius, quorum quidam in diverſos portus ejecti, utcunque evaſerunt incolumes; alii ſparſim periclitabantur naufragio, alii in ipſa navigatione moriebantur in mari, maris vaſtitatem pro cimiterio ſortiti, alii morbo incurabili corrupti nunquam poſtea convaluerunt, vel in patriam redierunt. Alii vero quamvis fortiori perdurantes incolumitate, tum ex amiſſione patrum, & fratrum, & parentum, & amicorum armis peremptorum, vel infirmitate defunctorum, ſatis acerbum creduntur traxiſſe martyrium, quorum corda diverſarum paſſionum tranſverberabant gladii dolorum: ſingulos itaque, licet variis modis, fatendum eſt ſatis dira pertuliſſe martyria, qui corde ſimplici & devoto pro Dei amore huic ſe expoſuerant peregrinationi. Porro nonnulli, inſipienti verboſitate garrientes, poſtea ſolebant improperare, dicentes peregrinos illos modicum quid profeciſſe in terra illa *Hieroſolumorum*, nondum recuperata *Jeruſalem*, neſcientes quid loquerentur, quia ſuper ignotis contenderent & inexpertis. Nobis autem arbitramur eſſe credendum, qui vidimus & experti ſumus, quas illi ſuſtinuerunt tribulationes & anguſtias: unde & audientibus his etiam, qui interfuerant, audenter proteſtamur, in illa peregrinatione Chriſtianorum centum millia fuiſse mortuos, pro eo tantum quod ſub divinæ ſpe mercedis ſe continuerunt à mulieribus, ducentes iniquum jactura pudicitiæ carnis obtinere ſoſpitatem, oppoſuerunt patientiam etiam uſque ad corruptionem carnis, ut perſeveraret impolluta caſtitas mentis. Item revera novimus & infirmitatis corruptione, & famis inedia, deceſſiſse peregrinorum trecenta millia & eo amplius, & in obſidione Achonenſi, & poſt in ipſa civitate. Præterea quis dubitaret ſuper ſalutem animarum virorum nobilium & bonorum, qui à propriis capellanis quotidianum divinum audiebant ſervitium? & hi quidem creduntur ſalvandi.

Abſtinentia à mulieribus 100000. *hominum cauſa mortis extitit, ſi fides Auctori adhibeatur.*

300000. *peregrinorum periere in expeditione Hieroſolymitana.*

CAP. XXXVI.

Rex Willielmum *de* Pratellis, *qui in bello dicens ſe* Melech *pro Rege captus eſt, redemit, antequam repatriare vellet, dans pro eo* x. Turcos *nobiliſſimos.*

INterea Regis *Richardi* inſtruitur navigium, & omnia neceſsaria præparantur in victualibus & armis, & ad reditum diſponuntur. Tunc Rex mera liberalitate, & illuſtris titulo ingenuitatis impulſus, pro *Willielmo* de *Pratellis* redimendo

dimendo qui, ſicut prædictum eſt, olim Regis nomine comprehenſus eſt, decem ex nobilioribus *Turcis* commutandos dimiſit liberos, qui quidem infinitæ ſummam pecuniæ pro eodem *Willielmo* gratanter impendiſsent retinendo. Regiæ vero magnanimitatis claritudo quocunque pacto dedignata eſt denigrari.

CAP. XXXVII.

De repatriatione & navigatione & infortuniis Regis Richardi.

PEractis omnibus, Rex jam conſiſtens in procinctu ſcandendi navem provide ſtatuit procurandum, ne quid ſcrupuli ſupereſset, quod omnium bene geſtorum derogaret perfectioni, juſſit igitur clamante præcone ſuos univerſos adeſse creditores, & omnia debita reſtitui ad plenum & ultra, ne qua viz. in poſterum merito, vel ſuper raptis vel ablatis Regia auctoritate, poſset oriri detractio vel querela. O quot cum claſſis regia ſolveretur piis præcordiis ſunt eruta ſuſpiria, gravidis ubertim fluentibus lachrymis? optantur Regiis beneficiis benedictiones, memorantur probitates, computantur largitates, & in uno homine congeſtarum cumulus virtutum, O quot interruptis lamentationibus ſingulatibus audirentur voces plangentium & dicentium, O *Jeroſolumorum* terra omni jam auxilio deſtituta! quanto defenſore manes orbata! quis ulterius, ſi forte rumperentur induciæ, te protegeret ab impetentibus, jam abeunte Rege *Richardo?* Hæc & his ſimilia ſingulis lachrymabiliter inculcantibus, Rex nondum perfecte recuperata ſoſpitate, ſed cum cunctorum precibus optata ſalute, velis erectis optato progreditur navigio; ad ſyderum reſpectus tota cucurrit nocte, clareſcente vero die craſtina, Rex relictam terram piis reſpectans luminibus, meditans in longum, audientibus pluribus, oravit dicens. O terra ſancta Deo te commendo, qui pia ſua gratia mihi tantum vivendi tribuat ſpatium, ut in beneplacito ſuo tibi præſtem auxilium, ſpero quidem, ut propono, tibi quandoque ſuccurrere. His dictis nautas urgebat plena vela ventis expedire, quatenus æſtus marinos curſu ſuperarent velociori. Ignarus quidem quantæ ipſum manebant tribulationes & anguſtiæ, quot eſſet experturus adverſitates per proditionem olim demandatam in *Franciam*, unde machinatum eſt ut ab iniquis nequiter inſidiantibus comprehenderetur, nil tale ſuſpicans in obſequio Dei & laborioſa peregrinatione. O quam meritis inæquali recompenſatione retribuebatur ei, quod pro generalitatis negotio laboraverat anima ejus, & jam occupabatur hæreditas ejus, & cum expugnarentur nefarie caſtra ejus in *Normannia*, crudeliter graſſantibus æmulis ejus ſine cauſa, nec niſi redemptus à captione unquam relaxatus eſt ab Imperatore *Alemanniæ*: cujus occaſione redemptionis, ut cenſus multiplicaretur ad ſummam, in omni gente ſua fiebat collecta plurima, & rerum diſtractio variarum, accipiebantur enim ab Eccleſiis calices & vaſa in uſus Eccleſiaſticos ſacrata aurea & argentea, quibus poterant utcunque carere monaſteria; nec hoc quidem ſecundum decreta patrum erat illicitum, imo maxime neceſſarium, cum nunquam ſanctorum quiſquam vel ſanctarum, quorum numerus eſt innumerabilis hominibus, tanta fuerit vita ſuperſtite pro Deo angariatus injuria, ut Rex *Richardus* in captivitate *Oſtericia*, nec non & *Alemannia*. Qui tot *Turcorum* celebris fuerat triumphis nefarie circumvenitur à ſuæ fidei fratribus, & ab his qui ſimul cum ipſo Chriſtiana profeſſione ſolo nomine cenſentur comprehenditur, O quam vere timendæ ſunt occultæ magis inſidiæ quam manifeſtæ diſcordiæ? juxta illud, *Facilius eſt vitare diſcordem quam declinare fallacem.* Proh nefas cui non poterant reſiſtere omnes adverſarii ejus, & quem totius Imperii Soldani contractæ copiæ non prævaluerant debellare, nunc

Rex Richardus è Palæſtina rediens captivus factus eſt ab Henrico VI. *Imper. Alemanniæ: ſed tandem, intercedente Papa, ſoluta ingenti pecuniæ ſumma, liberatus eſt die* 4. *Febr. anni* 1994. *poſtquam detentus fuiſſet an.* 1. *Septim.* 6. *&* 3. *d.*

nunc ab ignobili gente concluditur, & in *Alemannia* retinetur. O quam gravissimum eſt agi nutibus alienis in libertate educatis. Sed ex illa captione ſolita Dei clementia, ſua induſtria, & ſuorum cura fidelium, mediante ære multo, quia multum poſſe ſciebatur, tandem libertati dimiſſus eſt. Solo denique reſtitutus natali, & Regno patrum, in brevi diffidentia Regni pacificavit ad votum. Poſtea transfretans in *Normanniam* æmuli ſui ſcil. Regis *Franciæ* juſto liberiores excurſus ſe paravit retundere, cujus etiam impetus crebris rejiciens repulſionibus, alienatum jus ſuum cum augmento quoque potenter in haſta recuperavit & gladio.

Explicit Liber de Expeditione Regis Richardi *in terram* Jeroſolymorum.

Si teneatur opus, non deroget Auctor utrique,
Si quid opus meruit, gratia non minuat.

Versus Magistri *Gaufridi Vinesaugh* de eodem Rege glorioso *Richardo.*

MENSÆ *delicias orditur lactis ad instar*
Culta Ceres, Bacchusque *senex vivescit in antro*
Solus ibi, vel Nectareo perfusus odore,
Degenerare sinit & lascivire saporem.
Regia pompa dapum veniens immilitat auro,
Inque vicem, seseque dapes mirantur & aurum.
Præcipuæ mensæ speculum speculate clientes,
Certat cum Paride *facies, cum* Parthenopæo
Ætas, cum Crœso *census, cum* Cæsare *sanguis,*
Cætera si spectes in corpore, cum nive bissus,
Cum flammis ostrum, cum sidere gemma videres;
Singula plus sapere condita sapore clientum;
Delicias alias oculus quas gestit & auris
Gesticulator habet, gestus non omnibus unus,
Cuique suus, plus mellis habet variata voluptas,
Tinnula sistra volant oculos pascentia Regum,
Alternantque manus, sistroque volatile sistrum
Surgit in occursum, vadunt, redeuntque, resurgunt,
Et recedunt, simulantque minas, pugnæque jocosæ
Instar agunt, sese fugiunt, seseque sequuntur,
Hinc in utraque manu gemina ludente tabella
Ludit in ore sonus, pes non vacat, imo frequenter
It, redit, & lepide passu migratur eodem,
Vox comes est passus, pariter ferit aera cantus,
Et sese tabulæ, strepitusque saporat in aure;
Tertius ad motus agilis se girat in orbem,
Aut volat in longum, vel membra supina resumit
In saltum facilem, molles aut arcuat artus
In talos refuga cervice, vel ensis acumen
Erigit, & certus dubios intervolat enses,
Singula mireris; sed adhuc jocundius istis
Nunc sonus exultat manuum, nunc arte jocosa
Colludunt digiti, nunc brachia curvat in arcum
Infurcata manus lateri, celerique meatu
Furantur motus humeri, gestumque videres
Instrumenta sequi quorum sua cuique voluptas;
Tibia fœminea tuba mascula, timpana rauca,
Cimbala præclara, concors symphonia, dulcis
Fistula, somniferæ citharæ, vitulæque jocosæ
Omnia certatim plaudunt: & tempora tractant,
Deliciæ! cum fama recens decurrit ad aures
Principis, & blando titillat murmure mentem.

Anglia *Regnorum Regina superstite Rege*
Richardo, *secura sedes sub principe tanto,*
Rex tuus est speculum quo te speculata superbis,
Sidus de cujus radias splendore, columna
Per quam fulta viges, fulmen quod mittit in hostes
Laus qua pene Deum pertingis, culmina claudam
Singula, non illo potuit fecisse priorem
Non voluit natura parem, sed viribus absit

Prorsus

Prorſus habere fidem, mors eſt quæ fortia vincit,
Ominibus ne crede tuis, ſi tempore parvo,
Illuxere tibi, mox ſunt clauſura ſerenum
Turbida fata diem, ducetque crepuſcula noctem.
Jam cito rumpetur ſpeculum, ſpeculatio cujus
Gloria tanta tibi, ſidus patietur Eclipſin
A quo ſic ſplendes, nutabit rupta columna
Unde trahis vires, pauſabit fulminis ictus
Unde tremunt hoſtes, & eris de Principe tanto
Omnia læta vale tibi dictura, quieſcis?
Sudabis, rides? flebis, diteſcis? egebis,
Flores? marcebis, es? vix eris, attamen iſtud
Unde ſcies? quid agis? rimaberis arte volucrum?
Murmura vel motus oculo vel Apolline *fata?*
Tolle Mathematicos eſt auſpex, cæcus, & augur,
Surdus, & hariolus, amens, præſentia ſcire
Fas homini, ſolique Deo præſcire futura,
Non habet hic patriam vetus ille repatriat error
Et pater erroris, Gentilis nutriat illum
Quem genuit, quia ſana fides à limine pellet
Eccleſiæ Tripodes Phœbi *foliumque Sibillæ,*
Hoc unde præſcire potes? quia nulla poteſtas
Eſſe moroſa poteſt, quia res fortuna ſecundas
Imperat eſſe breves, ſi vis exempla, priores
Reſpice fortunas, emarcuit illa priorum
Florida proſperitas, Minos *ſubvertit* Athenas,
Illion Atrides, *magnæ* Carthaginis *arces*
Scipio, *ſed* Romam *multi, fuit alea fati*
Tempore verſa brevi, brevis eſt diſtantia læti
Ominis & mæſti, nox eſt vicina diei,
Hoc aliena docent, & te tua fata docebunt;
Neuſtria *ſub clipeo Regis defenſa* Richardi
Indefeſſa modo, geſtu teſtare dolorem
Exudent oculi lachrymas, exterminet ora
Pallor, connodet digitos tortura, cruentet
Interiora dolor, & verberet æthera clamor,
Tota peris ex morte ſua, mors non fuit ejus
Sed tua, non una ſed publica mortis imago;
O veneris lachrymoſa dies! O ſidus amarum!
Illa dies tua nox fuit, & Venus *illa venenum;*
Illa dedit vulnus, ſed peſſimus ille dierum
Primus ab undecimo qui tute victitus illam
Clauſit, uterque dies homicida; tyrannide
Mira trajecit clauſus excluſum, tectus apertum,
Providus incautum, miles munitus inermem,
Et proprium Regem, quid miles perfide? miles
Perfidiæ, miles pudor orbis! & unica ſordes
Militiæ miles, manuum factura ſuarum
Auſus es hoc in eum? hoc ſcelus, ſcelus iſtud es auſus?

O dolor! O pluſquam dolor! O mors truculenta!
Mors, eſſet utinam mors mortua, quid meminiſti
Auſa nefas tantum? placuit tibi tollere ſolem,
Et tenebris damnare ſolum, ſcis quem rapuiſti?
Ipſe fuit jubar in oculis, & dulcor in aure,
Et ſtupor in mente, ſcis impia quem rapuiſti?

Ipſe

Ipse fuit Dominus armorum, gloria Regum,
Deliciæ mundi, nihil addere noverit ultra
Ipse fuit quicquid potuit natura, sed istud
Causa fuit quare rapuisti, res pretiosas
Eligis, & viles quasi dedignata relinquis,
Et de te natura queror, quia nonne fuisti
Dum vividus puer esset adhuc dum nata jaceret
In cunis in eo studiosa, nec ante senectam
Destitit hoc studium, cur sudor in orbem
Attulit hoc mirum? si tam brevis abstulit hora.
Sudorem tantum, placuit tibi tendere mundo,
Et revocare manum, dare sic & tollere donum,
Cur irritasti mundum? vel redde sepultum,
Vel forma similem, sed non tibi suppetit unde,
Quicquid erat tecum vel mirum vel pretiosum
Huic erat impensum, thesauri deliciarum
Hic sunt exhausti, ditissima facta fuisti
Ex hac factura, modo pauper es, & quasi vilis,
Ex hac jactura, si felix ante fuisti,
Tanto plus misera quanto felicior ante.

Si fas est accuso Deum, Deus optime rerum,
Cur hic degeneras? cur obruis hostis amicum?
Si recolis pro Rege facit Joppe *tua, quam tot*
Millibus oppositus solus defendit, & Achon
Quam virtute sua tibi reddidit, & crucis hostes,
Omnes quos vivus sic terruit, ut timeatur
Mortuus, ipse fuit sub quo tua tuta fuerunt.

Si Deus es sicut decet esse fidelis & expers
Nequitiæ, justus & rectus, quid minuisti
Ergo dies ejus? potuisses parcere mundo,
Mundus egebat eo, sed eum magis eligis esse
Tecum quam secum, mavis succurrere cœlo
Quam mundo, Domine, si fas est dicere, dicam
Pace tua, posses fecisse decentius istud,
Et properasse minus, dum saltem fræna dedisset
Hostibus, & facti tanquam mora nulla fuisset,
Rex erat in foribus, tunc posset honestius ire
Et remanere tibi, sed in hac re scire dedisti
Quam brevis est risus quam longa est lachryma mundi.

Versus ejusdem de eodem Rege.

Vexillum pacis, belli sera, purpura Regum,
Sol hominum, gemma totius orbis, Ave;
Cum titulis alios famæ pictura venustet,
Confer, & obtenebrat cætera fama tui,
Si genus attendam, summam sic tollit in arcem,
Si formam, gaudet Anglia *sole suo,*
Si vires, te præcipuum vendicat ensis,
Si mores, quicquid Ethica poscit habes
Temporibus belli, bello reprimente rebelles
Fulminea aspectu vultus, & ense manus;

Temporibus

Temporibus pacis removes obstantia pacis,
Continuat titulos tempus utrumque tibi,
Hinc ferus, hinc rigidus utrinque severus, utrique
Congruus, utrumque nactus, utroque potens,
Pauca loquor, quid namque loquar? me viribus impar
Curvat onus, melius ore loquatur opus.
Regis in exitium vires conflavit in unum
Orbis, ut orbaret remige Regno suo,
Flandria *transmisit* Flandrenses, Gallia Gallos,
Scotia Scotigenas, Anglia *fraude suos,*
Bella propinant tibi, milite Gallia, *telis*
Scotia, *textore* Flandria *fraude tui,*
Prosiliit sermoque pugil: terrorque sophista,
Evertere minis omnia: Marte *nihil;* .
Mira tibi virtus, & Principis omnia vincis,
Omnia suppeditas, omnia solus agis,
Cassas terrore terrores, turbine turbas,
Vi vires, armis arma, ferisque feros,
Te præsente tremit muliebris Gallia, *textrix*
Flandria, *pannosa* Scotia, *teste fuga.*
In tua damna tonans titulos tibi germinat hostis,
Magnus eras, sed adhuc omine major eris,
Major eris tantos fama mirante triumphos,
Major, si major maximus esse potest;
Si liceat magnis conferre minora, notentur
Singula, nec reperit actio tanta parem
Pompeio *titulos emerunt bella, quid inde?*
Non erat in bellis gloria tanta suis;
Virtus Cæsarea ---- *quamplura, quid inde?*
Et levius potuit vulgus inerme capi,
Hoc aliis conclusit opus nec in omnibus unum;
Dignatur tanto nomine fama capi,
Omnia qui vincis, vinci digneris ab uno,
Et cum sis aliis utilis, esto mihi.

Rex Richarde *jaces, quod si mors cederet armis,*
Victa timore tui, cederet ipsa tuis,
Viscera Caroleum, *corpus fons servat* Ebulfi
Et cor Rothomagum, *magne* Richarde, *tuum.*
In tria dividitur unus qui plus erat uno.

HISTORIA

CAPTIONIS

DIAMETÆ.

PROLOGUS.

LÆTETUR mons *Sion* & exultent filiæ Judæ propter judicia Domini, confiteantur Domino quoniam magnifice fecit, ſcribentes & prædicantes annuncient mirabilia ejus, qui mandavit ſanctificatis ſuis, & vocavit ſervos ſuos in ira ſua exultantes & non in propriis viribus, non in operibus juſtitiæ quæ fecerunt ipſi, ſed in gloria majeſtatis ejus qui eſt benedictus in omnibus in ſecula. Terra enim de qua oriebatur panis, qui de cœlo deſcendit in loco nativitatis ſuæ, ferro ſuccifa eſt in munitionibus multis quas inhabitabant perfidi. Locus ſaphiri lapides terræ hujus, quia fuit poſſeſſio Patriarcharum, alumna Prophetarum, doctrix Apoſtolorum, mater fidei, glebæ illius aurum in his qui ſibi charitate ſibi cohæſerunt, & religionis cuſtodes nunquam in ea defuerunt, quæ quondam non libera, poſt multos gemitus & crebra ſuſpiria, jam exultat in ſpe, & de bonitate liberatoris ſui confiſa gaudens gaudebit in re, remota virga peccatorum à ſorte juſtorum. Sane quæ vidimus, & audivimus, & veraciter intelleximus, ſcribimus omnibus orthodoxis abſque falſitatis admixtione, ut quicquid eſt virtutis uſquam aſſurgat in laudem Dei & gratiarum actiones.

Incipit Hiſtoria Captionis DAMIETÆ.

CAP. I.

Finitis induciis, Chriſtiani Principes de rebus agendis conſilium ſimul capiunt.

ANno igitur Gratiæ MCCXVII. expirante treuga Chriſtianorum & *Saracenorum*, in primo paſſagio generali poſt Concilium *Lateranenſe*, congregatus eſt exercitus Domini in *Achon* copioſus cum tribus Regibus *Jeruſalem, Hungariæ*, & *Cypri*, qui myſtica munera ſecum non deferentes parum egerunt memoria dignum. Affuit Dux *Auſtriæ*, & Dux *Moraviæ*, cum multis Comitibus, & viris generoſis, & militia magna Regni *Teutonici*. Aderant Epiſcopi peregrini Archiep. *Nicoſſienſis, Jorienſis*, & *Aygrenſis Hungariæ, Baiocenſis, Monaſterienſis*, & *Trajacenſis*, & cum eis vir nobilis *Galterus* de *Avennis*, qui reverſus in paſſagio vernali quadraginta milites reliquit in ſervitio terræ ſanctæ, quibus providit in ſumptus ſufficientes per annum. *Bawari* inſolenter, & contra legem peregrinorum ſe habuerunt, hortos & pomeria Chriſtianorum deſtruendo, eji-

cientes etiam de hoſpitiis ſuis religioſis, nec his contenti Chriſtianos interfecerunt. Dux *Auſtriæ*, ſicut princeps Catholicus, per omnia laudabiliter Chriſto militavit. Patriarcha *Jeroſolumitanus* cum magna humilitate cleri & populi tollens reverenter vivificæ crucis lignum, feria ſexta poſt feſtum omnium ſanctorum profectus eſt ab *Achon* in caſtrum Domini, quæ præceſſerant ad *Recordanam*. Hoc autem dulce lignum poſt terram ſanctam perditam reſervatum fuit ad hæc tempora: imminente ſiquidem conflictu *Saracenorum* cum Chriſtianis, tempore *Salahadini*, ſicut à ſenioribus accepimus crux ſecta fuit, pars ad prælium delata & ibidem perdita, pars reſervata, quæ nunc exhibetur. Cum tali vexillo ordinatis aciebus proceſſimus per planum *Fabæ* uſque ad fontem *Tubaniæ* multum eo die laborantes, & præmiſſis exploratoribus videntes ab adverſariis concitari pulverem, incerti fuimus utrum contra nos an fugiendo properarent. Sequenti die per montes *Gilboe*, quos habuimus ad dextram, & paludem ad ſiniſtram, profecti fuimus *Betſanam*, ubi caſtra fixerat adverſarius, ſed metuentes tam ordinate procedentis & tam copioſi Dei viventis exercitus adventum, tentoria tollens & fugiens terram vaſtandam militibus Chriſti reliquit. Unde *Jordanem* tranſeuntes, in vigilia ſancti *Martini* corpora noſtra lavimus pacifice in eo, & quievimus per biduum, ibidem copiam victualium & pabuli reperientes. Deinde ſuper littus maris *Galileæ* tres manſiones fecimus, peragrantes loca in quibus, mirabilia ſalvator noſter operari dignatus, corporali præſentia cum hominibus converſatus eſt; aſpeximus *Bethſaidam* civitatem *Andreæ* & *Petri* tunc ad caſale modicum redactam, demonſtrata ſunt loca, ubi Chriſtus vocavit diſcipulos, ſuper mare ſiccis pedibus ambulavit, turbas pavit in deſerto, montem aſcendit orare, & locum, ubi cum diſcipulis poſt reſurrectionem manducavit, & ſic per *Capernaum*, infirmos noſtros in jumentis portantes, reverſi ſumus *Achon*.

CAP. II.

Progreſſus, Chriſtianorum ad montem Tabor.

IN ſecundo equitatu adivimus pedem montis *Tabor*, primo aquarum inopiam, poſtmodum per defoſſionem copiam invenientes. Deſperabant capitanei noſtri de montis aſcenſu, donec, puero *Sarraceno* nunciante caſtrum fore comprehenſibile, conſilium inierunt. Prima vero Dominica Adventus Domini, cum legeretur Evangelium, Ite in caſtellum quod contra eſt, Patriarcha præceſſit cum ſigno crucis Epiſcopis & clero per clivum montis orantibus & pſallentibus. Licet mons præruptus ſit undique, & excelſus, & quaſi impoſſibilis ad aſcendendum, extra ſemitam certam, milites tamen & ſatellites, equites & pedites viriliter aſcenderunt. *Johannes* Rex *Jeruſalem* cum militia Domini caſtellum ſtravit & Admiralium unum primo impetu, defenſores caſtri, qui intrepidi extra portas ad defendendum montem hoſtibus occurrerunt, in fugam convertentes & ſtuporem. Sed Rex quantum meruit aſcendendo demeruit deſcendendo, deſcendens enim ipſo die Dominico, & alios deſcendere faciens, per indultum ſpatium animavit incredulos. Sed quo Dei judicio vel Principum conſilio exercitus Domini tunc deſcenderit, & inglorioſus receſſerit ignoramus, hoc tantum ſcientes quod divinorum judiciorum abyſſus humanæ mentis oculis penetrari non poteſt. Multi autem Templarii & Hoſpitalarii, & quidam ſeculares, in ſecundo montis aſcenſu, quando caſtrenſes vires receperant vulnerati ſunt, ſed pauci mortui. Credimus autem Chriſtum Dominum ſibi ſoli hoc triumphum montis obſervaſſe, qui cum paucis diſcipulis ipſum aſcendit, & gloriam futuræ reſurrectionis ibidem demonſtrando. Porro in primo & ſecundo equitatu maximam multitudinem captivorum virorum & mulierum, & etiam parvulorum Chriſtiani ſecum duxerunt. Epiſcopus autem

autem *Acconensis* parvulos, quos prece vel pretio potuit obtinere, baptizavit, & distribuens inter religiosas mulieres literis applicare disposuit.

CAP. III.

De equitatu tertio cum vexillo vivificæ crucis.

IN tertio equitatu, cui Patriarcha cum signo crucis & sacri pontifices non interfuerunt, multa damna & incommoda, tam per latrunculos quam hiemis incommodo perpessi sumus; præsertim in vigilia Nativitatis Domini per viam, ac ipsa nocte sacra, in qua tempestatem terrestrem, ventis & pluviis commotam sustinuimus gravissimam, in finibus *Tyri* & *Sidonis* juxta *Sareptam*. Post hæc exercitus Domini quadrifariam divisus est, Rex *Hungariæ* & *Cypri* *Tripolim* profecti sunt, ubi Rex *Cypri* adolescentulus diem clausit extremum. Rex *Hungariæ* brevi tempore commoratus, cum magno damno terræ promissionis recessit, peregrinos enim & Galeas, & dextrarios, & jumenta cum armis secum traxit multum: admonitus à Patriarcha ne sic recederet, tandem cum sua sequela excommunicatus. Alia pars peregrinorum & timidorum, & eorum, qui procumbentes ad terram ore pleno de abundantia temporalium biberunt, remansit in *Achone*. Rex vero *Jerusalem*, & Dux *Austriæ* cum Hospitalariis sancti *Johannis*, & Episcopis supradictis, & quibusdam aliis castrum in Cæsarea *Palæstinæ* brevi tempore utiliter & constanter firmaverunt. Licet hostis adventus nunciaretur, in basilica Principis Apostolorum festum Purificationis Patriarcha cum sex Episcopis solemniter celebravit. Templarii vero cum Domino *Gualtero* de *Avennis*, & paucis auxiliatoribus peregrinis, & Hospitali de domo *Teutonicorum* castrum filii Dei, quod olim districtum, nunc castrum peregrinorum appellatur, firmare cœperunt, quod situm est in Diœcesi *Cæsariensi* inter *Cayphas* & *Cæsaream*, cujus situs talis est.

CAP. IV.

Descriptio Castri filii Dei.

PRomontorium amplum & altum, mari imminet, naturaliter munitum scopulis ad *Aquilonem*, Occidentem, & austrum: versus orientem turris est firma & dudum à Templariis ædificata, & possessa, tam guerræ quam treugarum tempore. Turris autem ibidem posita fuit olim propter latrunculos qui, in via stricta, peregrinis ascendentibus in *Jerusalem* & descendentibus ab ea insidiantur, haud longe distans à mari, quæ propter viam strictam Districtum appellabatur. Toto vero tempore, quo castrum *Cæsariense* firmatum est & consummatum, Templarii ex transverso promontorii fodientes, & laborantes per sex hebdomadas, tandem ad fundamentum primum pervenerunt, ubi murus antiquus spissus & longus apparuit. Inventa est etiam pecunia in moneta modernis ignota, collata beneficio filii Dei ad alleviandos sumptus & labores. Deinde in anteriori parte arenam fodientes & deportantes, alius murus brevior inventus est, & inter murorum planitiem fontes aquæ dulcis ibidem abundanter ebulliebant; lapidum etiam & cæmenti copiam Dominus ministravit. Duæ turres ædificantur ante frontem castri, lapidibus quadratis & dolatis, tantæ quantitatis, ut lapis unus vix à duobus bubulis in curru trahatur; utraque turris centenos pedes habet in longitudine, LXXIV. in latitudine, spissitudo binas testudines inclusit. Inter duas turres murus novus & altus cum propugnaculis consummatus est, & miro artificio intrinsecus milites armati ascendere

ascendere possunt & descendere. Item murus alius paulo distans à turribus extenditur uno latere maris ad aliud puteum, habens aquæ vivæ, exclusum Promontorium, ab utroque latere muro cingitur alto & novo usque ad rupes, oratorium cum palatio & domibus plurimis & altis castrum includit. Hujus ædificii prima est utilitas, quod conventus Templariorum eductus de peccatrice & omni spurcitia plena *Achon*, in hujus castri præsidio residebit usque ad reparationem murorum *Jerusalem*. Territorium munitionis hujus piscariis salinis, lignis, pascuis, agris & herbis abundat: vineis plantatis & plantandis, hortis & pomeriis habitatores delectat; inter *Achonem* & *Jerusalem* nulla est munitio quam teneant *Sarraceni*, unde de hoc castro novo plurimum damnificantur increduli, & terrore divino ipsos fugante, loca culta deserere coguntur inter *Jerusalem* & *Jordanem*. Portum habet naturaliter bonum, qui artificio adjutus poterit esse melior. Sex milliaribus distat à monte *Tabor*, unde hujus castri constructio præsumitur fuisse causa destructionis munitionis illius, quia in campo longo & lato, qui interjacet montanis castri hujus ac montis *Tabor*, nec arare, nec seminare, nec metere secure poterant, propter hujus castri præsidium.

CAP. V.

De morte Monasteriensis *Episcopi.*

Magister Thomas Theol. Doctor obit.

MOnasteriensis Episcopus apud *Cæsaream* obdormivit in Domino. Magister *Thomas* Theologus Doctor bonus & opinionis claræ apud castrum filii Dei defunctus est. Post hæc exercitus rediit in *Achon*. Episcopi *Alemanniæ* & multi alii se præparabant ad transfretandum, brevi tempore in terra promissionis commorati. Expectabatur passagium secundum & novum & maxime ab *Aquilone* veniens, quæ per angustum mare *Carthaginis* navigatura sperabatur. A prædicatione crucis Provincia *Coloniensis* studio magno, pluribus etiam sumptibus, fere trecentas naves præparant, quarum quædam remanserunt, quædam in tempestatibus perierunt, sed major pars pervenit *Lessebonam* cum magna virtute bellatorum. Ibi orta est discordia, quibusdam volentibus procedere, aliis hyemare cupientibus in obsidione castri fortissimi, quod *Alcatia* dicitur; & sic classis divisa est, pars apud *Gaetam* & *Chornetum* hiemavit, pars alia obsedit *Alcatiam*, duos habens capitaneos *Willielmum* Comitem de *Hoylondia*, & *Georgium* Comitem de Witze. Captum est hoc castrum per *Teutonicos*, &, cum adhuc essent in obsidione, congregata est contra eos *Sarracenorum* maxima multitudo. Contra quam viriliter pugnaverunt Templarii & Hospitalarii cum militia Reginæ *Portugaliæ*. Victi sunt de virtute divina *Sarraceni*, Rex eorum unus occisus est, & cum eo plurimi trucidati sunt & in captivitatem ducti.

Provincia Coloniensis maximam classem parat.

CAP. VI.

De signis crucis, mirabilibus in aere visis.

EXcitata fuit Provincia *Coloniensis* ad obsequium salvatoris mundi per signa quæ apparuerunt in cœlo; nam in Provincia *Coloniensi* & Diœcesi *Monasteriensi*, in villa *Bedoni Frisiæ*, mense *Maii*, sexta feria ante Pentecostem, cum prædicaretur crux ibidem, triplex forma crucis apparuit, una candida versus Aquilonem, alia versus Meridiem ejusdem coloris & schematis, tertia medio colore colorata, habens crucis patibulum, & figuram hominis in eo suspensam,

elevatis

elevatis brachiis & extenſis cum infixione clavorum in manibus & pedibus, & capite inclinato, hæc media fuit inter alias duas, in quibus non erat effigies humani corporis. Alia vice etiam in alio loco, in villa *Frizie* Huzerhuſe, tempore prædicationis crucis, apparuit juxta ſolem crux croculei coloris, hanc viderunt plures quam priorem. Tertia fuit apparitio in Diœceſi *Trajacenſi*, in villa *Dorchun*, in qua beatus *Bonifacius* coronatus fuit martyrio, ubi in die Martyris ejuſdem cum multa millia conveniſſent ad indictam ſtationem, apparuit crux alba & magna, ac ſi trabs ex tranſverſo trabis artificialiter compoſita fuiſſet. Hoc ſignum vidimus omnes, movebatur autem paulatim ab *Aquilone* ad meridiem, credimus itaque duas apparitiones fuiſſe demonſtratas à Deo, ut omnis ambiguitas primæ viſionis tolleretur, ſic dicit Apoſtolus de reſurrectione Chriſti quod viſus eſt *Cephæ*, poſtea duodecim diſcipulis, deinde pluſquam quingentis fratribus.

CAP. VII.

Qualiter exercitus Chriſtianorum pervenit ad portum Damietæ.

ANno gratiæ MCCXVIII. menſe *Martio*, applicare cœperunt apud portum *Acconenſem* Cogones de Provincia *Colonienſi*, cum aliis, paucis tamen, de *Bremenſi* & *Treverenſi* provinciis. Tunc firmatum fuit conſilium, in concilio Lateranenſi cum Domino *Innocente* Papa bonæ recordationis habito *Romæ*, de introducenda militia Chriſtiana in terram *Ægypti*. Menſe *Maii*, poſt Aſcenſionem Domini, præparatis Cogonibus, armatis Galeis, & aliis navibus onerariis. Profecti ſunt de *Accon Johannes* Rex *Jeruſalem*. Patriarcha cum Epiſcopis, *Nicoſſienſi*, *Bethleemitano*, *Aconenſi*, Duce *Auſtriæ*, magiſtris Templi & Hoſpitalium Sancti *Johannis*, & Sanctæ *Mariæ Teutonicorum*, & copioſa multitudine Chriſtianorum. Indicta fuit collectio navigantium apud caſtrum peregrinorum, ſed flante Borea, Rege Duce & magiſtris domorum in dictum locum venientibus, exercitus Domini proſperis velis præceſſit, tertio die perveniens ad portum *Damiatæ*. Præfati autem Duces, quia modicam moram fecerunt in prædicto caſtro, ſubſequi non poterant exercitum, uſque ad ſextum diem ab exitu à portu *Aconenſi*. Multi etiam qui præparati non erant, moram aliquantulam apud *Acon* poſt primos navigantes fecerunt, aut omnino remanſerunt, aut vi ventorum in *Acon* repulſi ſunt, aut per tres vel quatuor hebdomadas jactati per mare moram fecerunt. Archiepiſcopus *Remenſis*, & Epiſcopus *Lemoincenſis* graves annis remanſerunt in *Achon*, *Lemoincenſis* mortuus eſt ibi, *Remenſis* vero in paſſagio ſanctæ crucis reverſus obiit in via. Applicantes autem ad portum maris *Damiatæ* elegerunt ſibi capitaneum Comitem de *Sareponte*, & hoſtilem terram ceperunt, antequam Rex & prænominati Duces ſubſequerentur, feria tertia ſine ſanguinis impenſa. Cum enim pauci *Sarraceni* equites occurrerent ad portum. *Friſo* quidam, fixo in terram genu dextro, ſiniſtra manu circumferens ancile, dextra ſpiculum vibravit ferreum, intuitus eſt eum *Sarracenus*, exiſtimans eum ludere, ſed ſubito eques cum equo percuſſus à *Friſone* corruit ad terram, aliis fugientibus abſque omni impedimento caſtra metati ſunt inter littus maris & ripam fluminis *Nili* Chriſtiani, cum admiratione magna ſubſequentium, quando tentoria fixa viderunt. Hoc etiam mirabile fecit Deus, quod in primo adventu aqua fluminis conjuncta mari dulcis hauriebatur, quæ poſtmodum ſalſa fuit multis vicibus, uſque ad caſale quod diſtat à *Damieta* ſurſum fere per milliare. Modico tempore poſt adventum Chriſtianorum facta fuit Eclipſis lunæ fere generalis, quæ licet naturaliter in plenilunio plerunque proveniat, quia tamen ſalvator dixit, erunt ſigna in ſole & luna, hanc Eclipſin contra *Saracenos* interpretati ſumus, quaſi portendentem ipſorum defectum, qui ſibi lunam attribuunt, in incremento vel

Conſilio, de exercitu in Ægyptum transferendo, in Concilio Lateranenſi rato habito, Chriſtiani Menſe Maio diſceſſerunt ab Acone Damietam navigaturi.

Eclipſis Lunæ.

vel decremento lunæ vim magnam ponentes. Legitur etiam in *Quinto Curtio*, quod, cum esset *Alexander Macedo*, totius orbis malleus, contra *Darium* & *Porum* profectus de *Græcia* in *Asiam*, & acies hinc inde subsisterent ordinatæ, facta est Eclipsis lunæ, quam *Alexander* pro *Græcis* contra *Persas* & *Medos* interpretatus suos animavit, & pugnans contra *Darium* vicit ipsum.

CAP. VIII.

De machinis Christianorum ad turrim capiendam paratis.

Turris in medio *Nili* sita capienda fuit ante transitum fluminis. *Frisones* tamen impatientes more solito, transeuntes *Nilum* jumenta *Sarracenorum* tulerunt, & cupientes in ulteriori ripa castra metari stabant pugnantes contra *Sarracenos*, qui obviam ipsis de civitate processerunt, revocati sunt autem per obedientiam, quia non videbatur Principibus nostris expedire, quod turris paganis repleta, post tergum Christianorum relinqueretur. Interim Dux *Austriæ* & Hospitalarii Sancti *Johannis* duas scalas præparaverunt super duos Cogones, *Teutonici* vero & *Frisones* tertiam navim propugnaculis munirent castellulo in summitate mali composito absque scalæ suspensione; caput eorum Dux & judex fuit *Adolphus* de *Monte*, vir nobilis & potens, frater *Coloniensis* Archiep. qui ante turrim captam mortuus fuit apud *Damietam*. Scalæ Ducis & Hospitalariorum contra turrim sunt directæ circa festum Sancti *Johannis Baptistæ*; *Sarraceni* viriliter turrim defenderunt, Hospitalariorum scala confracta cum malo cecidit, bellatores suos præcipitans in flumen. Secunda scala Ducis simili modo confracta, eadem fere hora, milites strenuos & armatos corpore deciduos secundum animas levavit ad cœlum, glorioso martyrio coronatos; *Egyptii* lætati vehementer subsannantes levaverunt voces, timpanizantes, & buccinis perstrepentes; mœrorum tristitia Christianos invasit. Navis autem *Teutonicorum* & *Frisonum* inter turrim & civitatem anchoris hærebat fixa, damna plurima per Balistarios, qui intus locati fuerant, inferens *Ægyptiis*, præsertim illis qui stabant in ponte, inter civitatem & turrim porrecto. Ipsa vero navis à bellatoribus civitatis turris & pontis, jaculis, igne Græco impetebatur vehementius: tandem igne correpta fuit, & cum timerent Christiani ne consumeretur omnino, defensores illius ignem extinxerunt viriliter, & sic tandem sagittis tam intus quam foris, tam castellulo superiori malo, etiam & funibus repleta, cum magno Christianitatis honore reducta fuit ad locum suæ stationis. Non modica etiam damna intulit & sustinuit navis una Templariorum, quæ hujus assultus tempore juxta turrim hærebat. Nos vero considerantes turrim capi non posse Petrariarum vel Tubuculorum ictibus, hoc enim multis diebus fuit attemptatum, nec applicatione castri propter fluminis profunditatem, nec fame propter civitatis vicinitatem, nec suffossione propter aquæ circumfluentis importunitatem, Domino demonstrante, & architecto providente, sumptibus *Teutonicorum* & *Frisonum* eorundemque labore, duos Cogones conjunximus funibus fortissime cohærentes, & socia compaginatione vacillandi periculum prohibentes, quatuor malos & totidem antennas ereximus in eis, in summitate castellulum funium asseribus & opere reticulato contextum collocantes contra machinarum importunitatem. Coriis etiam vestimus illud per circuitum & super tectum, propter vel contra ignem *Græcum*, sub castellulo fabricata fuit scala fortissimis funibus suspensa & xxx. cubitis ultra proram protensa. Opere brevi tempore consummato invitati sunt ad illud videndum majores de exercitu, ut si aliquid deesset, quod sumptibus vel humano ingenio suppleri deberet, perficeretur; & accepto responso quod tale opus ligneum nunquam ante super aquam compositum fuisset, properandum esse consideravimus quia crebris ictibus machinarum

machinarum pons pro magna parte deſtructus fuit, qui de civitate ducebat ad turrim hoſtes fidei. Sexta igitur feria ante Feſtum Sancti *Bartholomæi*, nudis pedibus cum devotione gentis noſtræ ad Sanctum crucem proceſſionem fecimus, ubi implorato humiliter auxilio divino ut res omni careret invidia & vana jactantia. De qualibet gente, quæ tunc erat in exercitu, aliquos ad hujus negotii executionem invitavimus, licet gens *Friſiæ* & *Teutoniæ* ſufficeret ad naves implendas & regendas.

CAP. IX.

De captione turris à Chriſtianis.

DIe Sancti *Bartholomæi*, feria ſexta, cum *Nilus* excreviſſet vehementer, & aquarum impetu negotium plurimum impediret, cum multa tamen difficultate & periculo inſtrumentum hoc contra torrentem à loco, in quo fabricatum fuerat, trahebatur ad turrim. Navis minor hujus machinæ ſcitia præceſſit velificando, clerici nudis pedibus per littus ambulabant ſupplicantes. Cum ad turrim vecta eſſet duplex illa compoſitio, ad latus occidentale non poterat converti, ſed aſcendendo directe ad plagam *Aquilonarem* applicabatur, funibus & anchoris tandem fixa, licet vis aquarum inundantium illam repellere moliretur. Machinæ ſex vel plures directæ fuerunt & collocatæ ſuper turres civitatis ad illud opus concutiendum, ſed una pernicior aliis poſt paucos ictus confracta fuit & quievit, aliæ autem ſine intermiſſione ad inſtar grandinis lapides emiſerunt. Nec minori periculo navis ad pedem turris collocata ſubſtitit. Ignis *Græcus* comminus de turri, & eminus de civitate fulminis inſtar veniens pavorem incutere potuit, ſed per liquorem acetoſum, & ſabulum, ac extinctoria ſubventum fuit laborantibus. Jacuit Patriarcha ante lignum crucis proſtratus in pulvere, ſtans clerus nudis pedibus, indutus legitimis ſtolis clamavit in cœlum. Defenſores turris extenſis lanceis anteriorem partem ſcalæ ſubterinunxerunt oleo; deinde ignem oppoſuerunt qui erupit in flammas, cumque Chriſtiani, qui in ea fuerunt, occurrerent ad ignis ſuffocationem ſuo pondere caput ſcalæ depreſſerunt, in tantum ut pons tornatilis fronti appoſitus inclinaretur, ſignifer Ducis *Auſtriæ* de ſcala corruit, *Sarraceni* vexillum Ducis tulerunt. *Babylonii* ſe viciſſe putantes vociferati ſunt aerem clamore vexando. Chriſtiani vero de equis deſcendentes ad ſupplicationes ſe proſtraverunt, comploſis manibus, rigatis vultibus, dolorem, quem pro illis habuerunt, qui diſcrimen ſuſtinuerunt in flumine, proteſtando, & totius Chriſtianitatis diſpendium. Ad hanc populi devotionem & elevationem manuum in cœlum levavit ſcalam divina pietas, extinxerunt ignem lachrymæ fidelium. Et ſic noſtri reſumptis viribus cum defenſoribus turris, gladiis, ariſſis, clavis & aliis inſtrumentis viriliter pugnaverunt. Miles quidam juvenis *Leodicenſis* primus turrim aſcendit: *Friſo* quidam juvenculus, tenens flagellum, quo granum excuti ſolet, ſed ad pugnandum connexione catenarum præparatum, ad dextram & ad ſiniſtram fortiſſime percuſſit, & quendam tenentem ſignum croceum *Soldani* ſtravit, & vexillum abſtulit, alii poſt alios ſucceſſerunt ſuperatis hoſtibus, quos reſiſtentes duros ſenſerant & crudeles. O ineffabilis Dei pietas! O inexpugnabilis Chriſtianorum hilaritas: poſt planctum & luctum; poſt fletum & gemitum, gaudium vidimus & triumphum. Te Deum laudamus *Benedictus* Dominus Deus *Iſraelis*, & alia cantica gratiarum, altis & præ gaudio lachrimis mixtis vocibus repetitis laudibus decantavimus. Interim *Sarraceni*, qui in interioribus turris ſe receperant, igne ſuppoſito, ſuperficiem turris combuſſerunt, victores noſtri calorem ſuſtinere non valentes regreſſi ſunt ſuper ſcalam. Pons vero, qui in inferiori parte operis præparatus erat, dimiſſus eſt ad pedem turris, aquis profundis & undique circumfluentibus an-

guſtum. Malleis ferreis januam aggreſſi ſunt victores, defendentibus eam intrinſecus *Sarracenis*, ſtabat utrinque opus immmobile, afferes ſcalæ pro parte diſcuſſi ſunt, & ambitus operis fortiſſimis poſtibus compoſitus in multis locis perforatus machinarum ictibus, ab hora nona feriæ ſextæ uſque ad horam nonam ſequentis ſabbati ſtabat, opus autem reticulatum, quod ſcalam protegebat integrum remanſit, caſtellulum, in quo ſtabant Baliſtarii, & ſuper illum lapidum jaculatores, tuebatur illos. Tandem incluſi in turri colloquium petebant, & ſeſe ſub pactione vitæ dederunt Duci *Auſtriæ*, præter illos qui nocte præcedente præcipites per feneſtram evaſerunt turris anguſtiam, quorum plurimi in flumine ſubmerſi ſunt & interfecti, captivi numerati ſunt ad centum viros. Ab illo die, cum confuſi eſſent *Babylonii* & territi, & ut putabatur ad fugam converſi vel parati, principes noſtri ad deſidiam & inertiam devoluti ſunt, nec imitati ſunt *Judam Machabæum*, qui videns quod tempus juvabat ipſum, hoſtibus non dabat requiem.

Turris dedi-tione capta.

Chriſtiano-rum princi-pum deſidia.

CAP. X.

De receſſu Friſonum *&* Teutonicorum *& adventu aliorum nobilium.*

COgones ſe præparabant ad receſsum, *Friſonum* & *Teutonicorum abiit* multitudo maxima, in paſsagio crucis inſtanti; ad illud paſsagium venerunt *Romani*, & poſt illos *Albanienſis* Epiſcopus Apoſtolicæ ſedis legatus, deinde magiſter *Robertus* de **Corſun** titulo Sancti *Stephani* in *Celio Monte*, presbyter Cardinalis, *Parienſis*, *Girondinenſis*, *Agrenſis*, *Hungarienſis* Epiſcopi, qui mortui ſunt ante tranſitum fluminis in ſabulo *Damietæ*. Cardinalis *Robertus* ſimiliter venit, & tunc temporis *Burdegalenſis* Archiepiſcopus, qui moram fecit utilem apud *Damietam*, & Epiſcopus, *Auguſtenſis*, & electus *Brixenſis* qui brevem moram fecerunt, *Luctenenſis*, *Mantuanus*, & *Salpenſis* Epiſcopi. Venit & Comes *Nuermenſis* qui, imminente periculo, cum Chriſtianorum receſſit ſcandalo. Venit vero *Ranulfus* illuſtris Comes *Ceſtriæ*, vir nobilis & potens Regni *Angliæ*, qui longam moram & nimis utilem fecit apud *Damietam*, tandem cum favore totius exercitus receſſit. Comes *Marchiæ* & Comes *Barri* & filius ejus, qui ibidem diem clauſerunt extremum, cum fratre *Willielmo* de *Carnoto* magiſtro militiæ Templi. Venerunt tunc *Hervicus* de *Urſone*, *Herius* de **Locce**, *Oliverus* filius Regis *Angliæ*, & multi alii equeſtris ordinis & plebei, qui apud *Damietam* mortui ſunt, multi pro Chriſto martyres, plures in Chriſto confeſſores apud *Damietam* rebus humanis exempti migraverunt ad Dominum.

CAP. XI.

De morte Saphadini *& aſſultibus* Sarracenorum, *& de inundatione* Nili *& peſte Chriſtianis pernicioſa.*

SApiens corde & fortis robore, qui facit magnalia, & inſcrutabilia, & mirabilia, quorum non eſt numerus; qui excelſos judicat, qui ponit humiles in ſublimi, ipſe magnificatus eſt ſolus in obſidione *Damietæ*, non enim, ut in aliis expeditionibus contra *Sarracenos* diverſis temporibus ordinatis per humanum conſilium aut bellatorum miniſterium, ſed per ſemetipſum, quod petere non præſumpſit homo, per ſuæ divinitatis potentiam mirabiliter operatus eſt; non Regibus, non aliis Principibus, vel nationibus, ſed nomini ſuo dans gloriam: ut in nobis peccatoribus completa ſit promiſſio prophetica, vos tacebitis & Dominus pugnabit pro vobis. Poſt captam, inquam, turrim in profundo fluminis

minis *Nili* ſitam, *Saphadinus* inveteratus dierum malorum dolore, ſicut aſſeritur, tactus nimio, exhæredator fratruelium ſuorum, & uſurpator Regnorum *Aſiæ* mortuus eſt, & ſepultus in inferno. Poſtmodum in feſto Sancti *Dionyſii* *Sarraceni* cum Galeis armatis improviſi venientes, & principia caſtrorum, ubi *Romani* tentoria fixerant, invadentes, modica manu Chriſtianorum repulſi ſunt recurrentes celeriter ad Galeas, qui gladios proſequentium ac fluminis voraginem evadere non potuerunt. Sicut autem olim *Ægyptii* in aquis vehementibus maris rubri, ſic in *Nilo* ſubmerſi ſunt circiter ad mille quingentorum numerum, ſicut à *Sarracenis* poſtea didicimus. Sane in feſto Sancti *Demetrii*, qui frater uterinus beati *Dionyſii* fuiſſe dicitur, ſummo diluculo caſtra Templariorum invaſerunt hoſtes & modicum damnum non inferentes, per expeditos equites noſtros fugati ſunt ad pontem, quem procul à nobis in ſuperiori parte fluminis conſtruxerant, & ibidem interempti ſunt ad numerum quingentorum, ſicut à transfugis intelleximus. Porro, quia multi de populo Chriſtiano placuerunt Domino, neceſſe fuit ut tentatio probaret eos. *Jonas* pro anguſtia tempeſtatis in mare miſſus & ventre piſcis concluſus probatus rediit ad aridam. Apoſtolus triplici naufragio tribulatus evaſit, populus Domini triduano jejunio præmiſſo, quod clerus in pane & aqua ſervavit obedienter, & multis proceſſionibus ordinatis à venerabili Domino *Pelagiano Albanienſi* Epiſcopo, Apoſtolicæ ſedis legato tentari meruit: nam in vigilia beati *Andreæ* Apoſtoli, media nocte, intumuerunt fluctus maris creſcentes, & excurſum terribilem facientes uſque ad caſtra fidelium; ab alia parte fluvius inundans nos occupavit incautos, natabant tentoria, perierunt cibaria, piſces fluviales & marini ſe quaſi nihil timentes cubiculis ingerebant, quos manibus cepimus, quibus tamen deliciis carere volumus; &, niſi conſilio ſpiritus Sancti ante proviſum fuiſſet, in foſſato, quod tamen in alios uſus factum fuerat, mare conjunctum flumini homines cum jumentis, naves cum armis, & victualibus detraxiſſet ad hoſtes. Nec tamen hoc periculum evaſerunt quatuor Cogones, ſuper quos ædificata fuerant propugnacula ad capiendam civitatem, qui uno impetu cum quinta navi, quæ inter eos habebatur ad oppoſitam ripam, vi ventorum præcipitati, ante oculos noſtros ſunt igne Græco combuſti, pepercit Dominus operibus *Friſonum* & *Teutonicorum* quibus turris capta fuit. Naves onerariæ, quæ in portu maris ſtabant, ruptis repente funibus perierunt. Duravit hæc tempeſtas per triduum continuum, quo elapſo Dominus, qui conſolatus eſt nos in tribulatione noſtra, imperavit ventis & mari, ſtare faciens ipſum à furore ſuo. Invaſit præterea multos de exercitu quædam peſtis, contra quam Phyſici nullum ex arte ſua remedium invenire poterant: dolor ſiquidem pedes invaſit repentinus & crura, & conjunctim caro corrupta gingivas & dentes obduxit, maſtigandi potentiam auferens, tibias horribilis nigredo fuſcavit, & ſic longo tractu doloris afflicti cum multa patientia migraverunt ad Dominum plurimi; quidam autem uſque ad tempus vernales durantes beneficio coloris evaſerunt liberati. Poſt dictam tempeſtatem naves parabamus ad tranſitum fluminis, quæ cum magno periculo ſurſum aſcendentes, inter civitatem & turrim captam machinis & igne *Græco* cum jaculis plurimum ſunt impeditæ, unde accidit ut una navis Templariorum vi torrentis rapta prope ripam civitatis præcipitaretur ad hoſtes, qui cum barbatis & uncis ferreis ipſam impugnaverunt diutius, ignem *Græcum* cum lapidibus deſuper de turribus projicientes; & cum ſic prævalere non valerent, propter defenſorum audaciam, certatim navem aſcendentes, præcipites in eam deſcenderunt ad Templarios, ubi cum diutius pugnaretur, tandem navis perforata, ſive ab hoſtibus ſive à noſtris incertum habemus, profundum petiit, ſubmergens *Ægyptios* cum Chriſtianis, adeo ut ſummitas mali appareret ſuper aquam: & ſicut *Sampſon* plures ſtravit moriens quam vivens, ſic & iſti martyres plures ſecum traxerunt in aquæ voragine quam gladiis interficere potuiſſent. Cives autem *Damietæ* cruentam victoriam ſuam fere ſeptem diebus planxerunt, exinde pontem reparantes, aperturam adeo reliquerunt anguſtam, ut naves noſtræ ſine periculo tranſire non poſsent.

Saphadinus obit.

Saracenorum 1500. in Nilo flumine ſubmerſi.

Chriſtianorum claſſis vehementi maris procella triduum jactata multum damni paſſa eſt.

Peſtis exercitum Chriſtianorum invadit.

CAP. XII.

De ponte destructo à Christianis, & fuga Soldani, & obsidione Damietæ.

TEutonici vero & *Frisones* zelo justæ indignationis accensi, obsequio navis cujus ministerio turris fuit capta, quam *Gallici* sanctam martyrem appellaverunt, pontem viriliter invaserunt, auxilium non habentes nisi de cœlo. Pauciores autem viri quam decem de gente prædicta contra omnem fortitudinem *Babyloniorum* pontem ascendentes, spectante multitudine Christianorum, & hanc audaciam plurimum extollente, fregerunt eundem, & sic cum quatuor navibus, super quas erat pons fundatus, reversi sunt cum triumpho, liberam viam & apertam sursum velificantibus relinquentes. His ita gestis *Sarraceni* periculum quod eis imminebat attendentes, ripam nobis oppositam fossatis & argillosa materia cum propugnaculis ligneis altis munierunt, machinas & Petrarias locantes ibidem,nobis spem auferentes per locum illum transeundi. Casala vero quæ per milliare distat à civitate, ubi hæc nova munitio terminabatur, per transversum fluminis navium immersiones fecerunt, cum palis infixis gurgiti. Nihilominus Apostolicæ sedis legatus desiderium bonum habens obsidendi civitatem, naves superius congregatas urgebat ad transitum. Unde Cogones propugnaculis & castellulis; viris & armatis muniti, cum Galeis & aliis navibus sequentibus, Christo duce præscriptas immersiones evaserunt. Hostes autem dissimulato metu tres ordines armatorum stationi navium nostrarum composuerunt, unam peditum super ripam, cum clipeis, quos Targias appellant, linealiter ordinatam, secundam post dorsum illorum similem priori, tertiam equitum longam & terribilem, ictibus lapidum & telorum plurimum vexantibus stationem Christianorum. Sane nocte solennitatis Sanctæ *Agathæ* Virginis & Martyris, cum coadunatus esset populus fidelium, qui sequenti die transiturus erat, pluviæ & venti multum discrimis & difficultatis addiderunt nostris; sed fidelis Deus, qui non patitur suos tentari super id quod possunt, respiciens ad castra servorum suorum, quod secundum causas inferiores difficile fuerat vel impossibile, convertit in facilitatem & gaudium, suæ virtutis innovans miracula. Post mediam siquidem noctem tantum pavorem Soldano *Babyloniæ* & Satrapis ejus incussit, ut relictis castris, ignorantibus etiam *Ægyptiis*, quos ad resistendum ordinaverat, in sola fuga spem poneret. Quidam Apostata, qui multo tempore Christianorum legem transgressus, cum Soldano militaverat, stans in ripa *Gallice* clamabat, quare moramini? quid trepidatis? quid hæsitatis? Soldanus abiit, & hoc dicto se in naviculam Christianorum recipi postulavit, ut in potestate eorum positus fidem dictis faceret. Summo igitur diluculo, cum inchoatum esset officium Missæ diei festi per oratoria Christ. Gaudeamus omnes in Domino, renunciata sunt hæc Legato, Regi, & aliis; itaque fugientibus *Ægyptiis*, nostri certatim, & alacriter, & absque omni impedimento hostium & sanguinis impensa transierunt. Sed adeo limosa & profundioribus aquis difficilis fuit ad applicandum terra hostilis, ut vix equi sine sessoribus & sellis ejectis possent ascendere. Templarii præduces, in ascensu equorum erectis signis, prospero cursu ad civitatem festinaverunt struentes perfidos, qui audacter de portis egressi venientibus occurrerunt. Non gloriabitur securis contra eum qui secat in ea, neque serra qui trahit in ea, miraculum istud cui æquabimus? vel cui comparabimus? nisi ei quod legitur de *Benhadad* Rege *Syriæ*, qui obsedit *Samariam*, arctans eam plurimum, cui Dominus tamen immisit terrorem, ut relictis castris fugeret, & sicut per leprosum, qui erat in introitu portæ, illa fuga *Assyriorum* nunciata fuit *Samaritanis*, ita per leprosum in anima præfatum, viz. Apostatam, nunciata fuit *Ægyptiorum* fuga, & sicut ille populus *Samaritanorum*

Soldanus Babyloniæ præcipiti fuga saluti suæ consuluit.

norum ſpolia in caſtris *Aſſyriorum* relicta collegit, ſic noſter exercitus tentoria & manubias fugientium diripuit, targias plurimas & omnes *Galeas* in barbotis & aliis navibus, quæ infra caſale uſque ad civitatem inveniebantur, cum aliis ſpoliis victores occupaverunt. Multi bellatorum relictis uxoribus ac parvulis, territi propter inopinatum tranſitum, fugerunt de *Damieta*, & ſic per girum, ac firmiter obſeſſa eſt civitas, exercitu exercitui continuato per pontis compoſitionem, utramque ripam fluminis contingentem. Per deſidiam autem & inertiam eorum, quorum nomina Deus ſcit, factum eſt ut hoſtes reſumptis viribus & animis, adveniente etiam *Coradino* cum *Alapinis*, & cum magna multitudine locum illum occuparunt, à quo noſtri tranſitum miraculoſum fecerant, & ſic nos obſidentes civitatem ipſi periculoſius obſederunt, & niſi per divinum conſilium prima caſtra, quæ erant inter mare & fluvium, retenta fuiſſent maxime per *Teutonicos* & *Friſones*, portus nobis ablatus fuiſſet, & negotium plurimum vacillaſset. Ut autem miraculum tranſitus magis clareſceret, & ſoli Chriſto firmiter aſcriberetur, ad tantam *Sarraceni* pervenerunt temeritatem, ut diluculo Sabbati ante Dominicam, qua cantatur oculi mei ſemper vobiſcum, tale periculum non prævidentibus, cum multitudine gravi propius accederent, & uſque in foſsatum ſe præcipitarent, ſed divino auxilio cum damno equitum & peditum repulſi ſunt.

Damieta à Chriſtianis obſeſſa

CAP. XIII.

De deſtructione Jeruſalem *à* Coradino, *& irruptione in Chriſtianos facta.*

ANno gratiæ MCCXIX. Regina civitatum *Jeruſalem*, quæ videbatur inexpugnabiliter munita, deſtructa eſt à *Coradino* filio *Saphadini* foris & intus, muri ejus cum turribus redacti ſunt in acervos lapidum, præter Templum Domini & turrim *David*. De ſepulchro Domini deſtruendo conſilium habuerunt *Sarraceni*, & per litteras comminati ſunt, quas civibus *Damietæ* tranſmiſerunt ad ſolatium ipſorum: ſed huic temeritati nemo præſumpſit manus apponere propter loci reverentiam, ſicut enim in *Alcorano*, libro legis eorum, ſcriptum habent Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, credunt de *Maria* virgine conceptum & natum, quem ſine peccato vixiſse prophetam, & pluſquam prophetam, proteſtantur, cæcos illuminaſſe, leproſos mundaſſe, mortuos ſuſcitaſse, firmiter aſſerunt, verbum & ſpiritum Dei & vivum ad cœlos aſcendiſſe non diſcredunt: unde tempore treugarum ſapientes ipſorum *Jeruſalem* aſcendebant, codices Evangeliorum ſibi poſtulabant exhiberi, & oſculabantur, & venerabantur, propter munditiam legis, quam Chriſtus docuit, & maxime propter Evangelium *Lucæ* miſsus eſt Angelus *Gabriel*, quod literati ſæpius inter eos repetunt & retractant. Lex autem eorum, quam Diabolo dictitante miniſterio *Sergii* monachi & apoſtatæ, ac hæretici, *Mahumetus Sarracenis* dedit *Arabice* ſcriptam, à gladio cœpit & per gladium tenetur, & in gladio terminabitur. *Mahometus* iſte illiteratus fuit, ſicut ipſe proteſtatur in *Alcorano* ſuo, &, quæ prænominatus hæreticus dictavit, ipſe promulgavit, & per comminationes obſervari ſtatuit, luxurioſus enim fuit & bellicoſus; ideoque de immunditia & vanitate legem ſtatuit, quam carnaliter viventes in parte voluptatis firmiter obſervant, & ſicut legem noſtram veritas & munditia munivit, ita errorem ipſorum timor mundanus & humanus, ac voluptas carnalis firmiſſime cuſtodiunt.

Mahumetanorum opinio de Chriſto.

Mahometus Sergii Monachi miniſterio legem ſuam compoſuit.

In die Palmarum anni præſcripti, inimici noſtri, multa comminatione præmiſsa, quod ſeipſos vel nos omnes una die perderent, collecto terribili & innumerabili exercitu equitum & peditum irruerunt ſuper nos, undique foſſatum noſtrum invadentes, & maxime pontem Templariorum & Ducis *Auſtriæ*, quem ipſe cum *Teutonicis* defendere ſtuduit. Hoſtes cum electis militibus

 ſuis

ſuis de equis ſuis deſcendentes cum Chriſtianis atrociter pugnaverunt, ceciderunt hinc inde mortui & vulnerati multi, tandem prævaluerunt adeo, quod pontem aſcendentes partem ejus combuſſerant. Dux *Auſtriæ* præcepit ſuis ut, ponte relicto, aditum darent inſtantibus & introitum, ſed intrare non præſumpſerunt, propter militiam noſtram, quæ acies ſuas ordinaverat in ſubſidium munitiones defendentium. Mulieres aquam & lapides, vinum & panes noſtris intrepide miniſtrabant bellatoribus, orationi ſacerdotes inſiſtebant, vulnera ſauciatorum ligantes & benedicentes. Eo die non eſt nobis datum ſpatium geſtandi alias palmas quam Baliſtas, & arcus cum ſagittis, lanceas, & gladios cum clipeis, adeo inſtabant & vexabant nos atrociter, qui venerant ad perdendum nos, ſtudio liberandæ civitatis, ab ortu ſolis uſque ad horam fere decimam: tandem retraxerunt ſe defatigati cum damno maximo.

CAP. XIV.

De receſſu Ducis Auſtriæ *& bellis Chriſtianorum contra* Sarracenos, *& interitu plurimorum ex utraque parte, & pace vel treugis à* Sarracenis *ultro oblatis.*

Ducis Auſtriæ pietas & liberalitas.

INſtabat jam paſsagium vernale, receſſurus erat Dux *Auſtriæ*, qui per annum & dimidium Chriſto militaverat, plenus devotione, humilitate, obedientia, largitate; qui præter alios ſumptus innumerabiles, quos in negotiis bellicis & in privatis eleemoſinis fecerat, domui ſanctæ *Mariæ Teutonicorum* ſex millia marcarum argenti vel amplius ad comparandum prædium creditur contuliſſe, in Kal. *Maii* magna multitudine peregrinorum cœpit recedere, nobis in ſummo periculo relictis. Sed pater noſter benignus & miſericors, dux & propugnator noſter, protector & defenſor ſperantium in ſe, cui facile eſt in paucis ſicut in multis vincere, Chriſtus Jeſus non permiſit incredulos ſimul in nos irruere, donec novi recenteſque peregrini cum copioſo ſuccurſu ſupervenirent; copia victualium & equorum nutu divino tranſmiſſa collectionem fidelium lætificavit. Inſtaurato igitur fidelium numero in feſto Aſcenſionis, dum more ſolito per terram & per aquam irruerunt perfidi, & multoties ſic attentantes prævalere non valuerunt, particulariter etiam prope caſtrum nos provocabant damnificantes & damnificati. Pridie vero Kal. *Auguſti* omnem, quam habere poterant, adducentes copiam poſt diutinos aſſultus; tandem foſſatum contra militiam Templi tranſeuntes, & licias violenter rumpentes, pedites noſtros verterunt in fugam, adeo totus exercitus Chriſtianorum jam periclitaretur, milites de *Francia* ſeculares & equites, ter conati ſunt ipſos repellere contra foſſatum, ſed non potuerunt; *Sarraceni* ſiquidem intra mœnia noſtra, fractis munitionibus noſtris ligneis, equitum ac peditum acies ordinaverunt. Clamor ortus eſt inſultantium, omnis multitudo eorum præparant ſequelam. Timiditas acta eſt Chriſtianis, ſed ſpiritus, qui induit *Gideonem* animavit Templarios, magiſter Templi cum Mareſcallo, cæteriſque fratribus, qui tunc aderant, per exitum anguſtum impetu facto viriliter in fugam convertit incredulos. Domus *Teutonicorum*, & Comites aliique milites de diverſis nationibus, videntes Templi militiam in periculo conſtitutam, feſtinanter per exitum ſibi contra poſitos tulerunt auxilium, ſic pedites *Sarracenorum* abjectis clipeis interficiebantur, præter eos quos fuga præcipites percuſſoribus abſtulit. Poſt equites noſtros egreſſi pedites noſtri, per modicum ſpatium ſe retraxerunt hoſtes, acies hinc inde ſubſtiterunt armatæ, donec crepuſculum veſpertinum prælium interemit. *Sarraceni* priores abierunt, occiſorum corpora perfidorum ſtrata jaciebant juxta foſsata plurima, præter eos qui ſauciati graviter vel leviter reducti ſunt ad caſtra. Sic ſalvavit Dominus in die illa ſperantes in ſe, per virtutem Templariorum, & eorum qui ipſis cooperati diſcrimini

diſcrimini ſe commiſerunt. Pauci de noſtris interfecti ſunt & capti. Inſtrumenta contra civitatem parata combuſta ſunt à defenſoribus fere omnia præter ſcalas *Januenſes*. *Piſani Venetiani* firmiter aſserebant ſe civitatem expugnaturos per quatuor naves, ſuper quas ſcalæ pendebant, ſed ipſi non erant de genere virorum illorum, per quos facta eſt ſalus in *Iſrael*; volebant enim facere ſibi nomen cum tubis & calamillis & ſignis multis progreſſi; legatus Apoſtolicæ ſedis ſumptus eis præbuit copioſos de communi, Rex & alii cordas & anchoras, prout requirebant, exhibuerunt abundanter. Aggredientes itaque civitatem, primo die multos interfecerunt & vulneraverunt, & quanto ſæpius aſsultus poſtmodum fecerunt, tanto magis muri firmati ſunt ligneis caſtellulis ac liciis, defenſores etiam robuſtius & efficacius ſe venientibus oppoſuerunt, & ſic ſcalæ mutilatæ per ignem ac pluries reparatæ, tandem infecto negotio ductæ ſunt ad ripam; & ſic derehenſum eſt & vivaciter intellectum, ſola virtute divina *Damietam* in manus Chriſtianorum fore tradendam. Nos vero inſenſati & immemores beneficiorum Dei, ac mirabilium, quæ fecit, provocamus oculos divinæ majeſtatis contra nos, & per deſidiam majorum & immurmurationes minorum, pedites equitibus improperabant ignaviam, equites pericula peditum quando contra *Sarracenos* egrediebantur diſſimulabant. Unde factum eſt ut, rationibus exigentibus culpis, in decollatione ſancti *Johannis Baptiſtæ*, licet vix invenirentur qui in cuſtodia caſtrorum remanerent, navalem & terreſtrem exercitum equitum & peditum educentis ad caſtra *Babyloniorum* tenderemus inter mare & fluvium, ubi dulcis aqua reperiri non poterat ad potandum. Ipſi vero ſublatis tentoriis fugam ſimulabant & cum proceſſum fuiſſet à noſtris, adeo quod appareret adverſarios nolle confligere directa fronte, capitanei noſtri longum iniere conſilium utrum procederent an redirent. Diſcors inter eos ſententia fuit. Interim ſolutæ ſunt acies præter ordines illorum, quos in diſciplina militari legavit obedientia. Equites *Cypri* in dextro cornu conſtituti, *Sarracenis* incurſum facientibus à latere timiditatem ſuam oſtenderunt. *Italici* pedites primo fugerunt, poſt equites de variis nationibus, & quidam Hoſpitalarii ſancti *Johannis*, legato Apoſtolicæ ſedis & Patriarcha, qui crucem bajulabat, multum ſed fruſtra ſupplicantibus ut ſubſiſterent; æſtus ſolis erat vehemens, pedites armorum pondere premebantur, calorem auxit labor viæ, & qui ſecum vinum detulerunt in anguſtia ſitis biberunt illud purum propter defectum aquæ. His omnibus occurrentibus, qui ſubſiſtentes ſe defenderunt, & poſt primitivos fugientes anhelo curſu terga dederunt, & extincti ſunt ſine vulneribus corruentes. Rex vero cum Templariis, & domo *Teutonicorum*, & Hoſpitalariis ſancti *Johannis*, & *Ceſtriæ*, & *Hoilandiæ*, & de **Withe**, & de **Salabruge** Comitibus, *Waltero Britoldi* qui apud *Damietam* poſt captionem civitatis diem clauſit extremum, *Reginaldo* de *Ponte*, *Francigenis*, *Piſanis*, aliiſque militibus impetum perſequentium ſuſtinuerunt. Rex igne *Græco* fere combuſtus fuit. Hi omnes pro muro fuerunt fugientibus, quoties facies ſuas oſtendebant hoſtibus illi fugerunt, quando vero gradatim revertebantur, ictus & tela ſuſtinuerunt inimicorum. Capti ſunt in illa defenſione Chriſtianitatis electus *Belvacenſis*, *Andreas* de *Natoli* frater ejus, Vicecomes *Belli Montis*, *Galterius* Domini Regis *Franciæ* camerarius & filius ejus, cum *Johanne* de *Arciis* viro nobili & ſtrenuo, & alii multi, qui trucidati ſunt, & in captivitatem ducti: Templarii triginta tres capti vel occiſi ſunt cum Mareſcallo Hoſpitalis Sancti *Johannis*, & quibuſdam aliis fratribus ejuſdem domus, nec evaſit ſine damno domus *Teutonicorum*. Militia Templi, quæ prima ſolet eſse in congreſſu, ultima fuit in regreſſu, unde cum ad foſſatum noſtrum noviſſimum rediret foris ſubſtitit, ut anteriores intra mœnia, quantum poſſibile fuit, reduceret. Perſecutores ad captivos deducendos & ſpolia colligenda tandem redierunt, ſicut intelleximus poſtmodum à *Sarraceno*, quinquaginta capita Chriſtianorum *Soldano* præſentantes. Mœror noſtros occupavit, ſed nulla deſperatio; pro certo enim habemus quod pœna peccati fuit hæc caſtigatio, & minus erat in pœna quam exegerat culpa, ipſo tentante

Chriſtiani à Sarracenis in fugam verſi.

tentante vindictam, qui dicit animæ peccatrici, tu fornicata es cum multis amatoribus, tamen revertere ad me & ego respiciam te. Constat autem nobis quod in præcipua sua militia luctuosa sibi damna sustinuerunt increduli. Sane miserator Deus qui non obliviscitur misereri, nec continet in ira sua misericordias suas, qui in tribulatione peccata dimittit, qui dixit de tenebris lucem splendescere, luctum nostrum convertit in gaudium, mœrorem in lætitiam, nam *Soldanus* unum de captivis nostris mittens, de pace vel de treuga nobiscum tractare cœpit, in quo tractatu fossatum nostrum, & munitiones nostras alias reparavimus alacriter.

Soldanus pacem vel inducias Christianis offert.

CAP. XV.

De intermisso pacis tractatu per recessum quorundam Christianorum, & de angustia in Damieta *obsessorum.*

INterim nautæ Christianitatis proditores, & cum eis peregrini plurimi, magis seipsos amantes quam fratribus compatientes, ante tempus consueti passagii agonistas Christi in summo periculo reliquerunt, elevatis velis abjecto portu, nobis mœstitiam, *Babyloniis* audaciam contulerunt, qui tractatum pacis intermittentes in vigilia sanctorum *Cosmæ* & *Damiani*,& sequenti die festo proximo, etiam Sabbato, cum Galeis & barbotis per fluvium, cum Mangunellis & targiis fruticibus, pro implendo fossato, per terram, feritate barbarica, & impetu consueto nos impetierunt; sed durus bellator triumphator in *Israel* solita usus gratia castra sua defendit. Misso per mare *Savareo* de *Malo Leone*, cum Galeis armatis, & bellatoribus plurimis, in ipso necessitatis articulo, & nos clamantes in cœlum, nec trepidantes apud prælium, sed viriliter resistentes, interfectos sauciatos & confusos ab insultu triduauo recedere coegimus, ipsius virtute qui salvat sperantes in se. Interea civitas obsidione longa, ferro, fame, & pestilentia graviter & ultra quam scribi possit afflicta, in sola pace quam *Soldanus* civibus promisit, spem posuit, adeo enim in ea fames invaluit, ut cibi desiderabiles deessent; panis corruptus abundavit in ea, durabilis non est annona *Ægypti* propter molles glebas, in quibus crescit, nisi superius circa partes *Babylonis* artificiose conservaretur in annos, & sicut audivimus coctanum unum undecim Bisantios vendebatur in ea. Ex angustia famis diversa morborum genera vexabant eos, & inter cætera incommoda, quæ sustinuerunt noctibus, velut aorisia percussi apertis oculis nihil videre dicebantur. *Soldanus* de die in diem vanis promissionibus ipsos à deditione dehortatu decepit miseros. Postremo portas suas obstruxerunt intrinsecus, ne aliquis ad nos veniens de suis nunciaret quomodo dies afflictionis possederunt eos, si qui vero per posticum vel de muris per funes evadere potuerunt, inflati & famelici civium suorum angustiam probabant evidenter, illis etiam qui foris in exercitu *Sarracenorum* nos obsederunt copia panis & pabuli cœpit decrescere.

Pestis Damietæ grassatur.

CAP. XVI.

De pace Christianis interim oblata.

Quo tempore Nilus crescere soleat.

N*Ilus* siquidem, qui post festum Sancti *Johannis Bapt.* usque ad exaltationem sanctæ Crucis solet accrescere, & *Ægypti* planitiem irrigare hoc anno more suo non ascendit ad signum, quod solent apponere *Ægyptii*, sed prout intelleximus, magnam partem terræ siccam reliquit, quæ nec arari nec seminari poterat suo tempore; unde *Soldanus* caristiam timens & famem, etiam amore

more retinendæ *Damietæ*, talem pacem cum fratre suo *Coradino* Christianis obtulit, ut crucem sanctam, quæ olim capta fuit in victoria *Salahadini*, cum civitate sancta & omnibus captivis, qui per Regnum *Babylonis* & *Damasci* vivi reperiri possent, sumptus etiam ad reparandos muros *Jerusalem* redderet: insuper Regnum *Jerusalem* totaliter restitueret, præter *Craccum* & *Montem Regalem*, pro quibus retinendis tributum obtulit quamdiu treuga duraret. Sunt autem hæc duo loca in *Arabia* sita, septem munitiones firmissimas habentia, per quæ negotiatores *Sarracenorum*, & etiam peregrini ipsorum *Mecham* tendentes, vel ab ea revertentes transire solent, & qui potenter tenuerit *Jerusalem*, cum voluerit, graviter nimis cum agris & vineis lædere poterit. Hanc compositionem acceptandam esse & utilem Christianis Rex & *Francigenæ*, Comes vero *Cestriæ* cum capitaneis *Teutonicorum* censuerunt pertinaciter, [rejiciendam:] nec hoc mirandum fuit, qui longe minori pace, quæ prius oblata fuerat, contenti fuissent, nisi sano consilio eis obviatum esset. Legatus autem, cum Patriarcha & Archiepiscopis, Episcopis, Templariis, ac omnibus *Italiæ* capitaneis, multisque aliis prudentibus viris, efficaciter huic tractatui se opposuit, rationabiliter ostendens ante omnia *Damietam* fore capiendam: opinio diversa peperit discordiam, quæ cito solidata fuit propter communem necessitatem. Interea *Soldanus* magnam multitudinem peditum clanculo per loca palustria misit de nocte ad civitatem, quo ducenti XL. Christianis dormientibus, litias fuerunt ingressi, Dominica nocte post festum omnium sanctorum; tandem per amorem Vigil. occisi sunt & capti, ad CC. & plures computavimus.

Dissidium Christianorum de pace ipsis à Soldano oblata.

CAP. XVII.

De captione Damietæ *per Domini voluntatem.*

NOnas *Novembris* salvatore mundi regnante, & Domino *Pelagio Albanensi* Episcopo Apostolicæ sedis legatione solerter ac vigilanter fungente, capta est *Damieta* absque deditione, sive defensione, sive violenta deprædatione cum tumultu, ut soli filio Dei ascribatur evidenter victoria, qui populo suo ingressum in *Ægyptum* inspiravit, & ibidem vires ministravit. Et cum caperetur civitas in oculis Regis *Babylonis*, more solito non fuit ausus Christi milites ad defensionem paratos per fossatum nostrum aggredi. Eodem etiam tempore fluvius excrevit uberrimus, aquis fossatum implens. Ipse vero Soldanus confusus castra propria combussit & fugit. Deus autem, qui tertia die aquas sub firmamento in locum unum congregavit, ipse agonistas suos per aquas maris ad portum *Damietæ* perduxit mense *Maii* feria tertia: eosdem transduxit per *Nilum* ad obsidendam civitatem mense *Februarii* feria tertia: ipse cepit *Damietam* inter aquas sitam mense *Novem.* feria tertia. Hanc urbem vitulæ consternanti, quæ tertio terræmotu subversa est, possumus assimulare; vitulam appellamus propter ejus lasciviam, piscibus enim, avibus, pascuis & frumento, hortis & pomeriis abundavit; negotiando, piraticam exercendo, deliciis effluxit in culpa, perfluit in gehenna, sed una hora venit judicium ejus. Consternantem dicimus, quia quasi tertio terræmotu habitatores ejus perierunt, ipsa tamen integra manente. A *Græcis* & *Latinis* primo fuit obsessa, qui ab ea defecerunt. Deinde à *Latinis* sub *Amalrico* Rege *Jerosolymitano*, qui non profecerunt. Hac vice tertia Rex Regum & Dominus dominantium servis suis ipsam tradidit [duce] Christo Jesu, qui vincit Regnat & imperat, qui semitis irrigua siccavit, *Ægyptios* confudit operantes sericum & bissum plectentes, & texentes subtilia. Tali duce Christiani milites *Damietam* ingressi, plateas ejus invenerunt stratas cadaveribus mortuorum, pestilentia & fame deficientium, aurum & argentum multum nimis, pannos sericos negotiatorum in abundantia vestes preciosas, & ornatum seculi cum varia supellectile in superabundantia.

Damieta bis frustra obsessa, tandem à Christianis expugnatur.

abundantia. Civitas hæc, præter naturalem situm loci, communitur triplici cincta muro, turribus lateritiis multis & magnis fortissime præmunita, clavis & antemurale totius *Ægypti*, inter *Ramesse* & *Campothaneos* sita, in terra, ut conjicere poſsumus, *Goſhen*, quia paſcualis eſt, quam petierunt filii *Iſraelis* à *Pharaone* tempore famis.

CAP. XVIII.

De peſtilentia quæ Damietæ *cives vaſtavit.*

DAmieta Damieta inclyta in Regnis, famoſa multum in ſuperbia *Babylonis*, in mari dominatrix, Chriſtianorum ſpoliatrix, in aſcenſu perſecutorum per paucas & modicas ſcalas comprehenſa, nunc humiliata es ſub potenti manu Dei, &, adulterio quod diu tenuiſti projecto, reverſa es ad virum tuum priorem, & quos prius parturiebas ſpurios, amodo paries filios legitimos, ad cultum filii Dei firmiter à cultoribus Chriſti poſseſsa. *Achonenſis* Epiſcopus jam ex te primitias animarum Deo ſolvit, parvulos tuos, qui reperti ſunt ab ipſo vitales, etiam morti proximos baptiſmatis in unda ſacramentaliter mundando: multiplices ſoluiſti pœnas; præter eos qui vivi comprehenſi ſunt in te, mortui tui promiſcui ſexus à tempore obſidionis in circuitu computantur ad triginta millia & amplius, quos ſine ferro vel igne Dominus percuſſit, amodo ſuſtinere dedignatus ſpurcitias in te commiſsas. Gaudeat igitur univerſalis Eccleſia, dignas gratiarum actiones referendo, pro tali triumpho: & non ſolum pro *Damieta*, ſed pro deſtructa pernicioſa montis *Tabor* munitione, & aditu libero ad *Jeruſalem*, ut ædificentur muri ejus, tempore ab altiſſimo proviſo: pro caſtro præterea filii Dei, quod magnis ſumptibus ædificat viriliter & inexpugnabiliter militia Templi, de quo ſuperius plenius ſcriptum eſt. Contrivit Dominus baculum impiorum, confregit cornu ſuperborum, terribilis in conſiliis ſuper filios hominum, portas *Damietæ* potenter aperuit. Ingredientibus itaque nobis occurrit fœtor intolerabilis, aſpectus miſerabilis, mortui vivos interficiunt, vir & uxor, pater & filius, Dominus & ſervus ſe mutuis fœtoribus interemerunt: non ſolum plateæ mortuis erant plenæ, ſed in domibus, & in cubiculis, & lectis jacebant defuncti, extincto viro mulier impotens ſurgere & ſublevantis carens ſolatio putredinem non ferens expiravit: filius juxta patrem, vel à converſo ancilla juxta Dominam, vel vice verſa, languore deficiens jacebat extincta: parvuli petierunt panem, non erat qui frangeret eis; infantes ad ubera matrum pendentes inter amplexus morientium oſcitabant: delicati divites inter acervos tritici interierunt, deficientibus cibis in quibus erant nutriti: pepones & allia, cepas & altilia, piſces & volatilia fruſtra deſiderantes: multitudo vulgi contracta, vel oris moleſtia diutius fatigata, deficiens aruit: completum eſt in eis Prophetæ vaticinium, pro ſuavi odore fœtor quaſi cadaver putreſcens, non habens conſortium in ſepultura.

CAP. XIX.

Numerus eorum qui perierunt à principio obſidionis in civitate.

OCtoginta fere millia, ſicut captivis referentibus didicimus, à tempore quo perfecta eſt obſidio, perierunt in civitate, eis quos ſanos vel languidos invenimus quaſi tria millia, quorum trecenti ſpectabiliores utriuſque ſexus

ad

ad redemptionem captivorum noſtrorum reſervantur; alii mortui ſunt poſt victoriam, alii magno pretio venditi, alii baptizati Chriſto donati ſunt.

CAP. XX.

De Divitiis in civitate repertis.

CIvitas hæc gradatim murata, primum murum habet humilem ad cuſtodiam foſſati; ſecundum altiorem, tertium eminentiorem ſecundo, murus medius viginti octo turres habet principales, binas vel trinas teſtudines continentes, quæ omnes remanſerunt integræ cum muris, præter unam, quæ crebris ictibus Trebuculi Templariorum concuſſa fuit aliquantulum. Adeo enim exercitus noſter ad pigritiam reſolutus fuit, ut milites otio dediti negligerent opus Dei, vulgus ad tabernas & negotiationes fraudulentas ſe convertit. Catti duo ad foſſatum implendum magnis ſumptibus compoſiti fuerunt, quorum alter in cuſtodia Regis, alter in cuſtodia *Romanorum* combuſtus fuit, cum adhuc potentes eſſent *Saraceni* cuſtodes civitatis: foſſæ duæ ſubterraneæ factæ fuerunt ad ſuffodienda fundamenta murorum; ſed labor iſte fruſtratus fuit poſt expenſas plurimas, ſed Dominus civitatem dare voluit integram ſine damno capientium eam & virtute. In Commune juravimus omnes, ut aſportata de civitate ſpolia redderentur inter victores dividenda: hoc etiam ſub anathemate terribili præceptum fuit à Legato ſedis Apoſtolicæ, tranſgreſſores perpetuo remanebunt infames, cum *Achan*, qui furatus fuit de Anathemate *Jerico*, computandi: verum concupiſcentia oculorum plurimos fures fecit; percepimus tamen ad utilitatem reipublicæ magnam partem deliciarum *Ægypti* in auro & argento, perlis & pomis Ambræ, filis aureis & philacteriis variis, pannis ſericis & precioſis, ſicut enumerat *Iſaias*, in die illa auferet Dominus ornamenta calceamentorum & lunulas, torques, monilia, & armillas & mitras, diſcriminalia & perichcladas & murenulas, & olfactoriola, & pallia, & linteamenta, & acus & ſpecula, & ſindones, & vittas, & tiriſtra, quæ omnia nemo dinumerare poterat; ſed ad ponderandum multum tempus impendimus, quæ diſtributa ſunt per exercitum Domini cum annona quæ reperta fuit in civitate.

Darrieta civitas munitiſſima.

Spolia æqualiter diviſa.

CAP. XXI.

De captione Thannis.

NOn minori miraculo imo majori donavit Dominus Chriſtianis *Thannis* menſe *Novembris*. Nam miſſi ſunt exploratores munero quaſi mille viri in naviculis per pervium fluvium, qui fluvius *Thannis* appellatur, ut de caſalibus tollerent ſibi victualia, & ſitum prædicti loci diligenter explorarent. *Sarraceni*, qui erant in præſidio caſtri, viſis Chriſtianis, putantes totum exercitum adventare, ſerratis portis fugerunt. Noſtri vero ſolum Chriſtum capitaneum ibidem habentes erumpentes clauſtra intraverunt caſtrum. Teſtati ſunt nobis redeuntes ſe nunquam in plano fortius caſtrum proſpexiſſe, ſeptem turres habet fortiſſimas, teſtudines deſuper per girum, duplici foſſato & utroque murato cingitur, habens antemurale, lacus ſe diffundit in latum per circuitum, in tantum ut aditus equitibus hieme ſit impoſſibilis, æſtate difficilis, adeo ut per noſtrum exercitum obſidione nunquam caperetur. Lacus piſcopus eſt valde, de cujus piſcariis *Soldano Babylonis* ſolvebantur annuatim, quatuor millia marcarum, avibus inſuper & ſalinis abundat, caſalia multa per circuitum

Thannis validiſſimum propugnaculum à Chriſtianis expugnatur.

tum serviebant ei. Civitas ante castrum major *Damieta*, olim famosa, nunc autem ruinosa. Hæc est *Thannis* cujus campi meminit Propheta *David* in *Campothaneos*, & *Isaias*, stulti Principes *Thanneos* sapientes consiliarii *Pharaonis* dederunt consilium insipiens. Hæc est *Thannis*, in qua lapidatus asseritur *Jeremias*, destructa enim *Hierosolyma* à *Babyloniis*, & *Godoliam* ab *Ismaele* interfecto, reliquiæ populi contra consilium *Jeremiæ* profectæ sunt in *Ægyptum*, *Jeremiam* secum ducentes, qui mansit cum eis in *Thannis*. Et factus est sermo ad *Jeremiam* in *Thannis* dicens, sume lapides grandes & absconde eos in crypta, quæ est sub muro lateritio, in porta domus *Pharaonis*, &c. Postmodum, locutum est os *Jeremiæ*, hoc dicit Dominus, ego juravi in nomine meo magno quod omnes viri *Judæ*, quæ sunt in terra *Ægypti*, gladio & fame peribunt, donec penitus consumentur. Et insurrexit populus adversus *Jeremiam*, & lapidaverunt cum lapidibus quos absconderat in muro lateritio. *Ægyptii* vero honoraverunt Prophetam, sepelientes eum juxta tumulum Regum, memores beneficiorum quæ præstiterat *Ægypto*, oratione enim sua fugaverat bestias aquarum, quas *Græci Cocodrillos* appellant.

Jeremias à Judæis lapidatus honeste sepelitur ab Ægyptiis, quod inde crocodilos oratione sua fugaverat.

CAP. XXII.

De Cocodrillis & distantia Thannis *à* Damieta.

Alexand. M. Jeremiæ corpus transtulit Alexandriam.

ALexander vero *Macedo* veniens ad sepulchrum Prophetæ, & cognoscens loci misterium transtulit ipsum in *Alexandriam*, & sepelivit gloriose. Cocodrillos apud *Damietam* invenimus & interfecimus. Est autem bestia crudelis, homines & jumenta devorans, apertis oculis solo visu ova sua fovet, exclusi pulli statim fugiunt parentem quasi hostem, quos enim rapere potest in momento glutit & devorat. Distat autem *Thannis* à *Damieta* itinere diei unius per mare versus terram promissionis, ut facile sit de *Achon* vel de *Damieta* per mare, vel per terram, vel per fluvium, præsidium ibidem ponere, vel victualia transmittere: damna multa Christianis intulit in obsidione *Damietæ*, quando naves ad nos accedentes, vel à nobis recedentes, vi ventorum delatæ sunt illuc, nam ante *Thannis* littus maris arcuosum & importuosum, sinum facit amplum & latum, in quem naves devolutæ sine vento multum eis oportuno recedere non valent.

FINIS.

CHRONICA
Walteri Hemingford,
CANONICI
DE *GISSEBURNE*,

De gestis Regum *Angliæ*.

Ab Anno Domini M.LXVI.

Ad Annum M.CCC.

Chronica *Walteri* Hemingford, Canonici de Giſſeburne, de geſtis Regum *Angliæ*. Ab anno Domini M.LXVI. ad annum M.CCC.

PROOEMIUM.

NE faſtidioſus occurram qui ſuccincte laborare diſpono, tranſacta quædam tempora ſub brevitate concludens, ſucceſſoribus noſtris brevem Margaritam relinquo: & licet *Anglia* noſtra, quæ olim *major Britannia* dicebatur, eo quod à *Britannis* inhabitata erat & poſſeſſa, quorum reliquiæ modo ſunt *Wallenſes*, quinque vicibus quaſi devicta ſit & ſuperata; Primo per *Romanos*, qui *Britanniam* expugnaverunt, Dominanteſque poſtea receſſerunt; Secundo per *Pictos* & *Scotos*, qui graviſſimis eam Bellis vexantes, non tamen pro voto eam obtinuerunt; Tertio per *Anglicos*, qui eam debellaverunt & obtinuerunt; Quarto per *Danos*, qui eam obtinuerunt & poſtea de perierunt; Quinto per *Normannos*, qui eam devicerunt & *Anglicis* Dominantur: Hanc tamen ultimam quaſi principium materiæ ſumens, ab ipſo *Conquæſtore Gulielmo Baſtardo* ſeriatim proſequi & compilare propono, ab Anno ſcilicet Domini M.LXVI. ad annum ejuſdem Domini M.CCC.

Gulielmus Conqueſtor.

Britannia unde dicta.

Quinque vicibus Britannia ſubacta.

Incipit Liber Primus.

CAP. I.

Incipit Liber primus. Et primo, de cauſa quare Wilhelmus Nothus, Conquæſtor *ſcilicet*, Angliam *appetiit.*

UT ſciatur Origo cauſæ quare *Wilhelmus* Baſtard *Angliam* bello appetiit, breviter ſubſcripta repetuntur. Orto inter Regem *Angliæ Edwardum*, & Comitem *Cantiæ Godowynum* gravi diffidio, eo quod Comes *Bononienſis Euſtathius* qui ſororem Regis *Edwardi* duxerat, *Doverniam* venit, mari tranſito, ubi homines ſui pro hoſpitiis rixantes, interfecerunt unum de Civibus, & unus Civium unum ex Militibus ſuis interemit; propter quod iratus Comes furorem exercuit in viros & mulieres ejuſdem civitatis, plures perimendo gladio, & ſenes & parvulos equorum pedibus conculcando. Quod videntes cives concurrerunt ad arma, & reſiſtendo viriliter eos in fugam verterunt, peremptis ex eis VII. perſonis. Ipſi autem ad Regem properantes ab eo ſuſcepti ſunt. Quod audiens Comes *Godowynus* graviter tulit, & congregato exercitu de Comitatu ſuo ſcil, de *Cantia*, *Suthſaxonia*, *Weſtſaxonia*, & filius ſuus Primogenitus *Joannes* de Comitatu ſuo; id eſt *Oxenfordenſi*, *Glovernenſi*, *Herefordenſi*, *Somerſettenſi*, *Barukſhirenſi*, alterque filius ſuus *Haraldus* de ſuo Comitatu, ſcil. de *Eſtſaxonia*,

Quam ob cauſam Wilhelm. Nothus Angliam bello petierit;

Gulielmus Conquæstor.

Estsaxonia, Estanglia, Huntingdonensi, & *Cantabrigiensi*: & Castra metantes in Provincia *Glouernensi*, Regi per Legatos mandaverunt, quod prædictum *Eustathium* cum suis, & *Normannos* & *Bononienses*, qui Castrum *Dovernienſe* tenuerunt, eis redderent. Quod audiens Rex timuit, eo quod Exercitus ejus ut præceperat, nondum conveniret; distulit tamen responsum, & interim conveniente exercitu remandavit se nequaquam petita facturum, paratisque hinc & inde exercitibus grave videbatur aliquibus magnatum, ut cum suis Compatriotis & parentibus bellum inirent. propter quod discurrentibus nunciis, & mediantibus viris discretis, convenit ut Rex & Comes tertio die convenirent *Londonias*, placitaturi super hoc, datis obsidibus mutuo & acceptis. Adveniente demum die, exercitus Comitis lapsus est: propter quod cum ipso Rege placitum inire non audebat, sed nocte superveniente fugam iniit, confusus & illusus. Mane autem facto, quia vocatus non comparuit, ab ipso Rege & exercitu suo proscriptus est Comes, cum quinque filiis & uxore sua. Unde timens sibi Comes mox cum uxore sua & duobus filiis *Swano* & *Griffo* fugit ad Comitem *Flandrensem*. *Haraldus* vero & *Leofwinus* filii sui fugerunt in *Hiberniam*. Rex vero *Edwardus* Reginam suam, filiam ipsius *Godowini* Comitis, propter odium patris repudiavit, & cuidam Abbatissæ cum una pedissequa custodiendam tradidit. Eodem autem tempore *Wilhelmus* Comes *Normanniæ* venit in *Angliam*, invitatus à Rege; quem Rex honorifice suscipiens magnis eum ditavit muneribus, & obsides Comitis *Godowini* custodiendos tradidit ei, & sic cum gratiarum actionibus abire permisit. Interim vero Comes *Godowinus* in *Flandria*, filii autem sui in *Hibernia*, congregatis exercitibus venerunt cum magna Classe in *Angliam*: & quia *Londonienses* allexerant, nullo in Ponte resistente, *Londoniis* per *Thamesin* sursum ad austrum navigarunt. Demum vero concurrentibus Rege & Comite nobiliores utriusque exercitus apparuerunt *Anglici*, & propinqui, & sic mutuo congredi abhorrebant: propter quod mutuo loquentes ad invicem de consensu partium sic ordinarunt discretiores, quod Rex pristinum honorem plene redderet *Godowino* & filiis suis, excepto *Swano*, qui de *Flandria* ad terram *Jerosolymitanam* nudis pedibus profecturus erat, pro eo quod consobrinum suum occiderat: & in redeundo nimio frigore & labore correptus interiit. Reginamque filiam *Godowini* recepit Rex, ac pristinæ dignitati restituit. Mortuo demum *Godowino* *Haraldus* filius ejus petiit à Rege ire *Normanniam*, ut fratrem suum *Vulnotum* & nepotem suum *Otharinum*, filium fratris sui *Swani*, qui ibidem obsides tenebantur, ut supradictum est, liberaret, liberatosque secum deducere posset. Cui Rex, hoc, inquit, non fiet per me: veruntamen ne videar te velle impedire, permitto ut eas quo vis, & experiaris, quod possis. Præcenseo tamen te in nihil aliud tendere, nisi in detrimentum totius *Anglici* Regni, & in confusionem tui. Novi enim Comitem non ita inexpertem esse, ut eos aliquatenus velit concedere tibi, si non præscierit magnum proficuum sui. Ascendit itaque *Haraldus* navem, & orta tempestate valida projectus est in *Pontinum* fluvium, qui *Maia* vocatur, ubi à Domino terræ, secundum ritum loci illius, captivus abductus est cum omnibus suis. Constrictus itaque *Haraldus* quendam de vulgo promissa mercede illectum ad Comitem *Normanniæ* clam direxit, nuncians omnia quæ casu acciderant. At ille, audito hoc, protinus mandat Domino *Pontini*, ut *Haraldus* cum suis sibi cum festinatione mittatur, si pristina ejus amicitia potiri vellet ut prius. Sed cum ille hominem dimittere nollet, iterum à *Wilhelmo* Comite in mandatis accepit se necessario *Haraldum* missurum, alioquin certissime sciret *Wilhelmum* *Normanniæ* Comitem, pro eo adducendo cum suis usque ad novissimum quadrantem *Pontinum* quantocius armatum aditurum. Perterritus itaque minis, mittit *Haraldum*, qui ab ipso Comite honorifice suscipitur; & audito, cur Patriam exierat; bene quidem rem processuram, si in illa ipsa non remaneret, respondit. Tenuit ergo eum aliquibus diebus, satisque humanum ac familiarem se illi exhibuit, ut sic animum ejus in suos Conatus alliceret. Tandem vero aperuit ei quod in mente habuit. Dicebat

Exercitus Comitis Godwini dilabitur.

Comes Godwinus proscriptus fugit.

Rex filiam Godwini repudiat.

Normanniæ Dux invitatus à Rege venit in Angliam.

Com. Godwin. redit in Angliam.

Godwin. Regi conciliatur.

Codwinus ob.

Haraldus captivus factus, ab Wilhelmo Normanniæ Duce liberatur.

cebat enim Regem *Edwardum*, quando cum eo tunc juvene & ipſe juvenis in *Normannia* demoraretur, ſibi interpoſita fide ſua pollicitum fuiſſe, quod ſi Rex *Angliæ* foret unquam, jus Regni in illum jure Hæreditario poſt ſe transferret. Et ſubdens, ait: Tu quoque ſi mihi te in hoc adjutorem ſpoponderis, & inſuper Caſtellum de Dover cum puteo aquæ ad opus meum; te facturum quodcunque ego conſtituero promiſeris; ſororemque tuam, quam uni de Principibus meis dem, te mihi deſtinaturum; nec non & filiam meam in uxorem accepturum promiſeris, tunc & modo nepotem tuum, & cum in *Angliam* regnaturus venero, fratrem tuum incolumem liberabo. In quo Regno ſi tuo favore confirmatus extitero, ſpondeo tibi quod quicquid à me rationabiliter tibi poſtulaveris, abſque ulla contradictione obtinebis. Senſit ergo *Haraldus* periculum undique, nec intellexit qua parte evaderet. Et licet invitus, acquievit tamen. At Comes, ut omnia rata forent, prolatis ſanctorum Reliquiis, ad hoc *Haraldum* perduxit, ut jurejurando teſtaretur ſe cuncta, quæ convenerant inter eos opere completurum. His itaque geſtis, *Haraldus*, recepto nepote, reverſus eſt in *Angliam*, narravitque Regi percunctanti cuncta quæ acciderant: cui Rex, nonne dixi tibi me noſſe *Wilhelmum* & in itinere tuo multa mala hinc Regno contingere poſſe? Certe in hoc facto tuo magnas genti noſtræ præcenſeo calamitates eventuras, quas mihi quæſo concedat pietas ſupera temporibus meis non evenire. In brevi, poſt hoc obiit Rex *Edwardus*; & juxta quod ipſe Rex ante mortem ſtatuerat, ſibi ſucceſſit in Regnum *ipſe *Haraldus*. Cui mandavit *Wilhelmus* Comes, ut pacta ſervaret. Quod renuente, iterum mandavit ut, quamvis violata fide cætera non ſervaſſet, ſi tamen filiam ſuam duceret in uxorem, adhuc æquanimiter ferret; alioquin promiſſam ſibi ſucceſſionem Regni armis vindicaturum ſe proculdubio ſciret. At ipſe nec illud quidem facere ſe velle, nec hoc formidare reſpondit. Unde *Wilhelmus* indignatus, magna ſpe vincendi ex hac *Haraldi* injuſtitia animatus, parata Claſse non modica *Angliam* petiit, conſertoque gravi prælio *Haraldus* in acie cecidit, & victor exiſtens, Regnum obtinuit ſic occupatum.

Gulielmus Conquæſtor.

Factum inter Haraldum & Wilhelmum.

Edwardus Rex obit.

Wilhelmus Haraldo in prælio occiſo Angliæ Regno potitur.

CAP. II.

De adventu Wilhelmi *Conquæſtoris in* Angliam.

1066 ANno Domini M. LXVI. *Wilhelmus Baſtardus* Comes *Normanniæ* dictus *Nothus*, venit in *Angliam* cum magna Claſse, & exercitu copioſo hominum, & equitum, applicuitque apud Pevenesham. Cui occurrit Rex *Haraldus* in *Suthſaxonia*, novem milliaribus ab *Haſtingo*, & nondum congregato pleno exercitu commiſit cum eo prælium ab hora diei tertia uſque ad crepuſculum noctis: & poſt varios eventus & caſus dubios, in fine corruit Rex *Haraldus* & omnes fere nobiliores totius *Angliæ*, XI. ſcilicet, *Kalend. Novembr.* in die Sabbati. De quo quidem bello teſtabantur *Franci* qui interfuerunt, quod inter varios hinc inde caſus tanta fuit ſtrages & fuga *Normannorum*, ut victoria qua demum potiti ſunt, vere & abſque dubio juſto Dei judicio ſit aſcribenda, qui puniendo ſcelus perjurii oſtendit ſe Deum non volentem iniquitatem. *Haraldo* itaque mortuo, & *Anglicis* expugnatis atque ſubactis, Ducatui *Normanniæ* Regnum *Angliæ* ſociavit. Cumque Tyranni nomen exhorreſceret, & legitimi Principis perſonam induere vellet, à *Stigando Cantuarienſi* Archiepiſcopo in Regem ſolemniter petiit conſecrari. Ille vero cruento viro & alieni juris invaſori manus imponere formidans, nullatenus adquievit. Requiſitus vero *Atoldus Eborum* Archiepiſcopus, vir bonus & prudens, intelligenſque cedendum eſse tempori, & divinæ nequaquam reſiſtendum ordinationi, in ipſo ſacro die Nativitatis Dominicæ *Londoniis* apud *Weſtmonaſterium* hoc munus implevit: & ad tuenda conſervandaque jura & privilegia Eccleſiaſtica eum ſolemniter

Harald. occiſus.

Gulielmus Conquæstor. Sacramentis aſtrinxit. A quo poſtmodum, loco patris, ita colebatur, ut cum ille cæteris imperaret, ab eo ſibi imperari æquanimiter ferret. Contigit autem una vice eundem Archiepiſcopum in quadam ſua Petitione a Rege pati repulſam, iratuſque ſcapulam avertit, & maledictionem pro benedictione comminatus eſt: cujus animi motum Rex ipſe non ſuſtinens, ad pedes ejus procidit, veniam petiit, & ſatisfactionem ſpopondit. Cumque optimates qui aderant, ſuaderent ut Regem proſtratum erigeret; reſpondit, ſinite, inquit, illum jacere ad pedes *Petri*. Porro idem Rex a *Stigando Cantuariæ* Archiepiſcopo, ut dictum eſt, irritatus, cum vitium ordinationis ſuæ, & vitæ dedecora poſtea cognoviſset, honeſtam de ipſo voluit habere ultionem. Accerſitus enim literis Regiis ad diſponendam Eccleſiam *Anglicanam* Apoſtolicæ ſedis legatus, concilium in *Angliam* celebravit, in quo *Stigandum*, ſceleribus poteſtatis infructuoſam arborem, ſecuris Canonicæ animadverſionis ſuccidit. *Concilium in Angl. celebratum.*

CAP. III.

De Incendio Eboraci, *& ſubjectione* Northumbrorum.

1068 ANno Domini M. LXVIII. Venit Rex *Eboracum*, & ibidem duo Caſtella firmavit, rediitque ad partes Auſtrales, & in anno ſequente miſit *Robertum* Comitem in *Northumbriam* cum exercitu copioſo. Qui cum eſſet Dunelmi, audivit à quibuſdam qui præmonerent eum, quod *Northumbrenſes* irruerent in eum nocte, & vires exercerent in mortem ejus. Noluit tamen credere, dicens eos talia præſumere non audere. Et cum eſſet ſecurus, nihil ſibi timens in aliquo, irruerunt in eum nocte, circumvallantes Caſtra ſua, & univerſos trucidantes, ita quod non evaderet niſi unus homo ſolus. Eodem etiam anno, circa Feſtum Natalis beatæ *Mariæ* virginis, venerunt filii Regis *Swani* de *Danemarchia*, à *Northumbrenſibus* accerſiti, cum ducentis quadraginta Navibus; & applicuerunt in oſtio *Humbriæ*, & properantes *Eboracum*, obſederunt *Normannos* in Caſtellis ibidem ex parte una; *Northumbrenſes* vero venerunt & obſederunt eoſdem Caſtellanos ex parte altera: Unde timentes ſibi *Normanni*, qui fuerant in Caſtrorum præſidio, ne forte domus quæ prope Caſtella erant in adjumentum eſse poſsent *Danis* & *Northumbrenſibus*, ad implendas foſsas Caſtellorum, ut eis ſic ingreſsum facerent, communicato conſilio ante eorum ingreſsum igne eas ſuccenderunt XIII. *Kalend. Octobris*, qui ventorum impulſu ſuccreſcens totam Civitatem, & Monaſterium Sancti *Petri* doloroſe conſumpſit. Supervenientes autem hinc & inde *Dani* & *Northumbrani* eadem die Caſtella infregerunt, & pluſquam III. Millia *Normannorum* peremerunt gladio, paucis admodum reſervatis. Reverſique ſunt *Dani* in terram ſuam, & *Northumbrenſes* in locum ſuum. Quod cum audiſset Rex, iratus eſt valde, & congregato exercitu copioſo *Northumbriam* adiit, devaſtavitque eam per totam Hiemem ſequentem: in tantum quod per IX. annos ſequentes lata ubique ſolitudo patebat. Inter *Eboracum* enim & *Dunelmum* nulla inhabitabatur villa, ſed omnia fuerunt Beſtiarum & Latronum latibula: in tantumque invaluit fames, ut homines famelici humanas, equinas, caninas, & catinas carnes comederent & devorarent. *Dunelmenſis* autem Epiſcopus *Egelwinus* & optimates cæteri timentes Regem, ne & ipſi cum cæteris morti traderentur, aſſumentes ſecum corpus beati *Cuthberti* integrum fugerunt in Clyveland; ad quorum introitum retraxit ſe mare quod erat tunc plenum, & ipſis ferentibus ſacratiſſimum corpus cum toto Comitatu eodem ſiccum præbuit iter; quibus ex parte altera terram contingentibus, reverſum eſt mare in curſum ſolitum omnes arenas operiens fluctibus copioſis, *Dunelmenſis* etiam Eccleſia omni Eccleſiaſtico ſervitio deſtituta, facta eſt quaſi deſertum & ſpelunca Latronum. Revertente tunc Rege in *Suthumbriam* vernali tempore, prædictus *Dunelmenſis* Epiſcopus cum Theſauro

Bellum cum Northumbrenſib.

Swanus Daniæ Rex Northumbrenſibus auxilium fert.

Wilhelmus Rex Northumbriam vaſtat.

Miraculum à B. Cuthberto patratum.

ſauro ſacri corporis, & omni Populo reverſus eſt ad *Dunelmenſem* Eccleſiam, peractis in Clybelande tribus Menſibus & aliquot diebus. *Gulielmus Conquæſtor.*

CAP. IV.

Pecuniam cepit Rex in Eccleſiis.

REx autem in Anno Domini M. LXX. in ipſa quadrageſima Monaſteria totius *Angliæ* perſcrutari fecit, & pecuniam, quam ditiores *Angliæ*, propter illius auſteritatem & depopulationem, in eis depoſuerant, auferri juſſit. 1070

CAP. V.

Scoti *vaſtaverunt partem* Clybeland & Epiſcopatum.

PEr idem tempus infinita *Scotorum* multitudo, ducente *Malcolmo* eorum Rege, per Comberland traducta verſus orientem divertens, univerſam Tesdal & ejus finitima loca ultra citraque feroci depopulatione vaſtavit, depopulataque quadam parte *Clivelandiæ*, quaſi ex ſubito occupavit Hertennesse. Indeque per terras Sancti *Cuthberti* diſcurrens, multos rebus privavit & vita; Villas Eccleſiaſque cum illis qui in eas confugerant concremando; ſenes & vetulæ gladiis obtruncantur; alii indifferenter confodiuntur: Rapti ab uberibus Matrum parvuli projiciuntur in altum, & lanceis excipiuntur; hac enim crudelitate maxima pro ludi ſpectaculo delectabantur Scoti Beſtiis crudeliores. Virgines vero aliquas & juvenes quoſdam duxerunt miſeros & captivos: & reverſi ſunt ſic in terram malam. Ipſe vero *Malcolmus* Rex *Scotiæ* in revertendo invenit *Margaretam* filiam *Agathæ*, quæ poſtea dicebatur *bona Margareta*, & eam duxit in uxorem: per quam impoſterum ferocitatem dimiſit in parte, & honeſtior factus eſt. Ex qua etiam proceſſu temporis ſex filios procreavit, *Edwardum* ſcilicet, & *Edmundum*, *Eadgarum* Regem, *Alexandrum* Regem, *Etheldredum*, & *David* Regem, duas etiam filias, *Matildem* ſcilicet Reginam *Angliæ* dictam *bonam*, & *Mariam* quam Comes *Bononiæ* accepit in uxorem.

1070 *Malcolmus in Angliam irrumpit.*

Malcolmus Margaretam uxorem ducit.

CAP. VI.

Rex Angliæ *ſubjecit ſibi Regem* Scotorum.

ANno Domini M. LXXII. Poſt Aſſumptionem beatæ *Mariæ*, cum audiſſet *Wilhelmus* Rex mala quæ fecerant *Scoti*, cum Exercitu copioſo & navibus multis in *Scotiam* profectus eſt. Cumque ingreſsus eſset eam, procul miſſis ad eum nunciis rogavit Rex *Malcolmus* ea quæ pacis ſunt, ſciens ſe non poſſe dimicare cum eo; occurritque ei in loco, qui dicitur *Abernithii*, & homo ſuus devenit facto homagio & datis obſidibus multis, reverſuſque eſt *Wilhelmus* Rex uſque *Dunelmum*, ubi Caſtellum de novo conſtruxit; & quia multi de ſuis non credebant beatum *Cuthbertum* eſse ſanctum, vel corpus ſuum non ibi eſse integrum, præcepit Rex in ipſo Feſto omnium Sanctorum, celebrante Epiſcopo loci illius miſsam eodem die, ut duo capellani de ſuis ingrederentur & viderent corpus atque palparent. Diſpoſuerat enim Rex quod ſi ſanctum corpus non inveniretur, omnes majores natu ejuſdem Provinciæ detruncarentur.

1072

Malcolmus homagium præſtat Wilhelmo.

Gulielmus Conquæstor.

Sed mutavit Deus propositum suum: statim namque correptus Rex cœpit inæstimabili æstu fatigari, nimirumque sudare, & horrore nimio concuti. Moxque mittens ad capellanos eosdem imperavit, ne quoquo modo præsumerent attingere ad speculcrum: confestimque equum ascendens, non destitit urgere cursum donec *Thesiam* videret & transiret, eo quod moderatus ille calor nondum prius quiesceret ad plenum. Et ex tunc ipsum gloriosum sanctum multum honori habuit, atque commendavit.

CAP. VII.

Monachi venerunt primo Dunelmum.

1074 ANno Domini M. LXXIV. Tres Monachi de Provincia *Merchiorum Lincolniensi* divinitus missi venerunt *Eboracum*, petentes à vicecomite ducem itineris usque *Munkecastrum*, id est; *Monachorum Civitatem*, quæ nunc nominatur *Novum Castrum.* Quo venientes, & ad tempus ibi morantes antiquorum servorum Christi multum repererunt vestigium: propter quod diverterunt se ad *Girnum*, Episcopo *Dunelmensi Waltero* illos cum summo honore suscipiente: horum nomina fuerunt, *Aldewinus*, *Alfwinus*, & *Reynfridus*. Ex his tribus tria in Regione *Northumbrorum* instaurata sunt Monasteria, unum *Dunelmi* in honorem Sanctæ *Mariæ*, aliud *Eboraci* in honorem ejusdem Dei genitricis, tertium apud **Stranecshald** quod nunc **Whitby** appellatur. Ex præcepto autem Regis *Wilhelmi Nothi* convenerunt postea Monachi in *Dunelmo*, Anno Domini M. LXXXIII. VII. *Kal. Junii*, feria sexta.

Monasteria III. instaurata.

CAP. VIII.

Robertus *filius Regis recessit à Patre.*

1077 ANno Domini M. LXXVII. *Robertus* **Courthese**, *Wilhelmi* Regis Primogenitus, relicto Patre perrexit in *Franciam*; eo quod Pater ipsius non permisit eum pacifice possidere *Normanniam*, quam coram *Philippo* Rege *Francorum* sibi dederat, antequam veniret in *Angliam*; & auxilio Regis *Philippi* fretus magnas agebat frequenter prædas in *Normannia*, eam in magna parte gladio & igne devastans. Quod cum audisset Pater ejus, commotus est, & transfretans occurrit filio suo ante Castellum **Gerbothret**, quod Rex *Francorum Philippus* præstiterat eidem *Roberto*: & facto congressu valido congressus est ipse filius ignoranter cum Patre, & vulnerato Patre in Brachio dejecit eum in terram filius. Moxque ut audivit vocem patris conclamantis ad suos, cum summa festinatione descendit, & patrem erexit in equum, illæsumque ex tunc abire permisit. Pater autem bonitatem filii ex instinctu naturæ cognoscens, missis nunciis eum ad se revocavit, Paternæ pietatis sibi viscera pandens, & conservans: reversique sunt in *Angliam* & semper in posterum filius Patri fideliter Militavit.

Rex filium suum in gratiam recipit.

CAP. IX.

Scoti *repugnaverunt secundo.*

1079 ANno Domini M. LXXIX. Rex *Scotorum Malcolmus*, post assumptionem beatæ *Mariæ* Virginis, insaniens iterum cum plebe sua, *Northumbriam* usque ad flumen **Thyne** devastavit, multos occidens gladio, & plurimos captivos abducens;

ducens; & reversus est sic cum præda magna. Quæ cum audisset Rex, misit *Robertum* filium suum, & robur exercitus in *Scotiam*, ut tantam audaciam debita vindicta reprimeret & castigaret. Sed, quia viribus impar jussa complere non potuit, infecto negotio rediens, super flumen Thyne Castellum novum fabricavit, & demum ad Patrem reversus est. Eodem etiam anno misit Rex fratrem suum *Odonem Baiocensem* Episcopum cum multa Militari manu ut *Northumbriam* devastaret, pro eo quod innocentem occiderant Episcopum *Dunelmensem*, apud Cathehewed.

Gulielmus Conquæstor.

Northumbria Reg. jussu vastata.

CAP. X.

Descriptio totius Angliæ *per Regem.*

ANno Domini M. LXXXVI. *Wilhelmus* Rex fecit describi omnem *Angliam*, quantum scilicet terræ quisque Baronum suorum possidebat, quot feodatos Milites, quot carrucas, quot Villanos, quot Animalia, & quantum vivæ pecuniæ quisque haberet in omni Regno suo, à magno usque ad minimum, & quantum redditus quæque possessio reddere poterat. Et vexata erat terra, & gravata ex multis cladibus inde procedentibus, & maxime quia pestis erat maxima animalium & ovium, & aeris intemperies magna. Eodem anno Rex filium suum *Henricum* Armis Militaribus honoravit, & convocatis magnatibus terræ, & Archiepiscopis & Episcopis, Abbatibus & eorum Militibus eidem filio fidelitatem jurare fecit. Cogitaverat enim Rex transfretare, & in anno sequente cogitatum implevit. In eodem etiam sequente Anno urbes multas, ecclesiam quoque beati *Pauli* cum majore & meliore parte *Londonii* ferox flamma consumpsit.

1086

Pestis inter animalia grassatur.

CAP. XI.

De morte Wilhelmi Nothi, *& quid post mortem ejus accidit.*

ANno Domini M. LXXXVII. Ante Assumptionem beatæ *Mariæ* Rex *Wilhelmus* cum exercitu copioso in *Franciam* transfretavit, & opidum *Mohuntum* per tempus modicum obsidens, illud demum omnesque Ecclesias in eo sitas, duosque reclusos succendit; & rediit in *Normanniam*, & in ipso reditu dirus dolor viscerum apprehendit eum, & de die in diem magis ac magis ingravescens agitabat eum valde. Sentiens autem quasi in januis mortem imminere, Fratrem suum *Odonem Baiocensem* Episcopum, *Morgarum*, *Rogerum*, *Gilbardum*, Comites, & alios quos in custodia diu tenuerat, libere dimisit abire, Deinde filio suo *Wilhelmo* Regnum tradidit *Angliæ*, & *Roberto* filio suo Primogenito qui tunc exulabat in *Francia* Comitatum concessit *Normanniæ*, & hoc quia Paternæ pietati inofficiosus, & iterato rebellis extiterat: *Henrico* vero filio suo Juniori cujus indolem propensius laudabat, multa pecuniæ summa donata, bene quidem acturum prædixit. Et sic cœlesti munitus Viatico, postquam viginti Annis & decem Mensibus & XXVIII diebus Genti *Anglorum* præfuit, quinto *Idus Septembres* Regnum cum vita perdidit, dormivitque cum Patribus suis. Homo ab annis adolescentiæ suæ armis acer, animo ingens, successu fœlix, singulare *Nothorum* decus: Sepultusque est *Cadomi* in Ecclesia beati *Stephani* Protomartyris, quam ipse à fundamentis extruxerat, bonisque ditaverat multis. In ejus vero sepultura quoddam memoriale contigisse fertur; cum enim, expleta exequiarum solemnitate, corpus ejus in loco ad hoc præparato esset condendum, quidam terribiliter accedens, omnipotentis Dei

1087

Wilhelmus R. in Franciam cum exercitu transfretat.

Odo & alii carcere liberati.

Wilhelm regnum filiis divi dit.

Wilhelmus obit.

Cadomi sepelitur.

Gulielmus Conquæſtor. præterento nomine, eum ibidem ſepeliri prohibuit, dicens: Terra, inquit, iſta antiquo mihi jure competit, quam idem dum Monaſterium conſtrueret violenter mihi abſtulit, nec unquam poſtea mihi pro ea ſatisfecit. Obſtupuere itaque omnes qui aderant, tranſitoriæ Dominationis actum conſiderantes, ut Princeps potentiſſimus, qui tam late dominatus fuerat vivus, locum Corporis ſui capacem mortuus ſine querela non haberet. Denique illa querela adeo movit omnes, ut prius conquerenti vivo pro voto ſatisfacerent, & deinde mortuo exequias adimplerent. Sane quod idem *Wilhelmus Baſtardus* Chriſtianos innoxios injuſte & hoſtiliter impetiit, rei ſubſequentis patet argumento. In loco namque ubi victi *Anglici* occubuerunt, conſtructum eſt à victoribus Monaſterium nobile beati *Martini* de *Bello* nuncupatum, tanquam *Normannicæ* victoriæ titulus, & ut eſſe poſſet expiatio quædam tanti Sanguinis Chriſtiani. Locus autem ille ubi *Anglorum* ſtrages facta eſt, ſi forte modico imbre maduerit, verum ſanguinem & quaſi recentem exſudat; ac ſi aperte dicatur quod vox tanti ſanguinis Chriſtiani clamat ad Deum de terra, quæ aperuit os ſuum & ſuſcepit eundem ſanguinem de manibus fratrum Chriſtianorum.

Wilhelmi Regis injuſtitia patefacta.

Monaſterium B. Martini fundatum ab Wilhelmo.

Mirum portentum.

CAP. XII.

De Primordiis & Coronatione Wilhelmi Rufi.

1087 ANno à plenitudine temporis qua veritas de terra orta eſt M. LXXXVII. *Wilhelmus Rufus* filius *Wilhelmi* Conquæſtoris, poſt mortem Patris ſtatim in *Angliam* rediens de *Normannia*, convocatis Magnatibus terræ in ipſo die Dominico, VI. *Kalend. Octobris*, in *Weſtmonaſterio Londoniæ*, a *Lanfranco Dorobernia* Archiepiſcopo in Regem conſecratus eſt. Deinde *Wintoniam* adiens, Theſauros Patris ſui ut ipſe juſſerat per *Angliam* diviſit, & Eccleſiis præcipue pauperibus, quibuſdam ſcilicet X. Marcas, quibuſdam VI. & ſecundum majus & minus ut expedire viderat, largitus eſt. Ejuſque germanus *Robertus* frater ſenior in *Normanniam* reverſus, Theſauros, quos ibi invenit, pro anima Patris ſui Monaſteriis & Eccleſiis largitus eſt, habuitque *Normanniam* ordinatione Patris.

Will. Rufi conſecratio.

CAP. XIII.

Quomodo frater ejus Robertus *rebellavit.*

1088 ANno Domini M. LXXXVIII. Inter primates *Normanniæ* qui venerant in *Angliam*, orta eſt diſſenſio. Magna pars enim nobiliorum *Normannorum* favebat Regi *Wilhelmo*, ſed minima pars altero favebat *Roberto* Comiti *Normanniæ*; & maxime cupiens & ordinans hunc accerſere in Regnum, & Regem fratrem aut fratri tradere vivum, aut Regno privare peremptum, de quibus fuit quaſi primus prædictus *Odo Baiocenſis* Epiſcopus, qui fuit Comes *Cantuarienſis*, ſcripſit vero cum ſuis *Roberto* Comiti, ut veniret cum manu armata, & hoc nullo modo amitteret; promittens ſibi auxilium multum in ipſo ſuo ingreſſu. Ipſe autem interim cum ſuis fautoribus & ſequacibus Villas & Domos Regias ſuccendit, & Caſtrum *Hornenſe* pro poſſe toto firmavit. His auditis, *Wilhelmus* Rex in novitate ſua timens, convocavit *Anglos*, & oſtendit eis ſeditionem *Normannorum*, rogavitque ut ipſum, quem de voluntate Patris in Regem creaverant ſibi, tanquam caput & Regem tuerentur; promittens eis quod meliorem Legem, quam ſibi vellent eligere, concederet eis impoſterum, & ſcriptura firmaret. (Sed quod promiſit non tenuit.) Ipſi tamen *Anglici* ſibi fideliter aſſiſtentes quæſierunt prædictum *Odonem* apud *Hornecaſtrum*, & eum non

Conſpiratio in Wilhelmum.

Odonis caſtella expugnantur.

non invenientes deſtruxerunt Caſtrum ibidem. Indeque quærendo divertentes obſederunt eum per VII. hebdomodas in Caſtro de *Peneneſta*: Conſtrictuſque fame & penuria Caſtrum reddidit: ſub conditione tamen, quod Regnum *Angliæ* cum ſuis omnibus cum omni feſtinatione exiret, reddito tamen prius Caſtro *Roſſenſi* quod ſui tenuerunt: & promiſſum hoc ſacramento firmavit. Cumque veniſſet ibidem, cum hominibus Regis qui deberent ſeiſinam Caſtri recipere, mox ipſi Caſtrenſes Epiſcopum cum cæteris in vinculis poſuerunt: dicebant enim hoc eſſe factum calliditate Epiſcopi. Quod cum audiſſet Rex properavit ibidem cum exercitu copioſo, & reddita eſt Civitas cum Caſtro. Epiſcopus vero *Normanniam* adiit, & à *Roberto* Comite totius Provinciæ curam ſuſcepit. *Robertus* vero Comes attemptavit venire in *Angliam* cum magna Claſſe, ſed à Piratis Regis, qui curam Maris a Rege ſuſceperant, repulſus eſt, interfectis multis & ſuis in ipſo Mari.

Gulielmus Conquæſtor.

Roberti Claſſis diſſipata.

CAP. XIV.

Rex Wilhelmus *ivit in* Normanniam.

ANno Domini M. XC. *Wilhelmus* Rex cum multa militia *Normanniam* petiit, ut eam a fratre ſuo *Roberto* potenter abriperet: ſed mediantibus amicis communibus in bonum pacis ſequenti modo conſenſerunt: videlicet, quod Rex *Wilhelmus* daret Comiti certas terras in *Anglia*, & Comes Regi terras & Caſtra in *Normannia*; & quod viciſſim ſibi ſuccederent, ſi quis eorum abſque liberis in fata decederent. Hanc autem conventionem & pacis formam XII. ex parte Comitis juraverunt. Interim dum talia ab ipſis agerentur, *Henricus* frater eorum Germanus Montem Sancti *Michaelis* in *Normannia* cum multis Militibus ingreſſus eſt, terras ipſius Regis vaſtans, & homines quos poterat in captivitatem ducens. Propter quod Rex & Comes cum innumeroſo exercitu per totam quadrageſimam montem obſederunt, & factis congreſſionibus multis, in quibus hominum & equorum jactura fiebat eis immenſa, tandem infecto negotio receſſerunt.

1090

R. Wilhelm. Roberto frat. ſuo conciliatur.

Henricus terras Wil. Ruf. fratris ſui vaſtat.

CAP. XV.

Scoti *Rebellare cœperunt.*

INterea Menſe *Maio Malcolmus* Rex *Scotorum* cum immenſo exercitu *Northumbriam* invaſit, ulterius proceſſurus ſi poſſet; ſed noluit ipſe Deus, unde & ſtatim rediit. Quod cum audiſſet Rex, mox cum fratre ſuo *Roberto* reverſus eſt in *Angliam* Menſe *Auguſti*, & congregato immenſo exercitu & Claſſe non modica, verſus *Scotiam* profectus eſt. Sed, antequam intraret, *Scotiam*, ſuborta tempeſtate maxima circa feſtum Sancti *Michaelis*, fere tota Claſſis illa demerſa eſt, multique de equeſtri exercitu fame & frigore perierunt. Occurritque cum exercitu magno Rex *Malcolmus* in Provincia *Lowdicenſi* juxta confiniam, ad reſiſtendum præparatus. Quod videns *Robertus* Comes advocavit ad ſe quendam Militem *Edgarum* nomine, quem Rex de *Normannia* expulerat, & tunc Regi *Malcolmo* Militabat; cujus auxilio fretus pacem inter Reges hac conditione firmavit, ut Regi *Wilhelmo Malcolmus* obediret, ſicut prius fecerat Patri ſuo, & *Malcolmo* XII. Villas, quas in *Anglia* ſub Patre ſuo habuerat *Wilhelmus*, redderet; & XII. Marcas auri ſingulis annis daret. Sed pax iſta per modicum tempus duravit. Reverſuſque eſt Rex *Wilhelmus* verſus *Karliolum*, & in ſequenti anno eandem civitatem

1090

Malcolmus Northumbriam invadit.

Pax inter Wilhelmum & Malcolmum.

Carleolum reſtauratur.

Gulielmus Conquæstor. tem reftauravit, & ædificavit in ea Caftrum cum Turri fortiffima. Hæc enim Civitas a Danis ante CC. annos diruta, ufque ad idem tempus defolata manfit, & omnino quafi deferta.

CAP. XVI.

Tempeftas Venti contingens Londoniis.

1090 EOdem anno, XVI. *Kal. Novembris*, feria fexta, Turbo pervalidus veniens ab *Affrica* in Civitatem *Londonienfem*, plufquam CVI. Domos, & Ecclefias quam plures fubvertendo concuffit. In Ecclefiam quoque Sanctæ *Mariæ*, quæ dicitur *ad Arcum*, irruens, in ea duos homines occidit, & tectum cum tignis in altum levans, & huc illucque per aera ferens, tandem VI. de tignis, eo ordine quo tecto prius infixa fuerant, tam profunde defixit in terra, ut de quibufdam eorum feptima pars, de quibufdam vero octava tantum appareret, & erant longitudinis quafi XXVIII pedum.

CAP. XVII.

Scoti *Rebellarunt, & occiditur* Malcolmus *Rex.*

1093 *Rex ægrotat.* ANno Domini M. XCIII. Infirmatus eft Rex *Wilhelmus* apud *Gloverniam*, timenfque mortem, eo quod vehementer urgeretur, votum vovit Deo, & promifit quod Ecclefias amplius non violaret, nec ad cenfum poneret; leges corrigeret, rectas ftatueret. Lætatus eft Populus terræ hoc audito. Unde *Malcolmus* Rex *Scotiæ* in veniendo verfus Regem *Wilhelmum*, ficut ei condictum fuerat, ad Ecclefiæ novæ principium *Dunelmi* extitit: incepta eft enim ibidem nova Ecclefia III. *Idus Augufti*, feria quinta. Epifcopo *Wilhelmo* & *Malcolmo* Rege & *Turgeto* Priore ipfo die ponentibus primos in fundamento lapides. Die vero Sancti *Bartholomæi* Apoftoli idem *Malcolmus* apparuit Regi *Wilhelmo* apud *Gloverniam*, ut, ficut a Magnatibus utriufque regionis præordinatum fuerat, inter eos pax firma & ftabilis amicitia firmaretur. Sed Rex *Wilhelmus* nec eum alloqui voluit, nec videre: quin etiam in fuperbiam erectus eum parvipendendo defpexit. Infuper & eum conftringere voluit ut in Curia fua fecundum judicium Baronum fuorum rectitudinem fibi faceret & juftitiam: fed eo refpondente, quod hoc non faceret, nifi in confinio Regionum, ubi antecesfores fui rectitudinem facere confueverant, & fecundum judicium primatum utriufque Regni, inpacatus abfceffit. Moxque cum effet Regnum fuum ingreffus, immenfum congregavit Exercitum, & erumpens cum Primogenito fuo *Edwardo Northumbriam* hoftiliter invafit, devaftans eam, & incendens ufque Alnewyk, ubi à Militibus *Roberti Northumbriæ* Comitis, *Morello* fcilicet milite ftrenuiffimo, die Sancti *Bertini* occifus eft cum filio fuo *Edwardo*, cæfis multis aliis, & Reliquis in fugam converfis. Et jufto Dei judicio in illa Provincia occubuit, quam multoties depopulando attrivit: quatuor enim vicibus eam attriverat, & in quinta vice quo potuit exercitu eam invafit, ipfam, fi poffet, in ultimam deducturus defolationem. Sed mutata fortuna juxta flumen Alne perimitur, ut dictum eft. Et exercitus reliquiæ quæ gladios effugerant, inundationibus fluminum quæ tunc Hiemalibus pluviis plus folito excreverant, abforpti funt. Corpus vero Regis & cruentiffimi carnificis duo ex indigenis carro impofitum traxerunt ad Tynemew, & fepelierunt illud ibi: non enim erat ex omnibus caris fuis qui fibi humanitatis officium exhiberet. Regina vero *Scotorum Margareta*, audita morte Mariti fui, in infirmitatem decidit,

Marginal notes: *Dunelmenfis Ecclefia fundata.* — *Malcolmus male acceptus Regi Wil.* — *Malcolm. Northumbriam iterum invadit.* — *Margareta obit.*

cidit, & cœlesti Viatico munita confessa & vere contrita, ut ipsa Deum rogaverat ne diutius viveret, vitam post triduum finivit in pace. Qua mortua, mox in unum congregati *Scoti Duffenaldum* fratrem *Malcolmi* sibi in Regem elegerunt. Et omnes *Anglos* qui de curia Regis fuerant de *Scotia* expulerunt. Quibus auditis, filius Regis *Malcolmi* nomine *Dunekanus* Regem *Wilhelmum* cui tunc militabat & obses fuit, ut ei Regnum Patris sui sibi concederet, petiit cum instantia, & impetravit, juravitque Regi fidelitatem; & accepta multitudine magna *Anglorum* & *Normannorum Scotiam* adiit: expulsoq; Patruo suo, & à regno ejecto loco ipsius per modicum Regnavit. Nam congregati *Scoti* homines illius *Dunkani* ex improviso quasi omnes fere peremerunt, ipso fugiente cum paucis; dehinc missis ad eum nunciis revocaverunt eum, & regnare promiserunt sub hac conditione adjecta, quod nullum de cætero in Regnum *Scotiæ* introduceret *Anglicum* vel *Normannum*. Sed non post multum temporis, hortatu *Duffenaldi* prædicti, ipsum *Dunkanum* suum Regem per insidias peremerunt, & illum *Duffenaldum* sibi iterum in Regem constituerunt: quem Rex *Angliæ Wilhelmus* postea de Regno expulit, & *Edgarum* filium *Malcolmi* Regem constituit.

Gulielmus Conquæstor.

Duffenaldus Scotorum Rex eligitur.

Duncanus auxiliante Wilhelmo, Scotiæ Regn. recuperat.

Duncano occiso Duffenaldus Regn iterum usurpat.

CAP. XVIII.

De dissentione inter Regem & Fratrem suum.

ANno Domini M. XCIV. *Robertus* Comes *Normanniæ* fratri suo *Wilhelmo* 1094
Regi per Legatos Nuncios mandavit de pacis forma, quam inter se prius firmaverant, non observaturum diutius, nisi conventionem factam in *Normannia* plenius tenere perseveraret: Insuper vocavit eum perjurum & perfidum. Ob quam causam Rex congregato exercitu *Normanniam* adiit in medio quadragesimæ, & ad fratris colloquium sub pace statuta veniens, scilicet excandentibus ipsis in verbis, recessit absque pace; denuo tamen mediantibus quibusdam amicis in campo Martii convenerunt; ubi magnates illi, qui inter eos pacem prius firmaverant, & sacramentis se constrinxerant Regi omnem culpam imposuerunt. Sed ille nec culpam agnoscere, nec conventionem tenere voluit, sed omnino recusavit: unde irati discesserunt, & imparati: conductisque Militibus hinc & inde multas exhauserunt pecunias, & multa fecerunt mala inter se; Rege *Francorum* favente partem Comitis, & diversa remedia conferente. Propter quod *Wilhelmus* Rex misit in *Angliam*, & multa millia peditum accersivit, gravique tributo & mortalitate hominum maxima per duos annos continuos *Angliam* gravabatur. Interim cum venissent apud *Hastingam* xx. millia Peditum ut mare transirent ad Regem, venerunt quidam ex parte Regis, & ab eis pecuniam abstulerunt ab uno quoque scilicet x. Solidos, & eos sic repatriare fecerunt.

Legatio Roberti ad Wilhelmum.

Diffidium Fratrum in bellum apertum erumpit.

CAP. XIX.

Wallenses *Rebellare cœperunt.*

AD hæc etiam *Wallenses*, servitutis jugo quo diu premebantur excusso, servitute ejecta, libertatem sibi vendicabant: unde congregata multitudine magna processerunt protervo capite, fregeruntque Castella quæ in *Westwalonia* firmata fuerunt & sumptuose constructa. Insuper in *Cestrensi, Salopiensi, Herefordensi* provinciis frequentes prædas agebant, villas concremabant, & multos ex *Anglicis* & *Normannis* gladio perimebant, non parcentes sexui vel ætati: fregeruntque Castellum in *Menevia* insula. Quæ cum audisset Rex,

Wallenses Angliæ confinia populantur.

Gulielmus Conquestor. festinanter rediit de *Normannia* mense *Januarii*, & congregato exercitu per-
Rex è Normannia in Walliam transit. rexit in *Walloniam*, auctores tanti mali comprehendere volens, & suo si posset modo castigare. Sed mutata est ei fortuna, & propositum hoc non est ad vota completum. Nam multos ibi homines perdidit & equos, & post eventus varios in *Angliam* reversus est, ut iterum securius reverteretur ibidem. Ani-
Recedente Rege iterum revertantur Wall. mati vero *Wallenses* propter recessum Regis, Castellum de Mungumry obsederunt ad tempus, & viris qui in eo fuerunt peremtis, illud tandem demoliendo fregerunt. Propter quod Rex post Festum Sancti *Michaelis* properavit ibidem
Secunda Regis expeditio. cum immenso exercitu,& iterum ut prius multis hominibus& equis deperditis, ignominiose revrsus est. Iterumque in sequenti anno Comes North aggressus est
Tertia Regis expeditio. eos post Pascha, ut omnes masculini sexus absque ullo delectu perimeret: sed vix inveniens eorum aliquem, & paucos admodum capiens, plus de suis perdi-
Tertia Regis expeditio. dit, quam voluntatem ipsius explevit; & sic rediit confusus, & illusus. Sed
Quarta expeditio felicior. post duos annos sequentes Comes *Hugo* de Schroverbers cum *Hugone* Comite de *Cestria Meneniam Insulam* quæ dicitur Angleseye, cum exercitu adierunt, & multos *Wallensium* perimentes, ceperunt Insulam illam, feceruntque multa mala in populo illo, quosdam vero pedibus truncatis, & manibus quosdam abscisis, testiculos exsecaverunt; quendam etiam provectæ ætatis presbyterum
Presbyter linguam abscissam divinitas recuperat. nomine *Renredum*, à quo *Wallenses* in suis agendis consilium accipiebant, ab Ecclesia extraxerunt, abscisque testiculis, & uno oculo eruto, linguam etiam præciderunt: sed die tertia gratia Dei, ut creditur, reddita est ei loquela. Comes vero *Salopiensis* propter idem, ut creditur, facinus à Rege *Norraganorum*, qui illic cum paucis navibus applicuerat, sagitta percussus interiit.

CAP. XX.

Devicit Barones.

1095 *Baronum Conjuratio in Regem detecta.* ANno Domini M. XCV. Comes *Northumbrensis* *Robertus* de Moubray cum multis aliis in depositionem Regis sui *Wilhelmi* concurrentes, si forte eum vita privare possent, & Regno filium amitæ suæ, *Stephanum* scil. de *Albamario*, sibi in Regem constituere conati sunt, sed frustra; nam Rex cognita eorum fraude & exercitu congregato *Northumbriam* adiit; & Castellum prædicti Comitis ad ostium *Thinæ* per duos menses obsidens, illud tandem potenter accepit, & milites in eo captos in custodia posuit pro voto relegandos. Comes autem fugiens, ut in secreto posset loco abscondi & salvari, per insidias tandem
Comes Northumbrens. captus. detectus est, & ab Ecclesia Sancti *Oswini* Regis & Martyris, ad quam fugerat, violenter extractus, in custodia Regis positus est, ductusque est ad Castellum de Bamiburgh, quod Uxor sua & propinquus ejus *Morellus* miles strenuissimus nomine suo tenuerunt, ut illis præciperet Castrum Regi reddere. Quod cum ipsi modico distulissent, præcepit Rex oculos Comitis in conspectu suorum erui, nisi ejus jussum citius impleretur, quod illi timentes reddiderunt Castrum. Annoque sequenti aggressus est eos.

CAP. XXI.

Quomodo Recepit Rex Normanniam *à fratre suo* Roberto.

1095 *Concilium Claromontanum.* EOdem Anno M. XCV. *Urbanus* Papa venit in *Galliam*, & in quadragesima convocata synodo, & apud *Clarum Montem* celebrata, negotium terræ sanctæ diligenter exposuit. Hortans Christicolas universos, ut Christi imitatores effecti ad Terram Sanctam, quam proprio sanguine consecravit, ad

vindicandam ipsius sanguinis effusionem, & ipsius Terræ Sanctæ recuperationem proficiscerentur. Ad cujus hortatum magnatum plures & populus Terræ multus crucem assumpsit. Inter quos *Robertus* Comes *Normanniæ* Sanctæ Crucis charactere insignitus est. Misitque nuncios ad Regem *Wilhelmum* fratrem suum, nuncians ei propositum hoc, & petiit ut absque repetitione alicujus injuriæ, redintegrata inter eos pace firma, mutuaret sibi decem millia Marcarum Argenti, ut incœptum posset adimplere propositum, & sibi *Normanniam* loco pignoris liberaret. Placuitque iste sermo Regi, & mox ejus petioni satisfacere gestiens indixit majoribus *Angliæ*, ut unusquisque eorum sibi pro posse pecuniam mutuaret, & hoc festinanter. Cujus rei causa Episcopi, Abbates, Abbatissæ aurea & argentea Ecclesiæ ornamenta fregerunt, in pecuniam redigentes: Comites vero & Barones, & cæteri magnates terræ homines & subditos suos spoliaverunt, & Regi immensam deferendo pecuniam placuerunt eum in muneribus suis: transivitque in *Normanniam* mense *Septembris* & pace cum suo Germano firmata, præstitit ei sex mille sexcentas sexaginta sex libras argenti, & *Normanniam* loco pignoris accepit; & post aliquantum temporis, post duos scil. annos, Civitatem *Cenomannis* magnamque illius Provinciæ partem suæ ditioni subjecit. Profectique sunt Christiani nostri Catholici in Terram sanctam, & in sequenti anno Nicæam ceperunt Civitatem.

Gulielmus Conquæstor.

Ro'ertus cruce signatus Ducatum suum fratri oppignorat.

CAP. XXII.

Quomodo Civitas Jerusalem *capta est à Christianis.*

QUo quidem Anno MXCVII. Cometa III. *Kalend. Octobris*, & per XV dies 1097
sequentes apparuit. Animose ergo procedentes in inimicos Crucis Christi, in anno sequenti *Antiochiam* ceperunt Civitatem, III. scil. *Non. Junii*, feria quarta; ubi Lancea qua Christus in Cruce vulneratus est, extitit, & revelante Sancto *Andrea* Apostolo in Ecclesia Sancti *Petri* reperta est: ex qua in immensum confortati, & illam secum ferentes multos peremerunt *Sarracenos*, & quocunque se diverterunt, cooperante Domino, plenam sunt victoriam consecuti. Unde & in sequenti anno MXC. IX. *Idus Julii*, feria sexta, famosa Civitas illa *Jerusalem* ab ipsis fidelibus pio & felici sudore capta est. Ubi *Robertus* Dux *Normanniæ* inter primos fuit clarus, & *Godefridus* Dux *Lotharensis* ab omni exercitu in Regem *Jerusalem* unanimiter est electus. XI. scil. *Kalend. Augusti.*

Cometa apparet.

Antiochia capta.

Jerusalem capta.

CAP. XXIII.

De Libertate Ecclesiæ.

ANno Domini M. XCIX. *Urbanus* Papa in tertia Hebdomada Paschæ *Romæ* 1099
magnum tenuit concilium, ubi de consilio fratrum & totius congregati concilii, excommunicavit omnes Laicos investituras Ecclesiarum dantes, & omnes eas accipientes de manibus Laicorum; excommunicavit etiam eos qui pro Ecclesiasticis honoribus Laicorum homines fierent, dicens, quod manus, quæ in tantam eminentiam excreverunt, ut, quod nulli *Angelorum* concessum est, Deum cuncta creantem suo signaculo creent, & eundem ipsum pro salute totius mundi Dei Patris obtutibus offerant, in hanc ignaviam vel stultitiam non debere detrudi, ut ancillæ fiant earum manuum, quæ diebus & noctibus obscœnis contactibus inquinantur, & rapinis & injusti sanguinis effusione multoties addita maculantur. Et conclamatum est ab omnibus, fiat, fiat. Eodem anno idem *Urbanus* Papa obiit, cui successit *Paschasius*.

Concilium Romæ habitum.

Gulielmus Conquæſtor.

CAP. XXIV.

Quomodo Anſelmum Cantuarienſem *Archiepiſcopum ejecit à terra.*

1100 *Anſelmus ex Anglia pulſus.*

ANno Domini M. C. Rex *Wilhelmus* prolongans iniquitatem ſibi, & in exitium proprium contra ſtimulum calcitrans, venerabilem *Anſelmum Cantuarienſem* Archiepiſcopum, ipſum cum modeſtia corripientem, & enormia quæ ab eo & ſub eo gerebantur corrigere volentem, impatiens non pertulit, ſed ſpoliatum rebus fere omnibus tanquam Regno contrarium ab *Anglia* proſcribendo expulit. Apparuitque ſuccedentibus proſperis qualiter apud ſe latuiſſet, dum premeretur adverſis homo vecors, & inconſtans in omnibus viis ſuis, Deo indevotus, & Eccleſiæ gravis, nuptiarum conſortia ſpernens, & paſſim laſciviens, opes Regni ſitiens & fortunas ſubditorum corradens, immaniſſima ſuperbia turgidus, & doctrinæ Evangelicæ quaſi deriſor effectus, temporalis gloriæ voluptate vehementer abſorptus eſt.

CAP. XXV.

De morte Wilhelmi *Regis.*

VErum dum in oriente à noſtris Proceribus fortiter atque feliciter ageretur, iſte Rex noſter, propellentibus eum in interitum malis ſuis, condignum effrenatæ ſuperbiæ finem incurrit. Nam in venatione ſua, ſagitta proprii militis, homo ferociſſimus pro fera confoſſus interiit. Dum enim in *Nova Forreſta*, quæ *Anglice* **Ytthens**, ſuper venatu fuiſſet occupatus, à quodam Milite *Franco Waltero*, cognomine *Tirello*, ſagitta incaute directa percuſſus, vitam finivit & gloriam, ſcil. quarto *Nonarum Auguſti* feria quinta & *Wintoniam* deportatus, in Eccleſia Sancti *Petri* ſepultus eſt. In eodem vero loco quo Rex occubuit priſcis temporibus Eccleſia fuerat conſtructa: ſed tempore Patris ſui omnes Eccleſiæ cum tota illa Patria in ſolitudinem ſunt redactæ; & fiebat ibidem Regia Forreſta. In eadem etiam Forreſta *Germannus* Regis *Richardus* filius *Roberti* Comitis *Normanniæ*, dum & ipſe paulo ante in venatione fuiſſet, à ſuo ſimiliter Milite ſagitta percuſſus occubuit. Et ſecundum judicium Populi vindicta Dei fuit hæc, quia, temporibus *Edwardi* Regis & aliorum Regum, eadem Patria cultoribus Dei & Eccleſiis ſacris uberrime renitebat; ſed, ut dictum eſt, juſſu *Wilhelmi* Regis ſenioris hominibus fugatis, domibus ſemirutis, Eccleſiis deſtructis, habitationi ferarum deputata eſt. Regnavit itaque Rex *Wilhelmus* XIV. annis, exceptis XXVIII. diebus, & mortuus eſt. Cui ſucceſſit Junior frater ejus *Henricus*. Ante mortem vel caſum *Wilhelmi* Regis contigit in Pago, qui **Carrukeſthire** nominatur, mirabile quoddam, quod ſanguis ſcil. emanavit à quodam fonte ibidem tribus ſeptimanis continuis.

Wil. Rex ſagitta confoſſus interit.

Henricus Wilhelmo ſuccedit. *Prodigium.*

CAP.

Henricus primus.

CAP. XXVI.

De Primordiis Henrici *Regis primi.*

ANno eodem M. C. *Wilhelmo* Regi ſucceſſit *Henricus* frater ejus, qui ſolus à Rege Coronato procreatus eſt, poſtquam Pater ejus *Wilhelmus* Conquæſtor Regnum *Angliæ* & Diadema Regni ſuſceperat, hic à *Mauritio Londinenſi* Epiſcopo *Nonas Auguſti* apud *Weſtmonaſterium* conſecratus eſt in Regem. Qui eodem die conſecrationis ſuæ Eccleſiam Dei ſanctam, quæ fratris ſui tempore vendita fuerat & ad firmam poſita, liberam fecit, & ab omni ſervitute quietam. Venerabilem etiam *Anſelmum Cantuariæ* Archiepiſcopum, quem frater ejus exulaverat, mox ad propria revocavit, & omnes malas conſuetudines & injuſtas exactiones, quibus *Anglia* opprimebatur injuſte, de medio abſtulit. Pacem firmam in toto Regno ſuo poſuit, & Legem Regis *Edwardi* omnibus in commune reddidit, cum emendationibus illis, quibus eam emendaverat Pater ejus. Sed Forreſtas, quas ille conſtituit & tenuit, continuavit & iſte. Poſt hæc congregavit Rex majores natu & magnates terræ, & eorum conſilio fretus *Londini* ſolemniter duxit in uxorem *bonam Matildam*, filiam *Malcolmi* quondam Regis *Scotorum* & *Margaretæ* Reginæ, quam *Anſelmus* Archiepiſcopus die Sancti *Martini* in Reginam *Angliæ* coronavit & conſecravit.

1100 — *Henricus primus conſecratur.* — *Anſelmus ab exilio revocatur.* — *Henricus Matildam uxorem ducit.*

CAP. XXVII.

Quomodo Robertus *frater ejus vocatus venit hoſtiliter.*

INterea ab *Jeruſalem* domum rediit *Robertus* Comes *Normanniæ* cum uxore ſua quam ſibi in *Sicilia* deſponſavit. Quod audientes quidam Magnatum *Angliæ*, qui Regis animum non habebant, miſſis ad eum nunciis rogaverunt eum ut feſtinato veniret, Coronam Regni *Angliæ* abſque dubio ſuſcepturus, auxilium ſibi promittens & Regnum. Qui confeſtim congregavit exercitum, naves coadunavit copioſas. Quod Regem *Henricum* in brevi non latuit: unde & præcepit marinariis portuum diligentiſſima cura mare cuſtodire, ne quis de *Normannia* veniret in *Angliam*. Ipſe vero Rex congregato innumerabili exercitu non longe ab *Haſtinga* Caſtra poſuit: autumabat enim fratrem ſuum in illis partibus appulſurum: ſed à nautis ſuis deceptus eſt. Nam Comes ille quoſdam ex marinariis Regis adeo donis & promiſſionibus fregit, quod frangentes fidelitatem Regi, & ad ipſum fugientes, continuo ſibi in *Angliam* duces exiſterent. Quod cum ille feciſſet, & ad proficiſcendum omnia prompta eſſent & parata, navem cum exercitu conſcendit, & ipſis ducentibus apud **Portesmouth** circa Feſtum Sancti *Petri* ad *Vincula*, pro voto applicuit, ſtatimque movit ſe verſus *Wintoniam* cum omni plebe ſua. Quod audientes ſeductores qui eum vocaverunt, cucurrerunt ad eum; quidam tamen eorum remanſerunt cum Rege, ſed mente ficta. Interim dum Rex & Comes ſe pararent ad prælium diſcretiores utriuſque partis, habito inter eos ſalubri conſilio, pacem inter fratres ſic componendo ſtatuerunt ut III. mille Marcas Argenti ſingulis annis Rex perſolveret Comiti, & viciſſim reſtituerentur omnia hominibus ſuis, qui vel in *Anglia* propter comitem vel in *Normannia* propter Regem quicquid perdiderant, terras ſcil. quaſcunque, dignitates vel honores. Reverſuſque eſt Comes in *Normanniam*, & in anno ſequenti prædictas tres mille Marcas condonavit Regi.

1100 — *Robertus ab expeditione Hieroſolymitana reverſus in Angliam adverſus fratrem magnum ducit exercitum.* — *Pax inter fratres.*

CAP. XXVIII.

De Investituris Ecclesiarum, & statutis Regis & Cleri.

1103 *Diffidium inter Regem & Anselmum.*

ANno Domini M. CIII. orta est magna dissentio inter Regem & *Anselmum Cantuariæ* Archiepiscopum, eo quod nollet consentire quod Rex daret investituras Ecclesiarum. Motusque Rex præcepit *Eborum* Archiepiscopo, ut ipse consecraret Episcopos quibus Rex dederat investituras. Sed *Wilhelmus* Giffard zelo justitiæ motus, benedictionem Archiepiscopi *Eboracensis* sprevit, propter quod judicio Regis omnibus suis spoliatus eliminatur à Regno: *Anselmus* vero Archiepiscopus post multas injurias & diversas contumelias quas passus est, ad rogatum tandem Regis profectus est Romam, ut Decretum Domini Papæ in his & aliis haberetur. Cumque reversus Regem induceret ut ab inceptis cessaret injuriis, vix tandem & cum difficultate maxima adquievit.

Anselmus Romam à Rege missus.

Synodus Londin. de Investituris.

Unde post triennium III. *Kalend. Augusti*, congregato *Londoniis* Clero & Populo, astantibus Archiepiscopis & Episcopis, cæteraque multitudine maxima magnatum & procerum, annuit Rex, & statuit ut ab eo tempore in antea, nunquam in Reliquum per donationem Baculi Pastoralis vel Annuli quisquam investiretur de Episcopatu vel Abbatia per Regem, seu quamcunque personam secularem. Concedente quoque *Anselmo* Archiepiscopo ut nullus in prælationem electus pro homagio quod Regi faceret consecrationis susceptæ honore privaretur. Statuitque Rex pacem firmam & legem certam ut si in furto vel latrocinio deprehensus esset quis absque redemptione qualibet suspenderetur. Statuit etiam ut quicunque falsos denarios facere deprehensus fuisset, ambos oculos & inferiores corporis partes amitteret: & quia eligebantnr boni denarii, & aliqualiter fracti rumpebantur vel respuebantur, statuit ut nullus denarius vel obolus, quos & rotundos esse jussit, aut etiam quadrans integer esset, sed aliqua fractura in eis remaneret. In quo facto magnum evenit commodum toti Regno.

Pœna in adulterinæ monetæ cusores statuta.

Cleri luxuria reprimitur.

Statuerunt etiam Archiepiscopi & Episcopi cum Clero, ut Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi caste vivant, & feminas in domibus suis non habeant, nisi forte in proxima consanguinitate conjunctas, secundum quod *Nicæna* Synodus definivit. Et si duobus aut tribus legitimis testibus aut publica Parochianorum fama convictus fuerit quis hoc statutum violasse, purgabit se adjunctis ordinis sui secum idoneis testibus VI. si Presbyter fuerit, si Diaconus IV. si subdiaconus II. Qui autem in purgatione defecerit, hujus sacri statuti censebitur violator. Presbyteri autem qui divini Altaris & Ordinis sui sacri contemptores existunt, præeligentes cum mulieribus habitare, à divino officio remoti, omnique Ecclesiastico beneficio privati, extra Chorum ponentur, & censebuntur infames; qui vero rebellis extiterit, & missam celebrare præsumpserit, ad satisfactionem vocetur, quam si non fecerit, excommunicetur. Eadem etiam sententia teneat & liget Archidiaconos & Canonicos omnes. Jurabunt etiam Archidiaconi quod pecuniam non accipient pro toleranda transgressione hujus statuti salubris, nec patientur Presbyteros, quos sciunt feminas habere, vel cantare missas, vel Vicarios pro se constituere; similiter jurabunt & Decani: quod si jurare noluerint, Archidiaconatum, & Decanatum perdant. Eodem anno in Barkeschire in loco qui dicitur Hampsted visus est à multis sanguis de terra affluere.

Henricus primus.

CAP. XXIX.

Rex transfretavit in Normanniam *& cepit Comitem.*

ANno Domini M. CIV. Rex *Henricus* magnam à Regno exegit pecuniam, & gravabatur terra oppressionibus multis. Accendebatur enim antiquus furor inter Regem & Comitem: propter quod congregato exercitu transivit Rex in *Normanniam* cum immensa pecunia. In cujus adventum occurrerunt ei Majores illius terræ spreto Comite, in aurum & argentum illius anhelantes; excœcatique muneribus tradiderunt ei Castra & Civitates munitas. Rex vero *Bayocas*, id est, Bayeux, cum Ecclesia Sanctæ *Mariæ* combussit igni, & *Cadomum* fratri suo abstulit similiter. Non enim audebat Comes, nec etiam potuit, Regi resistere, eo quod esset viribus impar, & ab eo recesserant magnates sui. Institit ergo Rex in quantum potuit ad exhæredationem fratris sui, & firmata terra in *Angliam* profectus est, & iterum cum immenso Exercitu reversus in anno sequenti. Comes autem congregata multitudine qua potuit occurrit ei, & in vigilia Sancti *Michaelis* facto congressu valido Rex victoriam adeptus est, captusque Comes *Robertus* frater Regis, & in custodia fratris residuum vitæ suæ tempus ingloriosus exegit, & secundum quod Pater Regis Ducatui *Normanniæ* olim Regnum *Angliæ* sociaverat, sic Regno *Angliæ* Ducatum *Normanniæ* isto modo sociavit, disposuitque terram, & reversus est.

1104

Norman. magnates Robertum deserunt.

Robertus victus captusque.

CAP. XXX.

Cuthbertus.

EOdem anno Corpus Sancti *Cuthberti* cum capite Sancti *Oswaldi* Regis & *Martyris*, Sanctique *Bedæ* & multorum Sanctorum Reliquiis, incorruptum inventum est à fratribus *Dunelmensis* Ecclesiæ, præsente *Alexandro Edgari* Regis *Scotorum* fratre, & postea Rege (post annos depositionis ejusdem Sancti *Cuthberti* IV.) XVIII. annos, VIII Menses, & duodecim dies. Eodem etiam anno VII. *Idus Julii*, visi sunt circa solem quatuor circuli albi coloris circa horam sextam, & erat unusquisque circulus ab alio quasi essent depicti.

1104

S. Cuthberti corpus inventum.

CAP. XXXI.

ANno Domini M. CVI. in cœna Domini visæ sunt duæ Lunæ paulo ante diem, una in Oriente, altera in occidente, & utraque plena, & erat eodem die Lunæ XIV. *Martii.*

1106

Duæ Lunæ.

CAP. XXXII.

ANno Domini M. CVII. Rex *Scotorum Edgarus* obiit. Cui successit frater suus *Alexander*, de consensu Regis *Henrici.*

1107

Edgar. ob.

CAP. XXXIII.

ANno Domini M. CIX. Venerabilis *Anselmus Cantuariensis* Archiepiscopus obiit XI. *Kalend. Maii*, & sortitus est nomen grande juxta nomen magnorum qui sunt in Cœlo, sic & ipse *Henricus* Rex grande nomen magnorum qui

1109

Anselm. ob.

Henricus primus. qui sunt in terra. Eodem anno Rex *Henricus* Abbatiam *Elienſem* ad Epiſcopalem mutavit ſedem. Eodem anno ſtella Cometa menſe *Decembri* viſa eſt, circa lacteum circulum crinem dirigens in Auſtralem plagam cœli. Iterum apparuit Cometa ſtella in ſequenti anno, VI. *Id. Junii*, & per tres hebdomadas lucere viſa eſt.

CAP. XXXIV.

1110 *Trenta exſiccatur.* ANno Domini M. CX. fluvius, qui dicitur *Trenta*, à mane uſque tertiam apud Notingham ſpatio unius milliarii exſiccatus eſt, ita ut homines ſicco veſtigio per alveum incederent. Eodem anno in Schorberesber factus eſt terræmotus per maximus.

CAP. XXXV.

Papa captus.

1111 *Paſchalis incarceratur.* ANno Domini M. CXI. Rex *Almanniæ Henricus* cum exercitu *Romam* venit, cepitque *Paſchalem* Papam & in cuſtodiam poſuit, ſed poſtea fecit cum eo pacem in Paſchate, & dimiſit eum. Eodem anno Hiems aſperrima, fames valida, mortalitas hominum, peſtis animalium agreſtium ſimul & Domeſticorum, ſtrageſque avium per maxima fuit.

CAP. XXXVI.

1113 *Wigorn. combuſta.* ANno M. CXIII. Civitas *Wigorniæ* cum principali Eccleſia & Caſtro igne combuſta eſt, & in cinerem redacta XIII. *Kalend. Julii.*

CAP. XXXVII.

1114 *Matilda nubit Henrico imperatori. Ciceſtria ſuccenſa. Thurſtinus Archiep. Eborac. electus. Thamiſis & al. flum. aquæ deficiunt.* ANno Domini M. CXIV. Rex *Henricus Matildam* filiam ſuam *Henrico* Imperatori *Romanorum* in uxorem tradidit. Et VIII. *Idus Januarii* facta eſt *Magontiæ* illa ſolemnitas maxima, ubi & eodem die in Imperatricem conſecrata eſt, Eodem anno III. *Nonas Maii*, civitas *Ciceſtria* cum monaſterio ejuſdem per incuriam igni ſuccenſa eſt. Eodem anno *Thurſtinus* Regis Capellanus ad *Eboracenſem* Archiepiſcopatum electus eſt, die Aſſumptionis beatæ *Mariæ*, apud *Wintoniam*. Eodem anno fluvius Medeway VI, *Id. Octobris*, per nonnulla milliaria ita defecit in ſe, quod in medio ſui alneo etiam minimæ naves elabi non poſſent aliquatenus. *Thameſia* etiam eodem die ſimilem defectum ſenſit. Nam inter pontem & Regis turrem, & etiam ſub ponte in tantum fluminis ipſius aqua diminuta eſt, ut innumera hominum & puerorum multitudo illud pedibus tranſuadarint, aqua ipſa illorum vix genua attingente. Duravit autem hic aquæ defectus à media noctis præcedentis, uſque in profundas tenebras noctis ſubſequentis. Similem quoque defectum aquarum ipſo eodem die apud *Gernemutham*, & in aliis locis certo relatum, contigiſſe didicimus.

CAP. XXXVIII.

1116 *Hiems aſperrima.* ANno M. CXVI. erat hiems maxima & aſperrima, ita ut fere Pontes per *Angliam* Gelu & Glacie & aquarum abundantia frangerentur.

CAP.

CAP. XXXIX.

Dissentio inter Cant. & Eborum *Archiepiscopos.*

ANno Domini M. CXVI. Convocatis Comitibus & Baronibus cum Clero totius Regni *Angliæ*, tenuit Rex Parliamentum suum apud *Salesburiam* xiv. *Kalend. Aprilis.* Ubi jussu *Henrici* Regis fecerunt prædicti magnates homagium filio suo *Wilhelmo* & eidem fidelitatem juraverunt. Habita etiam est ibidem causa inter *Cantuariæ* Archiepiscopum & *Turstinum Eborum* electum, de benedictione ab ipso *Cantuariensi* suscipienda, & professione eidem facienda. Ubi respondit electus benedictionem libenter se velle suscipere, sed professionem, quam exigebat, nulla ratione se facturum. Quod avertens Rex protestatus est illum morem antecessorum suorum, tam in professione facienda, quam in cæteris dignitatibus *Cantuariensi* Ecclesiæ competentibus, aut antiquo jure exequuturum, aut *Eboracensi* Archiepiscopatu cum ipsa etiam benedictione funditus cariturum. Quibus auditis, cum *Eborum* Ecclesiam subjicere nollet, confestim renunciavit Pontificatum, spondens se nusquam reclamaturum in posterum.

1116 *Parliamentum Salisburiæ habitum in quo Magnates Homagium Willielmo præstant.*

CAP. XL.

Terræmotus. Et unus salvatur multis occisis.

ANno Domini M. CXVII. apud *Longobardiam* facto terræmotu magno, & durante quadraginta dierum spatio, plurima domorum ædificia corruerunt; &, quod visu dictuque constat mirabile, villa quædam per grandinem mota est repente de statu & loco proprio, & quasi subito ab omnibus consistere cernitur in loco alio & longe remoto. Eodem anno, apud *Mediolanum*, dum magnates Civitatis ad invicem tractantes de republica sub una Turri residerent, factoque in parte silentio, mox auribus omnium vox foris insonuit, unum ex illis proprio nomine vocans, & festinato exire rogans; quo nimium tardante, persona quædam proceræ staturæ & auctoritatis magnæ coram eis apparuit, & vocatum virum ut egrederetur suavi prece obtinuit: qui cum esset egressus, Turris ipsa cecidit repente, & omnes oppressit qui ibidem aderant: solus enim evasit ille vir in quo inventa sunt aliqua opera bona. Eodem anno, *Kalend. Decembris*, audita sunt immensa tonitrua, coruscationes, & fulgura, cum pluvia maxima & grandine, Et IV. *Idus* ejusdem Mensis, luna primo sanguinea, & post obtenebrata apparuit.

1117 *Casus mirus Mediolani.* *Lunæ Eclipsis.*

CAP. XLI.

Obiit Regina.

ANno Domini M. CVIII. Obiit *Matildis* Regina, *Kalend. Maii*, apud *Westmonasterium*, & ibidem sepelitur. Eodem anno, XIV. *Kalend. Februarii*, obiit *Paschalius* Papa, cui successit *Gelasius*; qui per Imperatorem à *Roma* expulsus venit in *Franciam*, & in medio quadragesimæ *Remis* generale concilium celebravit, conquerens ibidem de Imperatore, quod *Bracarensem* Episcopum publice excommunicatum in sedem Apostolicam intrusisset. Eodem anno plures *Normannorum* fidelitatem, quam Regi *Henrico* juraverant, deserentes, ad *Lodowicum* Regem *Francorum* se transtulerunt.

1118 *Matild. ob.* *Paschas. Papa ob.* *Concilium Remense.* *Normannor. plur. deficiunt à Rege.*

Henricus primus.

CAP. XLII.

Ictu fulminis perierunt duæ mulieres & quinque equi.

1118 EOdem anno, dum ab Episcopo *Herefordensi* Ecclesia de Wamersfelde dedicaretur, factus est concursus populi multus, & aeris serenitas magna: officioque expleto mutata est aeris temperies, & facta est tempestas maxima fulguris & tonitrui. Factumque est ut, revertentibus domum à dedicatione in uno comitatu tribus viris & duabus feminis, contigit quod una mulier ictu fulmineo percussa occubuit; altera vero mulier ab umbilico usque pedum vestigia eodem igne quasi ignita decedit, viris ipsis cum timore & tremore reservatis, sed equi eorum quinque ictu fulminis perierunt.

CAP. XLIII.

Quomodo Thurstinus *consecratur à Papa in Concilio.*

1119 *Gelas. Papa ob. Schisma in Ecclesia Romana.*

ANno Domini M. CXIX. *Gelasius* Papa apud *Cluniacum* obiit; in cujus locum Cardinales aliique Romani, qui illic secuti fuerant eum, *Guidonem Mennemsem* Archiepiscopum eligendo substituerunt, eum *Kalixtum* nominantes. Cumque gererentur hæc in *Burgundia*, cæteri Cardinales, qui Romæ remanserant, quendam *Gregorium* elegerunt: & sic, his duobus in Papatum sublimatis, orbis concussus est, & vota partium in varia dividuntur; aliisque hunc & aliis hunc favore prosequentibus, gravi scandalo Sancta Mater Ecclesia perfunditur. Sed *Kalixtus* Papa in *Franciam* gressus dirigens, XIII. *Kalend. Novembris*, *Remis* generale Concilium instituit celebrari; ubi numeratæ sunt personarum Pastoralium virgæ CCCCXXIV. inter quos *Thurstinus Eboracensis* electus, vix obtenta à Rege licentia, personaliter affuit, causam Ecclesiæ suæ concilio referre volens. Præmiserat Rex tamen ad Papam, ne *Eboracensem* electum consecraret, nec ab aliquo permitteret consecrari, nisi tantum à *Cantuariensi* Archiepiscopo, uti moris esse solebat. Sed hoc non obstante consecratur ibidem, & firmum ejus propositum à toto Concilio commendatur. Iratusque Rex interdixit ei reditum in omnem Dominationis suæ locum. Post modicum vero temporis venit *Kalixtus* Papa *Gisortium*, ubi occurrit ei Rex *Henricus*, & impetravit a Papa ut neminem aliquem legatum in *Angliam* mitteret, nec officio legati fungi permitteret, nisi postularet hoc ipse Rex, occasione alicujus querelæ quæ per Episcopos *Angliæ* terminari non posset. Rogavitque Papa Regem *Thurstino* Archiepiscopo, sed non obtinuit illa vice, Rex enim assentire noluit, nisi subjectionem, quam prædecessores sui fecerant, Ecclesiæ *Cantuariensi* vellet & ipse facere; sed omnino recusavit.

Concilium Remense.

Thurstinus consecratur. Eidem reditus in Angl. interdicitur. Rex convenit Calixtum.

CAP. XLIV.

Concordatus est Rex cum Reg. Francorum.

1120 ANno Domini M. CXX. Rex *Henricus* & Rex *Fraucorum Lodowicus* mutuo se videntes concordati sunt. Susceperat enim prius quosdam *Normannorum* magnates, qui à fide Regis *Henrici* desciverant, fecitque *Willielmus* filius Regis *Henrici* homagium Regi *Franciæ* pro *Normannia*, quam dederat ei Pater, & sic sub illo cepit *Normanniæ* Principatum. Rex vero *Henricus* omnibus ad votum paratis jam lætus, immo lætior solito effectus, expleto jam quinto profectionis suæ anno, iterum in *Angliam* multo navigio revehitur. Et quia filii sui curam

curam diligenter agebat, aſſignaverat ei navem qua nulla videbatur melior, ſed, ut eventus oſtendit, nulla infelicior. Patre enim præeunte, paulo tardius & infelicius ſequebatur filius. Nave etenim non longe à terra poſita, cum in ipſo noctis initio portum *Angliæ* apprehendere conarentur, mox in ipſo velificationis impetu ſuper ſcopulos terræ delata eſt & omnis diſſoluta: periitque filius Regis & omnes qui inerant cum eo apud Barbafleth VI. *Kalend. Decembris*, feria quinta, cum eſſet annorum XVIII. Perieruntque cum eo milites CXL. & L. Nautæ cum tribus Gubernatoribus ſuis, & filia Regis. *Henricus primus.* *Filius Henrici naufragio perit.*

CAP. XLV.

ANno Domini M. CXXI. Rex *Henricus* in Purificatione apud Windeſower totius *Angliæ* congregato concilio, filiam *Godefridi* Ducis *Lovaniæ* nomine *Adelinam* ſolemniter duxit in uxorem: ex qua tamen non procreavit liberos, ſed abſque liberis remanſit orbatus in perpetuum. Eodem anno *Thurſtinus Eborum* Archiepiſcopus de conſenſu Regis expreſſo, per literas Apoſtolicas, in ſuum introducitur Archiepiſcopatum, abſque ulla exactione profeſſionis, & amicus Regis effectus eſt. Eodem anno poſt Paſcha *Kalixtus* Papa cum exercitu *Romanorum Burdinum* pſeudo-Papam perſecutus eſt, & in *Suthrina* civitate eum aliquantiſper obſeſſum, tandem cum ipſo loco eum comprehendit. 1121 *Rex Adelinam ducit uxorem.* *Thurſtinus Epiſcopatui reſtituitur.* *Calixtus antipapam capit.*

CAP. XLVI.

Wallenſes *Rebellaverunt.*

EOdem anno *Wallenſes*, qui poſt ſubmerſionem *Richardi* Comitis *Ceſtrenſis*, contra Regem *Henricum* conſpiraverant, jam erectis cervicibus incedentes loca quædam in Comitatu prædicto depopulati ſunt, accenſis duobus Caſtellis, & interfectis multis. Quo audito, Rex *Henricus* congregato exercitu copioſo direxit ibidem greſſus ſuos, ad devaſtandum eos omni furore ſuccenſus. Sed, cum perveniſſet juxta *Snawdum*, Rex *Wallanorum* miſſis nuntiis placavit eum muneribus multis, & reconciliatus eſt ei, & factus eſt ſaltem vocalis amicus: ab eoque acceptis obſidibus reverſus eſt. Et eodem anno Rex ipſe fieri fecit inter *Lincolniam* & Torkeſay foſſatum quoddam ad iter navium per derivationem *Trentæ*. Eodem anno *Ranulphus Dunelmenſis* Epiſcopus incœpit Caſtellum de Northam; ubi in vigilia natalis Domini irruens ventus inſolitus non ſolum domos, ſed etiam turres quaſdam dejecit lapideas; ſed propter hæc ab incœpto opere non deſtitit. 1121 *Rex Wallenſ. Henrico conciliatur.* *Ventus vehemens.*

CAP. XLVII.

Perrexit Rex in Normanniam.

ANno Domini M.CXXIV. Rex *Henricus* Archiepiſcopatum *Cantuariæ*, Epiſcopatum *Lincolniæ*, & Epiſcopatum *Bathoniæ* contulit, & contra Penteceſten tranſiit in *Normanniam*, declinaverant enim ab eo quidam eorum poſt mortem filii ſui, cui Ducatum eundem contulerat: & in anno ſequenti multos ex eis quos rebelles invenerat devicit potenter, & ſuo dominio ſubjugavit; & ſic obtenta victoria reverſus eſt. 1124 *Rex victor in Angl. revertitur.*

Henricus primus.

CAP. XLVIII.

Legatus Papæ cum meretrice invenitur.

1125 *Concilium Londonienſe.* ANno Domini M.CXXV. *Johannes Cremenſis* Cardinalis miſſus à latere Domini Papæ celebravit concilium *Londoniis*, in feſto nativitatis Dei genitricis Beatæ *Mariæ*, coram clero & omni populo, glorificatuſque eſt in ſermone Domini valide, ſed in facto contrario repertus in veſperis deriſus eſt. Cum enim in concilio de uxoribus ſacerdotum tractaſſet ſeveriſſime, dicens, ſummum ſcelus eſſe a latere meretricis ad Corpus Chriſti conficiendum ſurgere, & ipſe eadem die Corpus Chriſti confeciſſet, cum meretrice poſt veſperam inventus & captus eſt: & ſic immenſus honor prius ubique habitus in ſummum dedecus eſt verſus, remeavitque confuſus & ingloriosus. Eodem anno *Monetarii puniuntur.* Monetarii fere totius *Angliæ* quia monetam furtive corruperant, jubente Rege dextris amputatis truncabantur. Eodem anno fames fuit maxima.

CAP. XLIX.

Rex fecit jurari fidelitatem filiæ ſuæ.

1126 ANno Domini M. CXXVI. Rex *Henricus* confirmatis pactis cum Principibus *Franciæ* circa feſtum ſancti *Michaelis* victorioſiſſimus rediit in *Angliam*, adducens ſecum filiam ſuam Imperatricem, mortuo marito ſuo Imperatore *Henrico* in anno præcedente: factoque concilio eidem filiæ ſuæ & ſuſceptis vel ſuſcipiendis ex ea nepotibus, ab Epiſcopis, Comitibus, Baronibus, & cæteris omnibus qui alicujus videbantur eſſe momenti, Regnum *Angliæ* cum Ducatu *Normanniæ* jurari fecit. Et in anno ſequente eandem filiam filio Conſulis *Andegavenſis* uxorem tradidit; miſitque eam in *Normanniam* circa Pentecoſten, & ſecutus eſt eam Rex in *Auguſto*.

CAP. L.

De Progenie Regum Francorum.

1128 ANno Domini M.CXXVIII. Rex *Henricus* exercitu congregato perrexit hoſtiliter in *Franciam*, & compulit Regem *Lodowicum* auxilium non ferre Comiti *Flandrenſi* hoſti ſuo contra *Theutonicos* eundem Comitem impugnantes. Cumque maneret Rex apud *Sparnum* octo diebus, ſecure perendinans quaſi in Regno, quæſivit ab incolis ejuſdem loci originem Regni *Francorum*. Cui quidam vir doctus ita reſpondit. Regum potentiſſime, ſicut pleræque gentes Europæ ita & *Franci* à *Trojanis* duxerunt originem. *Antenor* quippe cum *Sycambria condita.* ſuis profugis ab excidio *Trojæ* fugiens, in finibus *Pannoniæ* Civitatem *Sycambriam* ædificavit. Poſt cujus mortem Duces ſui conſtituerunt ſuper ſe *Torgecum*[a] & *Francionem* à quo *Franci* ſunt appellati. Quibus defunctis ſucceſſit *Prima Francorum Regum familia.* *Marchomirus*, qui genuit *Pharamundum* primum Regem *Francorum*. Qui genuit *Clodium* Crinitum, à quo Reges *Francorum* Criniti habentur. *Clodio* ſucceſſit *Meroveus* cognatus ejus, à quo Reges *Franci Merovei* ſunt appellati, qui genuit *Childericum*, qui *Clodoveum*, quem Baptizavit ſanctus *Remigius*. Qui genuit *Clotarium*, qui [b] *Clipparicum*, qui *Clotarium* ſecundum, qui *Dagobertum*, qui *Clodoveum*, qui *Theodoricum*, qui *Childebertum*, qui *Dagobertum*, qui *Theodericum*, qui *Clotarium*, hujus proſapiæ ultimum. Poſt quem Regnavit [c] *Hildericus*, qui

[a] Torgotum. [b] Chilpericum. [c] Childericus.

tonſus

tonsus & in monasterio retrusus est, *Pipino* Rege effecto. Ex alterius autem serie generationis ex filia *Clotarii* Regis *Ansbertus* genuit *Arnoldum*, qui *Arnulphum*, qui *Anchisem*, qui *Pipinum* majorem, qui *Karolum Martellum*, qui *Pipinum* Regem, qui *Karolum* magnum Imperatorem, qui *Lodowicum* imperatorem, qui *Lodovicum* Regem, qui *Carolum* simplicem, qui *Lodovicum*, qui *Lotharium*, qui *Lodovicum* hujus prosapiæ Regem ultimum. Quo defuncto *Franci* statuerunt super se *Hugonem* Ducem. *Hugo* vero Rex genuit piissimum *Robertum*, qui *Henricum*, qui *Philippum* & *Hugonem* magnum, qui *Jerosolimam* eripuit de manibus Paganorum, anno scil. Domini M. XCIX *Philippus* genuit *Lodowicum* qui Regnat in præsenti. Qui si probitatis antiquorum vestigia teneret, tam secure in Regno ejus non quiesceret. *Henricus primus.* *Secunda familia.* *Tertia familia.*

CAP. LI.

De Presbyteris & Concubinis eorum.

ANno Domini M. CXXIX. *Lodowicus* Rex *Francorum* fecit Coronari *Philippum* filium suum in Regem *Franciæ*. Rex *Henricus* tenuit *Londoniis* magnum Concilium *Kalend. Augusti*. Fiebatque sermo de Uxoribus Sacerdotum prohibendis. Deceptique sunt ibi Prælati Ecclesiæ *Anglicanæ*, eo quod concesserunt Regi justitiam de uxoribus sacerdotum: & improvidi habiti sunt, quia Rex accepit postea pecuniam infinitam de Presbyteris, & redemit eos. *Philippus* autem *Franciæ* Rex dudum creatus paulo post, dum caballum ludens agitaret, obvium suem habuit. Cui cum pedes equi currentis offenderent, Rex nominatus cecidit, & fractis cervicibus expiravit. Eodem anno Christiani inhabitantes Terram Sanctam irritaverunt Deum in suis luxuriis, rapinis, & sceleribus multis: tradiditque eos Deus in manus inimicorum, & perierunt multi ex eis; in Vigilia Sancti *Nicholai* etiam à paucis quidem Paganorum multi Christianorum devicti sunt, cum retroactis temporibus solebat e contrario eis contingere. 1129 *Philippus coronatur.* *Concil. Londin. de uxorib. Sacerdotum.* *Christiani in Palæstina à Paganis victi.*

CAP. LII.

Fundatio Giseburniæ.

EOdem anno fundata fuit Domus nostra *Giseburniæ* per *Robertum* de Brus, ex consensu & confirmatione *Calixti* Papæ & *Thurstini Eborum* Archiepiscopi, & etiam ipsius Regis *Henrici*. 1129

CAP. LIII.

Papa expellitur à Roma.

ANno Domini M. CXXX. Obiit bonæ memoriæ *Calixtus* Papa: cui successit *Honorius*, qui duobus annis sedit, & mortuus est. Cui successit *Innocentius*, quem Rex *Henricus* apud *Carnotum* honorifice suscepit & *Anacletum* refutavit: Hos enim duos *Romani* bipertiti elegerant vota sua dividentes. Et ipse *Innocentius* vi & potentia *Anacleti* expulsus est à Roma; & auxilio Regis *Henrici* per totas *Gallias* receptus est: duobus autem annis sedit, & mortuus est. Cui successit [*Cœlestinus.*] 1130 *Calixtus P. obit.* *Honorius P. obit.* *Schisma in Ecclesia Romana.*

Henricus primus.

CAP. LIV.

Rex fecit novum Epiſcopatum apud Carliolum.

1133 ANno Domini M. CXXXIII. Rex *Henricus* dedit Epiſcopatum *Elienſem Nigello*, & Epiſcopatum *Dunelmenſem Galfrido* Cancellario; fecitque Rex novum Epiſcopatum apud *Karliolum*, & dedit illum *Adelulfo* Priori de Sancto *Oſwaldo*. Eodem anno facta eſt Eclipſis Solis quarto *Kalend. Auguſti*, circa horam diei ſextam; ita quod totus orbis ipſius ſolis quaſi nigro ſcuto videretur obtectus. Et eadem die tranſiit Rex Mare in *Normanniam*, moramque fecit ibidem per totum annum ſequentem, propter gaudium nepotum ſuorum, quos de filia ſua Comes *Andegavenſis* procreaverat; valde enim dilexit eos.

Solis Eclipſis.

Rex tranſit in Normanniam.

CAP. LV.

De morte Regis Henrici *Primi.*

1135 ANno Domini M.CXXXV. Rex *Henricus* cum in *Normannia* diuturnam feciſſet moram, tandem in *Angliam* redire diſponebat: ſed detinebat eum filia ſua calliditate quadam; fecit enim in arte ſua oriri diſcordias inter Regem & Conſulem *Andegavenſem* Maritum ſuum, ut ſic ſaltem à propoſito redeundi impediretur. Quibus quidem ſtimulationibus Rex in iram & animi Rancorem excitatus eſt & commotus; quæ à nonnullis cauſa velut refrigerationis, & poſtea mortis ſuæ cauſa fuiſſe dicta ſunt. Cum igitur die quadam Rex a venatu rediſſet apud Sanctum *Dionyſium* in ſilva *Leonum*, comedit carnes murænarum i.e. Lampredarum, quæ ſemper ei nocebant, & eas ſemper amabat ſecundum quoddam dictum,

Nitimur in vetitum ſemper cupimuſque negata.

Hæc igitur comeſtio peſſimi humoris ſenile corpus lethaliter infrigerans, excitavit in eo febrem acutam, & prævalente morbo deceſſit Rex pacificus magnificuſque, cum Regnaſſet jam annis XXXV. & tribus Menſibus, prima die *Decembris*, anno Domini ſupradicto: hic autem annus ab adventu *Normannorum* in *Angliam* ſexageſimus nonus, ab adventu *Britannorum* bis milleſimus ducenteſimus ſexageſimus quintus. Regnaverat autem Rex omni tempore ſuo in multa felicitate & gloria, & multis, quæ decebant principem, virtutibus ornatus, quas tamen denigrabat in parte concupiſcentia feminarum, imitando veſtigia & petulantiam *Salomonis*. Feras quoque propter venationis delicias plus juſto diligens, in publicis animadverſionibus cervicidas ab homicidis parum diſcernebat: ſeverius enim agebat in his, & ultra modum.

Henrici virtutes & vitia.

CAP. LVI.

De primordiis Regis Stephani, *& Coronatione ejuſdem.*

1135 DEfuncto itaque Rege *Henrico*, ſed nondum ſepulturæ tradito, *Stephanus* ejus nepos Regnum *Anglorum* invaſit. Si quidem *Stephanus* major Comes *Bleſenſis Willielmi Nothi* & Conquæſtoris filiam duxerat in uxorem, ex qua quatuor filios procreavit. Quo in partibus orientis defuncto, mater mirabilis Primogenito ſuo, eo quod remiſſioris erat ingenii & tanquam degener videretur,

Rex Stephanus.

Reg. Stephani progenies.

deretur, prudenter amoto, *Theobaldum* filium suum in quo sibi bene complacebat, ad plenitudinem hæreditatis provexit. *Stephanum* quoque adhuc impuberem Regi avunculo nutriendum promovendumque tradidit vel direxit. Quartum vero filium *Henricum*, ne soli seculo genuisse liberos videretur, apud *Cluniacum* tonseravit. Processu temporis Rex *Henricus* unicam Comitis *Bononiensis* filiam, ad quam tota spectabat hæreditas; nepoti *Stephano* copulavit, eis in *Anglia* dona quam plurima collargiens. Fratri autem ejus *Henrico* Monacho *Cluniacensi* dedit Rex Abbatiam *Glastoniensem*, ac postmodum Episcopatum adjecit *Wintoniensem*. Cum ergo, ut prædictum est, Rex *Henricus* obiisset idem *Stephanus* vir magnæ strenuitatis & audaciæ, quamvis jurasset cum cæteris Sacramentum fidelitatis filiæ Regis *Henrici* & filiis suis, diadema tamen Regni quasi tempestas invasit. Omnes etiam qui Sacramentum juraverant, ut prædictum est, tam præsules quam Consules & Principes assensum *Stephano* præbuerunt,& homagium fecerunt ei,prætereuntesSacramentum fidelitatis, quod ex præcepto Regis *Henrici* filiæ suæ Imperatrici fecerant, ut prædictum est. *Wilhelmus* etiam *Cantuariæ* Archiepiscopus, qui primus Sacramentum fecerat, eum proh dolor! benedixit in Regem; omnisque *Anglia* quasi in ictu oculi ei subjecta est. Die autem beati *Stephani* Protomartyris, Rex *Stephanus* Diadematus curiam suam tenuit *Londoniis* cum magna pompa & immensa gloria: & Corpus Regis *Henrici* adhuc inhumatum erat in *Normannia*. Viscera ejus, Cerebrum, & oculi consepulta sunt apud *Rothomagum*; reliquiæ vero Regalis cadaveris allatæ sunt in *Angliam*, & intra Natalem Domini duodecimo die sepultæ sunt apud **Redinges**. Quam quidem domum Rex ipse fundaverat, & multis etiam eam ditaverat possessionibus & donis. Porro homo ille,qui pretio magno conductus cerebrum ejus extraxerat,intolerantia fœtoris infectus, quasi subito extinctus est. Non enim sic accidit de Corpore *Helisæi Prophetæ*: nam corpus *Helisæi* mortui vivificavit mortuum, istius vero jam mortui corpus vivum mortificavit. Venit etiam Rex *Stephanus* apud **Redinges** contra corpus Avunculi sui, & sepulturæ interfuit.

Rex Stephanus.

Stephanus contra præstitum juramentum Regnum invadit.

Henrici corpus partim Rothomagi partim Radingis sepultum.

CAP. LVII.

Concessit Rex subscripta.

SEpulto Rege *Henrico*, ut dictum est, Rex novus inde perrexit usque *Oxenfordiam*, ubi convocato Concilio renovavit & confirmavit pacta, quæ Deo & Ecclesiæ populoque concesserat die Coronationis suæ, quæ sunt hæc. Primo vovit Deo quod defunctis Episcopis nunquam retineret Ecclesias in manu sua, sed statim electioni consentiens Episcopis eas investiret. Item vovit, quod *Danegeldum*, id est, duos solidos ad *Hidam*, quod antecessores sui accipere solebant singulis annis, in æternum condonaret. Plura etiam vovit, sed pauca tenuit. 1135

CAP. LVIII.

Scotorum *Rex cepit* Karliolum *&* Novum Castrum *dolose.*

IN fine Natalis Domini, nuntiatum est Regi *Stephano* apud *Oxenfordiam*, & sic dictum. Rex *Scotorum* simulans se pacifice venire ad te, & hospitandi causa in *Karliolum* & in *Novum Castrum* ingrediens, dolose cepit utraque, & occupata possidet. Cui respondit Rex: quod dolose recepit, victoriose recipiam; congregavit ergo Rex impiger & promovit exercitum tam magnum fortem & validum, quantum in *Anglia* fuisse nullus memorare potuit. Occurrens autem ei Rex *David* circa *Dunelmum* pacifice locutus est & concordatus est 1135

Pax inter Henricum & Davidem.

Rex Stephanus. eſt ei. Reddiditque *Novum Caſtellum*, ſed ex conceſſione Regis *Stephani Karleolum* retinuit. Rex tamen *David* homo Regis *Stephani* non eſt effectus, quia de Laicis primus juravit fidelitatem ipſe *David* filiæ Regis *Henrici* Nepti ſuæ, de *Anglia* ei manutenenda poſt mortem Regis *Henrici*. Sed filius Regis *David, Henricus* nomine, homo Regis *Stephani* effectus eſt, deditque ei Rex *Stephanus Burgum* quod vocatur *Huntington* in augmentum.

CAP. LIX.

Pacificatur cum Rege Francorum.

1136 *Rex tranſit in Normanniam.* ANno Domini M. CXXXVI. & Regni Regis *Stephani* ſecundo, transfretavit idem Rex cum manu armata in *Normanniam*, & multis ibidem hoſtibus ſuperatis, & bellicoſe tandem cum Rege *Francorum* concordiam iniit, & *Euſtachius* filius ejus homo Regis *Francorum* effectus eſt, propter *Normanniam*, quæ *Francorum* adjacet imperio. Quod videns Comes *Andegavenſis*, qui filiam Regis *Henrici* & Imperatricem duxerat,& cui *Anglicani* Regni ſucceſſio competebat, ut prædictum eſt, ratione ejuſdem uxoris ſuæ, ſe ſciens in præſenti Regias vires infringere non poſſe, licet jam attemtaſſet in parte, cœpit continuo pacifice loqui,& inducias petere ſuper eodem negotio, in quo jure uxoris Regnum vendicabat *Anglicanum*. Quibus conceſſis & initis, Rex ante Natale *Angliam* rediit, & per totum Natale, incipiens ab ipſa vigilia natalis Domini, *Rex Bedfordiam obſedit.* *Bedefordiam* obſedit; & de tanta ſolemnitate non curans, immo parvipendens, ab obſidione non ceſsabat, quouſque Caſtrum redderetur. Inſurrexerant enim contra eum multi magnates terræ.

CAP. LX.

Scoti *devicti ſunt apud* Alverton.

1136 EOdem anno ſtatim poſt dedicationem vel ædificationem Caſtri Bedeford, Rex *Stephanus* in *Scotiam* innumerabilem exercitum quaſi promovit. *David* namque Rex Scotorum, qui Sacramentum fecerat Imperatrici filiæ Regis *Henrici*, de conſervando ſibi Regno *Angliæ*, quaſi ſub velamento ſanctitatis *R. Scot. fracto fœdere Northumbriam crudeliter vaſtat.* ejuſdem, cum exercitibus ſuis *Northumbriam* ingreſsus eſt, execrabiliter agens in omnibus viis ſuis. Non enim parcebant ſui ſexui vel ætati, quin etiam mulieres gravidas finderent, & pueros ſuper acumina lancearum jactarent: ſacroſanctis etiam Eccleſiis non parcentes, Presbyterosſuper Altaria detruncabant, Crucifixorum capita abſciſſa ſuper corpora cæſorum ponebant, & mortuorum capita ſuper Crucifixa reponebant. Quæcunque vero attingebant *Scoti* plena horroris fuerant etiam immanitatis. Aderat enim clamor mulierum, ejulatus ſenum, morientium gemitus, & viventium deſperatio. Sed audito *Adveniente R. Stephano Scoti recedunt.* adventu Regis *Stephani* retraxerunt ſe, eo quod non ſunt auſi reſiſtere ſpiritui furoris ejus. Adveniens itaque Rex *Stephanus* combuſſit cum impetu Auſtrales partes Regis, non audente *David* cum eo congredi. Cumque manſiſſet ibidem modicum, audivit à ſuis ſtatim poſt Paſcha, quod multi proditores & magnatum plurimi inſurrexerant contra eum in Auſtralibus partibus terræ ſuæ, & Caſtra jam plurima occupaverant. Propter quod ibidem reverſus eſt, *Scoti iterum redeunt.* & eadem Caſtella obſedit. Quo ibidem ſic occupato, *David* Rex *Scotorum* innumerabilem exercitum promovit in *Angliam*, iterum devaſtans omnia. Contra quem principes & milites animoſi Borealis *Angliæ*, cum inſigni Comite *Albermariæ*, & ex juſſu & admonitione venerabilis Patris *Thurſtini Eborum* Archiepiſcopi, viriliter reſtiterunt, fixo l'Eſtandard, id eſt, Regio inſigni apud Alverton. Cumque morbi cauſa non poſſet idem Archiepiſcopus intereſſe pugnæ,

pugnæ, misit loco suo *Radulphum* Episcopum *Orcadum*, qui stans in Acie media, & loco eminenti, hujusmodi oratione exorsus est. Proceres *Angliæ* clarissimi, & *Normanni* genere, meminisse vos oportet nominis & generis, & inimicis resistere decet. Quibus usque in præsens nemo impune restitit, audax enim *Francia* vos experta delituit; ferox *Anglia* vobis capta succubuit; dives *Apulia* vos sortita refloruit; *Hierusalem* famosa, & insignis *Antiochia* se vobis utraque supposuit. Nunc autem *Scotia* vobis rite subjecta, inermem præferens temeritatem, & rixæ magis quam pugnæ aptior, vobis resistere, immo * expetere jam conatur. In quibus quidem nulla rei militaris scientia, vel præliandi peritia, vel moderandi gratia invenitur. Nullus ergo verendi locus, sed potius verecundiæ, quod hi, quos semper in Patria sua petivimus & vicimus, in Patriam nostram, jam ritu transverso, velut dementes & ebrii convolarunt. Unum vobis ego præsul denuncio, quod hi *Scoti*, qui in hac Patria Templa Dei violarunt, altaria cruentarunt, Presbyteros occiderunt, & pueros & prægnantes peremerunt gladio, condignas sui facinoris luent pœnas, in suo flagitio corruentes: quod per manus vestras strenuas hodie perficiet Deus Omnipotens. Attollite ergo animos, elegantes viri, & adversus hostem nequissimum: freti virtute Patria, immo Dei præsentia, exurgite. Nec vos moveat illorum temeritas magna, cum illos non deterreant tot vestræ virtutis insignia. Illi nesciunt armari in bello, vos autem in pace bellis exercemini, ut postmodum in bello casus belli dubios non sentiatis. Tegitur vobis caput galea, pectus lorica, ocreis crura, totumque corpus scuto & ense. Ubi feriat non invenit hostis, quem ferro circumseptum inspicit. Nos ergo procedentes adversus inermes & nudos; quid dubitamus? an numerum? Certe non numerus multorum, sed virtus paucorum bellum conficit; multitudo ipsa est insolens sibimet ipsi, & impedimento est in prosperis ad victoriam, & in adversis ad fugam. Præterea majores vestri, & pauci quidem, multos sæpe vicerunt. Quid ergo confert vobis gloria parentelæ? quid exercitatio solemnis? quid disciplina salutaris, nisi multos pauciores vincatis? sed jam finem dicendi faciunt hostes inordinate proruentes, & (quod animo meo valde placet) disperse confluentes: vos igitur, qui vindicaturi estis hodie domum Domini, & Domini Sacerdotes, terramque vestram, & parvulos vestros, si quis vestrum prælians forte occubuerit, vice Archipræsulis vestri, eum absolvimus ab omni pœna peccati, in nomine Patris, cujus creaturas fœde & horribiliter destruxerunt, & filii, cujus altaria maculando destruxerunt, & spiritus sancti, à quo separati insane ceciderunt. Confestimque respondit omnis populus *Anglorum*, Amen, Amen; & resonuit terra in voces illorum. Superveniens autem Scotorum exercitus exclamavit insigne illud responsum, *Albani, Albani*: Et mox conferta pugna totus clamor absorptus est. Gens vero nostra circum **l'Estandard** conglobata persistebat immobilis, & viri sagittarii equitibus immixti inermes *Scotorum* sparsim penetrabant. Inter quos summo Duce *Lodonensium*, qui primam aciem ex parte *Scotorum* habebat, sagitta percusso, corruit ipse, & tota gens sua in fugam conversa est. Quod videns *Scotorum* acies altera, quæ ex adverso pugnabat acerrime, expavit, & fugæ confestim indulsit. Regalis autem acies, quam ipse Rex *David* ex plurimis constituerat, simul ut hoc vidit, primo sigillatim & postea catervatim cœperunt aufugere, Rege jam pene solo existente. Quod videntes amici Regis *David* coegerunt eum sonipede arrepto terga dare. Filius autem Regis strenuissimus non attendens ad hæc, sed soli gloriæ & virtuti, miro impetu aciem nostrorum impetendo percussit; sed tandem fugit & ipse; & multa quidem *Scotorum* millia in eodem loco corruerunt, exceptis his qui in segetibus & silvis inventi sunt & perempti. Offensus enim erat eis Deus Omnipotens, & ideo omnis virtus eorum, quasi aranearum contextio, demolita est. Hoc bellum mense *Augusti* factum est, in mora de **Cowton** juxta **Alverton**, anno Regni Regis *Stephani* quinto. Post Natale vero Rex *Stephanus* exercitum movit in *Scotiam*, ubi cum ferro & igne quæque vastare disposuit. Sed Rex *Scotiæ* vehementer arctatus est, & concordiam

Rex Stephanus.

Radulphi Episcopi ad milites Anglos oratio.

Scotorum exercitus in fugam vertitur.

Rex Stephanus movet in Scotiam.

* Impetere.

Rex Stephanus. cordiam faciens tradidit in obsidem *Henricum* filium suum; quem Rex *Stephanus* secum ducens in *Angliam* obsedit continuo Castrum de **Lodelawe**, ubi idem *Henricus* unco ferreo equo abstractus fere captus est, sed per strenuitatem Regis hoc intuentis confestim liberatus est.

CAP. LXI.

De Tyrannide Regis Stephani *contra quosdam Episcopos* Angliæ.

1139 *Stephani severitas in Clerum Anglicanum.* HIs itaque feliciter gestis, elevatum est cor Regis *Stephani*, comprehenditque & tenuit *Alexandrum Lincolniensem* Episcopum, & eum diæta tenui, & jejunio quasi continuo vehementer afflixit, quousque sibi redderet Castellum de **Newerk**, quod ipse Episcopus de novo construxerat, una & cum Castello suo de **Sleford**. Similiter & Episcopum *Salesbiriensem* tenuit, & vehementer afflixit, quousque sibi redderet Castella sua de **Wysee** & *Syreburum*; accipiensque thesauros ejusdem Episcopi comparavit ex illis sororem *Lodowici* Regis *Franciæ Constantiam*, ad opus & maritagium filii sui *Eustachii*. *Episcop. Salesbur. perjurii pœnas luit.* Et justo Dei judicio hoc ei contigit; ut pote qui Regi *Henrico* & filiæ suæ fidelitatem primo juraverat, de Regno *Angliæ* ipsi filiæ suæ conservando, & etiam juraturis singulis formam juramenti expresserat. Postmodum ejusdem juramenti immemor, immo magis contemtor, Coronationi Regis *Stephani* quasi cooperator extitit & adjutor; sed quidem *Wilhelmus Cantuariensis* Archiepiscopus, ejusdem ut creditur perjurii merito, ipso prævaricationis suæ anno defecit, & mortuus est. Post hæc vero & aliquantisper *Henricus Wintoniensis* Episcopus, frater Regis, & Romanæ Ecclesiæ Legatus, tenuit Concilium apud *Wintoniam*: Ubi Episcopi *Angliæ* convenientes, & ad pedes Regis prostrati rogaverunt Regem, ut possessiones & Castella prædictorum Episcoporum restaurarentur eis. Sed noluit eos audire Rex propter quod, ut creditur, Domus Regia finitime subjacuit divinæ ultioni.

CAP. LXII.

Quomodo captus fuit Rex Stephanus *apud* Lincolniam *per Imperatricem.*

1140 SExto anno Regis *Stephani*, cum exercitu magno venit in *Angliam* filia Regis *Henrici*, quæ quondam *Alemanniæ* Imperatrix fuerat, & cui *Anglia*, ut prædictum est, à magnatibus terræ promissa & jurata extiterat; applicuitque prospere, & iter direxit ad **Arundel**: ubi Rex *Stephanus* occurrens cum impetu obsedit eam ibi per aliquod tempus; sed mox perfida credens consilia, dicentium scilicet Castrum illud esse quasi inexpugnabile, retraxit se, & eam abire permisit usque **Bristow**. *Stephanus à suis deseritur.* Statimque concurrit ad eam *Anglorum* multitudo maxima, & insurrexerunt in Regem optimates sui hinc & inde. Jamque ornatus Regii stemmatis ab antiquo more discedens prorsus evanuit, ingentisque thesauri copia jam disparuit; pax in Regno nulla, fides permodica; quoniam cædibus, incendiis, & rapinis exterminabantur omnia; clamor enim & luctus, horror & tremor tonabant ubique, & in omni parte terrebat violenta prædatio cum tumultu. Secessit itaque Rex & perrexit *Lincolniam*, obseditque munitiones ejusdem, quas fraudulenter ceperat *Ranulphus* Comes *Cestrensis*, à natali Domini usque ad purificationem Beatæ Virginis. Interim *Ranulf. Com. Cestrensis R. Stephanum aggreditur, vincit, & capit.* idem Comes, coadunatis multis, adduxit secum eodem tempore *Robertum* generum suum, filium Regis quondam *Henrici*, & alios Proceres validissimos, ad dissolvendam Regis obsidionem. Cum autem paludem pene intransibilem cum difficultate transisset, statim in ipso die aciebus dispositis, Regem *Stephanum* bello aggressus est. Ipse enim cum suis aciem primam assumpsit, secundam

dam illi, quos Rex *Stephanus* exhæredavit. Tertiam vero ille *Robertus* dux magnus, & à latere erat turma *Wallensium* pervalida. Rex autem interim missam audiebat solennem, ad quam cum ex more consueto cereum offerret, confractus est cereus, cum in manibus *Alexandri* Episcopi eum imponeret, & hoc fuit signum confractionis Regis. Cecidit etiam pyxis super altare cum corpore Domini, rupto vinculo, & hoc fuit Regi signum ruinæ. Missaque finita Rex strenuissimus egreditur, & cum securitate magna acies bello disponit, instituitque Consules in equis per duas acies, tertia vero Regis erat permaxima. Congressique ad pugnam, & mutuis se Lanceis salutantes, statim acies exhæreditatorum aciem consulum percussit, & prævaluit; & quasi in ictu oculi dissipata est acies illa, & ejus diuisio in tria devenit. Alii namque occisi sunt, alii capti, & alii aufugerunt. Secunda acies Regis percussa à *Wallensibus* & à Comite *Cestrensi* quasi in momento dissipata est sicut prior, fugeruntque omnes equites vitam potius salvare cupientes quam Regem. Rex namque *Stephanus* cum acie sua pedestri, quæ sola remanserat, circumseptus est; apparuitque tunc vis Regis fulminea cedens bipenni nunc hos nunc & illos, & multos in brevi ad extrema deducens. Comes vero *Cestrensis* invidens gloriæ Regis, cum omni pondere armorum irruit in eum. Tunc novus oritur clamor, quia omnes in eum & ipse in omnes. Tandem bipennis Regia ex frequentia ictuum confracta est. Quod videns quidam *Willielmus* miles strenuissimus irruit in Regem, & cum galea arripiens clamavit voce magna, huc homines, huc, Regem teneo: continuo advolant omnes & capitur Rex, omnesque ex acie Regis aut capti sunt aut cæsi. Civitas vero hostili lege direpta est, & Rex ad Imperatricem captivus ductus est, & in Turri de Bristow positus. Imperatrix vero ab omni gente *Anglorum* suscipitur in Dominam, exceptis *Kentensibus*, ubi repugnabat Regina uxor Regis *Stephani*; suscepta est etiam à Legato *Romano Henrico Wintoniensi* Episcopo & à *Londoniensibus* universis, & supra modum honorata. Elevatumque est cor ipsius, eo quod prosperassent sui, & ad vota jam evenissent omnia. In tantum in superbiam intolerabilem erecta est, quod fere omnium corda ab ipsa separata sunt, displicuitque *Londoniensibus*, & à Civitate expulsa est; irritataque sic muliebri angore Regem *vinctum* in compedibus poni jussit & strictius custodiri. Post dies autem aliquot cum Rege *Scotorum* avunculo suo & fratre suo *Roberto* viribus adauctis obsedit Turrim *Wintoniensis* Episcopi. Ipse quidem Episcopus misit pro Regina *Angliæ* & pro universis fere proceribus terræ: qui cum festinatione venientes dimicabant quasi quotidie, non congressionibus acierum, sed circuitionibus militarium anfractuum: erat enim utrinque exercitus magnus. Tandem vero venit *Londoniensis* exercitus, & sic aucti numerose qui contra Imperatricem dimicabant, eam pudenter fugere compulerunt; captique sunt in fuga multi. Captus est etiam *Robertus* frater Imperatricis, sub cujus custodia Rex captivus tenebatur: & perseverantibus inimicitiis ut prius, facta est commutatio Regis & Comitis, & uterque pro altero sibi & suis redditus est; & susceptus est Rex cum immenso gaudio à proceribus suis.

Rex Stephanus.

Reg. Stephani magnanimitas.

Rex Imperatrici captivus adducitur.

Rex Stephan. in compedib. ponitur.

Imperatrix in fugam versa, & frater ipsius captus.

Rex liberatur.

CAP. LXIII.

Quomodo fugit Imperatrix, persecuta à Rege.

Septimo anno Regni sui fecit Rex *Stephanus* construi quoddam Castrum apud *Wintoniam*, ubi subito supervenerunt hostes sui; & facta congressione mutua Regem in fugam compulerunt, captique sunt multi ex exercitu Regis. Iratusque valde Rex iterum multiplicavit exercitum, & reassumptis viribus obsedit Imperatricem apud Oxenford, à Festo Sancti *Michaelis* usque ad adventum Domini. Et parum ante Natale Domini, superveniente nive & gelu forti, fugit Imperatrix per Thamesin glaciatam circumamicta vestibus albis, & sic

1141

Rex Steph. vertitur in fugam.

Imperatrix Oxonii obsessa, stratagemate elabitur.

Rex Stephanus. fic reverberatione nivis & vefte alba fallentibus oculos obfidentium, fugit ad Caftellum de Walingford, & ufque ad pubertatem *Henrici* filii fui femper Regi *Stephano* repugnavit: Reddita tum eft Regi *Oxenfordia*.

CAP. LXIV.

De Excommunicatione illorum qui injiciunt manus violentas in Clericos.

1142 *Concilium Londinenfe.* Ctavo anno Regis *Stephani*, tenuit legatus *Wintonienfis Londoniis* Concilium generale, ubi & interfuit ipfe Rex. Et quia Clericis terræ nullus deferebatur honor, eo quod Clerici ficut Laici capiebantur & redimebantur, ftatuit idem legatus in eodem Concilio, & decretum Canonis innovavit, ne aliquis, qui violenter manus Clerico ingefferit, ab alio poffit abfolvi, quam à folo Papa, & in præfentia ipfius Papæ. Eodem anno obiit *Innocentius* Papa: Cui fucceffit *Cœleftinus*.

CAP. LXV.

Quomodo tenuerunt quidam Monafteria & de eorundem infortunio.

1142 *Galfridus captus.* EOdem anno *Galfridus* Comes de *magna Villa* à Rege captus eft, & pro reftitutione Turris *Londonienfis*, & Caftelli de Wallenden liberatus eft. Qui poffeffionibus carens, cum adhuc magnam haberet familiam, confeftim invafit Abbatiam Sancti *Benedicti* de *Ramefia*, & Monachis expulfis raptores immifit, fecitque Monafterium Sanctum fpeluncam latronum; & vexavit Regem in multis, eo quod ftrenuiffime militavit, & quafi per annum unum in fuis omnibus gloriofus effulfit: Menfe quoque *Augufti*, cum proceffiffet ad prædam, inter acies à quodam pedite viliffimo folus fagitta percuffus interiit; & excommunicatus occubuit: fimileque fcelus exercuerat in Ecclefia de *Coventria*, quidam perverfus *Robertus* Matiman, vir bellicofus & ftrenuus, qui inter fuorum *Divinæ vindictæ exempla.* cuneos coram ipfo monafterio folus interfectus eft, & excommunicatus interiit: dum autem Ecclefia illa pro Caftello teneretur, à parietibus Ecclefiæ & clauftri adjacentis fanguis ebullivit, quod multi viderunt; & hoc fe vidiffe teftatur in Chronicis fuis *Henricus* de Huntingdon. Quia igitur illi Deum quafi dormire dicebant, excitatus eft Deus, & in hoc figno & in fignificato. Princeps enim peditum prædicti *Gaufridi* nomine *Reynerus*, cujus officium fuerat Ecclefias frangere vel incendere, dum poft mortem Domini fui cum uxore fua & præda multa mare tranfire vellet, effentque in alto mari, mox ibidem affuit digitus Dei. Navis enim in qua vehebantur immobilis facta eft, ftetitque cæmento quafi infixa. Quod monftrum videntes nautæ timuerunt, & forte data rei caufam inquirunt. Ceciditque fors fuper *Reynerum*, quo contradicente, iterum fecundo & tertio fors applicata decidit in eum, pofitufque eft in fcapha cum uxore, & pecunia fceleftiffime adquifita, & ftatim ipfa navis ut prius curfu velociffimo Pelagus fulcat. Scapha vero cum illis nequiffimis fubita voragine circumducta in æternum abforta eft.

CAP. LXVI.

Operarii Regis occifi funt Lincolniæ.

1143 NOno anno Regni fui Rex *Stephanus* obfedit *Lincolniam*. Comes enim *Ceftrenfis* tenuit Caftellum cum Villa. Rex vero cum munitionem contra Caftellum conftruere vellet, multofque haberet ibidem operarios, egreffi funt latenter

latenter hostes & diruperunt omnia, præfocatique sunt ex operariis Regis circiter octoginta, confususque Rex in hoc facto continuo discessit. Eodem anno *Cælestinus* Papa obiit: Cui successit *Lucius*. *Rex Stephanus.*

CAP. LXVII.

Castra cepit Rex.

DEcimo anno Regni sui Rex *Stephanus* obsedit Castrum de Ferendon cum exercitu *Londoniensi*, & post multam sanguinis effusionem hinc & inde, tandem illud cum difficultate cepit. Eodem anno *Alexander Lincolniensis* Episcopus Ecclesiam *Lincolniensem*, quæ combustione deturpata fuerat, miro artificio sic reformavit, ut pulcrior appareret quam ante. 1144 *Lincolniens. Ecclesia restauratur.*

CAP. LXVIII.

Rex cepit Comitem Cestriæ.

UNdecimo anno Regni sui construxit Rex Castrum de Wallingford, ubi Comes *Cestrensis* cum Rege concordatus est. Qui postea apud Notyngham ad Regem pacifice veniens, & nihil sibi metuens, captus est à Rege, & in carcerem intrusus quousque Castellum *Lincolniæ*, quod ab eo dolose susceperat, & cætera ditionis suæ Castella Regi restitueret. Quibus redditis, mox ipse suis redditus est, & in posterum immanissimus hostis Regi effectus. 1145

CAP. LXIX.

Idem Comes insultum fecit, Lincolniæ.

DUodecimo anno Regni sui Rex *Stephanus* apud *Lincolniam* in Natali Domini Regali diademate insignitus est. Post cujus decessum venit Comes *Cestrensis* ibidem, ut cum militaribus copiis assiliret civitatem. Et factum est, dum expugnasset civitatem usque ad ingressum, contigit quod Dux exercitus sui introitu partis Borealis percussus occubuit, & pluribus interfectis ipse Consul retrocedere compulsus est. Cives igitur victoriosi Virgini virginum protectrici eorum laudes & gratias insigniter exsolverunt. 1146 *Rex Stephan. Lincolniæ coronatur.*

CAP. LXX.

De morte Thurstini *Archiepiscopi* Eborum, *& domibus fundatis.*

DUm in Regno *Angliæ* talia agerentur, Sanctæ recordationis *Thurstinus Eborum* Archiepiscopus, post laudabilem officii sui administrationem, & præclara pietatis opera, cum jam fere expletum sentiret esse militiæ suæ tempus, relicto honore & excusans se ab onere, cum Monachis *Cluniacensibus* apud *Pontem fractum* ultimos vitæ suæ dies exegit, & appositus est ad Patres suos in senectute bona, anno Domini M. CXL. Cujus pro studio inter cætera bona quæ operabatur, attribuenda est fundatio atque provectio celeberrimi monasterii *Fontoniacensis*, cujus fundatio talis esse perhibetur. Quidam Monachi Ecclesiæ beatæ *Mariæ Eborum* XII. vel XIII, ferventes spiritu, & scrupulosam habentes conscientiam, eo quod beati *Benedicti* Regulam quam professi erant minus

 ad

Rex Stephanus. ad literam obſervarent. Et quia *Ciſtercienſis* ordinis, qui nuper eſſe cœperat, fama jam celebris erat, ut aliud melius fortiuſque agerent, ſuum monaſterium reliquerunt. Quorum ſtudium zelumque venerabilis Pater *Thurſtinus* amplexus eſt, eos paterne ſuſcipiens & maternæ pietatis ſinu fovens. Tandem vero in loco paſcuæ qui *Fontes* dicitur, collocavit eos, ubi ex tunc & deinceps, tanquam de fontibus ſalvatoris, multi hauſerunt aquas ſalientes in vitam æternam. Fundataque fuit domus eadem in ann. Domini M. CXXXII. ſexto *Kalend. Januarii*, & anno à fundatione *Ciſtercienſis* ordinis XXXIV.

CAP. LXXI.

Fundatio Ryevallis.

Abbat. Ryev. an. 1132. fundata. SAne paulo ante à nobili viro *Waltero* Eſpek fundata fuit domus *Ryevallis*, conſentiente *Thurſtino* Archiepiſcopo & aſſenſum præbente, ubi Monachi *Clarevallenſes* a felicis memoriæ Abbate *Bernardo* directi ſempiternam acceperunt manſionem. Horum ergo exemplo Monachi illi *Eborum* incitati atque ad fortiora animati, memorati Abbatis magiſterio ſe tradiderunt; & diſtincti locis non animis, hi & illi arctam viam, quæ ducit ad vitam, paribus votis & ſtudiis ſervando cucurrerunt.

CAP. LXXII.

Fundatio Bellæ Landæ.

Bellalanda an. 1132. fundata. EOdem tempore quidam *Saviniacenſes* Monachi *Bellam Landam* condiderunt. Nobili viro *Rogero* de Moubray, qui & *Neuburgenſem* fundavit Eccleſiam, donante locum primo arctum, deinde ſecundum, tertium, & quartum, ubi fixis radicibus ibidem uſque in præſens reſiderunt.

CAP. LXXIII.

Ordo Sempringhamenſis *fundatur.*

Hic ordo ſumpſit exord. an. 1131. EOdem etiam tempore ordo *Sempringhamenſis* ſumpſit exordium per *Gilbertum*, virum plane mirabilem in cuſtodia feminarum. Hic ſervorum Dei duo, & Ancillarum Dei octo non ignobilia conſtruxit monaſteria : quæ & numeroſis replevit collegiis, & juxta datam ſibi ſapientiam regularibus ornavit inſtitutis.

CAP. LXXIV.

Quomodo Chriſtiani in Terram Sanctam parum profecerunt, quia ſuperbi.

1146 ANno ſupradicti *Stephani* Regis duodecimo, ſuſtentavit Deus omnipotens ſpiritum Chriſtianorum, & cruce ſignati profecti ſunt *Jeroſolymis*. Rex quidem *Franciæ Lodowicus*, & Conſul *Flandrenſis*, cum Comite de Sancto *Ægidio* & *Anglicis* multis. Imperator etiam *Almanniæ Conradus* majorem ſatis adduxit exercitum. Tranſiitque uterque exercitus per Imperatorem *Conſtantinopolitanum*, qui eos poſtea prodidit & ſeduxit. Et quia incedebant cum ſumma ſuperbia, ideo in nihilum redacti ſunt, quia Deus ſprevit eos. In illo namque exercitu & quidem utroque, contra Caſtrenſem diſciplinam tot jam mala

mala increverant, ut mirum non sit quod eis tanquam pollutis & immundis favor nequaquam divinus arriserit. Castra enim à Castratione luxuriæ dicuntur. At Castra nostra casta non erant; in quibus utique infelici quadam licentia multorum spumabant libidines; præsumentes etiam de multitudine & armorum copia posuerunt carnem Brachium suum, & nequaquam Dominum, pro quo æmulari videbantur; declaratumque est in eis, quia Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Fame namque consternati post perierunt in se: postea vero proditione Imperatoris *Constantinopolitani* ferro hostili defecerunt. Nec immundis castigandis & superbis reprimendis iræ defuere cœlestes, cum intempestivorum imbrium inundatio effusa plus de exercitu nostro minuit, quam hostilis gladius devoravit. Rex tamen *Franciæ* & Imperator *Almanniæ* cum paucissimis evadentes, prius *Antiochiam*, & postea *Jerosolymam* ignominiose confugerunt; & demum ad propria, sed non in gaudio. Interea quidam Navalis exercitus, non potentium virorum, nec magno duci innixi, nisi omnipotenti Deo, ibidem profecti sunt, non superbe quidem sed humiliter; & ideo probitatem magnam exercuerunt. Civitatem namque famosam in *Ispania*, quæ vocatur *Uluxis bona*; & aliam, quæ vocatur *Almaria*, & regiones adjacentes, pauci contra plures obtinuerunt: Erat enim Deus adjutor eorum fortis, & ideo nullus resistere poterat. Et magna pars eorum venerat de *Anglia*.

Rex Stephanus.

Almaria à Christianis capta.

CAP. LXXV.

Quomodo Henricus *filius Imperatricis venit in* Angliam, *& de ejus Primordiis.*

INterea, dum circa nostros in oriente talia agerentur, *Anglia* multis malis saucia tabescebat. Nam, quia tunc impotens erat Rex, & languida lex, unusquisque quod sibi videbatur rectum vel malum faciebat. Et quia omne Regnum in se divisum citius desolabitur, divisum est Regnum *Angliæ* & scissum quasi in duo. Quidam enim Regi, & quidam Imperatrici favebant. Non quod Rex vel Imperatrix suæ parti potenter imperaret, sed uterque suos ne à se discederent blandis sermonibus demulceret. Sane inter partes diu certatum est, alternante fortuna; sed tunc quodammodo remissiores motus esse cœperunt. Quod tamen *Angliæ* non cessit in bonum, eo quod tot erant Reges quot Domini Castellorum, habentes singuli numisma proprium, & more Regio subditos judicantes. Et quia magnates terræ sic invicem excellere satagebant, eo quod nullus in alterum haberet imperium, mox inter se disceptantes, rapinis & incendiis clarissimas Regiones corruperunt: in tantum, quod omne robur panis fere deperiit. Aquilonalis tamen Regio, quæ in potestatem *David* Regis *Scotorum* usque ad flumen *Thesiam* cesserat, per ejusdem *David* Regis industriam agebat in pace. Ad quem quidem *Henricus* filius Imperatricis, & Rex *Angliæ* futurus, à matre missus jam pubes accesserat, & ab eo apud *Karliolum* cingulum militare acceperat, jam militaturus in hostes & sibi rebelles. Accepto namque militiæ cingulo, transfretavit ad Patrem, & erat ex tunc militaris gloriæ non tepidus æmulator. Post autem annos aliquot, patre in fata cedente, Paterni juris plenitudinem, *Andegavensem* scilicet & *Cenomannensem* Comitatem; & materni juris portionem, scilicet *Normanniæ* Ducatum recepit. Itaque patri succedens, & matrem potentialiter excedens, quocunque divertit industrius strenuusque apparuit. Ita ut jam illis formidabilis existeret, qui felicibus ejus initiis invidebant. Cumque in transmarinis partibus omnia sibi quieta jam essent; Regno *Angliæ*, quod sibi jure materno competebat, fraudari ulterius non disposuit. Timens tamen Regem *Francorum*, eo quod Rex *Stephanus* sua affinitate gaudebat, *Normanniam* bene munitam, & sufficienter ordinatam, in pace reliquit: & in *Angliam* veniens, non amplius, ut dicitur, quam centum & quadraginta equites, & peditum tria millia

Causa motuum in Anglia.

Henricus Imperatr. fil. venit in Angliam.

Rex Stephanus. millia secum adduxit. Sed, adventu ejus cognito, mox ferventibus animis convenerunt ad eum, qui matri ejus ab initio favebant. Auctus igitur ingentibus copiis confestim munitionem *Malmesberiensem*, ubi Regis *Stephani* præsidium erat, obsedit. Ubi Rex *Stephanus*, cum filio suo *Eustachio* acerrimo juvene, otius advolans hostem ad prælium provocavit. Sed ille in Castris se continens, eo quod manum imparem habere videretur, saltem pro tempore belli discrimen consulte declinavit. *Castrum Malmesburiense & alia ab Henrico Duce expugnata.* Rex vero cum neque hostem commode posset impetere, neque prolixiores excubias circa Castra ex tuto agere, otiose recessit, & obsessa munitio in potestate obsidentis remansit. Augebaturque militiæ numeris, & favoribus sociorum; concurrentibusque ad eum optimatibus multis, qui à Rege *Stephano* defecerunt. Ita ut jam, incrementis virium, & felicitate successuum, Ducis gloria nomen Regium obumbraret. *Stanfordiam* ergo cum instructo exercitu adiit; qua celeriter expugnata & capta, munitionem etiam post paucos dies obtinuit. Indeque se divertens irruit super *Notingham*; qua mox expugnata, & opibus vacuata recessit, oppugnandæ munitionis, quæ natura loci inexpugnabilis videbatur, operam inanem omittens. Inde ad alia conversus negotia, in omnibus arridente fortuna prosperatus est.

CAP. LXXVI.

Quomodo Rex & Comes concordati sunt, & qua forma.

DUm hæc sub eventu pendulo inter Regem & Ducem altercatio traheretur, *Eustachius* ejusdem Regis filius immaturata morte discessit; magnam seminandæ pacis occasionem causa sui de medio ablatam relinquens. Eo quippe superstite vinci non poterant, tum propter juvenilem ejusdem acrimoniam, tum propter Regis *Francorum* fiduciam, quam ex affinitate contraxerat, eo quod sororem suam duxerat in uxorem, utroque autem pacis impedimento per unius hominis mortem sic ablato, confestim viri pacifici de pace suadenda atque formanda propensius cogitare cœperunt. Exulceratus autem Rex in morte filii, qui sibi successurus sperabatur, voces suadentium pacem solito patientius audiebat. Dux autem prudentium inclinatus consiliis ut honesto & solido fœderi casus postponeret ambiguos, gratanter acquievit, placuitque inter eos solenne & salubre colloquium celebrari: ubi, amicis mediantibus, *Pax inter Stephanum & Henricum.* & circa bonum publicum pia & prudenti provisione satagentibus, pax inter eos & caute formata & solide firmata est: decretumque est ut *Stephanus* de cætero tanquam princeps legitimus integre in *Anglia* cum gloria & honore Regnaret, *Henricus* vero ei tanquam hæres legitimus in Regno succederet. Hanc pacis formam tanquam utilem & honestam princeps uterque amplexatus est, & in mutuos multis præ gaudio lachrymantibus se dederunt amplexus, & Rex quidem Ducem adoptans in filium, eum solemniter successorem suum declaravit; Dux vero Regem tanquam Patrem & Dominum in conspectu omnium honoravit. *Willielmus* autem filius Regis junior, jubente Patre, homagium Duci fecit. Quibus Deo propitio salubriter actis, Rex tunc quasi primo juste *Angliam*, & *Anglia* pacem recepit. Dux autem in *Angliam* modico post commoratus transfretare parabat; & Rex cum *Willielmo* filio suo, multisque aliis nobilibus, celebri lætitia prosequebatur abeuntem. Cumque idem Regius puer in oculis Patris equo, ut assolet, concitatius veheretur, contigit, equo cadente, sessorem ad terram graviter allidi, fractoque osse tibiæ Patri & omnibus qui aderant dolorem incussit: reportatus est igitur *Cantuariam*, ut ibi curaretur. Rex vero sinistro casu saucius (datis cum benedictione mandatis) Ducem dimisit; qui feliciter transfretans circa æstatis initium ad propria cum gaudio remeavit.

CAP.

Rex Stephanus.

CAP. LXXVII.

Quomodo Comes uxorem Regis Franciæ *duxit.*

EOdem tempore celebratum eſt divortium inter Regem *Franciæ Lodowicum* & *Alienoram* uxorem ſuam, filiam Ducis *Aquitaniæ*, quibuſdam Epiſcopis ac proceribus conſanguinitatem illorum ſub teſtificatione jurisjurandi ſolemniter allegantibus, & cauſante ipſa muliere ſe monacho non Regi nupſiſſe. Porro ipſa ſoluta à lege viri, duabus apud Patrem filiabus relictis, deſideratis non multo poſt cum Duce poſita eſt nuptiis, moxque Ducatus *Acquitaniæ*, qui à finibus *Andegavenſium* & *Britonum* ad Pirenæos uſque montes *Galliam Hiſpaniamque* dirimentes extenditur, ratione conjugis in Ducis *Normannici* poteſtatem tranſivit. In quo quidem facto *Franci* invidia tabeſcebant, non tamen impedire poterant ejuſdem Ducis provectum.

Henricus Normanniæ Dux Aquitania potitur.

CAP. LXXVIII.

Quomodo devicit Rex quoſdam Rebelles, & poſtea providit Eccleſiæ Eborum.

INterea Rex *Stephanus* faſtu Regio fines *Angliæ* luſtratus, & ſe tanquam Regem novum oſtentans ſuſcipiebatur ab omnibus, & decenti magnificentia celebratur. Veniens autem in *Eboracenſem* Provinciam, quendam *Philippum* de **Colebilla**, qui munitionem ſibi conſtituerat, invenit rebellem, fretum ſcilicet ejuſdem munitionis firmitate, & commilitonum ſuorum ingentibus animis, & copioſo armorum ciborumque apparatu. Rex vero ex proximis provinciis exercitu convocato, munitionem illam, objectu amnium, ſilvarum, atque paludum fere inacceſſibilem, obſidione concluſit, & fortiter expugnatam in brevi obtinuit. Erat autem tempus meſſis. His itaque expletis & aliis quæ volebat Rex in civitate *Eborum*, & in adjacente provincia, ad partes Auſtrales reverſus eſt. Et in Feſto Sancti *Michaelis* cum Epiſcopis & optimatibus terræ Concilium *Londoniis* celebravit, tum pro Regni negotiis, tum etiam pro negotiis vacantis Eccleſiæ *Eborum* per mortem Sancti *Willielmi*. Evocati igitur majores ejuſdem Eccleſiæ cum Abbatibus & Prioribus ſubjectæ Provinciæ, & facto dereto in *Rogerum Cantuarienſem* Archidiaconum, eum à ſuo Archiepiſcopo, cujus aſtutia omne negotium electionis illius proceſſerat, Rege connivente, in ſuum Archiepiſcopum petierunt. Quem cum facile à volente impetraſſent, alias ſtatim preces injecerunt, ſcilicet ut eum non tanquam *Cantuariæ* Archiepiſcopus ſed Apoſtolicæ ſedis legatus conſecraret, hoc etiam a volente non difficiliter impetrato, conſecratus eſt idem electus in Eccleſia beati *Petri* apud *Weſtmonaſterium* : ſoluto itaque Concilio ad Eccleſiam propriam properavit ; & rebus pro tempore diſpoſitis, ad ſedem Apoſtolicam, petendi pallii gratia in propria perſona, iter arripuit.

Stephanus Philippum de Colevilla rebellem domat.

CAP. LXXIX.

De morte Regis Stephani.

POſt prædictum Concilium Rex *Stephanus* in *Cantia* conſtitutus morbo incubuit, quo ingraveſcente, poſt dies paucos deceſſit ; Menſe ſcilicet *Octobris*, anno Domini M. CLIV. & anno Regni ſui XIX. Sepultuſque eſt apud **Faverſham**, in Monaſterio a ſe ante aliquot annos conſtructo. Nuntium vero mortis

1154 *Stephanus ob. an. Reg. 19.*

Rex Stephanus.

mortis ejus Dux *Normanniæ* mature accepit, qui tunc quoddam Castrum, quod ab eo * detentum fuerat, cum exercitu obsidebat; cumque ab amicis moneretur, ut relicta obsidione *Angliam* festinaret, ne quid contra eum inimici veteres molirentur; mira justitiæ suæ confidentia respondit, illos nihil ausuros. Et quamvis multum instarent, non tamen, nisi obtento castro, obsidionem solvere adquievit. Expectante eum interim *Anglia*, & nulla (disponente Domino) in cunctis finibus ejus surgente procella. Et hujus quidem libri modus sit iste, ut a Regno *Henrici* secundi liber secundus incipiat.

* *Al.* Desciverat.

Explicit Liber Primus.

Incipit

Incipit Liber Secundus.

CAP. I.

De Primordiis Henrici *Regis secundi.*

ANNO à partu virginis M. CLIV. *Henricus*, Imperatricis filius, de *Normannia* in *Angliam* veniens, die Sancti *Leodegarii* consecratus est in Regem, hæreditarium Regnum sine diminutione suscipiens; congaudentibus & conclamantibus turbis, *Vivat Rex*. De novo enim Principe, post experta mala, meliora sperabant: præsertim cum magni jam principis in ipsis suis primordiis præferret imaginem. Denique edicto præcepit ut illi, qui ex gentibus exteris in *Angliam* sub Rege *Stephano* prædarum gratia tanquam ad militandum confluxerant, & maxime *Flandrenses*, quorum tunc in *Anglia* magna fuit multitudo, propriis Regionibus redderentur: Fatalem eis diem constituens, si quis post illum diem inveniretur. Quo edicto pavefacti ita in brevi dilapsi sunt, ut quasi phantasma in momento disparuisse viderentur. Moxque Castella nova, quæ in diebus avi sui, nequaquam extiterant, complanari præcepit: paucis tamen exceptis, quæ à viris pacificis ad Regni munimentum voluit retineri. Publice quoque legis in primis sollicitudinem habuit, ut lex quæ extincta videbatur paulatim exurgeret; ordinatis in cunctis Regni finibus viris & legum ministris, qui improborum audaciam coercerent, vel secundum causarum merita discernerent; ipse vel in deliciis erat, vel majoribus negotiis operam Regiam impendebat. Quoties vero a subditis contra iniquos judices pulsabatur, mox provisionis Regiæ remedium adhibebat, illorum negligentiam corrigens vel excessum. Talia novi principis initia fuere, stupentibus improbis, & congratulantibus pacificis.

1154 *Rex Henricus 2.*

Extranei Anglia discedere edicto jubentur.

Legum curam suscipit.

CAP. II.

Quomodo Dominica Regia redintegravit.

CONsiderans autem Rex quod Regii redditus & Dominica, per mollitiem Regis *Stephani*, ad multos jam Dominos devenissent, præcepit ea cum omni integritate, infra tempus certum, a quibuscunque detentoribus resignari, & in jus statumque pristinum revocari, quidam vero indies Cartas Regis *Stephani* protulerunt. Quibus fuit a Rege responsum, quod Cartæ invasoris præjudicium legitimi principis minime facere debuerunt. Primo ergo indignati, demum territi & consternati, ægre quidem, sed tamen integre usurpata resignarunt. Cumque fere omnes Regiæ voluntati paruissent, Rex *Transhumbrianas* partes adiit, ubi *Willielmum* Comitem *Albemarlensem* eadem qua ceteros auctoritate convenit. Ille vero diu hæsitans, multumque æstuans, tandem corde saucius potestati succubuit; & quæcunque ex Regio Dominico pluribus jam annis possidebat cum ingenti dolore resignavit; Maxime famosum illud & nobile Castrum, quod dicitur Skarthburgh, quod in summo planitiem habet speciosam plusquam sexaginta jugerum, & fonticulum aquæ vivæ ex saxo profluentem. Hunc locum memoratus Comes, qui tunc in *Eborum* Provincia plurimum posset, Castro construendo idoneum contemplatus, sumptuoso opere naturam loci juvans, totam Rupis planitiem muro amplexus

1156

Scarborough Reg. redditur.

Rex Henricus 2. us eft, & turrim in faucium anguftiis fabricavit; qua proceffu temporis collapfa, arcem magnam & præclaram Rex ibidem ædificari præcepit. In eadem ergo provincia, rebus ad votum geftis, Rex ad fuperiora *Angliæ* remeans, folum *Hugonem* de *Mortuo Mari*, virum fortem & nobilem, rebellem invenit, Caftrum Regium de *Brigia* retinendo. Qui cum juberetur propriis effe contentus, & reddere quæ de jure Regio poffidebat, pertinaciffime renuit, feque quibus potuit modis ad refiftendum præparavit. Rex ergo celeriter exercitu congregato *Brigiam* obfedit, & poft tempus modicum fortiter oppugnatam in deditionem recepit, eique, cujus cor paulo ante quafi cor Leonis fuerat, humiliato & fupplici veniam largitus eft. *Brigia Regi deditur.*

CAP. III.

Item repofcunt à Rege Scotorum *Northumbriam.*

1157 REgi quoque *Scotorum*, qui Aquilonales *Angliæ* Regiones, fcilicet *Northumbriam, Cumbriam*, & *Weftmerlandiam*, nomine *Matildis* dictæ Imperatricis & Hæredis ejus olim ad *David Scotorum* Regem adquifitas, tanquam jus proprium poffidebat, mandari curavit Regem *Angliæ* tanta Regni fui parte non debere fraudari; juftumque eft reddi quod fuo fuiffet nomine adquifitum. Ille vero prudenter confiderans Regem *Angliæ* in hac parte prævalere, prænominatos fines cum integritate reftituit repetenti; & ab eo viciffim Comitatum *Huntingdunenfem* prifco fibi jure competentem recepit.

CAP. IV.

Wallenfes *rebellare cœperunt.*

1157 VErum non multis diebus elapfis, inter Regem & Gentem Barbaram difcordia oritur. Unde Rex immenfis ex tota *Anglia* copiis congregatis Regionem *Walliarum*, qua facilior aditus videbatur, ingredi ftatuit, porro illi convenientes excubabant in terminis; & in planum progredi, vel aperto bello cum Loricatis congredi levis armaturæ homines caute declinantes delitefcebant in filvis, & viarum anguftias obfervabant. Sane *Wallenfes* reliquiæ Britonum effe nofcuntur; qui hujus infulæ, quæ nunc *Anglia* dicitur, olim cum *Britannia* dicebatur, incolæ primi fuerunt; ejufdemque nationis & linguæ effe probantur, cujus & *Britones* tranfmarini. Cum autem gens *Britonum* à fupervenientibus *Anglorum* populis exterminium pateretur; qui evadere potuerunt confugerunt in *Wallias*, contra irruptionem hoftium naturæ beneficio tutas: ibique hæc natio perfeverat ufque in præfentem diem, igitur Rex fines hoftium, contra locorum malitiam luctando, ingrediens, infaufta negotii initia habuit: pars enim exercitus per loca filvofa & humida incautius gradiens, hoftibus intercepta pro magna parte periit: & duo nobiles cum aliis multis corruerunt. Quidam vero fugientes, & Regem, qui in loco tuto confiftebat occubuiffe credentes, advenientibus adhuc & properantibus ad pugnam ordinibus Regem corruiffe nunciabant. Unde magnam exercitus partem finiftri rumoris atrocitate attonitam enormiter fugere compulerunt; ita ut fignifer Regius vexillo Regis abjecto fugæ fe crederet, & occurrentibus Regem extinctum proclamaret. Ob quod delictum poftea à quodam viro nobili proditionis ejus dedecus publice opponente, regii vigore judicii duello addictus eft, & ab eodem devictus, quem tamen judicio Rex juris fubducens apud *Redyngum* Monachum fecit, & patrimonium ejus ampliffimum fifco applicatum eft. Cumque Rex otius advolans turbatum exercitum proprio exhilaraffet afpectu; refumptis ilico animis & viribus, confufi ordines in ordinem

Wallenfium origo.

nem coierunt adverſus hoſtiles inſidias, ex tunc ſe cautius inſtruentes. Cumque Rex claſſem non modicam præparari juſſiſſet, ut eos per mare invaderet; ſtatim legati hoſtium venientes pacifice locuti ſunt; & traditis quibuſdam finium ſuorum munitionibus, tandem ſuos principes Regi adduxerunt ad homagium illi cum ſacramentis faciendum. Pacis ergo ſereno poſt belli nubilum gratius arridente, exercitus cum gaudio ad propria reverſus eſt; & Rex ad alia jam negotia converſus. *Rex Henricus 2.* *Pax cum Wallenſibus.*

CAP. V.

Frater Regis Rebellavit in partibus tranſmarinis.

CUm igitur, ſedatis *Wallenſibus*, *Anglia* in pace & ſecuritate ageret, nunciatum eſt Regi fratrem ſuum tumultuari in partibus tranſmarinis: cujus cauſa fuit hæc. Comes *Andegavenſis* pater eorum cum tres haberet filios, *Henricum*, *Gaufridum*, & *Willielmum*: ad extrema veniens; medio filiorum Comitatem *Andegavenſem* teſtamento reliquit, ſic dicens inter cætera teſtamenti ſui verba: Cum *Henricus* plenitudinem obtinuerit juris materni, id eſt, *Normanniam* cum *Anglia*, fratri *Gaufrido* tunc patrimonium integre dimittat: Interim vero dictus *Gaufridus* tribus Caſtellis, ſcilicet Schynonde, *Leoduno*, & *Mirabello* ſit contentus. Et, quia *Henricus* tunc abſens fuerat, idem Comes Epiſcopos & Nobiles, qui aderant, adjuravit, ne corpus ſuum ſepulturæ traderetur, niſi præſtito prius Sacramento à filio, quod paternum minime violaret teſtamentum. Deinde illo mortuo, mox ad exequias abſens filius concurrit; & audita adjuratione paterna diu hæſitavit. Tandem conclamantibus omnibus, ne ad ſempiternum ejus opprobrium, patris corpus inhumatum remaneret, victus ſuccubuit, & ſacramentum, quod exigebatur, non abſque dolore præſtitit. Cumque autem Regnum eſſet adeptus, à ſummo Pontifice beneficium abſolutionis conſecutus eſt: qua ratione tutus, nec teſtamento Patris nec petioni fratris ſatisfacere curavit. Unde indignatus frater, & tribus prænominatis Caſtellis bene munitis, confeſtim vicinas turbabat provincias. Rex autem exercitu prope congregato *Chynonem* obſedit, & in brevi per deditionem obtinuit, fratrique humiliato veniam dedit: & (ut occaſionem ſuperbiæ ei tolleret) terram planam ſibi & Caſtris contulit, & in *Angliam* reverſus eſt. Cito poſt præclaræ urbis *Namnethenſis* cives certum, in quo ſibi complacerent, Dominum non habentes, prædictum *Gaufridum*, induſtria ſtrenuum, ſibi in verum Dominum elegerunt; & accerſito ciuitatem cum adjacente provincia tradiderunt. At non diu hac felicitate functum mors immatura ſuſtulit: & Comes *Richemundenſis*, qui tranſmarinis *Britanniæ* magna ex parte præſidebat, eandem civitatem intravit. Quibus auditis, Rex dato mandato *Richemundenſem* comitatum fiſco præcepit applicari, ilico *Normanniam* & civitatem eandem tanquam nomine fraternæ ſucceſſionis repoſcens, eundem Comitem ita perſtrinxit, ut, vix tepide obluctari conatus, civitatem eandem reſignavit. 1159 *Teſtamentum Comitis Andegavenſis.* *Pontifex R. Henricum à juramento abſolvit.*

CAP. VI.

Incidentia.

EOdem quaſi tempore *Fredericus* Imperator ſubvertit civitatem *Mediolanenſium*, ubi inventa ſunt corpora tria magorum, qui adorabant Dominum, cum muneribus in die Epiphaniæ; ſed & aureus circulus eadem corpora, cum reperta ſunt, ambiebat, ut ſibi mutuo cohærerent. Anno ſcilicet primo iſtius Regis *Henrici* obiit *Anaſtaſius* Papa, ſucceſſor *Eugenii*, cui ſucceſſit *Nicholaus Anglicus Albanenſis* Epiſcopus, & mutato nomine dictus eſt *Adrianus* *Magorum corpora inventa.*

Rex Henricus 2.

Schisma in Eccles. Romana.

nus; eo post sextum annum mortuo, electi sunt in discordia duo Papæ, *Alexander* & *Victor*, & uterque in alterum excommunicationis sententiam tulit. Occidentales, *Anglia* scilicet & *Francia* cum insulis favebant *Alexandro*: Imperator vero *Fredericus* & sui favebant *Victori*: sed post *Turonense* Concilium judicio Dei victus morte succubuit. *Longobardi* etiam in libertatem pristinam se recipientes, civitatem *Mediolanensem* restauraverunt: & Imperatorem *Fredericum* contemnentes, contra ejus impetus civitatem *Alexandriam* ex nomine Domini Papæ (Cui se devotos esse gaudebant) sic vocatam apto loco condiderunt. Dictus autem *Alexander* Papa prius Concilium celebraverat *Thuronis* anno Domini M. CLXIII. ubi & quædam decreta ordinavit.

CAP. VII.

Hæretici venerunt in Angliam.

EOdem quasi tempore quidam Hæretici *Angliam* ingressi sunt, in universo quasi XXX. homines & feminæ Linguæ *Theutonicæ*, quendam *Gerardum* nomine aliqualiter literatum, tanquam præceptorem & principem impoliti & idiotæ sequentes. Rex vero deprehensos in custodia posuit, & indiscussos punire vel dimittere nolens, Episcoporum concilium apud *Oxoniam* celebrari præcepit: ubi de fidei articulis interrogati, ille literatus pro omnibus una voce respondit, Christianos se esse, & doctrinam Apostolicam se velle venerari; sacramentum vero, Baptisma, Eucharistiam, & conjugium detestantes, ausu nefario unanimiter respuerunt. Cumque divinis urgerentur testimoniis prædicta credere, se quidem ut instructi erant credere, de fide vero sua disputare nolle responderunt. Moniti ut pœnitentiam agerent, & in corpore Ecclesiæ unirentur, omnem consilii salubritatem spreverunt: minas quoque comminatas deriserunt, verbo illo Dominico abutentes, *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam*, &c. Tunc Episcopi, ne virus hæreticum latius serperet præcaventes, eosdem publice pronunciatos hæreticos, corporali disciplinæ subdendos Catholico Principi tradiderunt. Qui præcepit hæreticæ infamiæ Characterem frontibus eorum inuri, & (spectante populo) virgis coercitos ab urbe expelli: districte prohibens, ne quis eos vel hospitio recipere, vel aliquo solatio confovere præsumeret. Ad pœnam ergo ducti, gaudentes properabant, præeunte eorum magistro, & canente, *Beati eritis cum vos oderunt homines*, &c. Unam tamen mulierculam *Anglicam* deceperant: & illa metu pene discedens ab eis errorem confessa est, & reconciliationem meruit.

CAP. VIII.

Rex Henricus *Civitatem* Tholosanam *petiit.*

1160 ANno Regni sui VII. Rex *Henricus* in partes *Gasconiæ* magnum direxit exercitum: cujus causa fuit hæc. Avus uxoris suæ Comes *Pictavensis*, & Dux *Aquitaniæ* in expensis profusior (cum sibi proprii redditus sufficere non poterant) accepta à Comite Sancti *Ægidii* viro pecunioso pecunia non modica, nobilem illi cum pertinentiis civitatem *Tholosam* quasi loco pignoris apposuit, atque in fata decedens, absolvendi appositi operam ad filiam transmisit; qui etiam in hæredes ipsum transfudit negotium. Reliquit autem unicam filiam hæredem; quæ cum Regi *Francorum Lodowico* nupsisset, idem Rex nomine uxoris suæ *Tholosam* repetiit. Comes tamen Sancti *Ægidii* nihil juris obtendens, sed & possessioni incumbens, tandem sic Regem nuptiis placavit, accipiendo sororem suam in uxorem, quæ post mortem *Eustachii* filii Regis *Stephani*, cujus uxor fuerat, ad fratrem reversa est. Verum, cum postea cele-

brato

brato inter Regem *Francorum* & uxorem ejus divortio, eadem ad nuptias Regis transiisset *Anglorum*: mota est rursum quæstio super *Tolosa* justis hæredibus resignanda. Memorato vero Comite restitutionem negante, & Regem *Francorum* suæ possessionis auctorem laudante, Rex *Anglorum*, contracto ex universis terris suæ ditionis exercitu, *Gasconiæ* fines ingressus est. Invitati quoque ab eo amici, ut sequerentur vel occurrerent, ingentibus copiis auxerunt exercitum: præcipue Comes *Bartmonensis*, qui & Regnum *Arragonum* ratione conjugis suæ tenuit, nec tamen voluit Coronari seu Regio nomine vocari, dicens se, licet fortuna beatum, non tamen natura suis antecessoribus meliorem. *Willielmus Frentenellensis* Dominus *Bederensis*, vir magnus & potens, qui in manus prædicti Comitis Sancti *Ægidii* antea inciderat, cum quantis poterat viribus se Regi *Angliæ* adjunxit. Porro idem Comes de Sancto *Ægidio* tanti exercitus impetum pertimescens, Regis *Franciæ* uxoris suæ Germani auxilium imploravit. Qui zelando pro nepotibus ex sorore sua procreatis, festinus advenit, & cum aliquanta militia *Tolosam* ingressus est. Quod cum innotuisset Regi *Anglorum*, personæ Regis ibidem consistentis deferens, civitatem oppugnare distulit, & ad pervadendam provinciam expugnandasque munitiones convertit exercitum. *Caturcensem* quoque civitatem, quæ à se defecerat, & fines ejus cum universis Castellis deditione recepit. Quibus actis, & memorato *Willielmo* Trenthenayl munitionibus, quas illi forte bellica Comes *Ægidiensis* extorserat, redditis, *Normanniam* rediit.

Rex Henricus 2.

CAP. IX.

Orta dissentio inter Regem Franciæ *&* *Regem* Angliæ.

SEquenti vero anno, qui fuit Regni ejus octavus: ira inter Regem ipsum & Regem *Francorum*, tempore expeditionis prædictæ concepta, causis ingravescentibus, tandem quasi aperta erupit. Denique immensis hinc inde exercitibus congregatis, & in terrarum confiniis castris e Regione dispositis, uterque princeps cum suis copiis consistebat: quia & progredi periculosum, & retrogredi indecorum videbatur: paratior tamen erat uterque exercitus, propter bellici finis ambiguos exitus, prælium excipere quam inferre. Et, ne duorum hominum zelus & superbia strages multorum parerent populorum, viri pacifici ea, quæ pacis sunt, in hac hæsitatione fecerunt. Verum, quia sub clipeo, ut dici solet, melius plerumque procedit pacis negotium, principes nostri, qui pacis auditum antea respuerant, bonum pacis quasi de facili amplexati sunt. Ipsis ergo pacificatis, populus ad sua rediit & quievit.

1161

Pax inter duos Reges.

CAP. X.

Thomas Cantuariensis.

EOdem anno *Theobaldus Cantuariæ* Archiepiscopus decessit; Cui *Thomas* Cancellarius Regis anno sequenti successit. Post Concilium *Thuronense*, cum ipse *Thomas* Archiepiscopus cum cæteris fratribus ad propria esset reversus, mox Regnum & sacerdotium in *Anglia* disceptare cœperunt: & facta turbatio non modica super prærogativa ordinis Clericalis. Rege enim circa curam Regni satagente, & malefactores sine delectu exterminari jubente, à suis judicibus intimatum est, quod furta, rapinæ, & homicidia sæpius à Clericis committebantur, ad quos laicæ jurisdictionis vigor non posset extendi. Quamobrem acri motu turbatus, contra malefactores Clericos suas posuit Leges,

1161

Leges contra Clericos sancitæ.

Rex Henricus 2. ges, in quibus utique publicæ justitiæ zelum habuit, sed fervor immoderatior modum excessit. Ex tunc, contradicente *Thoma* Archiepiscopo, ira Regis excanduit, & crevit in immensum, prout in vita ipsius satis patet.

CAP. XI.

Wallenses *secundo rebellaverunt.*

1162 ANno Regis *Henrici* nono, *Wallenses* petulanter rupto fœdere, obsidibus quoque, quos in fidem paucorum dederant, periculo expositis, vicinos *Anglorum* fines turbare cœperunt. Unde Rex, immenso exercitu adunato, hostium fines ingressus est, ipsos frænatis excursibus ita coartans inclusos, ut pacem meditari & facere cogerentur. Ex ipsis ergo recedens transfretavit, filiorum promotioni & ditationi intendens. Quippe ex *Alienora*, quondam *Francorum* Regina, quatuor filiis procreatis, *Henricum* natu majorem Regni *Angliæ*, & Ducatus *Normanniæ* cum *Andegavensi* Comitatu successorem relinquere: *Richardum* vero *Aquitaniæ*, & *Galfridum Britanniæ* præficere cogitabat. Quartum natu minimum *Joannem* scilicet sine terræ agnominans. Tres quoque ex eadem habens filias, unam Regi *Hispaniæ*, alteram Duci *Saxoniæ* despondit: tertiam nondum nubilem Regi *Siciliæ* suo tempore comparem daturus. *Britanniam* vero sic filio suo adquisivit.

Henricus 2. Regnum filiis dividit.

CAP. XII.

Britanniam *adquisivit Rex.*

COntigit enim *Conanum* Comitem *Richemundensem*, qui majori *Britanniæ* parti Dominabatur, in fata decedere, relicta ex sorore Regis *Scotorum* hærede filia unica, quam Rex innubilem impuberi filio copulans, omne jus puellulæ in propriam potestatem redegit. Cumque à quibusdam potentioribus regnare volentibus ibidem inferiores premerentur, confestim Regis *Anglorum* auxilium expetentes, ejus se ditioni spontanee subdideruut. Quibus Rex prompto animo, & profusis opibus auxilium præstans, ipsos potentes mox expugnatos subjecit: sicque in brevi *Britannia* tota potitus, turbatoribus vel expulsis vel domitis, eam in cunctis finibus suis ita dispofuit, ut, populis in pace agentibus, deserta paulatim in ubertatem verterentur.

CAP. XIII.

Obiit Godericus.

1164 EOdem quasi tempore obiit *Godericus Heremita* de Fynkhale. Eodem etiam tempore anno scilicet Regni Regis *Henrici* XI. obiit *Malcolmus* Rex *Scotiæ*, cui successit *Willielmus* frater ejus.

CAP. XIV.

Obiit Robertus Lincolnienfis.

1167 ANno Domini M. CLXVII. & Regis *Henrici* XIV. obiit *Robertus Lincolniensis* Episcopus successor *Alexandri*: redactoque in fiscum Episcopatu,

tu, vacavit Ecclesia pastore annis XVII. sed post mortem Regis in eodem anno *Galterius Constantiensis* factus est *Lincolniensis* Ecclesiæ antistes: sicque evacuata est prophetia vel potius divinatio conversi *Thamensis* de suo non Dei spiritu prophetantis, quod *Lincolniensis* Ecclesia pontificem ulterius non esset habitura. *Rex Henricus 2.*

CAP. XV.

Item Reges Franciæ & Angliæ *discordes pacificantur.*

ANno Regni Regis *Henrici* XVI. Ipse & Rex *Francorum* cum jam in parte 1169
fuissent discordes, mediantibus viris pacificis, pacis iterum inter se jura firmarunt. Illius autem discordiæ fuit hæc causa. Tempore Regis *Stephani* Comes *Andegavensis* invasit obtinuitque *Normanniam*, præter *Gisortium* & duo alia quasi appendentia Castella, quæ in potestatem Regis *Franciæ* jam devenerant. *Causa dissidii inter duos Reges.* Hanc juris *Normannici* diminutionem Rex *Anglorum* non patiens, arte magis quam jure in hac parte duxit utendum. Namque per *Thomam* Cancellarium suum egit apud Regem *Francorum*, ut filia ejus ex filia Regis *Hispanici*, quæ nupserat ei post *Alienoram*, primogenito suo *Henrico* daretur in conjugem: munitionibus illis in dotem cedentibus, quæ tamen à Templariis tanquam in sequestro custodirentur, donec pueri, qui nondum per ætatem nuptias contrahere poterant, suo tempore nuptialiter convenirent: Rege *Anglorum* interim utriusque pueri habente custodiam. Verum idem Rex, aliquot annis elapsis, productioris moræ impatiens, inter eosdem pueros nuptias celebrari fecit præmaturas: & à Templariis Castella recepit. Quamobrem, sævientibus *Francis*, ipsum quidem prævaricationis, Templarios autem proditionis accusantibus, ad lites & bella ventum est. Sed crebris experimentis edocti, ejusdem Regis potentiæ vim inferri non posse, iraque paulatim defervescente, tandem, pactis quibusdam mediantibus, acquieverunt ut fieret pax, & facta est; pax non quidem solida sed temporalis, ut postea claruit. *Pax inter duos Reges.* Nempe memorati duo Reges nunquam diu inter se quievisse noscuntur, populis hinc inde plecti assuetis, quicquid illi per superbiam delirassent.

CAP. XVI.

Quomodo Rex fecit coronari filium suum.

ANno Domini M.CLXX. & Regni Regis *Henrici* XVII. Idem Rex *Henricus* 1170
filium suum in ætate tenera fecit solemniter consecrari & coronari in Regem *Londoniis*, per manum *Rogeri Eborum* Archiepiscopi. Nam venerabilis *Thomas Cantuariensis*, Rege nondum placato, adhuc in *Galliis* exulabat. Qui cum post septimum exilii sui annum in gratiam Regis susceptus, & ad propriam sedem reversus, in Episcopos novum Regem coronantes sententiam excommunicationis auctoritate Papæ fulminasset: & hoc audito ipse Rex, ex abundantia cordis turbidi, verba non sana eructasset: egressi sunt satellites, pro Domino temporali æmulantes, qui, in ipsa Sancta matre Ecclesia, hora quasi vespertina, ipsum Deo obtulerunt sacrificium vespertinum. *Thomas Cantuar. Archiepisc. in Ecclesia occisus.*

CAP. XVII.

Hibernia *Conquæſta.*

1171 ANno Domini M. CLXXI. Qui fuit Regis *Henrici* ſecundi XVIII. *Hibernia*, quæ nunquam prius externæ ſubjacuit ditioni, aut raro vel tepide bello pulſata, ſequenti modo Regis *Angliæ* poteſtati ſubdita eſt. Cum enim conſueta eſſet Reges habere plurimos, qui multoties diſceptantes in mutuam ſedem proruperunt, contigit quendam Regum terræ illius à finitimis Regibus impetitum nimis coartari. Inito ergo concilio, & miſſo feſtinanter in *Angliam* filio, accerſunt viros militares, & juventutem ſtrenuam, ſpe lucri profuſioris illectam; nec ſuos adjutores abire paſſus eſt, ſed tanta eos largitate dotavit, ut, obliti populum ſuum & domos patrum ſuorum, perpetuam ibidem habitationem eligerent. Cum autem cito poſt contra eundem Regem ferociſſimi totius *Hiberniæ* populi indignari & tumultuari inciperent, eo quod gentem *Anglicam Hiberniæ* immiſiſſent; illi metuentes paucitati ſuæ, accitis ex *Anglia* viris inopia laborantibus, & lucri cupidis, vires paulatim auxerunt. Et quia nondum habebant proprium principem, nec pro voto paſtorem, arceſſerunt ex *Anglia* præficiendum ſibi virum nobilem & potentem, Comitem ſcilicet *Richardum.* Qui cum eſſet magnanimus, & ſupra vires in expenſarum profuſione, profugus ampliſſimiſque redditibus extenuatus, & creditoribus obnoxius facilius adquievit. Armatorum ergo juvenum plurima validaque manu contracta, claſſem magnam transfretaturus parabat. Cumque eſſet paratus ad iter, affuerunt qui ex parte Regis *Henrici* transfretationem inhiberent. Ille vero majoris honoris cupidus non adquievit, ſed transfretans præſtolantes ſocios optato lætificavit adventu. Junctis mox copiis vehementi impetu irruit ſuper *Dyvelynum* urbem maritimam noſtrarum quaſi *Londoniarum* æmulam: qua fortiter celeriterque expugnata & capta, plurimos etiam longius poſitos, metu ſuo territos, in fœdus venire coegit. Inſiſtebat finitimis, Dominationem paulatim protendens, & locis optimis munitiones conſtruens. Porro nationis barbaræ gratiam & affinitatem affectans, fœderati Regis filiam uxorem accepit, magna Regni parte nomine ſibi dotis data. Cujus tam fauſti ſucceſſus cum Regi innotuiſſent *Angliæ*, motus eſt Rex, eo quod non ſolum inconſulto, ſed etiam ipſo inhibente, rem tantam fuiſſet aggreſſus; & tantæ adquiſitionis gloriam ſibi tanquam præcellenti vix aſcripſiſſet. Mox omne ejus in *Anglia* patrimonium fiſco juſſit applicari; &, ne quod ex *Anglia* ſubſidium *Hiberniæ* inferretur, commeatus navium penitus interdixit; fortiora quoque comminans, Comitem in ſuam gratiam redire compulit jam pene Regnantem. Itaque extorſit ei famoſiſſimam civitatem *Dyvelinum*, & cætera quæ in adquiſitione potiora videbantur, parte vero reliqua cum patrimonio ſuo *Anglico* juſſit eſſe contentum. Rex autem *Anglorum* poſt modicum in *Hiberniam* cum ingenti militia transfretavit, & Reges inſulæ, qui eatenus rebelles extiterant, adventu ejus pavefactos, ſine ſanguine ſubjugavit. Rebuſque pro voto diſpoſitis eodem anno in *Angliam* rediit cum gaudio & ſalute.

Dublinium à Comite Richardo expugnatur.

Rex Henricus Hiberniam ſubjugat.

CAP. XVIII.

De diſcordia inter Patrem Regem & filium Regem.

1173 ANno Domini M. CLXXIII. Et Regis *Henrici* ſecundi XX. facta eſt execrabilis & fœda diſſentio inter ipſum & filium ejus *Henricum* tertium, quem ante biennium ſolemniter fecerat coronari. Cum enim ab æmulis ei dicere-

tur

tur quod solus Regnare deberet, quasi, eo coronato, & Regnum expirasset paternum, indignans maxime expensas sibi Regias partius ministrari, mox infremuit, clamque ad Regem *Francorum*, cujus filiam duxerat, profugiens, ab eo grate susceptus est, non tantum quia gener erat, sed quia à Genitore descive-rat. Pater vero filii adversione comperta, missis ad Regem *Francorum* viris pacificis, filium paterno jure poscit; &, si quid emendandum videretur, ejusdem Regis consilio se fruiturum pollicens. Ad hæc ille, quis mihi, inquit, talia mandat? Rex, inquiunt, *Anglorum*. Et ille, falsum est, inquit, Rex *Anglorum* ecce adest. Si autem Patrem hujus olim *Anglorum* Regem, etiam nunc Regem appellatis, scitote quod ille Rex quasi mortuus est. Porro quod adhuc pro Rege se gerit, cum Regnum filio teste resignaverit, mature emendabitur. Mox idem *Henricus* Junior hostis naturæ, nec exemplo territus scelestissimi *Absalonis*, consilio *Francorum* partes *Aquitaniæ* clandestine adiit, & inde duos suos fratres impuberes, *Richardum* & *Gaufridum*, connivente matre, in *Franciam* traduxit. Comitem quoque *Flandrensem* grandibus promissis illectum sibi adduxit. Comes etiam *Leicestrensis*, & Comes *Cestrensis* cum multis aliis, Rex etiam *Scotorum* cum Populo suo à Rege patre discedentes, Regi filio imposterum adhæserunt. Rex ergo pater hoc cognito mox stipendiarias *Brabancionum* copias, quas *Rictas* vocant, profusis Thesauris accersivit. Mense ergo *Junio*, quando solent Reges ad bella procedere, prædicti *Reges* contractis undecunque viribus Regem hostiliter aggrediuntur *Anglorum*, æmulantes pro filio contra patrem. Itaque Rex *Francorum* oppidum *Vermillium* circumfuso conclusit exercitu. Comes vero *Flandrensis* cum suis copiis à parte *Flandriæ* irruens obsedit *Albermarliam*; sed Comes ejusdem cum *Flandrensi* collusionem faciens, expugnato velociter oppido captus est, cum omnibus, quos illic Rex *Angliæ* causa præsidii miserat; alia autem Castella sua quasi gratis resignavit. Inde vero *Flandrensis* exercitus progrediens Castellum novum adhibitis machinis fortiter oppugnavit, quo tandem reddito non inde gavisus est. Frater enim ejus Comes *Bononiensis*, in ejusdem oppidi oppugnatione sagitta percussus, decubuit; quo tandem mortuo, Comes ad sua reversus est, sibi sinistrum eventum objectans & imputans, eo quod Regem consobrinum suum, à quo nunquam læsus, sed crebro beneficiis præventus extiterat, causa nequissimi filii hostiliter impetisset. Quo comperto Rex *Angliæ* de consilio suorum Regi *Franciæ*, quia jam partem æstatis plurimam in prænominati oppidi obsidione consumpserat, denunciavit ut obsidionem deserret, vel ad diem certum sibi bellum indiceret: & primum quidem *Franci*, natura feroces simul & arrogantes, denunciationem deriserunt, id eum nullatenus ausurum arbitrantes; verum agnito quod cum instructo adveniret exercitu, illico Rex eorum, accitis festine optimatibus, cœpit cum eis tractare de bello; missisque nunciis Regi *Anglorum* in obviam, jussit ut ab ore ejus acciperent utrum congressurus accederet. Cui cum dicerent Regem *Frnncorum* velle certificari de prælio, vultu feroci & voce terribili, ite, inquit, dicite Regi vestro quia ecce adsum. Cumque festinanter reversi, instantis jam de proximo principis ferociam & obstinationem indicassent, mox Rex & optimates consilium habuerunt ut pro tempore cederent, & illa vice ejus impetum declinarent. Itaque castris relictis confestim in *Franciam* refugerunt, armati tamen, & compositis ordinibus, ne fugere viderentur. Sicque illi, qui paulo ante ferocibus animis Leones videbantur, tanquam Lepores fugiendo cedendoque inventi sunt. Porro Rex *Anglorum* indecora hostium suorum fuga contentus, urgere vel prosequi noluit abeuntes; sed, hostium Castris cum supellectili varia direptis, præfatum oppidum cum solemni lætitia, eisque qui ibidem fortiter egerant congratulaturus, intravit. Interea quidam *Normanni* cum quibusdam *Anglis* conducto convenientes & conglobati, *Dolense* oppidum tenuerunt, quod juris quidem est *Britannici*, sed *Normannicis* finibus continetur. Quo audito, *Brabanciones* Regii cum eis mature congressi, primo eorum multitudinem in oppidum refugere, moxque capto oppido in unius

Rex Henricus 2.

Henricus Junior ope & consilio Regis Galliæ patri rebellat.

Galli fugati

Rex Henricus 2.

arcis anguftias fecedere compulerunt. Statimque rumor defertur ad Regem *Rothomagi* confiftentem; qui, longa terrarum fpacia in brevi tranfmeans, tam feftinus affuit, ut volaffe videretur. Cumque oppugnandæ arci intenderet, conclufa multitudo anguftias illas non ferens, mifericordiam imploravit, & pactus eft ei Rex vitam cum integritate membrorum, & arce dedita omnem multitudinem cuftodiæ mancipavit. Ibique Comes *Ceftrenfis* captus eft cum aliis nobilibus fere centum.

Comes Ceftr. capt.

CAP. XIX.

De his quæ in Anglia *fiebant, & de Rege* Scotorum.

CUm in tranfmarinis partibus circa Regem talia gererentur, in *Anglia* quoque non diffimilia provenerunt, cum etiam Comes *Leiceftrenfis*, qui primus à Rege defecerat, plurimos petulanti corrupiffet exemplo. *Richardus* de **Lucy**, qui tunc *Angliæ* fub Rege præerat, accepto à Rege mandato, & exercitu propere convocato *Leiceftriam* obfedit; qua dedita & incenfa, ad alia fe negotia convertit. Porro Rex *Scotorum*, agnito quantum Rex *Anglorum* in *Normannia* laboraret, cum gentis Barbaræ & fitientis fanguinem immaniffimis copiis *Anglorum* fines ingreffus, civitatem * *Cardulienfem* obfidione circumdedit, totamque adjacentem provinciam cædibus & rapinis confumpfit. Comperto autem quod prædictus *Richardus* de **Lucy** ex fuperiori *Anglia* cum ingenti exercitu adveniret, mox obfidionem reliquit, & vaftata *Northumbria* à facie procerum noftrorum in propria fe recepit. Qui tamen advenientes cum militaribus copiis, & amnem *Twedam* tranfeuntes, terræ hoftili talionem nullo obfiftente intulerunt; fed mox ferventibus nunciis ad fuperiora *Angliæ* revocantur. Comes enim *Leiceftrenfis* cum Claffe hoftili de *Flandria* veniens, adjuncto fibi *Hugone Bigoto*, civitatem *Northwicenfem* præfidio vacuam effregit, &, abrafis opibus, inde ad infignem vicum maritimum, qui dicitur **Donewyk**, fimiliter irrepturus acceffit: fed habitatorum illius, qui fe ad excipiendum ejus impetum conftanter præparabant, fiducia territus, continuo receffit. Tandem prædictus Comes de numero confidens, & virtute fociorum, habebat enim equites circiter octoginta millia electos, & peditum fortium quatuor vel quinque millia; putans etiam neminem fibi obftiturum in via, verfus *Leiceftriam* cum totis fuis copiis iter arripuit: Regii autem proceres apud Sanctum *Edmundum* cum copiofa militia ejus adventum expectabant. Cumque prope jam effet, ftatim inftructum contra eum exercitum produxerunt. Comes vero cum fuis neque ad dexteram neque ad finiftram declinare valentes, turmis difpofitis, audacter procefferunt. Commiffum eft itaque grave prælium; fed tandem captus eft Comes cum conjuge fua virilis animi fœmina, & toto fere equitatu; fed & omnis peditum multitudo fere interiit. Infignes quoque captivi in *Normanniam* ad Regem miffi funt: viri autem Comitis, qui erant in munitionibus, cum aliquantulum quieviffent, rurfus effrænati, & quafi ante Domini fui ultionem inflammati, & aggregata fibi improborum multitudine, vicinas provincias excurfionibus infeftare cœperunt; &, ut principem magni nominis habentes fiducialius agerent, *Huntingdunenfem* Comitem *David*, fratrem Regis *Scotorum*, Ducem fibi ac principem elegerunt. Quo tandem feliciter debacchante & procedente profpere ad plurima, Comes *Ferrarienfis*, & vir nobilis *Rogerus* de **Moubray** animum diu diffimulatum declarantes, poft defectores cæteros abierunt. Nec ceffabat eo tempore Rex Junior optimates *Anglorum*, qui Patri adhærere videbantur, per clandeftinas literas vel promiffionibus allicere, vel comminationibus pulfare, ut eos ad fuas quocunque modo partes traduceret. Quamobrem tunc in *Anglia* pauci nobiles fuiffe traduntur, qui non circa Regem vacillarent, ab eo pro tempore defecturi, nifi maturius eorum meditationibus fuiffet obviatum.

Norvicum direptum.

Comes Leiceftr. cum uxore captus.

Comes Ferrarienf. rebellibus fefe adjungit.

* Carlcolenfem.

CAP.

Rex Henricus 2.

CAP. XX.

Rex Pater Angliam *rediit*, & *Rex* Scotorum *eam invasit.*

IGitur, secundo initæ contentionis anno, Comes *Flandrensis* fraterni jam oblitus exitii, præ ambitu *Anglicanæ* Provinciæ, quæ *Cantia* dicitur, de qua scilicet Regi Juniori hominium fecerat, cum eodem in *Angliam* transiturus, magnam Classem præparabat. Rex vero *Francorum* contractum undecunque exercitum invasurus *Normanniam* instruebat. Quibus cognitis, Rex *Anglorum* senior, malens sibi fines suos transmarinos periclitari quam Regnum, (quos tamen caute credidit muniendos) cum aliquanto equitatu, & una *Brabancionum* turma *Angliam* ingressus est. Interea Rex *Scotorum* cum propriæ gentis infinita multitudine *Barbariæ*, accersitorumque ex *Flandria* stipendiariorum manu non modica, fines *Anglorum* ingressus, duas munitiones Regias in *Westmeria*, scilicet *Burgum* & [a] Alipelby præoccupatas & sine præsidiis inventas obtinuit. Indeque digrediens iterum urbem [b] *Carduliensem* obsedit, sed à trepidis civibus cautione præstita, quod ad diem certum civitatem illi traderent, nisi interim à Rege *Angliæ* sufficiens sibi præsidium mitteretur, ad oppugnandam munitionem de Prudhon convertit exercitum. Sed cum per dies aliquot casso & suis magis noxio labore esset fraudatus, audiens in *Eborum* provincia contra eum militiam excitari, Tyne transmisso *Northumbriæ* fines invasit, &, dum sui prædæ ibi insisterent, jugulare senes, trucidare parvulos, eviscerare fœminas, genti inhumanæ & feris plus efferatis voluptas fuit. Ipsis ergo Barbaris inhumane debacchantibus, Rex ipse honestiori mitiorique stipatus militia observabat Castellum de Alnewyk, ne forte manus ex eo militaris erumpens circumquaque grassantes perturbaret prædones.

Rex Scotorum Angliæ fines invadit.

Carleolum obsessum.

Idem Northumbr. fines invadit.

CAP. XXI.

Captus est Rex Scotiæ.

HIs itaque gestis, *Eborum* Provinciæ Regii proceres apud *Castellum Novum* cum equitatu valido convenerunt; urgente quippe negotio Pedestres 1174
non poterant copias congregare. Et, cum in communi tractarent quid esset agendum, prudentiores allegarunt multum jam esse actum, cum Rex *Scotorum*, adventu eorum præcognito, longius in parte recesserat: suæ ergo mediocritati pro tempore debere sufficere, nec esse eis tutum ulterius progredi, ne forte paucitatem suam infinitæ Barbarorum multitudini exponerent devorandam. Sibique non esse plusquam quadringentos equites, & in hostili exercitu plusquam octoginta armatorum millia æstimari. Ad hæc ferventiores responderunt, hostes nequissimos modis omnibus esse impetendos, & victoriam desperari non debere, quæ proculdubio justitiam sequeretur. Denique horum sententia prævalente, (ut ordinationi divinæ magis quam humanæ potentiæ adscriberetur eventus) in quibus erant principes *Robertus* de *Scotevilla*, *Ranulphus* de *Glanevilla*, *Willielmus* de Westy, *Bernardus* de *Balliolo*, nocturna requie paulisper recreati, summo mane progressi sunt, tanta velocitate properantes, ut quibusdam armorum pondere gravatis minus tolerabile videbatur ante horam quintam XXIV. millia passuum transmeasse. Verum dum irent, tam densa eos operuit nebula, ut pene nescirent quo irent: tamen prudentiores periculosum iter causantes certum discrimen imminere dixerunt, nisi mox redirent converti: Ad hæc *Bernardus* de *Balliolo*, vir nobilis & magnanimus, re-

[a] Appleby. [b] Carleolensem.

 cedat,

Rex Henricus 2.

cedat, inquit, qui voluerit, ego autem etiam nullo ſequente procedam: abſit quod perpetuam nobis maculam recedendo inferamus. Cum ergo procederent, Caſtellum de Alnetwyk, ſubito evaneſcente nebula, præ oculis habentes, id ſibi tutum receptaculum ſi hoſtes urgerent læti cenſuerunt. Et ecce Rex *Scotorum* cum turba equitum circiter ſexaginta procul in Campis tanquam ſecurus, & nihil ſibi metuens, irruptionem noſtrorum à Caſtro obſervabat, barbarorum multitudine cum parte equitatus ad prædas late diſperſa. Qui nimirum noſtris conſpectis, primo quidem eos de ſuis à præda redeuntibus eſse ratus eſt. Sed mox vexillis noſtrorum caute notatis, tunc demum intellexit noſtros jam auſos, quod ipſos nec ſuſpicari potuit eſse auſuros. Ac tum non eſt territus, ſed mox ferociter arma concutiens, ſuoſque verbo ſimul & exemplo accendens, modo, inquit, apparebit quis miles eſse noverit. Primuſque in hoſtem ſequentibus cæteris irruens, mox à noſtris excipitur; atque interfecto dejectus equo fere cum turma ſua capitur; quidam etiam qui tunc forte aberant, ſed non longe erant, agnito quod acciderat, mox curſu rapidiſſimo affuerunt, atque in manus hoſtium ingerentes ſe potius quam incidentes, Dominico communicare periculo honeſtum crediderunt. Porro *Rogerus* de * Mulſay, qui ibidem tunc aderat, Rege capto elapſus evaſit, refugitque in *Scotiam*. Noſtri vero Proceres nobilem cum gaudio prædam revehentes, *Caſtellum Novum*, unde mane digreſſi fuerant, veſpere redierunt. Geſtum eſt hoc feliciter Deo propitio anno ipſius Domini M. CLXXIV. tertio *Idus Julii* in Sabbato. Regis ergo captione comperta, Barbari primo attoniti à prædis deſtiterunt. Sed cito poſt tanquam furiis agitati, ferrum contra hoſtes ſumptum in ſeipſos finaliter verterunt; interfectis quibuſdam prius *Anglicis*, qui inter eos habitationem elegerant, & quorum magna pars in eorum exercitu fuerat; refugientibus tamen in munitiones Regias aliquibus, qui evadere potuerunt. Erant autem in illo exercitu duo fratres, *Gilbertus* ſcilicet & *Uthredus*, *Galwadenſis* Provinciæ Domini, inter quos poſt mortem Patris eorum Rex *Scotiæ* hæreditatem diviſerat. Verum *Gilbertus* natu major paterni juris integritate fraudatum ſe dolens, fratrem ſemper in corde ſuo oderat. Cum tamen concepti furoris impetum metus Regius cohiberet: capto autem Rege liberatus hoc metu, mox fratri nihil verenti manus injecit, & non ſimplici nece ſed execrabili odio excruciatum variis ſuppliciis interemit, ilico fines fraternos invadens: & barbaris in barbaros ſævientibus, non modica hominum ſtrages facta eſt. Erat autem fratri interfecto filius acer *Rolandus* nomine, qui, amicis paternis cooperantibus debacchanti patruo pro viribus reſiſtebat. Eratque totum Regnum *Scotiæ* turbatum, Deo æquiſſime diſponente, atque ea menſura remetiente improbis, qua ipſi menſi fuerant innoxiis, ut qui paulo ante *Anglorum* quietem turbaverant, & eorum ſanguinem ſitierant, ordine pulcherrimo à ſe ipſis reciperent talionem.

Quadringenti equites Angli 80000. Scotorum, capto eorum Rege, fundunt.

Rogerus Molbraius refugit in Scot.

Fratricidium enorme.

CAP. XXII.

Rex Cantuariam *venit.*

1174

REx autem *Henricus* ſecundus, ut præfatum eſt, *Angliam* ingreſſus, recordatus eſt quantum in Eccleſia *Cantuarienſi* deliquiſſet, eandem mox vero applicuit, concite adiit, &, ad ſepulcrum Beati *Thomæ* profuſis vultu lachrymis, capitulum Monachorum ingreſſus, propriæ petitionis inſtantia, à cunctis per ordinem fratribus virgis eſt vir tantus corporaliter caſtigatus. Denique ipſe qui tangit montes, & fumigant, iſtius montis fumigantis devotionem attendens, ipſa die, atque ipſa ut dicitur hora, qua mons iſte *Cantuariæ* fumigavit, hoſtem ejus imaniſſimum ſcilicet Regem *Scotorum* in extremis *Angliæ*

Rex Henricus virgis flagellatus.

* *Matth. Par.* Molbraius.

finibus,

finibus, ut prædictum eft, peffumdedit. Nam cum *Londoniis* modicam fe- *Rex Henricus 2.*
ciffet moram, ecce circa noctem mediam nuntius quidam veniens pulfando Janitores cuftodefque vehementer excitavit: Increpatus & juffus ut taceret, nequaquam adquievit, dicens, nuncius ego fum, & bonum utique feftino nuntium. Vicit tandem inftantis improbitas, & introductus in cubiculum Regium excitavit audacter quiefcentem: qui expergefactus, quis, inquit, es tu? & ille, puer, inquit, fum *Ranulfi* de *Glanevilla* fidelis veftri, à quo miffus bonus venio nuntius, fanus ne eft *Ranulfus* nofter? & ille valet, inquit, & ecce hoftem veftrum Regem *Scotorum* captum tenet in vinculis apud *Richemundiam*. Rex vero ad hoc ftupidus, dic, inquit, adhuc: at ille iteravit verbum. Habes ne, ait, literas? mox ille protulit literas rei geftæ feriem continentes. Quibus Rex infpectis, ftatim de ftrato exiliens, quibus potuit motibus, ei, qui facit mirabilia folus, piis Lachrymis madidas gratias egit. Mane autem venerunt & alii curfores id ipfum nunciantes, fed primus ut meruit brabium accepit.

CAP. XXIII.

De obfidione Rothomagi.

INterea Rex *Francorum* cum tremendo exercitu *Normanniam* ab oriente in- 1174
greffus, *Rothomagum* ejufdem provinciæ Metropolin adiit, & obfedit: Porro Rex Junior & Comes *Flandrenfis*, cum in *Angliam* claffe parata transfretandi oportunitatem captarent, cognito quod Rex Senior jam in *Anglia* confifteret, eorum impetum experturus, mutato confilio, illas terribiles copias *Rothomagum* tranftulerunt. Verum, cum tantus effet exercitus, quantus in *Europa* ab annis retro plurimis vifus non eft, ejufdem tamen urbis, propter acceffus difficiles, partem vix tertiam potuit obfidere, eratque per pontem è regione liber ingreffus in urbem & egreffus, videntibus inimicis & invidentibus. Paratis itaque ad oppugnandam civitatem machinis, totis viribus oppugnationi infiftitur; in die naturali per octavas horas partito trifariam exercitum diviferunt, ut alii aliis, recreati fcilicet lafsatis per vices fuccederent, & defenfores murorum, nec in modico refpirare permitterent. Sed hoc fruftra; cives enim cautela confimili occurrentes, fuum trifariam numerum divi-ferant, & hoftium impetus fufcipientes peroptime & per vices eifdem correfponderunt. Cumque per dies plurimos fic certaretur, & neque hi neque alii in aliquo remiffius agerent, Beati *Laurentii* dies feftus affuit. Rex autem *Francorum* pro ejufdem martyris reverentia, quem fpecialiter confueverat venerari, requiem ipfo die civitati indultam juffit voce præconia publicari; quam gratiam cives grate amplexi otio breviffimo jocundiffime fruebantur. Juvenes enim & virgines, fenes cum junioribus Deo & Sancto *Laurentio* gratias agentes, cum pro diei lætitia, tum etiam ad irritandos hoftes, canoris vocibus concrepabant. Turma etiam militaris extra civitatem fuper Ripam fluminis in confpectu hoftium haftiludio exercebantur ad laudem. Mox Comes *Flandrenfis*, ut dicitur, Regem adiens, ecce, ait, Civitas pro qua jam multum fudavimus, his intus choros ducentibus, & illis foris fecure ludentibus, fponte nobis offertur. Sumat ergo arma in filentio exercitus, fcalifque repente muro adjunctis, ante civitatem obtinebimus, quam in civitatem regredi valeant, qui pro irritatione noftra exterius vacant. Abfit, inquit Rex, abfit. Nofti enim me pro reverentia beati *Laurentii*, hujus diei requiem indulfiffe civitati. Tunc univerfi, qui aderant. Proceres familiari aufu Regis mollitiem improperantes dixerunt, dolus an virtus quid refert utrum exerceri debeat? quis enim in hofte veritatem requirat? victus fic tandem adquievit; itaque non per vocem *Tubæ* five præconis, fed folis ducum fufurris exercitus præparatur. In civitate vero erat Turris excelfa, in qua vetuftiffima quædam

campana

Rex Henricus 2. campana pendebat, ad cujus sonum cum continuatione pulsantem, omnes armata manu ad munitionem civitatis concurrerent: contigit autem eadem hora, secundum dispensationem Dominicam, Clericos quosdam nescio quid operandi causa in eadem Turrim ascendere: Quorum unus per fenestram aspiciens, primo quidem insolitum in Castris silentium admirans, moxque clandestinum apparatum conspiciens, socios accersivit; Cumque liquidius seditionem conspicerent, confestim *Ruello*, sic enim Campana illa dicebatur, pulsato, notissimum illico signum civitati dederunt. Quo audito totis viribus utrinque festinatum est, nam & paratus jam exercitus e Castris erumpens, cum scalis tendebat ad murum; & cives, inopinato stimulati periculo, raptis armis spiritu motuque fervido occurrere studuerunt. Illi quoque, qui extra urbem exercebantur, mira celeritate affuerunt. Jamque hostes admotis muro scalis murum ascenderant, & voces quasi triumphantium personabant; sed statim fortiter impetuntur & repelluntur à civibus, & viriliter collidentibus, multus utrinque sanguis effunditur. Tandem hostes, qui superbe ascenderant sursum, præcipites abierunt retrorsum; & longe majore clade accepta quam illata nocte superveniente confusi in Castra redierunt. Denique ab illo die & deinceps & obsessi fiducialius, & obsessores desperatius remissiusque egisse leguntur.

Frustraneus hostium in urbem impetus.

CAP. XXIV.

Anglia *pacificata liberavit.*

1174 INterea Rex *Henricus* Senior accersivit præpositos Castellorum Comitis *Leicestriæ*, quem secum ex *Normannia* vinctum adduxerat, sed monuit ut pro salute Domini sui eadem castella resignarent. At illi cum Domino suo loquendi copiam postulantes non impetrarunt. Cumque dicerent se non aliter quam per Domini sui relaxationem Regiæ voluntati parituros; Rex ipse respondit, nihil super hoc vobiscum paciscar: & sacris, ut dicitur, adhibitis juravit, dicens, sic me Deus adjuvet & hæc sacra, quia Comes *Leicestriæ* non gustabit quicquam, donec de Castellis ejus fiat quod volo; vos autem abite maturius. Tunc illi certum Domino suo exitium imminere videntes, munitiones illico resignarunt. Comes autem *David*, qui fuerat princeps eorum, relicto *Huntingdunensi* Castello, quod mox Regi cessit, trepidus in *Scotiam* fugit. Comes autem *Ferrariensis* & Hugo *Bigotus* cautionibus de pace & fidelitate præstitis in fœdus Regium sponte venerunt. Rebus igitur in *Anglia* Deo propitio ad votum dispositis, Rex cum ingentibus copiis celeriter transfretavit; ducens secum paulo ante sibi exhibitum *Willielmum* Regem *Scotorum*, Comitemque *Leicestriæ*, & alios captivos insignes. Et *Normannis* in ejus adventu gratulantibus *Rothomagum* in conspectu hostium pompatice ingressus est. Hostes vero ante dies paucos, de captione Regis *Scotorum* accepto nuntio, attoniti sunt, sed magis de ejus adventu repentino stupescunt. Attamen in robore multitudinis confidentes in obsidione persistebant. Rex autem *Henricus* *Wallensium* turmam ex *Anglia* accitam per noctem latenter emisit, ut silvarum opacitate tecti locis opportunis observarent ne hostium exercitui necessaria veherentur. Qui captato tempore silvis erumpentes commeatum invaserunt, & armatis à quibus tuebantur in fugam actis, omnem victualium apparatum cum ingenti hominum & jumentorum exitio asportarunt, se iterum in silvas nonnihil post recipientes. Moxque vulgatum est *Wallensibus* silvas esse refertas, atque ita intercepto commeatu exercitus per biduum inedia laborabat. Hac ergo necessitate soluta est obsidio, & Principes nullam aliam tanti laboris mercedem nisi ignominiam reportantes, cum vasto illo exercitu abierunt: compositis tamen ordinibus ob repellendum periculum, si forte hostes à tergo urgerent.

Francorum commeatus intercipitur.

Solvitur obsidio Rothomagensis.

gerent. Itaque quicquid in Regem *Anglorum* ab hostibus malitiose agentibus vel continuatum est vel attentatum, Deo illi propitio, in ejus est gloriam commutatum. *Rex Henricus 2.*

CAP. XXV.

Pax reformata inter Patrem & Filium.

CUm ergo ibidem in omnibus propitia arrideret Divinitas, hostes ejus tot claris ejus successibus territi, de pace tractare cœperunt; ipsis reformandæ pacis mediatoribus jam effectis, qui fuerant discordiæ præcipui incensores. Itaque, celebri inter partes colloquio habito, exitialis ille rancor principum, & inquietudo provinciarum pariter quieverunt: Comes enim *Flandrensis* Regi *Angliæ* restituit quod de jure ejus bellicus casus ei contulerat, fidelitatis & hominii supererogans cautionem; ingratissimus quoque filius in patris gratiam rediit; non solum obedientiam & reverentiam de cætero filialem sub fidejussoria multorum cautione pollicitus; verum etiam nova contra ingratos & suspectos filios cautela, prudenter exacto & solemniter præstito hominio, patri astrictus est. Itaque quod ex tunc non tantum pater sed & sibi Dominus diceretur; ut, qui naturæ vinculum irreverenter disruperat, saltem jure civili vel gentium de cætero teneretur. Fratres quoque impuberes, quos *Francorum* consilio patri sollicitatos subtraxerat, ad patrem reduxit; de quibus modica fuit quæstio, ut qui cum ætatis beneficio excusabiles viderentur. Præterea ad instantiam Regis *Franciæ*, & aliorum qui aderant principum, Rex *Angliæ* Comitem *Leicestrensem*, reliquosque captivos, præter Regem *Scotorum*, absolute relaxavit, & relaxatis bona & honores restituit. Processu tamen temporis, cum eorum quæ in se ab ingratis & infidis commissa fuerant immemor videretur, muros *Leicestriæ* repente subrui, & munitiones omnium qui à se defecerant complanari præcepit. Tandem vero Regem *Scotorum*, pactis interpositis, acceptisque obsidibus, relaxavit, venienfque in *Angliam* eorundem celebrationem pactorum apud *Eboracum* instituit. Quo cum venisset, prout condictum erat, occurrit ei Rex *Scotorum* cum universis Regni sui optimatibus; qui omnes, in Ecclesia beatissimi Apostolorum Principis, Regi *Anglorum* tanquam principali Domino hominium cum ligiantia, id est, solemni cautione standi cum eo & pro eo contra omnes homines, Rege proprio præcipiente fecerunt: ipseque Rex *Scotorum* coram omni multitudine Regem *Anglorum* modis solemnibus Dominum suum, seque hominem & fidelem ejus declaravit: eique præcipua tria Regni sui munimenta, scilicet **Rokesburgh**, **Berewyk**, & Castellum *Puellarum* loco obsidum tradidit. Quibus actis, optata pace populi fruebantur, & Rex *Anglorum*, tantorum operum titulis clarus, nominatus est magnus usque ad extremos fines terræ.

1175

Comes Flandrens. Regi quod suum erat restituit.

Fratres Henrici tertii una cum ipso in gratiam cum patre redeunt.

Rex Scotorum in pristinam libertatem restituitur.

CAP. XXVI.

Concilium Londoniis, *& controversia Archiepiscoporum.*

ANno Domini M. CLXXVI. *Hugo* Cardinalis Apostolicæ sedis Legatus, nescio quid ordinaturus, venit in *Angliam*, per quem concilio apud *Londonias* convocato, facta est contentio vehemens de prioratu sessionis inter Archiepiscopos. *Eborum* enim Archiepiscopus mature veniens primam sedem occupavit, eandem sibi allegans competere ex antiquo beati *Gregorii* Decreto, quo statutum noscitur, ut Metropolitanorum *Angliæ* ipse prior habeatur qui prius fuerat ordinatus. *Cantuariensis* vero, solemniter posita præoccupatæ sedis querela, secundam sedem tanquam passus præjudicium recusavit. Mox subditis

1176

Decretum Gregorii de sessionis Prioratu.

Rex Stephanus. ejus ferocius pro eo æmulantibus, ſimplex verborum contentio crevit in rixam. *Eboracenſis* autem, quoniam pars adverſa fortior erat, loco præmature occupato cum contumelia deturbatus, cappam conſciſſam illatæ ſibi violentiæ indicem legato exhibuit, & *Cantuarienſem* cum quibuſdam ejus ſubditis ad ſedem Apoſtolicam provocavit. Rebus itaque turbatis, concilium non celebratum, ſed diſſipatum eſt. Eodem anno mare extra fines erumpens multos in *Hollandia* homines & pecora abſorbuit, & quaſi poſt biduum furore ſatiato in ſemet ipſum rediit.

Archiep. Eborac. ad ſedem Apoſtolicam provocat.

CAP. XXVII.

Concilium Lateranenſe Alexandri *Papæ.*

1177 ANno Domini M. CLXXVII. & Pontificatus *Alexandri* Papæ XVIII. *Frederici* Imperatoris in eundem Papam inveterata rabies conquievit, factique ſunt amici IX. *Kalend. Auguſti.* Quibus feliciter geſtis, idem Papa *Alexander*, anno Pontificatus ſui XX. & à partu Virginis M.CLXXIX. [a] VII. *Idus Maii*, generale Concilium *Lateranis* celebrandum inſtituit, & multa ibidem ordinavit, & ſtatuit quæ dicuntur Decreta *Lateranenſis* Concilii in univerſo XXXVIII.

CAP. XXIX.

Obiit Rex Franciæ.

1180 ANno Domini M. CLXXX. Qui fuit *Lodowici* Regis *Francorum* XLIV. Idem Rex *Francorum*, hominem exuens, carne ſolutus eſt; homo quippe ſacrorum ordinum præcipuus venerator; ſed lingua levis & malorum multoties utens conſiliis, non levi plerumque macula mores egregios denigravit. Succeſſit ei *Philippus* filius ejus, ex filia Comitis *Theobaldi*, quæ illi jam trigamo nupſerat, procreatus.

CAP. XXX.

Moneta mutata.

1180 ANno etiam eodem mutata fuit Moneta in *Anglia*; eo quod à falſariis corrupta fuerat: quod utique fuit neceſſarium, ſed pauperibus & colonis oneroſum.

CAP. XXXI.

Obiit Papa, *Obiit Archiepiſcopus* Eborum.

1181 ANno Domini M. CLXXXI. Obiit *Alexander* Papa, pontificatus ſui anno * XXIII. Cui ſucceſſit *Lucius* Papa. Eodem anno deceſſit *Rogerus Eborum* Archiepiſcopus, homo [ut] literatus & eloquens, ita in temporalibus commodis prudentiæ ſingularis. Archiepiſcopatum vero *Eborum* multum provexit in augmentis redditum, & amplitudinem ædificiorum. Viros religioſos in tantum exhorruit, ut dixiſſe feratur, Eccleſiaſticum beneficium luxurioſis potius quam Religioſis conferendum. Et prædeceſſorem ſuum beatæ memoriæ *Thurſtinum* nunquam gravius deliquiſſe, quam ædificando illud in-

Rogerus Ebor. Archiep. Monachos abhorret.

a *Al. recte* III. Non. Martis. * XXII.

insigne

ſigne monaſterium de *Fontibus*. In vita autem ſua tondendis magis quam paſcendis ovibus Dominicis intendit. Moriturus enim Pontifex ævo gravis, non pauca millia marcarum in theſauris habebat, cum multi pauperes Chriſti inedia laborarent. Verum cum jam obiſſet, Rex per officiales ſuos & inventa dirupit, & non inventa ab his, quibus jam data erant, extorſit; dicens, Theſauros à quocunque uſque ad mortem repoſitos ſolius Principis in bonis eſſe. Deceſſit autem idem Archiepiſcopus anno Pontificatus ſui * XXIII. & Archiepiſcopatu in fiſcum redacto vacavit ſedes *Eboracenſis* annis decem.

Rex Henricus 2.

Rex theſauros ejuſdem occupat.

Vacat ſedes Ebor. an. 10.

CAP. XXXII.

Obiit Henricus *Junior*.

ANno Domini M. CLXXXIII. (qui fuit XXX. Regis *Anglorum Henrici* ſecundi) *Henricus* tertius *Angliæ* Rex Junior immatura morte deceſſit: plane immatura, ſi ætatem reſpicias, ſed multum ſera, ſi actus attendas. Quia prævaricator non tantum naturæ, ut prius, ſed etiam ſolemnium pactorum, rebellavit iterum contra patrem. Cujus rebellionis cauſa hæc fuit. Pater enim *Richardo* filio ſuo in adminiſtrando ducatu *Aquitanico* vices ſuas commiſerat, filioque *Gaufrido Britanniam* tranſmarinam tradiderat: verum idem *Henricus* indignatus, quod fratrem ſuum *Richardum* pater *Aquitaniæ* præfeciſſet, juncto ſibi fratre *Gaufrido*, & quibuſdum proceribus *Aquitanicis*, patrem motibus bellicis laceſſivit. Pater vero cum rebelles filios blandis delinire mandatis non poſſet; improbis eorum auſibus obviaturus, fines *Aquitanicos* cum exercitu ingreſsus eſt. Moxque Dei judicio febre correptus elanguit *Henricus* Junior. Cumque ingraveſcente morbo deſperaretur à medicis, tandem compunctus miſit ad Patrem exceſsum humiliter confitens, & extremam gratiam à paterna pietate depoſcens, ut morientem inviſere dignaretur. Quibus auditis, paterna quidem concuſsa ſunt viſcera, ſed allegantibus amicis non eſse ſibi tutum nequiſſimis conſpiratoribus qui circa filium erant ſe credere, ad filium non perrexit; ſed, pro ſigno clementiæ & indultæ veniæ notum illi annulum mittens, omnia ei condonavit. Qui illum ſuſceptum deoſculans, aſſiſtenti *Burdegalenſi* Epiſcopo diem continuo clauſit extremum; funuſque ad patrem deducitur, & ex ejus præcepto apud *Rothomagum* honorifice ſepelitur. Idem vero pater extincti filii dolorem ex hoſtis interitu temperans, conſpiratores cum filio in brevi perdomuit, & *Gaufridum* filium in gratiam recepit: qui tamen ingratus hoſtilem (ut poſtea claruit) non exuit animum. Nam tempore modico circa patrem pendulus, cum à patre *Andegavenſem* Comitatum obtinere non poſset, ad *Francos*, quos paternæ gloriæ æmulos noverat, ſponte ſe contulit, tanquam per illorum potentiam extorſurus, quod à patre non potuit blanditiis obtinere. Cumque, ad irritandum patrem Regi *Francorum* ſedulo militans, grandia moliretur, divini judicii pondere obrutus, molitiones ſuas *Pariſiis* cum vita finivit. Natus eſt ei ex *Britannici* Comitis filia filius poſthumus: cui cum Rex avus nomen ſuum imponi juſſiſſet, contradictum eſt à *Britonibus*; & ſolenni acclamatione in ſacro Baptiſmate *Arthurus* eſt dictus. Sicque *Britones*, qui diu fabuloſum dicuntur expectaſſe *Arthurum*, nunc ſibi cum multa ſpe nutriunt verum, juxta opinionem quorundam grandibus illis & famoſis de *Arthuro* fabulis prophetatum.

1183

* *Al.* XXVIII.

CAP. XXXIII.

De Terra Sancta à Saladino *occupata, & de Patriarchæ* Jerosolymitani *in* Angliam *adventu.*

1184 ANno Domini M. CLXXXIV. *Saladinus*, filius Regis *Syriæ* & *Mesopotamiæ*, contra Christianos mortuo patre surrexit non jam virga, sed malleus: homo astutiæ singularis & mille nocendi artibus instructus erat. Hic *Damascum* & fines ejus cum uxore accepit. Cumque esset militiæ Rex *Turcorum* gratissimus, vires artibus & artes viribus juvans in *Ægyptum* cum armis transiit; & consumptis principibus confestim arripuit Regnum *Babylonis*. *Lybia* quoque atque *Arabia* potitus, nactus est nomen grande, supra nomen Magnorum qui sunt in terra. Denique octo Regnis ditissimis præsidens, parum tamen à se actum putabat, dum Christiani *Jerusalem*, & *Antiochiam*, & maritimas *Syriæ* civitates possiderent. Totum ergo in ipsos latissimi imperii sui robur convertens, modis omnibus nitebatur devorare plebem Dei, & trophæum Crucis Christi avellere à partibus Orientis, ubi prius erectum est. Circa hos dies *Philippus* Comes *Flandrensis*, præ devotionis instinctu, cum multa militia terram *Jerosolymitanam* ingressus, contra *Saladinum* aliquid agere, & fines Christianos dilatare disposuit; verum offensus à Templariis, ad terram *Antiochiam* invitante Principe traduxit militiam Christianam, audiens autem *Saladinus* abductam militiam, & terram Domini plus solito præsidiis vacuatam, cum infinito exercitu repentinus irruens, tanquam possessurus eandem, intima ejus illico penetravit. Tunc princeps Christianus quantulam pro tempore potuit militiam convocans, & præliaturus non suum sed Domini prælium, hostium numeros non expavit. Itaque præeunte vexillo Dominico juxta *Ramah* oppidum, quod hostes obsederant, congressurus cum eis, tremendas illas copias divino fretus auxilio profligavit. *Saladinus* fuga elapsus ægre evasit, cæsis de exercitu ejus multis millibus. Gestum est hoc prælium Deo propitio VII. *Kalend. Decembris*: verum anno sequenti propter peccata hominum, quæ utique Divinitas odit, contra populum Christianum, ibidem minus sancte degentem, cœlestis ira excanduit. Cum enim *Saladinus*, ad expiandum præcedentis anni dedecus, fines Christianos instructior terribiliorque invaderet, nostri etiam instructiores numerosioresque quam prius, atque ideo minus in Domino dum de se præsumerent confidentes, prælium illi in terminis intulerunt, ubi Deo resistente superbis, quibus antea humilibus dederat gratiam, maxima Christianorum strages facta est; cæso non parvo millium numero, cum magistro militiæ Templi, & optimatibus plurimis, initium dolorum hoc: nondum enim erat aversus furor Domini, sed ad huc manus ejus extenta. Denique postquam *Cæsarea Philippi*, quæ quasi clavis Christianorum erat contra *Damascum*, in manus hostiles inciderat, Templarii cum Christianis munitionem utilem ad vadum *Jacob* extruxerunt, ne hostes à parte ejusdem Cæsareæ in fines Christianos excurrerent. Sed *Saraceni* prius dissimulantes, & postea tempus nacti, munitionem illam obsidione cingentes, adhibitis machinis fortiter oppugnare cœperunt. Christiani vero apud *Tiberiadem* congregati, ut obsidionem tollerent, ad invicem tractantes, nequaquam tutum esse censuerunt, absente cruce dominica, cum hostibus congredi. Mittuntur ergo *Hierosolymam* nuncii, qui signum salutare reportent: ac in ea mora expugnata est munitio. Qua celeriter eversa, *Turcæ* cum ingentibus spoliis abierunt: Nec multo post *Saladinus Neapolin* captam evertit: &, dum nostri convenirent post factam stragem, in propriam se recepit. Unde propter causas prædictas generali providentia statutum est, ut *Jerosolymitanus* Patriarcha, petendi contra inmanissimum hostem *Saladinum* auxilii gratia, ad Christianos Principes in *Europam* mitteretur. Sed maxime ad illustrem *Anglorum* Regem, cujus efficacior & promptior opera sperabatur. Idem ergo Patriarcha cum literis

Saladinus à Christianis profligatus.

Hierosolymitanus Patriarcha venit in Angliam, an. 1185.

literis exhortatoriis *Lucii* Papæ veniens, à Rege *Anglorum* honorifice susceptus est, & in fine literæ Papalis sic continebatur. Sane recolat prudentia tua, & solicita secum meditatione revolvat, promissionem illam, quam de impendendo terræ sanctæ subsidio & jam celsitudinem tuam obligasti; & ita in hac parte te cautum & studiosum exhibeas, ut te in tremendo judicio tua conscientia non accuset, ejus qui non fallitur districti judicis interrogatio non condemnet. Verum, cum Rex ipse certa & enormia Regni proprii ex sua peregrinatione pericula allegaret, & loco suæ præsentiæ ad sublevationem orientalis Ecclesiæ decentem pecuniæ summam promitteret, tandem Patriarcha inanior spei quam venerat, in *Galliam* remeavit; &, continuata inter Reges discordia, tandem infecto negotio repatriavit.

Rex Henricus 2.

CAP. XXXIV.

Jerusalem *perdita*.

ANno autem Domini M. CLXXXVII. Regnante in *Alemannia Frederico*, in *Francia Philippo*, in *Anglia Henrico* secundo, sub *Urbano* Papa, qui *Lucio* successerat, aggravata est manus Domini super terram *Jerosolymitanam*. Civitas enim sancta, in qua invocatum est nomen Domini à diebus antiquis, in qua sacræ Prophetiæ floruerunt, in qua redemptionis humanæ insignia micuerunt, ex qua sacramenta salutis in omnem mundi latitudinem fluxerunt, proh dolor! incidit in manus gentis prophanæ, & immundæ; cum jam mansisset sub potestate Christiana annis LXXXVII. quæ (scilicet ab Imperatore *Vespasiano* & *Tito*) conquæsta fuit sub Papatu *Urbani* secundi, & modo recidit in manus Turcarum sub Pontificatu *Urbani* tertii. Milites vero Templi & hospitales, quos in Campo non noverat gladius, ab aliis segregatos captivis *Saladinus* coram se decollari præcepit. Comes autem *Tripolitanus* qui cum *Saladino* prius conspiraverat, dolose cum suis complicibus effugit de prælio, ipsis *Saracenis* nec eos attingere curantibus. Cum ergo Tyrannus cruentissimus peremptæ multitudinis spolia dirupisset, mox cum suis copiis civitatem *Ptolemaidem*, quæ nunc *Acon* dicitur, adiens, & eam quasi præsidiis vacuatam inveniens, confestim obtinuit. Sanctam quoque Civitatem idem *Saladinus* adiit; ubi Patriarcham & populum metu languidum ad deditionem coarctans, vita & libertate indulta ut titulo clementiæ se insigniret, armis & pecuniis nudatos dimisit. Civitatemque ingressus pompatice formam vexilli Dominici ludibrio habitam & fustigatam confregit: Templum vero Domini aqua rosea tanquam à Christianis sordibus expians sacrilegis ritibus ditavit. Sepulchri vero Dominici aliquantulam reverentiam habuit, quod, omni quidem aureo & argenteo ornatu sublato, *Syros* illius terræ indigenas Christianos custodire præcepit: edictum adjiciens, ne quis alienus irreverenter accederet. Hæc *Jerosolymis* provenisse noscuntur à diro illo prælio, quo populus Christianus interiit, tribus fere mensibus elapsis. Quippe infra octavas Apostolorum *Petri* & *Pauli* factum est illud Christianæ plebis excidium, & circa solemnia beati *Michaelis* facta est deditio dictæ Civitatis. *Ascalona* quoque urbs nobilis, in quam post prælium propter ejus firmitatem multi confluxerant, tyrannicam potestatem non evasit. Nam Rex *Jerosolymorum*, qui captus etiam prælio fuerat, eam pro sua liberatione resignavit. Jamque sola urbium Palæstinæ urbs insignis *Tyrus* Dominationem aspernabatur hostilem. Illa namque Civitas, ut produnt historiæ, fortissimum Regem *Nabuchodonosor* prius, & postea magnum illum *Alexandrum* multo labore excercuit. Plane Dominus propter servos suos, ut venturis Christianis aptum non deesset receptaculum, urbem hanc tanquam granum botri modicum pro benedictione non modica reservavit. Et, quia fere tota mari ambitur, portu gaudens tutissimo, *Saladinus* eam obsessurus classe circa urbem disposita modis omnibus

1187

Ptolemais capta.

Hierosolyma capta.

Rex Hierosolym. Ascalone Saladino tradita, liber fit.

Tyrus obsessa.

Rex Henricus 2. eam ſtuduit oppugnare. Eodem tempore *Marchio* filius Marchionis de *Monte Ferrato* ibidem cum magna claſse advenerat, Patri ſuo qui in prædicto bello Chriſtianorum fuerat aſtiturus; qui accepta à civibus fidelitate, & præparatis navibus cum quibus venerat, navali prælio ſtatuit cum hoſtili claſse confligere; quod & factum eſt Deo propitio; & cæſa vel ſubmerſa multitudine hoſtium naves nonnullas ad portum reduxerunt, & ſpectante *Saladino* cæteras ſuas naves ne evaderent, litoribus alliſerunt. Quo caſu ita eſt conſternatus, ut, incenſis machinis, & ſoluta obſidione, diſcederet, nihil ulterius contra eandem urbem auſurus. Mox in fines *Antiochenos* debacchantem convertit tyrannidem, & capta *Laodicea* cum multis urbibus, ipſam quoque maximam civitatem ita coarctavit, ut ab exterritis civibus pactum extorqueret, quod ad diem certum urbem reſignarent, niſi forte major exercitus ex *Europa* veniens id fieri prohiberet.

Tyrus Obſidione ſaluta.

Laodicea capta.

Pactum Antiochenor. cum Saladino.

CAP. XXXV.

Reges noſtri diſcordantes concordantur.

1187 INter *Philippum* Regem *Francorum* & *Henricum* Regem *Angliæ* exitialis diſcordiæ germina pullularunt; unde Rex *Henricus* ad tranſmarina vocatus negotia transfretavit. Convenerunt autem ex diverſis hinc inde provinciis apud Caſtrum, quod *Radulphi* dicitur, ferociſſimo agitante ſpiritu, armatorum multitudines, mira veſania Regum ſuorum gloriæ vel potius ſuperbiæ ſanguinem proprium libaturæ. Cumque Caſtris hinc inde compoſitis, per dies aliquot torvis ſe vultibus mutuo duo magni exercitus proſpectarent, & viris pacificis qui pacem vel inducias ſatagebant aerem fruſtra verberantibus, tandem turmis ad pugnam diſpoſitis, parum jam aberat à congreſsu mutuo; & ecce occultis magis, ut dicitur, ducum ſuſurriis quam prolocutionibus publicis indultæ in dies plurimos induciæ, in utroque exercitu voce præconia declarantur, plane vox iſta multo gratius inſonuit auribus omnium quam vox tubæ excitantis ad prælium. Gentes ergo & populi qui meditabantur inania vel potius inſana, cum ingenti gaudio ad propria ſunt reverſi.

CAP. XXXVI.

Gregorius *Papa excitavit omnes ad* Terram Sanctam.

1187 CUm in oriente circa populum Chriſtianum talia gererentur, *Urbanus* Papa extremæ ſorti ſubjacuit, cui ſucceſſit *Gregorius* vir plane ſcientia & ſinceritate vitæ conſpicuus, æmulationem Dei habens, ſervi ſcientiam, & ſuperſtitioſarum conſuetudinum in ſcripturis ſuis reprehenſor acerrimus. Sane Chriſtianæ plebis Sanctæ Civitatis extremum, quod ſub *Urbano* Papa contigerat, dolens ſupra modum ingemuit; aliquod tamen remedium adhibere proponens Epiſtolam ſuam illico in orbem Chriſtianum direxit, in hæc verba –

Gregorius, *&c.* " Audita tremendi ſeveritate judicii, quam ſuper terram " *Jeroſolymitanam* divina manus exercuit, tanto ſumus nos & fratres noſtri " horrore confuſi, tantis afflicti doloribus, ut non facile nobis occurreret quid " dicere aut facere debemus, niſi quod prædeplorat & dicit Deus, *venerunt* " *gentes in hæreditatem*, *&c.* Nos autem licet cum Propheta dicere habeamus, *Quis det oculis meis fontem lachrymarum? & plorabo die ac nocte interfectos populi mei*, non tamen adeo nos dejicere debemus ut in diffidentiam decidamus, & credamus Deum ita populo ſuo iratum, ut quod faciente peccatorum multitudine fieri permiſit iratus, non cito per miſericordiam pœnitentia placatus allevet, & poſt lachrymationem exultationem inducat. Nos autem credere

dere non debemus, quod ex injuſtitia ferientis judicis, ſed iniquitate totius populi delinquentis talia provenerunt. Porro nos in tali conditione terræ illius, non ſolum peccatum habitatorum ejus, ſed & noſtrum, & totius populi Chriſtiani debemus attendere. Cum ex omnibus partibus inter Reges & Principes, civitates & civitates, diſſentiones audiamus & ſcandala; & cum Propheta dicere valeamus, *non eſt veritas, non eſt ſcientia Dei in terra, furtum & mendacium, homicidium & adulterium inundaverunt, & ſanguis ſanguinem tetigit.* Cogitate itaque filii qualiter tranſeant univerſa, & pariter tranſeatis & vos, & date veſtra, dateque voſmet ipſos, non in exterminium ſed in conſervationem, ei à quo & vos & veſtra omnia recepiſtis, nec dicimus dimittite, ſed præmittite in cœleſte horreum quæ habetis, & reponite apud eum apud quem ærugo non demolitur aut tinea, nec fures effodiunt aut furantur; laborantes ad recuperationem terræ illius, in qua pro ſalute noſtra veritas de terra orta eſt, & ſuſtinere pro nobis crucis patibulum non deſpexit. Recolentes non eſſe novum, quod terra illa judicio Dominico percutitur, ſed nec eſſe inſolitum ut flagellata & caſtigata miſericordiam conſequatur. Poterat quippe Dominus ſola eam voluntate ſervare, ſed non habemus ei dicere cur ita fecerit. Voluit enim forſitan experiri, & in notitia ducere aliorum, ſi aliquis ſit intelligens aut requirens Deum, qui oblatum ſibi tempus pœnitentiæ hilariter amplectatur, & animam ponendo pro fratribus conſumetur in brevi, & compleat tempora multa. His autem qui corde contrito & humiliato ſpiritu laborem itineris hujus aſſumpſerint, & in pœnitentia peccatorum, & fide recta deceſſerint, plenam ſuorum criminum indulgentiam, & vitam pollicemur æternam, &c.

Rex Henricus 2.

CAP. XXXVII.

Obiit Gregorius *Papa.*

HAc ergo Epiſtola in orbem directa, idem *Gregorius Piſas* contendit, ubi *Piſanos* & *Jennenſes*, jugi & inveterata diſcordia diffidentes, Deo auctore reconciliavit ad pacem, moxque febre correptus, poſt dies pauciſſimos apud *Piſas* valedicens mundo expiravit. Cui ſucceſſit *Clemens* ibidem electus, & inthronizatus, qui jacta pacis ſemina pro ſtudio fovit, & ad fructum perduxit. 1187

CAP. XXXVIII.

Reges ſumpſerunt Crucem.

SAne triſtis ille rumor orbem in brevi pervagatus, omnium quidem Chriſtianorum cordibus ſtuporem, & horrorem invexit. *Richardus* autem Comes *Pictavenſis* Regis *Anglorum* filius, & ſucceſſor futurus, nuntium forte hujuſcemodi inclinato jam die accipiens, abſque ulla deliberatione laudabile propoſitum toto mox pectore combibit, & ſummo mane, in argumentum futuræ peregrinationis & expeditionis, characterem Domini cum ſolemnitate accepit; quo audito pater ſiluit uſque ad adventum filii, & cum adeſſet poſt dies aliquot, me inquit inconſulto rem tam arduam minime arripere debuiſti, pio tamen propoſito tuo nequaquam adverſabor, ſed illud ita proſequar, ut à te egregie impleatur. Eodem tempore Archiepiſcopus *Tyrinus* à partibus veniens orientis, & duriora nuntians, imminentes miſerias ita in auribus publicis deploravit, ut duo magni Reges *Francorum* & *Anglorum*, tractandi gratia quidnam facerent, in terrarum confiniis convenirent. Verum illo Colloquio, dum Religioſa intentione non ſua ſed quæ Chriſti ſunt quærerent, 1187

Rex Henricus 2.

rent, nulla, vel admodum languida, priftini rancoris irrepfit memoria; fed, omni propter Chriftiani quæftione fopita, paribus votis & ftudiis Chriftiano negotio intenderunt. Itaque in multo devotionis fervore furgentes, fignum Regis Regum, in ejus mox militiam actingendi, per manum memorati *Archiepifcopi* acceperunt; & non tantum fua, fed etiam feipfos eidem præclaræ militiæ devoverunt. *Richardus* Comes *Pictavenfis*, [&] exemplum [ejus] Dux *Burgundiæ*, Comes *Flandrenfis*, & Comes *Campaniæ* cum aliis multis hilari devotione amplexi, figno Dominico proprios infignire humeros, feque pro Chrifto laboribus & periculis exponere cupientes, ftatuto mox tempore quo iter arriperent, ad neceffariam provifionem & præparationem tanti itineris fe confeftim tranftulerunt. Soluto ergo cœtu Rex *Henricus* in *Angliam* reverfus eft, ubi Archiepifcopus *Cantuarienfis*, Epifcopi *Dunelmenfis* & *Norwicenfis*, & multi nobiles Regio accenfi exemplo, fignum falutiferum folemniter fufceperunt.

CAP. XXXVIII.

Imperator fumpfit. Crucem.

1188 FRedericus Imperator *Romanus*, convocatis nobilibus fui imperii ingentis, tum propofitum declaravit, fumptoque folemniter figno Dominicæ crucis, Imperialis apicis majeftatis fubditis Ducibus & Gentibus formam efficaciffimam præbuit: itaque cunctæ provinciæ nominis Chriftiani ad maturandum iter propofitum immenfis apparatibus ftudiifque fervebant animofi.

CAP. XXXIX.

De rupto fœdere Regis Francorum, *& confecuta morte Regis* Angliæ.

1189 VErum ita fervente fidelium devotione principum, & populorum, antiqui hoftis tam bona initia corrumpere geftientis malitia non quievit. Cum enim illuftris Rex *Anglorum* in Regno proprio quietus confifteret, & (prout decebat tantum principem) ad futuram fe expeditionem modis omnibus præpararet, Rex *Francorum* nefcio unde ftimulatus, rupta fide fœderis, fubito furore excanduit, & Caftrum nobile quod *Radulphi* dicitur, quorundam (ut dicitur) nequiffimorum proditione improvifus ufupator intravit. Quo fucceffu elatus, mutato vel potius exfufflato expeditionis *Jerofolymitanæ* propofito, grandiora moliebatur. Quibus celeriter agnitis, Rex *Angliæ* mature transfretaturus, viros honoratos cum verbis pacificis ad prævaricatorem præmifit. Verum ille, ad omne blandimentum inflexus & rigidus, peftilentiis inceptis fuperbe incubuit.

Colloquium inter duos Reges

Cumque Rex *Anglorum* transfretaffet, bonorum ftudio virorum ad colloquium folemniter convenerunt: Rex quidem *Anglorum* querelam rupti fœderis, & illatæ fibi injuriæ pofiturus: Rex vero *Francorum* tanquam de his rationem redditurus. At fub hac fiducia rectitudinis myfterium operabatur iniquitatis: *Richardus* enim Comes *Pictavenfis*, & Regis *Anglorum* filius, *Francorum* (ut creditur) aftutia abftractus atque illectus, in ipfo folemni Regum colloquio à patre deficiens, ad partes tranfivit hoftiles. Quo cafu confternatus pater, cum caufæ malorum ingravefcerent, verbis pacificis cum his qui oderunt pacem aere inaniter verberato, difceffit; nefciens penitus cui fe crederet, cum tam infilialem jam filium expertus effet. Illico bellum utrinque inftruitur, fed viribus animifque difparibus. Idem enim *Richardus*, quem pater Ducatui *Aquitanico* præfecerat, parentem fibi militiam ad partes Regis *Francorum* traduxit. Plurimi quoque Potentum *Normanniæ* & *Andegaviæ* & *Britanniæ*, fide exfufflata, manifefte jam à patre deficientes ad filium, in ejus gratiam

Richardus Com. Pictavenfis à patre deficit.

Francorum

Francorum auxerunt exercitum. Unde factum est, ut Regi *Anglorum* præter stipendiarios parcior fieret numerus, & ille quidem mutabundus. Itaque Rex *Francorum*, cum Comite *Pictavensi* & infinitis copiis, terram Regis *Anglorum* nullo obsistente ingressus, ad urbem *Cynomanensem*, ubi idem Rex cum suo exercitu morabatur, pertendit. Quo ille cognito, cum ad subeundum belli discrimen se longe imparem cerneret, & obsideri ab hostibus formidaret, incensa urbe profugit, in tutiora se loca recipiens. Mox exercitus, qui eum sequi videbatur, defluxit. Tunc *Johannis* filiorum ejus minimus, quem tenerrime diligebat, recessit ab eo, ne fratribus dissimilis & minus frater videretur. Hostes autem urbe *Cynomanensi* cum arce potiti, urbem *Turonicam* cum arce ejus expugnaverunt; de obsidenda quoque urbe *Andegavensi* consequenter tractantes. Tot ergo malis Rex *Anglorum* anxius, & maxime ex Junioris filii defectione animo saucius, ex multa mœstitudine febrem accersivit: qua invalescente per dies aliquot, apud *Chinonem* vitam finiens, diem ibi clausit extremum. Hunc finem habuit inclytus ille Rex *Henricus*, inter Reges orbis terrarum nominatissimus, & nulli eorum vel amplitudine opum vel felicitate successuum paulo ante secundus. Hostes vero, audito hoc incommodo, bella suspenderunt; Comesque *Richardus* ingemuit; quod viventi patri minus officiosus extiterit, & ad expiandum in officio paterni funeris vel sero se filium comprobavit. Hostes quoque, qui excellenti gloriæ ejus & virtuti semper inviderant, extinctum lamentasse & laudasse dicuntur. Omniumque sensibus expositum erat, quanta sit vanitas atque fallacia excellentiæ temporalis: cum illum, qui paulo ante tantus in orbe refulserat, tam miserabilis subito casus absumsisset. Corpus ejus, prout ipse in extremis pia devotione dictaverat, ad illud famosum & nobile monasterium feminarum, quod *Fons Ebsandi* dicitur, deportatum, ibidem præsentibus filiis, atque assistente nobilium multitudine, juxta magnificentiam Regiam sepultum est. Sane idem Rex multis virtutibus prædictis ornatus erat: aliquibus tamen vitiis obnoxius personam Regiam deturpavit. In libidine namque pronior conjugalem modum excessit: Regina enim desinente parere, multos fecit spurios: venationis delicias plus juste diligens; in puniendis tamen transgressoribus avo mitior fuit. Ille enim homicidarum & fericidarum parvam esse distantiam voluit: hic tamen hujusmodi transgressores carcerali custodia sine exilio ad tempus coercivit: Judæos fœnerantes plus justo fovit: & vacantes Episcopatus, ut proventus reciperet, diu vacare voluit. Fuit autem contra hoc in Regni fastigio tuendæ & fovendæ pacis publicæ studiosissimus; & Ecclesiasticarum libertatum conservator præcipuus: viros religiosos specialiter honoravit, & res eorum æquo cum suis Dominicis jure conservari mandavit: pupillorum, viduarum, & pauperum curam habens, & locis pluribus largas eleemosynas impendens. Naufragorum consuetudinem eximia pietate correxit, & eis humanitatis officium exhiberi præcipiens, graves in eos pœnas sanxit, qui forte illis in aliquibus molesti esse, vel de rebus quippiam usurpare præsumerent. Nullum Regno *Anglorum* vel terris suis transmarinis grave onus unquam imposuit; tributum Ecclesiis vel Monasteriis nunquam indixit: discrimen sanguinis & mortes hominum exhorrescens; armis (cum aliter non potuit) pacem observare curavit. Obiit autem illustris Rex *Anglorum*, Dux *Normannorum* & *Aquitanorum*, & Comes *Andegavensis*, *Henricus* secundus anno Regni sui tricesimo quinto: anno ex quo signum Domini suscepit secundo. Quidam nostri ordinis in vita Regis pro eo frequenter orans; & quæ, de misericordia vel de judicio superni moderaminis, eidem essent Regi eventura, nosse desiderans, ante tempus quo signum Dominicum susceperat Rex, tale à Domino de Rege dilecto in somnis responsum accepit. Signum meum super se levabit; sed in tormento tormentum portabit: Nam uterus uxoris suæ contra eum intumescet; & ad ultimum cum velatis velabitur. Quæ omnia evenerunt ad litteram.

Rex Henricus 2.

Rex Henricus secundus obit.

Henrici virtutes & vitia.

Richardus primus Rex.

Richardus Primus Rex.

CAP. XL.

De coronatione Regis Richardi, & *ejus primordiis.*

1189 ANno Domini M. CLXXXIX. ſedi Apoſtolicæ præſidente *Clemente*, *Henrico* autem *Frederici* filio arcem *Romani* imperii tenente, & *Francis* imperante *Philippo*, *Richardus* illuſtriſſimi Regis *Anglorum Henrici* II. filius defuncto patri ſucceſſit. Hic patre ſepulto, rebuſque trans mare mature diſpoſitis,in *Angliam* cito & opportune tranſvehitur: cunctis ex ejus edicto cuſtodiis per *Angliam* relaxatis, ut ſcilicet ad introitum novi Principis eſſet lætitia generalis: conſecratus eſt autem in Regem, & ſolemniter coronatus *Londoniis* à *Baldewino Cantuarienſi* Archiepiſcopo, III. *Non. Septembris*. Qui dies, ex priſca gentili ſuperſtitione, malus vel *Ægyptiacus* dicitur, tanquam ex Judaici eventus quodam præſagio. Dies enim ille Judæis exitialis fuiſſe dinoſcitur, & *Ægyptiachus* magis quam *Anglicus*, cum ex *Anglia*, in qua ſub Rege priore felices & inclyti fuerant, repente in *Ægyptum*, ubi patres eorum dura perpeſſi ſunt, Dei judicio verterentur. Edicto namque (ut dicitur) interdixerat ipſe Rex *Judæis* ingreſſum vel Eccleſiæ, dum coronaretur, vel palatii dum poſt coronationis ſolemnia convivaretur, ſuperſtitioſam ſectam de conſilio quorundam præcavere volens. Expletis igitur miſſarum ſolemniis, Rex fulgens diademate cum pompa magnifica ad convivium intravit. Contigit autem, eo diſcumbente cum omni frequentia nobilium, populum circa palatium tumultuari.

CAP. XLI.

Judæi *occiſi* Londoniis.

1189 JUdæi ſiquidem turbis immixti fores ſic Regias introibant: unde indignatus quidam *Judæum* palma percuſſum ab ingreſſu januæ arcere curavit, Regium objectans edictum. Quo exemplo plures accenſi *Judæos* cum contumelia repellebant: factoque tumultu, indiſciplinata cum turbine turba accurrit: credenteſque Regem talia mandaſſe, tanquam freti auctoritate Regia in multitudinem *Judæorum* ad fores Regias conſiſtentium pariter irruerunt. Et primo quidem percutiebant pugno, mox vero vehementer efferati ſuſtulerunt ligna & lapides. Porro *Judæi* fugam inierunt, in fuga vero cæſi ſunt quidam uſque ad mortem; quidam autem omnino perierunt. Interea rumor gratiſſimus, quod ſcilicet Rex omnes Judæos interimi juſſiſſet, totas incredibili celeritate percurrit *Londonias*: moxque infinitus indiſciplinatorum populus, tam ex ipſa civitate quam ex provinciis plurimis, qui illuc unctionis Regiæ cauſa convenerat, armatus accurrit. Trucidantur ergo *Judæi*: & qui beneficio domorum fortium tuebantur, ad tempus à frementibus populis, igne immaniſſimo conſumuntur. Nunciantur hæc Regi adhuc cum omni procerum frequentia convivanti.Mittiturque à latere ejus *Ranulphus* de *Glanevilla* Regni procurator, vir potens & prudens, cum aliis equitibus nobilibus, ut vel flecteret vel frænaret audaces. At id fruſtra: In tanto enim tumultu, nullus eorum aut vocem auſcultavit, aut faciem honoravit;quin potius, adverſus eos frementes ut maturius recederent terribiliter denuntiaverunt.Illis igitur effrenatam rabiem conſulte declinantibus. uſque ad ſequentis diei horam ſecundam non deſæviere prædantes, & tunc ſæviendi magis ſatietas vel laſſitudo, quam vel ratio vel reverentia principis prædantium ſedavit furorem. Et licet Rex novus ingentis

ingentis animi & ferocis anxius æstuaret, in infinitam tamen reorum multitudinem censuræ Regiæ vigorem non exercuit; quia illud erat difficile, immo, potius impossibile. *Judæis* tamen, post cladem, pacem edicto sanxit; qua tamen diu gavisi non sunt. *Richardus primus Rex.*

CAP. XLII.

De Judæis *apud* Lennam.

SAne iste in *Judæos* zelus, non quidem fidei sed potius lucri, *Londoniis* accensus, vehementer excanduit. Arbitrabantur enim audaces & cupidi obsequium se præstare Deo, dum spoliarent vel perderent homines Christo rebelles; & agebant, sine conscientiæ scrupulo, hilari furore, propriæ cupiditatis negotium. Unde apud *Lennam* contigit quendam ex *Judæis* fieri Christianum; quem tanquam Legis prævaricatorem *Judæi* prosequentes, captata opportunitate, & arreptis armis, ipsum aggressi sunt per viam transeuntem: porro ille in Ecclesiam Christianam se recepit, nec quievere sævientes; sed continuato furore & impetu, eandem Ecclesiam oppugnare cœperunt: mox ingens clamor attollitur, & Christianum auxilium sonoris vocibus flagitatur. Clamor ergo & fama Christianum populum accendunt: & peregrini juvenes (quorum illuc multitudo magna negotiandi gratia venerat) armati accurrunt, superbos belligerantes fortius impetentes. Judæi vero, cum Christianorum impetum ferre non possent, fugam inierunt, cæsis in fuga multis: domus etiam eorum expugnatæ atque expoliatæ à Christianis, flammis tandem ultricibus conflagrarunt. Peregrini vero juvenes præda onusti repetitis navibus, ne quam forte à ministris Regiis sustinerent quæstionem, celeriter abierunt. Loci vero incolæ, cum propter hoc discuterentur à Regiis, in peregrinos, qui jam abierant, factum refuderunt.

CAP. XLIII.

Item apud Stanfordiam *de Judæis.*

POst hæc apud *Stanfordiam* novus adversus *Judæos* turbinis motus surrexit. Cum enim ibidem quadragesimali tempore solennes nundinæ agerentur; juvenes, qui signum Dominicum *Jerosolymam* profecturi susceperant, ex diversis provinciis venientes; indignantesque quod inimici crucis Christi tam multa possiderent, cum ipsi ad tanti itineris laborem sumptus non haberent necessarios. Arbitrantes ergo obsequium se præstare Deo, si hostes ejus impeterent, quorum bonis inhiabant; audacter irruerunt in eos, nemine tantis se ausibus opponente. Cæsi sunt aliquot ex *Judæis*; cæteri vero infra Castellum recepti ægre evaserunt: prædones autem cum sui operis emolumento abierunt, nullusque eorum propter hoc, studio disciplinæ Regiæ, sustinuit quæstionem.

CAP. XLIII.

Item apud Lincolniam.

L*Incolnienses* vero audientes qualia circa *Judæos* agerentur, occasionem nacti, & animati exemplis, aliquid audendum duxerunt: & conglobati, in cohabitantes *Judæos* motu subito exarserunt. Porro *Judæi* pavore & exitio ali-

Richardus primus Rex.

orum cautiores effecti (paucis difcrimen expertis) in munitionem Regiam cum pecuniis mature feceflerunt.

CAP. XLIV.

De eifdem Eboraci.

VErum *Eboracenfibus* non motus ferociffimi Principis, non vigor Legum, non ratio, non humanitas obftitit, quominus exitio generali tollerentur *Judæi*. *Eboracenfium* autem *Judæorum* duo primi fuere *Benedictus* & *Jocenus*, homines locupletiffimi & late fœnerantes: hi duo ad coronationem Regis pompatice procedentes, in conflictu *Londoniis* cum cæteris extiterunt: quorum ille *Benedictus*, plagis impofitis, comprehenfus, ut mortem differret, Chriftum coactus eft confiteri, ductufque in Ecclefiam illico baptizatus eft. Sedato vero tumultu, in craftino productus ad principem, interrogatus eft ab eo, an effet Chriftianus. Qui refpondit, fe à Chriftianis baptizari coactum, fed animo femper fuiffe *Judæum*; & magis fe malle mori, cum jam non poffet vivere, plagis enim pridie impofitis urgebatur ad mortem: ejectus ergo à facie Principis, *Judæis* eft redditus apoftata Chriftianus; & cito deficiens, de *Benedicto* efficitur maledictus. *Jocenus* autem de conflictu fugiens, domum reverfus eft. Rege vero poftmodum in partibus tranfmarinis conftituto, conjuraverunt adverfus *Judæos Eborum* provinciales plurimi, perfidum fanguinem & præclaram cupidinem fitientes. Cumque urbis pars non modica, nocte intempefta, vel fortuito vel potius (ut creditur) à conjuratis immiffo conflagravit incendio, ne & ipfi cives circa ignem occupati impedimento effent prædantibus: armata conjuratorum manus domum dicti *Benedicti* (ut dictum eft) *Londoniis* mortui, in qua uxor ejus & filii cum aliis pluribus propter fortitudinem domus habitabant, vi magna & ferramentis ad hoc præparatis irrupit: Cæfifque omnibus qui in ea erant, & corrafis opibus, ignem quoque tectis immifit, & abiit. Quo cafu conſternati *Judæi*, & maxime ille *Jocenus*, cuftode exorato & connivente, in arcem Regiam pecuniarum fuarum ingentia pondera tanquam gazas Regias convexerunt: poft dies vero aliquot, nocturni illi prædones cum majori fiducia atque ferocia redeunt, & domum *Joceni* fortem quidem & arces non ignobiles protendentem fortiter oppugnates, tandem captam & expilatam incenderunt. *Jocenus* autem, paulo ante hoc malum præfagiens, cum uxore & filiis in arcem Regiam migraverat: fimiliter & cæteri *Judæi*, paucis ad victimam foris remanentibus. Prædonibus autem cum tanti aufus emolumentis dilapfis, facto mane vulgus promifcuum irruit, diripuitque, in diverfis fpeciebus, prædonum ignifque reliquias. Moxque nullo publici rigoris habito refpectu, manifefte & profufa licentia in eos debacchari cœperunt; nec eorum fubftantiis jam contenti, cunctis extra arcem inventis, aut facri Baptifmatis, aut extremi difcriminis optionem dederunt. Baptizantur vero nonnulli ficte, cæteris fine mifericordia trucidatis. Et dum hæc agerentur, multitudo, quæ in arcem Regis confluxerat, in tuto agere videbatur. Porro arcis præpofitus ad quoddam forte negotium egreffus; cum regredi vellet, à multitudine intus excubante, incerta jam cui fe crederet, non eft admiffus; ne forte quos tuendos fufceperat, hoftibus exponeret. Ille vero provinciæ Præfidem, qui tunc ob Regia negotia cum frequentia provincialium militum aderat, confeftim adiit, commiffæ fibi arcis cuftodia fe à *Judæis* fraudatum conquerens. Indignatus Præfes infremuit; illis maxime, qui conjurationis auctores extiterant, eum inflammantibus, atque in Domini Regis injuriam hoc ipfum redundare allegantibus. Juffit ergo Præfes convocari populum, arcemque oppugnari: Excurrit irrevocabile verbum, plebis Chriftianæ zelus accenditur; immenfæ armatorum tam ex urbe quam provincia circa arcem glomerantur catervæ. Præfes autem pœnitentia ftimulatus

mulatus frustra conatus est revocare sententiam; accensos enim animos, quominus prosequerentur incœptum, nullo rationis vel auctoritatis pondere potuit cohibere. Cives tamen nobiliores motus Regii periculum formidantes tantam vecordiam caute declinarunt. Instabant ergo cruento negotio, tanquam proprium maximumque quærentes compendium. Clerici quoque plures non deerant, inter quos quidam Heremita cæteris ferventior videbatur. Oppugnatur ergo turris fortiter per dies aliquot, & urgebat præcipue opus funestum memoratus ille ex Canonico *Præmonstratensi* Heremita; in veste enim alba sedulus aderat, & hostes Christi perdendos sæpius cum clamore valido repetens, suæ cooperationis exemplo bellatores accendit. Dicitur autem quod diebus obsidionis processurus ad opus cruentum; hostiam incruentam (erat enim sacerdos) mane immolaverat, cæcata mente religiosum esse negotium quod agebatur pronuncians. Cumque admoverentur machinæ, ferventi animo cooperabatur ille pro viribus; unde factum est ut incautius muro appropians saxo grandi conquassatus continuo expiravit. Nocte vero sequenti, dum nostri forte mitius agerent, *Judæi* ad invicem tractabant, quidnam esset eis in tam arcto faciendum. At quidam Legis Doctor, qui ad docendum Judæos ex partibus venerat transmarinis, respondit; Deus, cui dici non debet cur ita facis, jubet nos pro Lege sua mori modo, & ecce mors nostra in januis ut videtis, & cum mortem gloriosam vitæ turpissimæ præponere debeamus, honestissimum plane atque facillimum genus mortis eligendum est. Nam, si inciderimus in manus hostiles, pro eorum arbitrio cum ludibrio moriemur; itaque vitam quam nobis Creator dedit, cum eam ipse jam repetat, propriis illi manibus sponte & devote reddamus, nec ad reddendum quod repetit, ministerium crudelitatis expectemus hostilis: hoc enim & multi nostrorum in diversis tribulationibus laudabiliter fecerunt, vel fecisse noscuntur, formam nobis decentissimæ electionis præstruentes. Hæc cum dixisset exitiale consilium amplexi sunt plurimi; quibusdam tamen visus est hic sermo durus. Tunc senior, quibus, inquit, consilium tam bonum piumque non placet, sedeant seorsum, ab hoc sancto præscissi collegio: nobis enim præ caritate Legis paternæ vita hæc temporalis jam viluit. Secesserunt ergo plurimi, hostium potius clementiam experiri, quam hoc modo interire cum sociis eligentes. Mox ad arbitrium insanissimi senioris, ne suis operibus hostes ditarentur, vestes pretiosas ignis absumpsit; vasa vero concupiscibilia, & cætera quæ non poterant per ignem transire, artificiosa invidia pudenda repositione damnavit. Quibus actis, & igne tectis immisso, dum ignis ipse morose nutriretur sociis, qui amore vitæ ab eis secesserant, singulos ad victimam præparabant. Dictante vero inveterato illo dierum malorum, ut viri, quibus constantior esset animus, propriis uxoribus & liberis vitam adimerent, mox famosissimus ille *Jocenus Annæ* uxori suæ cultro præacuto guttur incidit, & propriis quoque filiis non pepercit. Cumque hoc etiam ab aliis viris factum esset, infelicissimus ille senior *Jocenum* (eo quod esset honorabilior cæteris) jugulavit. Absumptis mox omnibus una cum magistro erroris, immisso, ut dictum est, à morituris igne interiora turris ardere cœperunt. Qui vero vitam elegerant, incendio prout poterant resistebant. Mane autem facto, cum populus frequens ad expugnandam arcem concurreret; miseræ illæ *Judæorum* reliquiæ stantes ad propugnacula, nocturnam suorum cladem voce lacrymabili declararunt; & ad oculatam tanti facinoris fidem extincta corpora muro devolventes Christianos se fieri caritative postularunt. At conjuratorum Principes (è quibus erat quidam *Richardus*, vero cognomine mala Bestia, homo audacissimus) nulla super miseris misericordia movebantur: mitia tamen cum eis in dolo loquentes, ut egredi minime vererentur; mox ut egressi sunt hostiliter comprehensos, & baptismum Christi constanter postulantes, lanistæ crudelissimi peremerunt; cæde vero completa, conjurati continuo Cathedralem Ecclesiam adeuntes, monumenta debitorum, quibus Christiani premebantur à *Judæis*, ibidem reposita, ab exterritis custodibus violenta in-

Richardus primus Rex.

Judæi divitiis igne consumtis seipsos jugulant.

 stantia

Richardus primus Rex.

ſtantia reſignari fecerunt, &c, tam pro ſua quam aliorum multorum liberatione, eadem prophanæ avaritiæ inſtrumenta in medio Eccleſiæ flammis ſolemnibus abſumpſerunt; ſane tempore Dominicæ Paſſionis, pridie ſcilicet ante Dominicam Palmarum, prædicta apud *Eboracum* contigerunt.

CAP. XLV.

Vindicta Regis contra occiſores Judæorum.

RES autem iſta mature defertur ad Principem, qui ante ejus transfretationem *Judæis* pacem & ſecuritatem ſanxerat. Indignaturque & fremuit, datoque mandato ad *Elyenſem* Epiſcopum ejus Cancellarium & Regni præpoſitum, ut tanti auſus patratio condigna plecteretur vindicta. Idem vero Epiſcopus ferocis animi, & gloriæ cupidus, circa Aſcenſionem Dominicam venit *Eboracum*, & fortiſſimam civibus intulit quæſtionem. Porro principales & famoſi rerum geſtarum auctores, relictis omnibus quæ habebant in provincia, à facie ejus fugerunt in *Scotiam*, civibus vero conſtanter proclamantibus, ſuo neque voto, neque conſilio, vel opere accidiſſe, neque per ſuam mediocritatem indiſciplinatæ multitudinis impetum impedire potuiſſe. Tandem Cancellarius multa pecuniaria eis impoſita, hoc modo ſatisfactionem accepit: nec uſque ad hunc diem pro illo *Judæorum* exitio aliquis ſupplicio eſt addictus. Anno primo ejuſdem Regis *Richardi*, menſe *Decembri*, *Willielmus* Rex *Scotiæ* venit *Cantuariam*, & fecit ibidem homagium Regi *Richardo*, & reverſus eſt.

CAP. XLVI.

Quæ fecerat Rex poſt Coronationem ejus, antequam transfretaret.

IN primis Rex novus ſtudium habuit, ut vacantes Eccleſiæ Cathedrales ad ejus inſtantiam propriis gauderent Epiſcopis. *Richardus* vero Theſaurarius in *Londonienſem*, *Godefridus Lucienſis* in *Wintonienſem*, *Willielmus* de *Longo Campo* in *Elyenſem*, *Hubertus Eborum* Decanus in *Salesbirienſem*, & *Gaufridus* frater Regis in *Eboracenſem*, ad inſtantiam Regis electi ſunt.

CAP. XLVII.

Quomodo ditavit Johannem *fratrem ſuum.*

PRæterea circa *Johannem*, fratrem ſuum uterinum, egregium declaravit amorem. Nam præter *Hyberniam* & Comitatum *Moritanenſem* in *Normannia*, de quibus paternam traditionem ratam habuit, in Regno *Anglorum* tanta illi adjecit, ut quaſi Tetrarcha videretur. Denique *Cornubiam*, *Devenſhiram*, *Notinghamſhiram*, *Lancaſtrum* cum adjacente Provincia, atque alia plurima ei de Regio Dominico contulit; & *Glouceſtrenſis* Comitis filiam cum integritate juris paterni ampliſſimi fraterna proviſione deſpondit. Verum hæc ejus in fratrem immoderata largitas multa ei mala ſequenti tempore peperit; & profuſum largitorem profunda plenitudine caſtigavit, quia factus eſt fratri de cætero infidus, & ultimo manifeſte infeſtus. Indulta enim ei Tetrarchia fecit eum ambire Monarchiam.

Richardus primus Rex.

CAP. XLVIII.

Resignatio procurationis Glanville, *cum substitutione* Dunelmensis *Episcopi; præparatio Regis in* Terram Sanctam. *Vendidit Rex Dominia sua.*

RAnulphus de *Glanevilla* Regni procurator cum jam grandævus esset, & videret à Rege novitio multa minus consulte & improvide actitari, solemniter renuncians officio *Dunelmensem* Episcopum habuit successorem, qui nec obluctans injunctum à Rege suscepit officium: sed si proprio fuisset contentus officio, divini juris multo decentius quam humani Minister extitisset, cum nemo possit utrique prout dignum est deservire, secundum illud Dominicum, *Non potestis Deo servire & Mammonæ.* Moxque ipse Rex circa *Jerosolymitanam* profectionem studiosius satagens, instante Rege *Francorum* ut tempore congruo iter simul arriperent, sumptus idoneos modis cœpit omnibus præparare. Evocavit igitur mandatis urgentibus Regem *Scotorum*, qui cum festinatione veniens pactus est ei decem Millia Marcarum argenti pro resignatione Castellorum de Berewyk & Rokesburgh; nam tertium, scilicet Castellum *Puellarum*, à Rege *Henrico* susceperat, quando de ejus voluntate conjugem accepit de partibus transmarinis. *Dunelmensem* quoque Episcopum, quem pecuniosum esse credebat, Rex novus astute allexit, ut emeret à se proprii Episcopatus provinciam, essetque ejusdem provinciæ Episcopus simul & Comes, quod & factum est. Dedit ergo Regi pro emendo Comitatu quicquid pro *Jerosolymitanæ* profectionis apparatu congesserat, & ipse quidem glorians jocabatur. Rexque lætus effectus dixisse fertur, de vetusto Episcopo novitium Comitem ego mirus artifex feci. Eadem etiam arte, qua hujus Episcopi sacculos exhausit, Rex ipse alios quoque plures allexit, ut effusis pecuniis certatim dignitates sive libertates quaslibet, vel publica officia, vel ipsa etiam prædia Regia compararent. Distrahebat itaque propria mature profecturus, tanquam animum redeundi non habens. Cumque ab amicis propter hoc familiari ausu increparetur, reddidisse fertur, *Londonias* quoque venderem si emptorem idoneum invenirem. Verum quam subtili hæc astu vel fecerit, vel finxerit, ut omnium qui pecuniosi videbantur sacculos exhauriret, in reditu suo ab oriente postea claruit. Mensibus autem aliquot in *Anglia* demoratus, Regni administratione Cancellario suo Episcopo scilicet *Elyensi* relicta, ante Dominici Natalis solemnia *Normanniam* transfretavit, habitoque cum Rege *Francorum* solemni colloquio, ambo inter se mutuæ societatis jura firmantes, & germanam alternorum compromittentes caritatem, Orientali se expeditioni cum viris nobilibus, qui signum Domini susceperant, fortius astrinxerunt, & tempus profectionis æstatem proximam statuerunt. 1189

Episcopus Dunelmens. fit Comes.

CAP. XLIX.

De Cruce apparente in aere.

NEc silentio prætereundum est stupendum prodigium, quod circa hæc tempora in *Anglia* visum est à multis. Est super stratam publicam, qua *Londonias* pergitur, vicus non ignobilis Dunestabell nuncupatus: ibi, dum circa horam meridianam cœlum suspicerent, viderunt in sublimitate sereni aeris formam vexilli Dominici lacteo candore conspicuam, & conjunctam ei formam hominis crucifixi, qualis in Ecclesia, ad memoriam Dominicæ Passionis, & devotionem fidelium, depingitur. Cum ergo terribilis hæc species diutule,

Richardus primus Rex. diutule appareret, & curiose intuentium vultus animosque suspenderet, visa est forma crucis ab eo qui affixus videbatur recedere: ut medium aeris spatium inter utraque notaretur: & paulo post res stupenda disparuit. Interpretetur quisque ut voluerit signum mirabile, cujus, utique didici, sum simplex narrator, non etiam præsagiis interpretans, quid enim voluerit Divinitas signare, nescio.

CAP. L.

Fredericus *profectus in* Terram Sanctam, *moritur in via.*

1189 SAne, cum juxta digestam superius narrationem memorati Reges *Francorum* & *Anglorum* in tantum protelarent, *Fredericus* Imperator *Romanus* eosdem non expectandos censuit; sed filio seniori, quem Regem *Longobardorum* constituerat, imperii cura commissa, cum filio Duce *Suevorum* per *Pannonias Thraciasque* iter suum arripuit, ducens secum maximas atque ferocissimas *Germanarum* gentium copias. Prætergressus autem *Pannonias*, & progressus ad Imperatoris *Constantinopolitani* provincias, missis nuntiis rogavit Imperatorem *Græcum* Imperator ipse *Latinus*, ut liceret ei cum suis licite per terram suam transire, non ad dextram declinando vel ad sinistram. Sed cum *Græci*, licet Christiani, *Latinos* abominari noscuntur; & *Græcus* ille imperator (ut dicitur) post captam *Hierosolymam* fœdus cum atrocissimo *Saladino* pepigerat, pollicens quod in terra vel in mari ditionis suæ, *Latinorum* in *Syriam* transitum inhiberet, ipsi *Saladino* quam Christo fidelior transitum concedere noluit. Quamobrem *Latinus* Imperator ait ad suos, hostem Christi *Saladinum* quærimus; & ecce par *Saladino*, imo plus quam *Saladinus* hic; qui zelando pro *Saladino* zelantibus pro Christo palam obsistit. In ipsum ergo arma contra *Saladinum* sumpta vertamus, ferro nobis viam aperientes. Cum aliter transire nequibant, placuit hoc omnibus: ingressique hostiliter, *Thessalonicam* urbem nobilissimam fortiter expugnatam ceperunt, & redacta in potestatem adjacente provincia, ibidem hiemandum statuerunt. Videns autem *Græcus* Imperator non parum contra se actum à *Latinis*, & duriora nisi præcaveret conjectans, fœdus cum Imperatore nostro pepigit, & concesso transitu qui petebatur, de sumptibus illius moræ, quam propter inhibitum fecerant transitum, satisfecit. Itaque *Latinus* Imperator cum exercitu per *Constantinopolim* transiens, fretum, quod *Brachium S. Georgii* dicitur, prospere transmeavit. Veniensque in *Asiam* minorem, cujus pars quædam *Constantinopolitanæ* ditionis est, parti vero reliquæ Soldanus *Iconii* præsidet; magnis actibus illi Soldano erat terribilis. Captaque amplissima civitate *Iconio*, & locupletissima præda direpta, Christianus exercitus, Imperatoria provisione bipartitus, in castris excubabat, amne medio interlabente discretus. Cumque Imperator equo sedens filium, qui parti exercitus ultra amnem præerat, visendi & colloquendi studio, cum paucis amnem vellet medium transmeare: dissuasus à comitibus ne se vir tantus petulanter in amnem daret incognitum; extrema se scire eo urgente non acquievit. Sed Imperialis oblitus gravitatis, in gurgitem fallaci brevitate contemptibilem equo stimulato prosiliens, intuentibus comitibus nec subvenire valentibus, in momento suffocatus interiit. Sane Christianus exercitus id stupuit, doluitque de raptu Principis, ut, collapsis animis, matura hostium præda videretur: verum resumpto paulisper spiritu, loco extincti patris, præsenti *Suevorum* Duci adhæsit & paruit. Qui paterni corporis, quod post dies aliquot ægre inventum dicitur, ossibus assumptis, in multo laborum & periculorum experimento cum exercitu progressus est. Denique tantus exercitus per viam longissimam paulatim bellis morbisque confectus atque imminutus, ita tandem laboris intolerantia, sumptuumque penuria elanguit atque defluxit, ut nulla re memorabili facta, contemptibiles

ex

ex eo reliquiæ *Palæstinam* cum duce memorato venisse dicantur. Qui paternis ossibus apud *Tyrum* cum decenti honore sepultis; militiæ Christianæ, quæ *Accam* obsidebat, cum omni comitatu adjunctus, ibidem post modicum tempus morbo defecit. Hunc finem occulto Dei judicio habuisse noscitur famosa illa *Teuthonici* Imperatoris expeditio. *Richardus primus Rex.*

CAP. L.

Reges nostri venerunt in Siciliam *&* *Rex* Anglorum *expugnavit* Messanam.

SEquente æstate, anno à partu virginis M. CXC. illustres *Anglorum* & *Francorum* Reges iter *Hierosolymitanæ* profectionis ingressi, cum apparatu congruo & exercitu copioso convenerunt *Marsiliam*: Ubi Rex *Francorum* prior cum suis copiis, autumnali tempore, secundis flatibus navigavit in *Siciliam*: Rex vero *Anglorum* per aliquod tempus ibidem demoratus, tandem classe soluta mari se credidit, flatuque arridente in insulam eandem devenit. Verum Rex *Franciæ*, qui prior advenerat, *Messanam* urbem clarissimam cum gaudio exceptus à civibus ad hyemandum elegit. Sequens vero Rex *Anglorum*, propter ejusdem urbis amplitudinem & multimodam opportunitatem, ibidem quoque socialiter hyemare voluit: cumque hujus rei gratia quosdam ex suis præmisisset, cives unius ad se Regis ingressu contenti, & duorum Regum magnorum gravari hospitio renuentes, præmissos à superveniente (paucis eorum in tumultu extinctis) cum contumelia urbe extruserunt. Motus super hoc Rex *Angliæ*, à *Messanensibus*, utrum de illata injuria satisfacere dignarentur, inquirendum duxit. Illis vero tam propriarum conscientia virium, quam insignium fiducia hospitum, superbe detrectantibus satisfactionem; accensus est mox princeps fortissimus ad ultionem. Itaque armari copias, urbemque oppugnari præcepit; cumque in hoc opere suos non tantum urgeret imperio, verum etiam animaret exemplo, urbem aliquamdiu à civibus simul & *Francis* fortiter defensam, tandem potenter irrupit. Quam paucis suorum amissis victor ingressus, decentem tamen in ultione modum tenuit, & motum animi triumphalis gloriæ voluptate mollivit. Civium ergo vel sera satisfactione & coacta devotione placatus frænavit impetum: & pro reverentia Regis *Francorum* urbe egressus, ejusdem illi & suis libenter cessit hospitium: Ipse vero munitione extra urbem constructa, castrisque dispositis, ibidem cum suis copiis in omni rerum copia hyemavit. Porro Rex *Francorum* urbis hospitæ irruptionem in suam trahens injuriam, & pro nihilo ducens indulti hospitii gratiam, implacabilem contra Regem *Anglorum* concepit, totisque imbibit medullis rancorem. 1190

CAP. LI.

Quomodo *Rex* Richardus *duxit uxorem.*

IGitur illustribus *Francorum Anglorumque* Regibus, in *Sicilia* sub expectatione vernæ expeditionis hyemantibus, *Alienora* Regina mater Regis *Richardi*, anilis oblita ætatis, nec reputans longitudinem seu difficultatem itineris, aut rigorem temporis hyemalis, dum materno duceretur, vel potius traheretur affectu, à finibus terræ *Siciliam* venit ad filium, secum adducens nupturam illi Regis *Navarrorum* filiam, famosæ pulchritudinis & prudentiæ virginem. Et quidem tam ineptum quam etiam inusitatum videbatur, ut in præcinctu bellorum de voluptate cogitaretur. Attamen hoc in Regnante juvene non tantum utilitatis, verum etiam salubritatis ratio honestabat. Nam & in illo articulo sobolem contrahere, cum filium qui succederet non habe-

Richardus primus Rex. ret, utile fuit. Cumque esset pro ætate & usu deliciarum lubricus, bellorum propter Christum pericula subiturus, contra maximum fornicationis periculum competenti remedio salubri usus consilio se munivit. Adductam ergo virginem duxit uxorem, eandem per maris martisque discrimina secum ducturus, una cum sorore sua *Joanna*, *Wilhelmi* illustrissimi olim Regis *Siciliæ* uxore relicta, jam vidua. Quæ quidem præclari conjugii amplissimam in *Sicilia* sine *Cambria* dotis nomine habens mercedem, eadem dote Regi *Tancredo* absolute vendita, ut fratrem sequeretur, ejus in immensum auxit thesauros, fideliter ex tunc sequendo adhærens.

CAP. LII.

Rex Franciæ *transfretavit ad* Accam.

1191 ADest tandem longis expectatus desideriis mensis *Martius*: tranquillatur mare, arridet cœlum: Christianorum ingens numerus cum solemni lætitia & alacritate naves ascendit. Rex *Francorum*, spatio dierum aliquot Regem *Angliæ* mox secuturum præcedens, & secundis flatibus circa octavas Paschæ in *Syriam* veniens, Christiano exercitui, Civitatem *Ptolomaidem* jam fere per biennium obsidenti, totis viribus jungitur: & ex tunc fortius atque efficacius negotio instabatur.

CAP. LIII.

Quomodo Rex Richardus *adquisivit* Cyprum.

1191 IGitur Rex *Anglorum*, diebus aliquot post Regis *Francorum* profectionem demoratus, tandem & ipse cum suis copiis, & longe majori apparatu, non satis fidis se flatibus credidit; habens in Comitatu suo naves actuarias atque onerarias plurimas, quippe in illo hyemali otio otiosus non fuerat, sed congerendis exercitui necessariis, & conficiendis machinis bellicis tempus imbelle impenderat. Dei autem ordinatissima provisione, ut postea claruit, oborta tempestas fatigatam compulit classem *Cyprum* divertere: tanquam Christianorum incolarum fideli ac tuto colligendam hospitio. Verum majorem in portu optato quam in mari turbato turbinem invenerunt. Tyrannus enim qui eandem insulam sæva Dominatione annis jam plurimis presserat, & imperatorium sibi in ea nomen usurpaverat, Christiani nominis hosti *Saladino* fœderatus, ipsique quam Christo fidelior, licet Christianus diceretur, cum exercitu affuit, & primos, sævitia fluctuum in portum coactos, ipse excipiens indigne tractavit, & bonis omnibus spoliatos vix vita dignos censuit: quosdam etiam redegit in carcerem inedia consumendos, Regi mox affuturo non dissimilia comminans. Quibus ille agnitis justo ad ultionem zelo inflammatus, cum tota Classe portum intravit. Excipitur à Tyranno, & totis hinc inde viribus conseritur prælium; sed non diu *Græca* mollities impetum sustinuit *Latinorum*: victus namque Tyrannus, dum tentaret fugere, incidit in manus hostium; dispersoque exercitu ejus, civitas portui imminens capta est. Rex quidem primo in Tyrannum, pro sua liberatione quicquid exigebatur pollicentem, mitius agens, celebratis cum eo pactis eum continuo relaxavit: verum ille libertate reddita, prævaricator pactorum malis prioribus perfidiam sociavit. Rex vero præmaturæ clementiæ pœnitens, investigare perfidum & persequi statuit. Ille quidem vires resumere atque exercitum cogere frustra conatus, fugiebat à facie persequentis, quem tandem Rex in quodam Monasterio delitescentem, prodentibus eum quibusdam insulanis, quibus merito exosus erat, comprehendit, & vinculis justissimis innodavit: vinciri autem jussus

Cypri Rex Saladino fœderatus appulsum in insulam Richardo denegat.

Rex Cypri captus pacto fœdere relaxatur.

Idem perfidus iterum capitur & imperio spoliatur.

jussus dixisse fertur, quod ferro vinctus cito deficeret. Ad quod Rex, bene, ait, loquitur, quia nobilis est, & mori eum nolumus; sed, ut vivat innoxius, argenteis astringatur catenis. Mox tota insula, Tyranni saucia morsibus, sponte in ejusdem Principis ditionem devotionemque se transtulit, cunctis illi urbibus & munitionibus, nec non & opulentissimis thesauris Tyranni, cum unica ejus filia resignatis. Quibus feliciter actis, per aliquot dies in Regno novo victoriam cum gloria celebrans, præclaras copias ad Christianæ expeditionis subsidium solicitus ordinabat. Non latuere ista Christianum exercitum, qui *Ptolomaidem* obsidebat, atque ejus cum desiderio præstolabatur accessum. Ipse vero paulo plus duobus mensibus in *Cypro* exactis, & rebus magnis spatio tam brevi patratis, hilares copias in *Syriam* traducendas ad naves revocat. Ordinata igitur, prout voluit & decuit, insula, cunctisque rite dispositis, arridentibus quoque elementis, portum egreditur, veloeique cursu *Ptolomaidem* properans, triremem maximam onerariam eminus conspexit; quæ à *Saladino* missa, obsessis in *Ptolomaide* multiplicis subsidii copiam deferebat, scutis variis, armis, & omni apparatu bellico fulgens. Quo ille comperto jubet eam oppugnari; verum, cum non facile posset, propter enormem sui magnitudinem, & virtutem defensorum desuper tanquam ex arce pugnantium, expugnari: mox ejus expugnationis compendium sic ab ipso Rege inventum est: arce siquidem sub aquis perforata per foramina latenter ingressi sunt, & aggravato pondere subsidens tandem cum omni onere demersa est in profundum. Et res quidem omnes cum parte hominum periere, cæteri vero in naves prosiliendo hostiles, consulte hostibus quam fluctibus se credere maluerunt. Contigit (ut dicitur) paulo ante, quod quidam naves *Londonienses* à magna classe separatæ, ex inordinato maris motu periclitari cœperunt, clamantibusque nautis & orantibus, ecce tres viri continuo apparuerunt, ambulantes super mare, & in vestitu deaurato, quorum unus erat quasi Archiepiscopus cum Pallio, alter quasi Episcopus cum Baculo, & tertius quasi Rex coronatus cum sceptro, dixitque Archiepiscopus, vocastis nos, ecce assumus, stupentibusque nautis, & admirantibus confestim subintulit, nostis nos & nomina nostra, at illi negantes dixerunt nequaquam. Quibus ille; Ego sum inquit *Thomas Cantuariensis*, iste Episcopus est beatus *Nicholaus*, quem colunt & invocant omnes nautæ; Rex iste est Sanctus *Edmundus*, qui vocati adsumus, & modo venimus, ut simus præparatores, & cooperatores classis, & exercitus Regis *Richardi*, & his dictis disparuerunt. Ipsi vero cum gaudio, & tranquillitate navigantes, post dies aliquot una cum classe Regia ad litus pervenerunt optatum. Applicuitque Rex apud *Accam* in vigilia Sanctæ Trinitatis, & à Christianis cum gaudio susceptus est, & tanto quidem gaudio, quanto prius desiderio fuerat expectatus.

Richardus primus Rex.

Ingens Turcorum triremis à Richardo demergitur.

Richardus Aconem venit.

CAP. LIV.

De discordia Regum Franciæ *&* Angliæ.

CUm igitur, ut dictum est, Rex *Angliæ* à *Cypro* triumphator inclytus ad obsidionem venisset, mox inter ipsum & Regem *Francorum*, quem ejus jam mordebat felicitas, manifeste diffidendi seminaria, auctore Sathana, provenerunt. Tanta enim Regis *Richardi* gloria Regem *Francorum* jam urere cœperat, cum se moneretur viribus & opibus longe majorem: Illum vero propter virium opumque magnitudinem & successuum claritatem excellentius eminere, & propensius coli ab exercitu, & agenda omnia ad ejus pendere arbitrium. Rex ergo *Francorum*; ratione pacti inter eos peregrinationem ingressuros sollemniter habiti, quod scilicet omnem adquisitionem suam æquali inter se sorte dividerent, medietatem adquisitionis *Cypriæ*, tam mobilibus quam immobilibus, tanquam sibi perspicuo jure competentem exigebat.

Richardus primus Rex. Ad hoc Rex *Anglorum* refpondebat, medietatem eorum, quæ communibus adquirerent viribus, illi ratione pacti competere: fe propriis *Cyprum* viribus adquififse, illum vero ea, in quibus nec modice laborabat, exigere non debere. Adjiciebat etiam fe & illum, cum peregrinationem arriperent, *Saracenos* folummodo aggrediendi, & ab eis, quantum pofsent, Deo propitio extorquendi intentionem habuifse: & juxta hanc intentionem pactum de adquifitione dividenda conftituifse: porro fe Chriftianam infulam non ex intentione adiifse, fed incidenter ad eam, caufa ulcifcendæ atrocis & adhuc flagrantis injuriæ divertifse. Hoc modo altercabantur ad invicem, & Rex quidem *Anglorum* adquifitionis illius medietatem modis omnibus denegabat. Rex vero *Francorum* ipfum rupti fœderis & pacti irriti arguebat. Alia quoque inter eos diffidendi caufa emerfit, *Marchio* de *Monteferrato*, vir inter primos *Romani* imperii magnus & potens, ut fupra dictum eft, poft captam *Ptolomaidem* *Tyrum* ingrefsus invenit omnes *Tyrios* in confuetudine atque formidine ita attonitos, ut, animis labefactis, *Saladino* mox affuturo exemplo *Ptolomenfium* civitatem tradere cogitarent. Verum ad tanti hofpitis ingreffum, refumpto aliquantulum fpiritu, ejus falubri fe confilio crediderunt. Ille vero cum effet prudens atque magnanimus, omnes à minimo ufque ad maximum facramento aftrinxit, ut ei omnium curam agenti fideliter parerent in omnibus: fapienter allegans, nihil agi poffe, nifi fub uno fuo Principe & provifore cuncti effent unanimes. Verum, ut fupradictum eft, cum ab obfidione *Saladini* civitatem liberaffet, *Guido* Rex *Jerofolymorum*, cum pro fua liberatione à carcere *Afcalonam* *Saladino* tradidiffet, de captivitate reverfus *Tyrum* venit. Cumque *Tyrum*, tanquam jus Regium à *Marchione* repofceret, & *Marchio* urbem tanquam hoftibus expofitam, & à fe cum multo labore fervatam modis illi omnibus denegaret, feceffit *Tripolim*; & aggregatis fibi plurimis *Marchioni* erat infeftus. Illis itaque hoc modo difceptantibus, & aliis quidem pro ifto, aliis vero pro illo æmulantibus, tandem venerunt *Ptolomaidem*; atque in ipfa obfidione, ita locis diftincti ut animis, multam poft fe turbam trahebant: dum potentum plurimi partes oppofitas diverfis profequerentur favoribus. Denique Rex *Francorum* eidem *Marchioni* propenfius favorem accommodans, atque eo, qui Regnum Chriftianum perdiderat, illum, qui reliquias faltem parvas falvaverat, eidem Regno aptiorem pronuncians, partem *Guidonis* pro tempore infirmavit. Et cum tandem Rex *Anglorum*, poft factam in *Cypro* moram necefsariam, jam adefset, conatus eft eum Rex *Franciæ* ad fuam trahere fententiam, allegans potiorem efse paucularum faltem reliquiarum Chriftianæ Religionis falvatorem, quam Regni Chriftiani perditorem. Rex vero *Anglorum* non adquievit, pronior in partem *Guidonis* *Aquitani*, fcilicet hominis, cujus tota propinquitas fub Rege agebat *Angliæ*. Denique allegans pro eo, Regnum, inquit, Chriftianum perdidit, non prodidit. Non enim illud fua vel nequitia, vel negligentia, five ignavia hoftibus prodidit, fed aliis nequiffime prodentibus, ipfe inculpabilis perdidit: & proditus ipfe perditufque fimul cum Regno à fuis in manus hoftium traditus eft, Deo autem propitio liberatus. Aut ergo culpa ejus in hac parte declaretur, aut ei, qua nudari non meruit, prærogativa fervetur. Ægre igitur tulit Rex *Francorum* fuam à Rege *Anglorum* non approbari, ac per hoc & infirmari fententiam. Et tunc quidem, cum fuum non poffet fancire decretum, pro tempore filuit, porro hæc diffentio majoris vel indignationis, vel odii fomitem miniftravit. Cumque jam pars *Guidonis* per favorem Regis *Anglorum* præftare videretur, memoratus *Marchio* ejufdem Regis potentiam veritus, cum fuis *Tyrum* rediit. Sane poft acceffum Regis *Anglorum*, exercitus Chriftianus contra urbem obfeffam invaluit, atque infra diem tricefimum, tanti temporis, tantique fudoris negotium, ejufdem maximi Regis ferventi potentique opera, egregie confummavit.

Philippus favet Marchioni, Richardus vero Guidoni.

CAP.

CAP. LV.

Quomodo capta est Acca *& expugnata.*

IGitur urbs insignis *Ptolomais*, quam nunc *Accam* dicunt, postquam obsidentes Christianos multo & diuturno labore exercuit, tandem expugnata est, anno à partu Virginis millesimo c. nonagesimo primo, quinto Idus *Julii*; anno ex quo in manus *Turcorum* inciderat quarto. Denique fortissimi propugnatores ejus, cum jam Christianorum machinis mœnia cederent, cernerentque irruptionem instare hostilem (Rex enim *Francorum* ex parte Turris maledictæ cum suis instabat, Rex vero *Anglorum* ex parte altera per terram & mare diversis machinis oppugnabat) tanquam animis collapsi, sibimet, quod solum poterant, providentiam habuerunt; pactique sunt Principibus nostris, pro vitæ suæ redemptione promittentes mille quingentos Christianorum de captivitate liberatos ad certum diem restituere, cum pecunia copiosa; huic suorum necessitati *Saladinus*, qui cum infinito exercitu non longe aberat, & subvenire non poterat, auctoritatem præstitit; & ad hæc omnia persolvenda Christianis diem constituit. Itaque resignatam mox civitatem ingressus est, cum exultatione & solemni gratiarum actione, exercitus Christianus. Armorum & variæ supellectilis ingens ibidem copia reperta est, escarumque plurimum & opum. Illi vero, qui fortiter defensam & ægre tandem resignaverant Civitatem, sub expectatione diei a *Saladino* constituti servabantur in tuto. Ingressis itaque urbem Regibus Regia mox vexilla eriguntur, inter quæ vexillum Ducis *Austriæ* erigitur in sublime; quo viso Rex *Richardus*, accersito Duci ait, qua auctoritate fretus, vel sub quo Domino militans terram tuam tenes, ut cum ipse Dux adhuc, Rex non sis, Regia tamen insignia occupas? cui Dux, non ab homine terram meam teneo, sed, post solum Dominum, beatum *Petrum* ipsius Apostolum superiorem recognosco. Et ait Rex, si non ab homine terram tuam teneas, prædico te sine terra futurum; quod quidem verbum ægre tulit Dux: dissimulavit tamen, sed hostilem animum declaravit, ut suo loco dicetur inferius.

Ptolemais capta.

Richardus Ducem Austriæ sibi ipsi infensum reddit.

CAP. LVI.

Egressi sunt Acca *contra* Saracenos.

REgibus autem per dies aliquot in eadem civitate morantibus, facta est in exercitu fames valida, propter quod, communicato consilio, diviserunt inter se Reges Christianum exercitum, & bono zelo, ut contra hostes inimicos crucis Christi bipertite procederent. Et Rex quidem *Franciæ*, cum suo Comitatu, divertit per unam dietam a civitate, ad quoddam castrum fortissimum obsidendum, petulanter dicens, quod non nisi vel expugnato vel reddito Castro obsidionem relinqueret. Rex autem *Angliæ* ex altera parte cum suis incedens, & igne ferroque viam sibi pandens, per octo dietas omnia pro libitu complanavit, audiensque quod Rex *Franciæ* adhuc in obsidione illius Castri nihil proficiendo maneret, ait suis, si Rex *Francorum* & ego longe fuerimus ab invicem separati, veniet forte *Saladinus*, qui modo timet conglobatum exercitum, & irruet in partem separatam, si quo modo nocere possit, & in viribus prævalere. Melius est ergo ut revertamur ad eum: expugnato Castro, poterimus tunc incedere conjunctim vel divisim. Et cum ibidem declinaturus esset, nunciatum est Regi *Franciæ* de adventu ejus festino & expeditione laudabili, quomodo viriliter agens, in modico tempore magna exercuit. Qui accitis suis ait, ecce Rex *Richardus* adest, qui strenue agens hucusque

Fames in exercitu Christ.

Richardus primus Rex. profperatus eft, & nos, licet multi fimus, parum tamen profecimus; fi manferimus hic, & in præfentia fua deditum fuerit Caftrum vel expugnatum; non nobis fed fibi omnis laus tribuetur & gloria; revertamur ergo ad civitatem *Ptolomaidem*, &, cum venerit, faciat ipfe quod poterit. Quod & factum eft. Cumque veniffet Rex *Richardus*, & hæc didiciffet, oravit ad Dominum fic dicens, O bone Jefu, pro cujus amore iftud iter affumpfi, ut fanguinem tuum pro redemptione Chriftiani nominis effufum, pro poffe in hoftes tuos vindicarem, adjuva me fi placet in præfenti, in expugnatione iftius Caftri, ita quod tibi & nomini tuo laus afcribatur & honor; & convocatis fuis, ait, ecce quomodo reliquit nos Rex *Francorum* animum invidia contaminatum ipfo facto declarans, & vecordiæ notam, infecto negotio, Chriftiano nomini in fuo receffu inprimens. Erigimini ergo in Chriftianorum laudem, & viriliter agite pro Chrifto & nomine veftro, quia non recedemus hinc nifi potenter expugnetur, vel nobis magnifice reddatur; erectis ergo machinis hinc inde tela projiciuntur, confertumque eft prælium grande; obfeffi vero viri ftrenuiffimi, & nihil fibi timentes, eo quod obfefforibus non erat introitus nifi per unam viam & arctam, apertis januis emiferunt quinquaginta armatos, qui pompatice ftarent, & fi forte ingreffum attentarent aliqui, eis extrema forte illuderent. Quod cum videret Rex *Richardus* infremuit, & impetum animi retinere non valens, ftimulato dextrario in eos continuo irruit, & nunc hos, nunc illos hinc inde cædens, denuo portam ingreffus eft, & concurrentibus cæteris omnes quafi in eum irruerunt, equum ex difficili perimentes, moxque clamor ingens in exercitu factus eft, dicunt enim quidam, corruit Rex, & mortuus eft, alii autem dicunt, ingrediamur & cum ipfo moriamur, ftatimque refumptis viribus ingreffi funt animofe viri potentes, & invenerunt Regem in aula, non quidem edentem vel bibentem, fed cum bipenni ftrenuiffime pugnantem. Interfectis ergo fere omnibus pauci admodum refervantur. De quibus in fignum victoriæ mifit Rex *Richardus* tres de nobilioribus ad Regem *Francorum*, quos cum ipfe recepiffet, indignatus eft, diffimulavit tamen. Audiens ifta *Saladinus* mifit ad Reges nuncium in dolo qui diceret, Dominus meus de Jefu veftro, quem prædicatis & colitis, multa jam bona audivit, & fpem certam in eo concepit, quod ficut eftis modo & vos, fic & ipfe erit fuæ Legis cultor & prædicator; unde treugas poftulat feptennales, infra quas cum fuis deliberare poffit, de Lege etiam veftra informari & inftrui. Et fi propofitum continuaverit ipfe Deus, abfque majori fanguinis effufione, effici poterit Chriftianus. Refponditque ftatim Rex *Francorum* ad hæc, pax fere præ foribus eft, & qui menfuram refpuit frequenter decipitur. Rex vero *Anglorum* in parte gravatus confeftim fubintulit, heu heu! quod ab ore Chriftiano & maxime Regio unquam tale verbum exire debuit in fpecie fallibile, ex promifso Pagani; nos enim quærimus & petimus terram Patris noftri & Jefu Chrifti, ubi natus pro nobis, pafsus, mortuus, & fepultus eft, in qua nos fuo pretiofiffimo fanguine redemit, & pro noftra omnium falute nudus in cruce pependit, quam quidem terram, hæreditatem utique noftram (quia à Chrifto Chriftianam) ifti hoftes peffimi de manibus fratrum noftrorum Chriftianorum violenter eripuerunt; hanc ergo fi nobis reddere & reftituere voluerint, de converfione eorum bene diem accipient. Quod fi facere noluerint, eamus & faciamus propofitum pro quo Crucem affumpfimus, & ficut Chriftus pro nobis mortuus eft, fic & nos, fi necefse fuerit, moriamur in Chrifto. Hæc autem & fimilia dicens excitabat vota & mentes fingulorum, & fic, infecto negotio, prædictum nuncium quafi vacuum unanimiter remiferunt.

Septennalis treuga Saladino petenti denegatur.

CAP.

CAP. LVII.

De repatriatione Regis Franciæ.

TUnc Rex *Franciæ* delicati ſibi hominis notam aſſumens, cœpit tractare cum ſuis de repatriatione, non dico de fuga, quia fugit impius nemine proſequente, miſſiſque ex ſecretariis ad Regem *Angliæ*, rogavit ex animo ut licentiam concedendam votis ejus annueret, proteſtans quod aut oporteret eum repatriare, aut continuo infirmari; admiratus autem Rex *Richardus*, animo quaſi conſternato ait, ſi mihi modo Rex *Francorum* in arcto deficiat, & non tantum mihi, ſed etiam ipſi Deo conventionem frangat, ipſum Deum Omnipotentem judicem habeat & ultorem. In voluntate autem Regis eſt vel morandi vel repatriandi libertas, ſoli autem Deo injuria fiet, quam pro ſuo tempore juſtus judex vindicabit. Rex ergo *Francorum* audiens hæc, motus quidem & æſtus cauſando moleſtiam publice proteſtatus eſt, ſe illius terræ aerem ulterius ſuſtinere non poſſe, propter quod repatriare diſpoſuit; & hoc continuo, quod Chriſtiano exercitui multum diſplicuit, præſertim cum plurimi, & forte verius,ejus interpretarentur diſceſſum; dicebatur enim,quod propter expenſarum & opum impotentiam, quibus Regi *Angliæ* fuit tunc temporis impar, non potuit niſi ægris oculis gloriam Regis *Richardi* contemplari, dicenſque ſecreto ſuis quod quicquid ibi fiebat aſcribebatur Regi *Richardo* in laudis gloriam, ſibi vero & ſuis in opprobrii contumeliam; applicaverat etiam animam ad Comitatum *Flandrenſem* tunc vacantem. Comes enim *Philippus* parum ante ibidem piæ militiæ munus expleverat. Rex vero *Richardus*, propter ſupradictas diſsentiones recentes, de benevolentia ipſius merito diffidens, coram viris honoratis exegit accepitque cautionem, quod ſibi & hominibus ſuis, uſque ad redditum ſuum, omnino maneret innoxius. Cumque navem conſcenderet ut abiret, præcepit clanculum Comiti *Campaniæ*, & Duci *Burgundiæ*, & aliis ex devotione poſt eum remanentibus, qui propter conſcientiam & vitæ infamiam repatriare verebantur, ut *Marchioni* ejus partem fovendo aſſiſterent, & quoties ſe incidens præberet occaſio Regi adverſarentur *Anglorum*; cumque proſperis flatibus veniſset *Italiam*, *Romanum* Pontificem adiit, & à prædicto juramento ab eo tanquam contra voluntatem extorto, abſolutionis beneficium importune poſtulavit. Papa vero ſua ad tempus petitione ſuſpenſa, tandem rei veritate cognita, ſic ei reſpondit, illud, inquit, juramentum quod præſtitiſti Regi *Anglorum* de pace & concordia uſque ad redditum ſuum conſervanda, quam utique Princes Catholicus abſque juramento conſervare deberes, nullatenus relaxamus, ſed tanquam honeſtum & utile auctoritate Apoſtolica roboramus. Reverſuſque ſic ad propria, non quidem glorioſus effectus, ſed potius rubore confuſus: dicentibus tamen ſuis, ad propugnandum quodammodo præmaturum Regis ſui reditum, quod Rex *Anglorum*, inſidioſe & nequiter quærendo animam ejus, contra propoſitum redire compulerat.

Philippus abſolutionem à juramento à Romano Pontifice fruſtrà petit.

CAP. LVIII.

De geſtis in Anglia *in peregrinatione Regis.*

HIc flectendus eſt modo ſtylus ab oriente in noſtrum occidentem, ut liquere poſſit qualis Regni *Anglici* ſtatus in Regis abſentia extiterit. Idem Rex, ut ſuperius dictum eſt, ad orientalem egrediens expeditionem, *Elyenſi* Epiſcopo Cancellario ſuo vices ſuas in adminiſtratione Regni, committeret, cum munitionibus Regiis & plenitudine poteſtatis. Qui Epiſcopus, cum

Richardus primus Rex. cum esset audaciæ astutiæque singularis, magna summa *Romam* transmissa, vices quoque Apostolicæ sedis petiit, & tali intercessione facile impetravit. Denique ut ad summum evectus videretur, generale concilium, ex *Anglia* terrore maximo *Londoniam* congregatum, quanto gloriosius tanto & vanius celebravit, sub specie scilicet Religionis agens propriæ negotium vanitatis, quod utique agebat fortius, eo quod Metropolitanæ Ecclesiæ vacabant utræque. Itaque sublato omni obstaculo, quominus ambularet in magnis & mirabilibus, super se fretus duplici Apostolica scilicet & Regia potestate, Clero pariter & populo arrogantissime præsidebat, & sicut de quodam scriptum est, quod utraque manu utebatur pro dextra, sic & ille ad faciliorem molitionum suarum efficaciam, utraque potestate utebatur pro altera, nec erat qui se absconderet à calore ejus, cum & Ecclesiasticus in eo virgam vel gladium Apostolicæ potestatis timeret, & secularis nulla se ratione vel auctoritate contra potestatem Regiam tueri valeret. Denique ipsum illo tempore in *Anglia* & plusquam Regem experti sunt Laici, & plusquam summum Pontificem Clerici, utrique vero tyrannum importabilem: fastus ejus fere in omnibus plusquam Regius erat; in expeditione enim positus armatorum excubias circa cubiculum suum habere voluit: procedebat cum mille equis, & plerumque etiam numerosius legationis suæ nomine, hospitium à cunctis per *Angliam* exegit Monasteriis: & à minoribus, quæ pondus hospitii ferre non poterant, certa, id est, octo vel quinque Marcarum summa redimi hospitia censuit; majoribus vero incumbebat velut locusta. Exhausit ergo non solum ærarium Regium, verum etiam quicquid ex Regno, Monasteriis, Ecclesiis quacunque occasione corradere poterat. Præfecerat enim singulis provinciis nequissimos avaritiæ suæ ministros, qui non Clerico, non Laico, non Religioso parcerent vel deferrent, quominus Cancellarii commodis inservirent (sic enim dicebatur cum Episcopus esset) & Episcopi quidem in illo nullum vel tepidum, Cancellarii vero nomen per universam erat *Angliam* insigne atque terribile. Sane nobiles Regni & optimates plures per propinquarum suarum (quas ex *Normannia* multas vocaverat) conjugiis devincire curavit. Cum ergo hoc modo astrinxisset sibi nobilium plurimos, cæteros vero vel confregisset terroribus, vel arte & officiis delinisset; solum tamen metuebat *Johannem* Regis fratrem, ut pote longe potentiorem cæteris, & speratum Regni successorem. Denique ne Rege forte peregre moriente, & *Johanne* rite succedente, ipsius expiraret potestas; arte (ut dicitur) agendum putavit, ut *Johannes* jam adultus non succederet; sed per successorem tenerum longi sibi temporis potestatem pararet. Duobus igitur fratribus suis ad Regem *Scotorum* directis, petiit ut firmissimo sibi fœdere cohæreret ad præficiendum Regno *Anglorum* *Arthurum Britonem* ipsius pronepotem, si forte Rex peregre in fata decederet: eo quod illi potissimum, nato ex *Godfrido* fratre Regis majore, successio Regni competeret: protestans Regem ex *Sicilia* literis sibi directis, *Arthurum* nepotem suum (si forte ipsum non reverti contingeret) Regni successorem designasse. Hoc quidem mysterium inter duos illos potentes occultis tractatum susurriis, non diu latuit *Johannem*: qui conceptum rancorem subtili pro tempore cautela dissimulans, suæ parti quoscunque poterat prudenter conabatur allicere, artemque arte studuit illudere. Dum autem ista per insolentiam Cancellarii gererentur, Regi in *Sicilia* hyemanti universa fideli multorum innotuere relatu: qui mox *Walterum Rothomagensem* Archiepiscopum virum prudentem & modestum, qui cum ipso hyemabat, direxit in *Angliam*: eum Regii auctoritate rescripti Cancellario per omnia in administrando Regno consortem & collegam adjungens. Verum idem Cancellarius Regia contempsit mandata, allegans sibi notam esse Principis mentem, cui magis obtemperandum esset, quam sine mente solis literis scilicet surreptione elicitis. Cumque *Cantuariam* ire disponeret, secundum Regis mandatum, vacantem ordinaturus Ecclesiam, Cancellarius ad eandem dignitatem aspirans, hoc eum proposito cito exuit, maturam ei pœnitudinem, si vel hoc tentaret, terribiliter comminatus.

Concilium Londoniense.

Episcopi Eliensis nequitia & superbia.

Johannes artes Eliensis. Episcopi detegit.

Itaque idem *Rothomagensis* otiosus in *Anglia* morabatur: Cancellarius vero in Regni administratione collegæ impatiens, singularis, ferus *Angliam* depascebatur; at non diu post quietam egit vitam, malis contra eum succrescentibus: & primi quidem motus talis fuit occasio. *Gerardus* de *Canimilla*, vir dives & nobilis emerat à Rege Castelli *Lincolniensis* custodiam cum adjacentis provinciæ præsidatu. Rege autem in Orientali expeditione posito, cum nullus fere ejus speraret reditum, Cancellarius occasionem nactus vel veram vel subornatam, prædicto *Gerardo* arcem *Lincolniensem* sibi resignare præcepit. Ipse vero necessitate cogente, ad *Johannem* se contulit, ejusque favore fretus jussionem sprevit. Indignatus Cancellarius, eandem arcem obsessurus, ex subjectis provinciis propere collegit exercitum, & transmarinam etiam profusis stipendiis accersivit militiam, cujus tamen adventum homo fervidus & moræ impatiens minime præstolabatur, sed, civitatem *Lincolniæ* cum ingentibus copiis ingressus, arcem pertinaciter obsedit, & conficiendis cum festinatione machinis sumptuosum laborem impendit. Sane illo circa obsidionis negotium occupato, *Johannes* cum suis super munitiones Regias scilicet de **Notingham** & **Tikhill** improvisus irruit, easque viris & victualibus parum munitas inveniens, bidui negotio comprehendit. Tunc crescente fiducia superbo denunciavit obsessori, ut vel obsidione soluta recederet, vel certe se ad excipiendum ejus impetum in proximo cautius præpararet, sciens vero Cancellarius optimatum plurimos, qui secum esse videbantur, animo esse cum *Johanne*, confusus abcessit: & post dies paucos unum ex cornibus suis fractum esse, id est, Legationis suæ officium per mortem *Romani* Pontificis expirasse cognovit. His territus, amicis mediantibus, cum *Johanne* solemne colloquium habuit, & quibus potuit conditionibus pacem cum eo fecit. Mox vero militiam illam, quam accersire curaverat transmarinam, in *Angliam* applicuisse atque adventare cognoscens, resumpto spiritu resiluit a pactis; & protestatus est vel se vel *Johannem* ex *Anglia* propellendum. Tandem tamen inter eos facta est pax conditionibus novis, dum ille (sicut dicitur) *Johanni* satisfaceret, abjurata parte *Arthuri*, & cautione præstita quod *Johanni*, tanquam justo hæredi, munitiones Regias redderet, si forte Rex ab Orientis partibus non rediret. His actis, *Johannes* pro tempore quievit: Cancellarius vero fastu agens solito tyrannum non exuit: solum enim tanquam alterum hæredem metuebat *Johannem*, & audito eo multa faciebat; interea *Gaufridus Eborum* electus, & frater Regis, *Turonis*, ab Archiepiscopo *Turonensi* per rescriptum *Cælestini* Papæ, qui *Clementi* successerat, solemniter consecratus, anno a partu Virginis millesimo c. nonagesimo primo, mense *Augusto*, & accepto prius Pallio repatriare disposuit; quod ubi comperit ejus insectator Cancellarius, mox per satellites proprios *Eboracensis* Archiepiscopi tyrannice possessiones invasit; & præter res immobiles cætera omnia improbus dilapidator vel potius deprædator abrasit, portus quoque caute custodiri præcepit, ne vel in *Angliam* vel ad suam Ecclesiam liber esset ei ingressus. Ille vero nihilominus adveniens apud *Doveriam* confidenter applicuit. Moxque custos Castri, habens in conjugio Germanam Cancellarii, appulso progressum inhibuit, citissimis Cancellario nunciis ejus ingressum indicans; qui ferocis animi motum nequaquam dissimulans, præcepit, eum rebus nudatum omnibus à monasterio *Dovernensi* (in quo interim morabatur) abstrahi, & in arce *Doverensi* custodiæ mancipari. Venientes ergo satellites vehicula & clitellas, & quæcunque ejus vel Clericorum erant, diripuerunt: nec personæ clarissimæ, nec sacrati loci reverentiam ponderantes, ab altari violenter avulsum, & ab Ecclesia contumeliose extractum, una cum Clericis suis Castello intruserunt. Et ille quidem servabatur in carcere: fama tamen enormitatis hujus velociter discurrens, & quasi super pennas ventorum gradiens, in brevi totam replevit *Angliam*. Mox majores in Cancellarium fremunt, minores eidem mala imprecantur, universi votis communibus tyrannum detestantur. *Johannes* maxime de fratris captivitate doluit, atque

Richardus primus Rex.

Johannes duo Castella inopinato occupat.

Pax inter Johannem & Cancellarium.

Gaufridus Regis frater in carcerem à Cancellario conjicitur.

Richardus primus Rex. Joannes ingentem exercitum ad fratrem liberandum comparat.

que ad ejus non tantum deliberationem, ſed & jam ultionem juſtiſſimo motu exarſit. Itaque feſtinanter congregatis ex omni terra ditionis ſuæ, nec non & ex Regione *Walliarum* ingentibus copiis, properabat. Cui mox acceſſere Barones plurimi Comiteſque: & *Wintonienſis* Epiſcopus cum militia copioſa: nec defuere Epiſcopi *Batonienſis* & *Ceſtrenſis*, qui paulo ante principales Cancellarii complices & fautores extiterant; ſed tyrannicis ejus motibus, & immoderato faſtu offenſi, cum cæteris immo præ cæteris in eum tunc linguis ſimul & animis ſæviebant. Cancellarius vero ſera pœnitudine ſtimulatus, præcepit captivum relaxari Pontificem. At vero præſulum procerumque zelus ſemel accenſus ejus non potuit relaxatione ſedari. Cancellarius vero cum eſſet animi robuſti & rigidi, neceſſitatem ad alacritatem trahens, amicorum & militum peregrinorum ſtipavit ſe copiis, ſtetitque in Campo non longe à *Windeſora*, hoſtes, ſi forte progrediendum putarent, paratus excipere. Verum adventantis exercitus numero & fiducia territus retrogradi cœpit. Mox quibuſdam potentibus, qui cum eo eſſe videbantur, tranſeuntibus ad partem *Johannis*, turbatus inopſque conſilii, cum ei tutum non eſſet receptaculum, & inſtantibus quaſi à tergo hoſtibus, mox cum ſuis omnibus profugit *Londonias*. Quas ingreſſus, civibus quibus paulo ante terribilis fuerat, ne ſibi deeſſent in illo articulo, humiliter ſupplicavit. Illi vero prioris faſtus & ferociæ ejus memores, *Johanni* potius favorem præſtiterunt. Itaque ſpe fruſtratus, in arcem ſe Regiam cum ſuis omnibus recepit: quorum tantus erat numerus, ut in ſtricti loci anguſtiis ſua illis eſſet nocivior multitudo, quam hoſtium foris frementium fortitudo. Æſtuabat turris interius comprehenſione multitudinis incluſæ, cito evomitura quos prodendos magis quam tuendos ſuſceperat. Denique poſt unam noctem egreſſus ad *Johannem* & obſeſſores cæteros, (ille paulo ante rhinoceros, ſed jam homo) humili alloquio abeundi facultatem impetravit incluſis: Ipſe quoque arce reſignata, cum cæteris per *Angliam* munitionibus Regiis, privatus & inglorius, *Doveram* ad virum ſororis ſuæ ſeceſſit. Cumque moram feciſset ibi aliquam, confuſionem non ferens, & in tranſmarinis partibus pro ultione propria aliquid moliturus, transfretare voluit. Impediri autem metuens, miri acuminis, qua omne impedimentum eluderet, artem invenit. Olim enim animo exutus Epiſcopum, nunc quoque & habitu exuens, membris Pontificalibus (quod à ſeculis non erat auditum) more effeminatorum, veſtem ineptiſſime aptavit muliebrem, caput & majorem faciei partem, velut delicata muliercula, peplo obvolutus inter plurimos deambulabat in littore, ut hac arte ſcilicet non obſervatus ab aliquo, navem cum cæteris transfretaturis abſque impedimento conſcenderet. Verum à quodam forte agnitus proditusque, abſtracto peplo, tanquam manifeſtus effeminatus, ignominioſe multumque inepiſcopaliter à concurrentibus indiſciplinatis eſt pulſatus. Dehinc magiſtratui loci exhibitus, ſervatuſque eſt, quouſque ſciretur quid ſuper hoc decernerent Regni potentes. *Johannes* quidem agnito quod acciderat, hoſtili animo exultavit; atque aliquid in eum, quo magis dehoneſtaretur, ſancire voluit: at vero Epiſcopi juſto rubore confuſi, & ſuffuſi, quod in perſona Epiſcopali tam fœda res accidiſset, vigore Eccleſiaſtico ut dimitteretur egerunt. Dimiſsus ergo, & foris dolorem quantum potuerat diſſimulans, quo intus vrebatur, transfretavit. Tyranno igitur, qui Regnum turbaverat propulſato, Epiſcopi & optimates cum *Johanne Londoniæ* congregati, de Regni ordinatione tractare cœperunt. Et primo quidem ab omnibus Regi *Richardo* propter Chriſtum peregrinanti fidelitate jurata, Regni adminiſtrationem *Rothomagenſi* Archiepiſcopo, quem ad hoc ipſum, idem Rex à *Sicilia* in *Angliam* miſerat, decreto communi tradiderunt. Amotiſque miniſtris tyrannicis, provinciarum Regimen melius ordinari voluerunt. Quibus actis, *Anglia* in cunctis finibus ſuis pacem recepit, & ſub novis rectoribus decenti cœpit moderamine gubernari, malis plurimis cum ipſo tyranno pariter eliminatis, juxta illud *Salomonis*, *Ejice deriſorem, & exibit cum eo jurgium, ceſſabuntque cauſæ & contumeliæ*. Cancellarius autem in tranſmarinis poſitus, ſuam

Gaufridus liberatur.

Cancellarius Londoniam fugit.

Idem turri Joanni reddita Doveriam, inde transfretaturus, ſeceſſit.

Regni adminiſtratio Rothomagenſi Archiepiſcopo defertur.

ſuam tanquam ad Domini Regis propter Chriſtum peregrinantis injuriam & dedecus, & expulſionem, Regnique à *Johanne* invaſionem per nuncios in auribus Domini Papæ *Cœleſtini* deploravit: redditiſque ſibi vicibus ſedis Apoſtolicæ, quas ſub Papa *Clemente* habuerat, pro coercendo *Johanne*, & revocando in priſtinum ſtatum Regno *Anglico*, reſcriptum fortiſſimum impetravit. Verum idem reſcriptum, quadam Epiſcoporum *Angliæ* cautela deluſum, viribus caruit. Videns igitur à ſe nihil agi poſse, *Johanne* adverſo; per clandeſtinos nuncios colluſit cum eo, ingentique ſumma illi vel præſtita vel promiſsa, favorem ejus emeritus confidenter in *Angliam* venit. Applicans autem apud *Doveram*, mox ut littus attigit, tanquam ad detergendum dedecus quod ibidem incurrerat, erectis ſuæ legationis inſignibus, glorioſus refulſit. Non tamen progreſsus eſt, ſed apud virum Germanæ ſuæ reſedit, donec agnoſceret utrum eum, motu vel Regio vel Apoſtolico inclinati reciperent adverſarii, cum jam placaſset maximum omnium *Johannem*. Hujus ergo gratia miſſis *Londoniam* nunciis ad Reginam matrem Regis, (quæ tunc cum *Rothomagenſi* & *Eborum* Archiepiſcopis, *Johanne* filio ſuo, aliiſque complicibus, tam Epiſcopis quam optimatibus, *Londoniis* conſiſtebat) ſecus quam ſperebat invenit. Cum enim *Johannes* colluſionem quanta poterat cautela diſſimulans, mollius tamen agendo deprehenderetur atque objurgaretur à matre & cæteris, tandem reflexus generali ſubſcripſit decreto. Itaque univerſi cum Regina, directis ad Cancellarium viris honoratis, eum, tanquam Regni turbatorem hoſtemque publicum, *Angliæ* finibus mature excedere cum interminationibus præceperunt. Denique territus & confuſus receſſit & ſiluit: quia vero quales Rege peregrinante res *Anglicæ* fuerint ſuperiore narratione perſtrinximus: nunc ad ejuſperegrinantis acta, ubi ſuperius omiſsum eſt, explicanda veniamus.

Richardus primus Rex.

Cancellarius in Angliam redit.

CAP. LIX.

Quomodo Rex Richardus *proceſſit contra* Saracenos.

IGitur Rege *Francorum* à *Syria* digreſſo, Rex *Anglorum* in urbe capta feſſum aliquantiſper recreabat exercitum; affuit tandem dies à *Saladino* præfixus; in quo nec captivos Chriſtianos reſtituit, nec promiſſam pecuniam, ſecundum quod convenerat, ſolvit. Rex autem *Anglorum*, ne deluderetur in poſterum, de nobilioribus *Saracenis*, quos loco pacti & nomine obſidum in deditione civitatis retinuerat, mille ſexcentos decollari præcepit. Propter quod factum *Turcorum* ingens in Regem proprium indignatio efferbuit; eo quod pacto illo non parente ſic ſui & nobiles valde juvenes interempti ſunt. Illi etiam *Saraceni*, quibus Caſtrorum civitatumque cuſtodia committebatur, hujuſmodi verentes exemplum, cuſtodias ſuas *Saladino* reliquerunt. *Saladinus* vero non inveniens cui tales committeret cuſtodias, fecit everti multas civitates & Caſtra, aſportans omnia & populum coacervans. Cœpit etiam Chriſtianus exercitus paulatim decreſcere atque minui. Quidam enim malo exemplo Regis *Francorum*, quidam voluntarie, & imbecilles, quidam etiam depauperati neceſſario repatriabant: Tunc Rex *Anglorum* proprios aperiens theſauros, multos nobiles profuſis retinuit ſumptibus: inter quos de Imperio *Teutonico* fuit Dux *Auſtriæ*, qui poſtea beneficii immemor, Regem à *Syria* venientem captivavit. Menſe vero *Septembri*, Rex *Richardus*, cui totus parebat exercitus Chriſtianus, progredi ſtatuit ad alias urbes maritimas: & multo laboris & periculi experimento venerunt *Cæſaream*; inveneruntque *Cæſaream* quæ olim a Chriſtianis inhabitabatur, quaſi depopulatione *Turcorum* vaſtatam. *Saladinus* etiam cum immenſo exercitu incedens ſemper a latere mira calliditate, cum potuit, extrema exercitus Chriſtiani agmina trucidavit. Et primo quidem agmine exercitus Chriſtiani procedente apud *Aſſur*, & ibi

1191

Turcæ captivi decollati.

Richardus primus Rex. Castra metante, *Saladinus*, captato tempore, agmen extremum totis viribus aggressus est. Resistentibus vero nostris, commissum est grave prælium, in quo miles strenuissimus *Jacobus* de *Avennis* tres hostium turmas tribus vicibus penetravit, multos trucidando, & quam plures ad extremam mortis sortem ducendo: tertia autem vice abscisso sibi pede cum tibia, & vulneratus ad mortem clamabat ad Regem *Richardum* dicens, O bone Rex *Richarde*, vindica mortem meam; resumptisque viribus quendam percussit *Saracenum* in spiritu vehementi, & corruit: moxque aggravantibus super eum *Turcis*, & abscissa ei dextra, cum multos fecisset occumbere, tandem & ipse occubuit. Rex autem cum turma sua cum festinatione properans, & hoc videns, interjectum flumen *Cæsareum* quasi impetu transiit, & obviantem ei *Saladinum* militem quidem strenuissimum, & congressu militari cum Lancea exceptum, equum etiam cum assessore in terram prostravit; non quidem ad mortem, sed solius diei confusionem. *Saladinus fugatus.* Cum enim ipse ad alios se diverteret strenue agens, ipse *Saladinus* recuperato dextrario fugit, sed ægre. Quod videntes sui, mox & ipsi terga vertentes in fugam lapsi sunt, cæsis ex eis multis: factaque est in illa die scilicet octavo *Idus Septembris* nobilium *Turcorum* strages maxima, quantam retro quadraginta annis ipse *Saladinus* non fuerat expertus. Inde vero profecti sunt nostri usque *Joppen*, quam *Saraceni* a Christianis evacuaverant, & modo in adventu Christianorum reliquerant; ubi Rex *Richardus* opportunitatem loci videns, totis cœpit viribus eandem instaurare, statim post oppugnare disponens *Aschalonem*. Quod audiens *Saladinus*, statim eam subvertit: urbes quoque reliquas, Castella terræ illius, præter sanctam civitatem & munitiones paucissimas, complanavit: & totam provinciam, abrasis bonis omnibus, quasi inutilem & vacuam hostibus reliquit.

CAP. LX.

De discordia inter Christianos orientales, & de morte Marchionis, *& quomodo Rex* Francorum *uxorem duxit, & repudiavit eam.*

1192 NOstri vero post tam læta principia nihil magnum seu memoriale fecerunt; eo quod Principes in suis consiliis conveniendo tractantes concordare non poterant; quorundam eorum studiis in diversa intentis, & hoc gratis. *Conradus* enim *Marchio* & Princeps *Tyri*, cum Duce *Burgundiæ* & nobilibus *Francorum*, Regi *Richardo* adversabantur, pro *Guidone* quondam Rege *Jerosolymorum*, quem ipse Rex sustinebat (ut supradictum est) *Marchione* ad Regnum aspirante. Sed ista dissentio, nutu Dei disponentis omnia, ita conquievit. Regina enim *Jerosolymorum*, quæ prædicto *Guidoni* infeliciissime nupserat, cito post defuncta est; & spes ipsius *Guidonis* cum ipsa extincta periit. *Marchio Conradus occisus.* *Marchio* vero à duobus sicariis, a quodam Pagano sibi quasi in obsequium missis, interemptus est. Captata enim opportunitate inter suos & in sua civitate propria, cultris clam ad hoc destinatis eum interemerunt. Capti vero & ad mortem ducti, nihil quidem certum confessi sunt. Creditur tamen quod fuerunt de alte nutritis, qui mortem non metuunt ut jussa majorum adimpleant, credentes in hoc se posse salvari & beneficiari. Ipsius tamen interitus Regi *Anglorum* imputatus est, occasione recentis discordiæ, qua cum Rege *Richardo* & etiam Rege *Jerosolymorum* Guidone disceptaverat; infamantibus Regem *Anglorum* super hoc præcipue *Francis*, qui pro *Marchione* contra *Guidonem* æmulabantur, & in hoc facto consternati sunt. Rex autem *Franciæ* hoc audito quod *Marchioni* acciderat, ex tunc non nisi stipatus armatis processit in publicum: mirantibus vero suis hanc novitatem Regiam, ut eis in hoc satisfaceret, & gentem suam in Regem *Anglorum* accenderet, convocato *Parisiis* concilio, sic eos allocutus est, nemo mirari debet, quod præter solitum morem, diligentiorem

Rex Galliæ fingit se metuere sibi à Rege Richardo.

diligentiorem mei ipfius cuftodiam adhibeam, cum manifeftus ille proditor Rex *Richardus* animæ meæ infidians, jam per ficarios fuos illum nobilem *Marchionem* interemit. Et fubintulit, ecce enim hic literæ a diverfis perfonis mihi fuper hoc directæ, & in hoc facto quod mihi caveam, & diligenti cura provideam. Adjecitque cordi fibi effe, belle fe quidem vindicare de hujufmodi proditore. Ad hæc autem refpondentibus quibufdam, & adulatorie dicentibus bonum honeftumque effe, & quod pro cautela faciebat, & quod pro ultione difponebat; prudentiores tamen fic refpondentes intulerunt; cautelam tuam, O Rex, qua tibi contra incertos cafus forte abundantius profpicis, non culpamus: præmaturæ vero ultionis propofitum minime approbamus. Quievit ergo ad modicum, fed tamen quod fequitur dolofe imaginatus eft, miffis enim nunciis ad Regem *Danorum*, Germanam fuam fibi petiit dari in uxorem: & nomine dotis fibi concedi antiquum jus Regis *Danorum* in Regno *Anglorum*; & ad hoc affequendum, claffem exercitumque *Daniæ* poftulavit anno uno. Quibus Rex, rem, inquit, grandem difficilemque poftulat, deliberabo tamen. Quæfitoque a fuis confilio, refponderunt; fatis eft nobis negotii contra Paganam & noftris vicinam finibus gentem *Wandalorum*. Illifne ergo dimiffis, hoftiliter aggrediemur *Anglorum* gentem Chriftianam atque innoxiam, nofmetipfos duplici periculo immergentes? Porro *Anglorum* gens magna & famofa eft, atque valida, in tantum, ut contra omnem externam gentem fibi fufficere credatur. Aliud ergo petat Rex *Franciæ* dotis nomine; quoniam huic petitioni non eft annuendum, fed viribus potius refiftendum. Placuit ergo Regi confilium fobrium: & vocatis nunciis; dixit ut aliud peterent, dum tamen aliud quid haberent in mandatis. Illi vero expirante petitione prima, decem millia Marcarum argenti petierunt. Quibus Rex, petitionem, inquit ultimam grate fufcipimus, & eam implebimus mature pro voto. Pactis ergo initis, & facramento a Legatis præftito; ornatam, ut decuit, cum quibufdam honoratis ex fuis in *Franciam* direxit. Rex autem *Franciæ* occurrit eis *Ambianis*, & eam gratanter acceptans, matrimonio folemniter contracto, etiam thoro adaptavit. Mane autem facto, difplicuit fibi ipfa conjux, & (ut fingunt quidam) propter anhelitum fœtidum, vel latentem infirmitatem, vel corruptam invenit, quam credebat virginem, ftatimque miffis ad Papam nunciis, Divortium fieri poftulavit. Papa vero delegavit judices de Regno poftulantis, qui fuo Regi faventes, affinitate imaginaria approbata per execrabile juramentum duorum Epifcoporum, *Belluacenfis* fcilicet & *Carnotenfis*, Divortium celebrarunt. Rex autem *Danorum* repudiatæ fororis dedecus ægre ferens, divortium non rite celebratum, fed concinnatum mendaciter in gratiam Regis *Francorum*, per refponfales idoneos in audientia fedis Apoftolicæ allegavit: & digefta præcedentium temporum proferens feriatim oftendit, Reges *Francorum* & *Danorum* nulla fe confanguinitate vel affinitate contingere: de concinnato divortio in fraudem fanctorum Canonum judicium fieri, pertinaci inftantia poftulavit. Sed hoc fruftra, cum Regis *Francorum* vel metus vel gratia in hac parte prævaleret.

Richardus Primus Rex.

Philippus fororem Regis Daniæ ducit uxorem.

CAP. LXI.

De repatriatione Chriftianorum, & quomodo Rex Richardus *liberavit* Joppeum.

INterea exercitus Chriftianus Regi Regum militans in oriente, propter diffentiones, æmulationes, & multas difficultates, ingravefcente fame valida, 1192
repatriare difpofuit: dicentibus æmulis de Rege *Richardo*, quod Regem *Francorum* infidiis appetiffet; quod *Conradum Marchionem* per ficarios nefarie peremiffet; quod cum *Saladino* de proditione terræ fanctæ nequiffime collufiffet. Ille tamen cœptis infiftens pia animi magnitudine omnium maledicta

Richardus primus Rex. contemnebat: & circa *Afchalonam* reædificandam profufis opibus infiftebat. Videns tandem quod contra Chriftianus exercitus nihil proficeret, deliberavit cum Ducibus & Nobilibus univerfis, ut aliquibus de fuis Chriftianos fines crederent, mature ad propria reverfuri: & concordi decreto conftituerunt Principem Chriftianæ adquifitionis *Henricum* Comitem *Campaniæ*, utriufque Regis *Francorum* fcilicet & *Anglorum* communem nepotem. Quo facto, Principes & populi certatim repatriare cœperunt, anno ab expugnatione *Ptolomaidis* fecundo, tempore autumnali. Sane repatriantibus cæteris, præter eos qui ordinati erant ad præfidia urbium; Rex *Richardus*, qui jam fere thefauros exhauferat, in *Cyprum* cum fuis rediit. Quod audiens *Saladinus*, ftatim cum exercitu fuper *Joppeum* irruit; eaque celeriter expugnata, & facta ftrage Chriftianorum non modica, reliquos in arce conclufos obfedit. Qui vehementer arctati, cum tyranno pacti funt deditionem ad certum diem reddere, nifi forte eis in auxilium fuperveniret exercitus Chriftianus. Rex autem *Richardus* mox ut finiftri eventus nuncium accepit; fecundis flatibus *Syriam* celeriter rediit; & ad *Joppeum* properans, *Turcas* inopinato ejus reditu impetuque perterritos in fugam convertit. Qui rurfum conglobati, & ingenti numero confifi, eum in *Joppeum* claufum fruftra conati funt obfidere. Egreffus namque in fpiritu fortitudinis, frequenter per dies aliquot cum eis exterius in Campo conflixit. Tandem vero, Chrifto propitio, ita eos contrivit, ut, invictum ejus animum mirantes, & nihil contra eum ulterius audendum putantes, omnino recederent. *Joppe* igitur liberata, apud Caftellum quod dicitur *Cayphas* diebus aliquot ægrotavit. Quod audiens *Saladinus*, non tanquam de hofte debilitato exultavit, fed tanquam de invictiffimi Principis incommodo condoluit: miffifque ad eum nunciis dixit; fcio, inquit, quod fofpes in hac terra prolixiorem moram facere nequeas: te etiam abeunte, quod à Chriftianis tam laboriofe adquifitum eft, cito exponetur periculo, & leniori negotio recidet in manus meas. Verumtamen propter te, cujus egregiam magis virtutem veneror, quam animum hoftilem averfor, triennales inducias Chriftianis indulgeo: *Afchalona* tantum nec mihi nec illis fit, fed deftruatur. Rex autem *Richardus* licet ægre ferret urbem everti, in cujus reftauratione fumptuofiffime & magno labore fudaverat: à Chriftianis tamen inductus, ipfas inducias amplexus eft. Induciæ ergo firmatæ funt à folemnitate Pafchali proxima in tres annos, tres menfes, tres feptimanas, tres dies, & tres horas. Indultum eft etiam, & à *Saladino* ftatutum, ob gratiam Regis *Angliæ*, ut Chriftiani, toto induciarum tempore, fecure & libere fepulcrum Dominicum orandi caufa vifitarent, nihilque moleftum à *Saracenis* in acceffu vel reditu paterentur, fed expletis orationum folemnibus, cum fructu devotionis fuæ, Chriftianis fe finibus redderent. Quamobrem ingens Chriftianorum numerus ad fanctam civitatem contendit. Et quia Rex à fuis propter emergentia pericula ire non permittebatur, mifit loco fui *Hubertum Saresbirienfem* Epifcopum, qui in omni expeditione Comes individuus Regi extiterat, ut Regiæ devotionis vicem adimpleret. Qui expleto vifitationis officio, & vifo cum *Lachrymis* fepulchro Principis Principum, ad Principem cum gaudio reverfus eft. Quibus actis, Rex *Richardus* infulam *Cyprum Guidoni* olim *Jerofolymorum* Regi mera liberalitate dedit: & dilecto nepoti fuo, quem Chriftianis finibus præfecerat, fuam (Chrifto propitio) reverfionem circa induciarum expletionem pollicitus, charactere Dominico, quo infignitus advenerat, in argumentum propofitæ reverfionis retento, infidis fe flatibus confeftim credidit.

Joppe obfidione folvitur à Rex Richardo.

Induciæ triennales.

Richardus, Cypro infula Guidoni conceffa, redit in Angliam.

CAP.

Richardus primus Rex.

CAP. LXII.

Quomodo Rex Richardus *reversus de Terra Sancta captus est.*

A *Syria* ergo digrediens, & duabus Reginis sorore scilicet vidua & conjuge cum omni fere familia præmissis, & prospere in *Siciliam* applicantibus; ipse cum paucis expeditioribus agiliori navigio sequebatur. Ortaque tempestate valida, & navi qua vehebatur inclementioribus auris arrepta, tractus est Rex ad partes *Histriæ*, atque inter *Aquileiam* & *Venetiam* naufragium passus est. Ubi inter cæteros naufragos aliquantisper personam celans propriam, inani cautela studuit evadere periculum. Nam cito percrebuit, insignem naufragum latere vel oberrare in terra illa. Mox nobilibus simul & populo ad investigandum eum intentis, ut mortem *Marchionis*, qui sibi imputabatur, in eo vindicare possent: Contigit ut quidam Comes terræ illius, nomine *Maynardus*, Rege *Richardo* latenter per fugam elapso, octo de suis comprehenderet. Deinde in Episcopatu *Salburgensi*, loco qui dicitur *Frisarium*, sex viris de suis à quodam *Frederico* detentis; cum tribus tantum personis Comitibus, noctu ad partes *Austriæ* properavit. *Humbaldus* vero Dux *Austriæ*, qui olim (ut supradictum est) ejus stipendiarius fuerat, beneficii immemor accepti, in ultionem cujusdam læsionis exiguæ deniens, *Anglicanasque* opes avarus & perfidus sitiens, audito quod Regi *Richardo* acciderat, cautissimos per omnes viarum transitus, ut insigni profugo evadendi locus non esset, custodes disposuit. Quem tandem in quodam suburbio indicio tali, unus ex suis, dum escas lautiores emeret, comprehensus, & intentata morte requisitus, cuinam peregrino talia procuraret, per immissos satellites inventum sic captivavit. Ingressique ad eum armati confestim inquiunt, ave Rex *Anglorum*: frustra personam tuam pallias; facies enim tua te manifestum facit. Cumque vir ingentis animi gladium arriperet, statim inquiunt, noli, O Rex, vel temere agere: non enim morieris, sed potius à morte servaberis in medio hostium tuorum, propinquorum scilicet *Conradi Marchionis*; qui quærunt utique te ut animam tuam perdant, in quorum utique manus si forte casu incideres, etiamsi centum vitas haberes, nec una quidem tibi salva remaneret. Captus est ergo Rex nobilis à Duce nequissimo anno à partu virginis millesimo c. nonagesimo secundo, mense *Decembri*, & citra decus Regium vinculis mancipatus. 1192

CAP. LXIII.

Quomodo Rex captus liberatur Imperatori.

RES autem captionis istius mature defertur ad Imperatorem *Theutonicum*, in *Germaniæ* partibus tunc constitutum, qui *Anglicanas* sitiens divitias, missis ad Ducem nunciis, allegavit, Regem non decere teneri à Duce, nec esse indecens, si ab Imperatoria celsitudine decus Regium teneretur. Et cum hoc à Duce negari non posset, sic insignem Captivum a Duce resignatum Imperator avarus in suam traduxit custodiam. Nec hoc voluit Imperator latere Regem *Francorum*: sed missis ad eum nunciis, istius suæ lætitiæ fecit eum participem. Qui supra modum lætatus rescripsit & procuravit, ut perpetua esset insignis captivi detentio, tanquam seductoriæ mortis proditoris, & publicæ pacis perturbatoris. Missis ergo nunciis petiit consobrinam Imperatoris sibi dari in uxorem: cujus petitionem gratanter amplexus, statim ipse Imperator patrem puellæ, Comitem scilicet *Palatinum* accersivit. Nec latuit ea 1192

res

Richardus primus Rex. res matrem puellæ quæ fuerat consobrina Imperatoris. Quæ filiam suam unicam secreto adveniens ait: vis ne filia mea honorabiles nuptias & thorum Regium? Tunc illa, audivi, inquit, a multis de Rege hoc, quomodo fœdaverit & abjecerit puellam nobilissimam, Germanam scilicet Regis *Danorum*, & vereor exemplum. Ad quam mater, & quis ait in votis tuis est potior? Cui illa, si mea, inquit, vota prosperentur, ab *Henrico* Ducis *Saxonici* filio, cui me didici in annis infantiæ desponsatam, nunquam disjungari. Et mater, confide, ait, filia quia per maternam operam optato potieris connubio. Moxque eundem *Henrici* Regis *Anglorum* ex sorore nepotem secretis literis accersivit. Qui festinus accurrens, & votis promptissime parens, tradente matre, dilectam virginem accepit in uxorem. Imperator hoc audiens, & de consensu Comitis hoc esse factum credens, vehementer in eum excanduit, tum quia juvenem oderat, tum quia factum erat aliter quam volebat. Cumque respondisset omnia esse facta secundum conjugem, prætextu cujusdam juramenti, patri ipsius juvenis præstiti, de puella sibi desponsanda, cum ad annos pervenisset nubiles, subintulit Imperator, vade, ait, & nebulone illo expulso, rescinde quod actum est. Et ille noli, inquit, sic loqui Imperator; nam eo usque, ut dicitur, res ipsa processit; ut absque sempiterno unicæ filiæ meæ dedecore, rescindi non possit. Et reversus ad propria, genero suo blande locutus est: adoptansque eum in filium, filiam egregie dotavit. Sicque Rex *Franciæ*, quia propriam repudiaverat conjugem, optatis speratisque diu, Dei judicio, caruit nuptiis. Plures etiam feminæ nobiles ex post facto prædictum exemplum puellæ *Danorum* verentes, ejus aspernabantur conjugium. Alias enim cum quandam virginem nobilissimam de Imperio *Theutonico* expetisset, sic voto fraudatus est. Cum enim alius vir potens eam prius petiisset, & a parentibus, Regiam magis petitionem admittentibus, ad *Franciam* pompatice duceretur, transiensque per fines partis prioris, in ejusdem manus se sponte injecit. A quo volens retenta, & solemniter ducta, Regia sic vota delusit.

Filia Comitis Palatini nuptias Regis Galliæ respuit.

Quomodo idem Rex ab alia quadam virgine delusus fuerit.

CAP. LXIV.

Quomodo Rex Franciæ *&* Johannes *frater ejus* Richardi *inierunt fœdus.*

1193 MIsit etiam Rex *Franciæ* ad *Johannem* Germanum Regis *Richardi*, ut cum eo fedus iniret. Qui confestim ad eum veniens, & de ejus auxilio ad Regnum *Anglicanum* aspirans, pepigit cum eo fedus. Et in *Angliam* rediens, congregatis sibi vagis & profugis, Castella & loca munita fratris sui quam citius occupavit. Regni vero optimates fide integri, animisque justis infracti, collecta manu valida, vecordissimi juvenis nefariis ausibus se opposuerunt, & Castellum *Windesoram* diu & fortiter oppugnantes, ad deditionem coegerunt. Quod cum *Johannes* videret, & obsessis subvenire non posset, pro eorum salute ad tempus definitum inducias petiit, & Castellum resignavit. Et statim transfretavit, & ad Regem *Francorum* se contulit, sibi contra fratrem indecenter militaturus.

CAP. LXV.

Accusatur Rex Richardus *coram Imperatore.*

Richardus objecta sibi crimina fortiter diluit. DEnique Imperator, circa Dominicam Palmarum, coram suis nobilibus & omni populo præsentatum sibi Regem *Richardum* gravium objectu excessuum terrere tentavit, inter quos *Marchionis* interitus solemnem memoriam occupavit. At ille hilari fretus conscientia, constantique, & libera re-

sponsione

ſponſione ita objecta diluit, ut Imperator quoque non ſolum ad miſericordiam, verum etiam ad ejus reverentiam flecti videretur. Multiſque præ gaudio in lachrymas reſolutis, inclinatum Regem Imperator dignanter erexit: ulteriorem de cætero gratiam, & profuſiora ſolatia pollicens; revera tamen ingentem ſummam, quam ipſe Rex pro ſua liberatione Duci promiſerat, vehementius aſpectavit. Unde nec relaxandum duxit, quem ſic honorare voluit, nullum commodius indicans pignus promiſſionis, quam corpus promiſſoris. Sane autem viſitabatur à multis inſignibus, inter quos venit ad eum Epiſcopus *Elienſis*, quem conſtituerat Rex in ſuo receſſu Cancellarium, & Procuratorem Regni principalem. Sed (ut ſupra dictum eſt) propter mores inſolentiſſimos erat expulſus à Regno. Hic non diſcedens ab eo, ſed ſemper ei aſſiſtens, negotia ipſius ſtrenue miniſtrabat. Venit etiam ad eum vir venerabilis *Hubertus Salesbirienſis* Epiſcopus, qui ejuſdem Regis in *Syria* Comes individuus fuerat. Qui, cum applicuiſſet in *Siciliam*, & cognito quod Regi acciderat, confeſtim properabat ad eum. Quem Rex mox direxit in *Angliam*, tum pro neceſſaria Regni cura, tum pro maturando ſuæ redemptionis negotio.

Richardus Primus Rex.

CAP. LXVI.

Rex Franciæ *indixit Bellum Regi* Richardo *vincto.*

Rebus igitur ita ſe circa Regem *Anglorum* habentibus, *Philippus* Rex *Francorum*, miſſis ad eum viris honoratis, hominium, quo ſibi aſtrictus videbatur, ſolemniter reputavit, bellumque vincto indicens, hoſtile propoſitum declaravit. 1194 Diſplicuitque res ipſa Imperatori, & ſuis nobilibus, eo quod inauditum & indecorum valde ſit homini vincto, & ſui penitus impoti bellum indicere, ſcripſitque ei Imperator ſupplicando, ut à vincti rebus quieſceret, & ſaltem uſque ad tempus in pace maneret. Porro Rex *Franciæ* non adquieſcens, imo, promiſſis ingentibus vel coæquantibus, vel excedentibus ſummam à vincto promiſſam, Imperatorem tentavit corrumpere: ut eundem vinctum ſibi cautius traderet cuſtodiendum: allegans mundum componi non poſſe, ſi tantus turbator irrumperet. Congregatoque exercitu ſtatim invaſit *Normanniam*: & *Giſortium*, nobile Caſtellum, cuſtodis ipſius proditione recepit. Et ad alia Caſtella ſe divertens neminem reſiſtentem invenit. Cumque jam *Albemerliam*, *Angum*, atque alia Caſtella plurima in ejus poteſtatem tranſiſſent, Metropolim *Normanniæ*, *Rothomagum* ſcilicet cum exercitu adiit. At Comes *Leyceſtrenſis*, qui cum Rege *Richardo* in Orientali expeditione fidiſſimus fuerat, paulo ante urbem ingreſſus, animos civium erexit, & ut viriliter agerent egregie roboravit. Rex vero, urbe per dies aliquot fruſtra oppugnata, jactura majori accepta quam illata receſſit: & ad faciliora negotia exercitum revocans, munitiones nobiles Paſcy & Lucry abſque difficultate obtinuit. Tunc ad frænandum impetum ejus pro tempore, illi, qui vices vincti gerebant, inducias ad certum tempus ingentis ſummæ pactione redimendas duxerunt, & quatuor Caſtella electa loco pignoris tradiderunt.

Rex Franciæ oblata Imperatori pecunia petit ut Richardus ſibi cuſtodiendus tradatur.

Induciæ ad tempus.

CAP. LXVII.

De electione Archiepiſcopi Cantuarienſis.

Eodem tempore vacabat *Cantuarienſis* Eccleſia; ſcripſitque Rex de *Alemannia* eligentibus, commendando perſonam *Huberti Salesbirienſis* Epiſcopi, in quo ſibi complacebat, ut pote in multis probatum, & præclare agnitum. 1194

Richardus primus Rex. *Cantuarienſes* vero cum Epiſcopis convenientes, approbata voluntate Regia, eundem *Hubertum* ad primæ ſedis regimen concorditer & ſolemniter elegerunt. Qui poſtulato & accepto Pallio, mox Canonicæ profeſſionis habitum apud *Mertonam* aſſumſit: Religioſæ mentis propoſitum cultu exertiori declarans.

CAP. LXVIII.

Quomodo redemptus eſt Rex Richardus, *&* Anglia *ſpoliata pecunia & calicibus.*

1194 POſt paucos autem dies, Imperator ad locum, ubi Rex *Angliæ* ſervabatur, veniens, præſentibus & mediantibus Epiſcopis, Ducibus, atque Magnatibus plurimis, per dies aliquot cum eo colloquium habuit; & tandem in vigilia Apoſtolorum *Petri* & *Pauli*; omni (quæ vertebatur inter eos) quæſtione, deciſa, & ſumma redemptionis Regiæ declarata, Imperator Regem de cætero honeſtius, id eſt, ſine catena ſervari decrevit. Denique jubente Imperatore, Epiſcopi & Duces, cum univerſa nobilitate quæ aderat, juraverunt in animam Imperatoris certam Regis liberationem, poſt ſatisfactionem ejuſdem pecuniæ, id eſt, centum millium librarum argenti. Cujus pars tertia Duci *Auſtriæ*, qui eundem Regem captivavit, competere dicebatur ex pacto Imperatoris, quando eundem Regem à Duce recepit. Statimque Rex *Richardus* univerſis fidelibus ſuis ſcripſit, ut redemptionis ſuæ pretium, modis omnibus præparantes, liberationem ſuam maturarent. Urgebant ergo negotium executores Regii in cunctis *Angliæ* finibus, nulli parcentes, nec ulla erat diſtinctio Clerici & Laici, Secularis & Religioſi, Urbani & Ruſtici. Sed omnes indifferenter, vel juxta vires ſubſtantiæ ſuæ, vel juxta redituum quantitatem, pro redemptione Regia portionem ſuam ſolvere cogebantur. Silebant & vacabant privilegia, prærogativæ, immunitates Eccleſiarum & Monaſteriorum. Omnis enim dignitas ſive libertas operiebat os ſuum. *Ciſtercienſis* quoque ordinis Monachi, qui ab omni exactione Regia hactenus immunes extiterant, tanto magis tunc onerati ſunt, quanto minus ante publici oneris ſenſerant gravitatem. Lanam enim pecudum ſuarum exacti, coactique reſignarunt. Congregata eſt igitur per totam *Angliam* ingens pecuniæ ſumma. Sed cum univerſæ particulæ *Londoniis* conveniſſent, non attingebant ad ſummam redemptionis Regiæ, licet ab initio crederetur quod tanta coacervatio eandem ſummam deberet excedere. Quod accidiſſe creditur exactorum fraude. Denique propter hanc primæ collectionis inſufficientiam Miniſtri Regii ſecundam, tertiamque collectionem inſtaurant. Quoſdam etiam pecuniis locupletiores ſpoliant, nomine redemptionis Regiæ factum ſuum palliantes. Poſtremo, ut nulla vacaret occaſio, & reſiduum erucæ locuſta, reſiduum locuſtæ bruchus, ejuſque reſiduum rubigo abſumeret, deinde ad vaſa ſacra ventum eſt. Et quoniam ea, in redemptionem quorumlibet fidelium captivorum, expendi non tantum conceſſit, verum etiam monuit veneranda Patrum diſcretio: multo fortius eadem, captivati Principis redemptioni debere proficere indicatum eſt. Itaque per omnem Regni *Anglici* latitudinem traduntur ſacri calices exactoribus Regiis; vel indulgenter, id eſt, paulo infra pondus redimuntur. Cumque jam fere exinanita pecuniis *Anglia* videretur, &, laſſatis executoribus Regiis, exquirendi etiam pecuniam occaſiones langueſcerent, tota tamen illa coacervatio (ut dicitur) ad complendam Regiæ redemptionis, atque expenſarum ejus ſummam minus ſufficere potuit. Quamobrem prætaxatæ ſummæ parte majori Miniſtris Imperatoris appenſa, Rex conſulte, ne ſua ſupra modum protraheretur relaxatio, pro parte reſidua Imperatori per obſides idoneos ſatisfecit: *Rothomagenſem* Archiepiſcopum, & *Elienſem* Epiſcopum, cum nobilibus plurimis, nomine obſidum Imperatori tradens.

CAP.

CAP. LXIX.

Quomodo liberatus à Carcere venit in Angliam.

IGitur Rex *Anglorum*, poſt *Alemannicæ* detentionis tædium, quod jam annum exceſſerat, menſe tandem *Januario* ſolemniter relaxatus eſt: & ſtatim portum, qui *Twina* dicitur, adiit, inde in Regnum proprium Deo propitio tranſiturus, ſive neceſſarii apparatus reparandi gratia, ſive etiam propter flatus adverſos. Indultæ ei gratiæ (ut dicitur) Imperatorem pœnituit; & relaxatum ad perpetuam cuſtodiam revocare cogitavit. Perfidus namque Imperator & *Alemanni* inſtabiles, conferentes adinvicem dixerunt, quid, inquiunt, fecimus, emittentes ad Orbis periculum, tremendi roboris, & ſævitiæ ſingularis tyrannum. Ergo velociter revocetur ad vincula, non relaxandus in ſecula. Quæ quidem res non latuit quemdam Regis *Richardi* benevolum, qui feſtinato nuncio eidem mittendo conſuluit, ut confeſtim navem aſcendens, ſe potius elementis quam infidis hominibus crederet, quod & factum eſt, tam celeri quam & ſalubri cautela. Mox Imperatorii apparitores affuere, & eum in arido non inventum per liquidum ſequi timuerunt. Talia Imperatori renunciantes, confeſtim Imperator præcipitem animi ſui motum in innoxios obſides tranſtulit; &, quos prius indulgentius, liberiuſque habuit, arctiori jam cuſtodia caſtigavit. Porro Regem *Anglorum* ſecundi flatus excipientes, ſalvum atque incolumem cum omni comitatu Regno proprio tradiderunt. Applicans ergò apud Portum *Sandycum* menſe *Martio*, quadrageſimali tempore, tunc primum captivitate liberatum ſe credididit, cum navi egrediens *Anglicum* ſolum calcavit. Et inde proceſſit pedes *Cantuariam* tanquam peregrinus humilis, Deo & beato *Thomæ* de ſua liberatione gratias agens. Mox ergo à Provincialibus congratulario exceptus occurſu venit *Londonias*. Cives vero *Londonienſes*, adventu ejus præcognito, ſumpſere oleum gaudii pro luctu, & pallium laudis pro ſpiritu mœroris, Et ad ingreſſum Principis, ita ornata eſt facies ampliſſimæ Civitatis, ut *Alemanni* nobiles, qui cum eo venerant, & redemptione Regia exinanitam *Angliam* crederent (conſpecta opum magnitudine) obſtupeſcerent. Quorum unus in ipſa ſolemni pompa, ad Principem converſus. Mira, inquit, prudentia, O Rex, callet gens tua; quæ te ſibi nunc reddito, opum ſuarum claritatem ſecure oſtendat, paulo ante paupertatis deploratrix, dum noſtri te Imperatoris cuſtodia detineret. Re vera, ſi has opes *Anglicanas* præſenſiſset Imperator, *Angliam* non facile poſse exhauriri opibus credidiſset, nec te, niſi intolerabili redemptionis ſumma, dimittendum duxiſſet.

1194

Imperatoris perfidia.

Richardus à Londonienſibus maxima cum pompa excipitur.

CAP. LXX.

Quomodo Rex diviſit Rebelles ſuos in Anglia.

REx autem poſt recens captivitatis tædium pauſam & delicias aſpernens (mora exigua *Londoniis* facta) Notingham feſtinus contendit. Illud enim Caſtrum per quoſdam fratris ſui Miniſtros contra Regem tenebatur. Verum cum Rex, qui à malevolis nunquam rediturus putabatur, repentinus adeſset, ita perſtricti ſunt omnes, qui in munitione erant, & animis conſternati, ut, ſicut fluit cera à facie ignis, ſic eorum omnis fiducia à facie quaſi Gigantis ſubito apparentis liqueſceret. Cumque apud ferociſſimum Principem honeſtam non poſsent gratiam invenire, reſignato Caſtro cum omni armatura,

1194

Richardus primus Rex. tura, misericordiæ Regiæ & incertæ corpora sua tradiderunt. Idem fœdus & alii, qui Castrum de Tikhill contra Regem tenuerunt, implorantes, Regiæ tantum clementiæ se submiserunt.

CAP. LXXI.

Adiudicavit Rex fratrem suum Johannem.

1194 Istis ergo Castris sic possessis, confestim *Johanni* fratri suo, qui contra se cornua erexerat, ob enormem culpam ingratitudinis atque perfidiæ, omne jus pristinum & honorem impensum, Procerum suorum solenni judicio abjudicavit: & cito metus hostilis in *Anglia* conquievit. His Deo propitio feliciter gestis, Rex solennitatem Paschalem *Hamptoniæ* cum multa lætitia celebravit, & in octavis Paschæ *Wintoniæ* Regni Diademate fulgidus, detersa captivitatis ignominia, quasi Rex novus apparuit.

CAP. LXXII.

Quomodo Regnum ordinavit, & Lanas Cistercienses *cepit.*

1194 Rex igitur post ista prospera paululum demoratus, quasi Rex de novo factus, negotia Regia disponere, & revocare curavit: & fere quicquid illi placere videbatur in novitate prima, mutandum atque innovandum duxit in secunda. Denique Regnum ipsum, quod, cum iter versus Orientem arriperet, multifarie sciderat, ad integritatem satagens pristinam reformare, quicquid ab illo tunc fuerat vel leviter datum vel ponderose venundatum, sub nomine repetiit commodati. Astute tamen loquebatur, ipsis Regiarum possessionum emptoribus dicens: non decet vos sublimitati Regiæ fœnerari, si ergo sortem vestram de fructibus rerum nostrarum jam percepistis, ea contenti esse debetis, si quidem minus, supplebo de proprio. Novit ergo prudentia vestra rescriptum sedis Apostolicæ, quo prohibeamini Regi proprio sortem vestram excedendo fœnerari. Illi autem emptores mox Regio metu attoniti; nulla habita quæstione de sorte non percepta, confestim omnia resignarunt. *Dunelmensis* etiam Episcopus, qui Comitatum *Northumbriæ* gravi summa comparatum per aliquot jam annos possederat, resignando, Comes esse definens, in simplicem Episcopum redit. Præterea Rex, sive pro liberandis obsidibus apud Imperatorem relictis; sive etiam in sumptus belli cum Rege *Francorum* gerendi, tributum minus usitatum universo Regno, à singulis scilicet carrucatis terræ, indifferenter geminatum solidum exigens, vacantibus Clericorum, Religiosorum, & quorumlibet aliorum privilegiis. Abbatibus & *Cistercienfis* Ordinis, qui coram eo præsentes fuerunt, sic congratulando dixit; devotionem, inquit, vestram & liberalitatem circa nos, qua potissimum substantiæ vestræ, id est, vellera ovium vestrarum redemptioni nostræ impendistis, ut dignum est, approbamus, & uberiorem gratiam suo tempore (si vita Comes fuerit) pro ista gratia rependere cogitamus: ut autem vobis perpetuæ simus gratiæ debitores, oportet ut adhuc semel vestrum ad nos declarantes affectum, Lanam vestram anni præsentis nobis non gravemini commodare. Nam cum ab Imperatore dimissi in summa paupertate ad propria tenderemus, confisi de vobis, urgente necessitate, Lanæ vestræ pretium a transmarinis mercatoribus sumpsimus, quod proculdubio ad scaccarium nostrum mense *Octobri* reddemus vobis cum gratiarum actione. Hoc modo Religiosos illos quasi blandiendo spolians, clarissimis monasteriis egestatem insolitam irrogavit.

CAP.

CAP. LXXIII.

Quomodo transfretavit in Normanniam *cum exercitu.*

REbus igitur in *Anglia* difpofitis, & *Cantuarienfi* Archiepifcopo principali procuratore Regni conftituto; exercituque *Anglico*, qui cum eo tranffretaret ordinato, ad mare defcendit: ubi propter elementorum contrarietates aliquamdiu expectans, fæpiufque elementa incufans, tandem, auris ad vota fpirantibus, transfretavit. Sufceptufque a fuis in *Normannia* cum immenfo gaudio, eorum animos in præclaram fiduciam erexit. Interea Rex *Francorum Vernullium* oppidum obfedit. Rex autem *Anglorum* contracto paulatim exercitu, non longe a *Vernullio*, apud Caftellum quod dicitur *Aquila*, Caftra metatus eft. Cumque per dies aliquot ibidem confediffet *Francorum* exercitus, licet in oppugnatione oppidi multo caffoque labore fudaverat, foluta tamen obfidione protinus receffit. Non enim audebat cum *Anglis* bellum committere. Porro Rex eorum, tanquam ad detergendum pudendæ receffionis opprobrium, urbem *Ebroycenfem*, quam prius fpoliarat, pertinaci furore evertit: jubens Ecclefiam beati *Taurini* igne fuccendi. Et cum præ timore Dei nefariæ juffionis nullus executor exifteret, ipfemet cum quibufdam proditis, ex illo hominum genere quos *Ribaldos* vocant, facris Ædibus ignem immifit & abiit. Quippe Rex *Anglorum* de munitionibus, quæ illi perierant, Caftellum nobile, quod **Luches** dicitur, cum quibufdam aliis bellica forte recepit, hoftium quoque fines ingreffus, nonnullis fortiter & profpere geftis, *Windonicum* veniens, ibidem per dies aliquot exercitum recreavit. Rex autem *Francorum*, cum eum hinc abeffe putaret, non longe a *Vindonico*, Caftra pofuit. Sed cognito Regem *Richardum* in civitate effe; confeftim de nocte receffit. Mane vero facto, Rex *Anglorum* abeuntem exercitum profecutus, Regis fugientis plauftra & clitellas cum quibufdam arcanis, & gaza multiplici, variaque fupellectili comprehendit. Eodem tempore inquietabatur Rex *Anglorum* in *Aquitania* a *Geofrido Rantonenfi*, & a Comite *Engolefmenfi*, cum quibufdam *Francorum* eis adjunctis. Ubi cum exercitu veniens filius Regis *Navarræ*, frater Germanus *Gerengeriæ* Reginæ *Angliæ*, terras utriufque defertoris vaftavit. Et audita morte Patris fui, fucceffionis gratia ad propria remeauit. Rex etiam *Anglorum* ftatim cum exercitu adveniens, nobile Caftellum *Rantonenfis* Comitis, quod dicitur **Tayllebürg**, matura deditione obtinuit. Moxque impetum in alium defertorem convertens, civitatem *Engolifmam* cruenta celeritate expugnavit; Rege *Francorum* interim mollius agente.

1194

Rex Galliæ fugit à facie Regis Richardi.

CAP. LXXIV.

Quomodo Treugæ facta funt & Torneamenta cœperunt.

ANno Domini millefimo C. nonagefimo quarto, circa Feftum beati *Petri ad vincula*, poft multos conflictus & cafus varios, mediantibus viris honoratis, inter Reges treugæ fancitæ funt in annum: infra quem, exquirendarum ambitu pecuniarum, vehementius excanduit in fubditos avaritia Principum, dum cogitarent cogitationes magis belli quam pacis, & ad futura fe prælia modis omnibus præpararent, omnis indulgentia Principum (qua cavetur ab omni exactione feculari immunes effe religiofos) in hac oppreffione ceffavit. Regi enim *Franciæ* in fuis aufpiciis omnium hominum genus imprecabatur illi profpera, at cum à partibus Orientis ad propria remeaffet, implacabili 1194

Richardus primus Rex.

Rex Galliæ pecuniam ab Ecclefiafticis exigit.

placabili odio Regis *Anglorum* in virum alterum mutatus eft, & maxime religiofis clericifque admodum gravis apparuit: ita quod omnes fumptus belli, quod cum Rege gerebat *Anglorum*, ab Ecclefiis, Monafteriifque extorqueret, fecundum quod dixit vir venerabilis *Johannes Lugdunenfis* Archiepifcopus, qui tunc *Londoniam* venerat. Et dum inter quofdam viros honoratos exifteret, qui de proprii Principis duritia quererentur, nolite (inquit) fic loqui, dico enim vobis quod Rex vefter, in comparatione Regis *Francorum*, Heremita eft. Currentibus igitur inter Reges induciis, armorum exercitia, quæ vulgo Torneamenta dicuntur, in *Anglia* celebrari cœperunt: Rege id decernente, non odiofe quidem, fed pro folo exercitio, atque oftentatione virium. Et hæc concertatio militaris, nunquam in *Anglia* fuiffe nofcitur, nifi in diebus Regis *Stephani*; temporibus quoque *Henrici* fecundi, qui *Stephano* fuccedit (Tyronum exercitiis *Anglis* prorfus inhibitis) illi qui armorum gloriam cupiebant, transfretabant; ut in confiniis illi faltem exercerent. Confiderans igitur illuftris Rex *Richardus Gallos* in conflictibus tanto effe acriores, quanto exercitatiores, fui quoque Regni milites in propriis finibus exercere voluit; ut ex Torneamentorum folenni præludio, artem addifcerent, ufumque bellorum. Et licet hujufmodi Torneamenta, in tribus conciliis a *Romanis* Pontificibus, *Innocentio*, *Eugenio*, & *Alexandro* fieri prohibeantur, in quibus mortes hominum & pericula animarum fæpe proveniunt, cum adjectione pœnæ fequentis, quia fi quis ibidem mortuus fuerit, quamvis ei pofcenti non negetur pœnitentia, tamen Chriftiana careat fepultura. Milites tamen ferventes, & armorum gloriam & laudem affectantes, provifionis Ecclefiafticæ edictum ufque in præfens contempferunt.

Tornamenta primum in Anglia celebrata.

CAP. LXXV.

Johannes *Regi per Matrem concordatur.*

1194 EOdem tempore *Johannes* frater Regis *Angliæ* (ruptis naturæ Legibus) Regi *Francorum* militabat. At ubi captæ funt munitiones, quas fratri fuo abfenti fraudulenter abftulerat, quafi nihil habens effectus eft. Videnfque Rex *Franciæ*, quod ad nocendum fratri fuo Regi penitus effet impotens, fpernit eum, tanquam de cætero non indigens operibus fuis. Et cum vidiffet eum deprehenfum, & fratrem fuum in cunctis profperantem, mediante matre fupplex ad fratrem rediit, & ab ipfo fraterne fufceptus, ei de cætero contra Regem *Francorum* fideliter & fortiter militavit, priores exceffus novis officiis expians, & fraternam in fe caritatem ad plenum reformans.

CAP. LXXVI.

De morte Ducis Auftriæ.

1194 EOdem etiam tempore, cum Rex *Anglorum* plufquam viginti marcarum millia Duci *Auftriæ* præparaffet, pro liberatione obfidum fuorum tranfmittenda, illi, quos eidem Duci Obfides dederat repente affuere, habentes Mel & Lac fub lingua fua, hoftem fcilicet immaniffimum divini pondere judicii obrutum nunciantes. Dicebant etiam quod, ante mortem ipfius, terræ fuæ Peftilentiæ multæ acciderant, incendia plurima, ficcitas immenfa fterilitatem non modicam inducens. Fluvius etiam *Danubii* fuos fines excedens adjacentia loca cum ingenti hominum exitio occupavit. Nec terruerunt ifta cor nequam & avarum, quominus, opibus *Anglicanis* inhiaret adhuc, licet plurima

rima jam marcarum millia à Rege captivo ſumpſiſſet. Et quidem à *Romano* Pontifice, pro his quæ in eundem Regem commiſerat, Anathemate innodatus, avaritia tamen fortius purgante, ſuperbe deriſit ſententiam. Denique de bonis captivi effectus quaſi inclytus (convocatis multis) Nativitatem Dominicam in multa oſtentatione & gloria celebrare diſpoſuit; & die quidem primo glorioſus effulſit, ſed in die Protomartyris *Stephani* jam pranſus exiens, ut in campo cum ſuis militibus luderet, equus ejus decidens, ſeſſorem quoque dejecit: pedem ejus cum Tibia ſic comminuens, ut oſſa hinc inde confracta rupta cute exterius prominerent. Acciti mox medici appoſuerunt quæ expedire credebant. In craſtino vero pes ita denigratus apparuit ut à medicis incidendus decerneretur. Et cum non inveniretur qui hoc faceret, accitus tandem Cubicularius ejus, & ad hoc coactus, dum ipſe Dux dolabrum manu propria tibiæ apponeret, malleo vibrato, vix trina percuſſione pedem ejus abſcidit. Medici vero appoſitis medicamentis, cum eum in craſtino viſitarent, ſignis hanc ambiguis mortem in januis cognoſcentes, dixerunt, diſpone domum tuam, quia morieris tu, & non vives. Deſperatus igitur, accitis Epiſcopis, qui ad ſolemnitatem invitati venerant, in conſpectu optimatum à vinculo anathematis, quo eum *Romanus* innodaverat Pontifex petiit relaxari; reſponſumque eſt ei à Clero, quod nullatenus poſſet abſolvi, niſi ſub juratoria cautione, quod ſuper injuriis Regi *Anglorum* illatis judicio Eccleſiæ ſtaret. Optimatibuſque quoque pariter jurantibus, quod ſi forte judicium Eccleſiaſticum per eum minus procederet, ipſi modis omnibus procurarent, ne quid ex his quæ ſtatuerentur, in irritum cederet. Hac igitur cautione præſtita abſolutionis munus promeruit. Moxque obſides Regis *Anglorum* liberari præcepit. Verum cum ingraveſcente moleſtia expiraſſet, ſuccedens filius, paternæ quoque avaritiæ Hæres eſſe voluit. Unde factum eſt per laudabilem Cleri zelum, ut tanti Ducis corpus diebus aliquot inhumatum inobedienti filio maculam irrogaret, qui tandem conſternatus memoratos obſides abſolute relaxavit, eiſque quatuor marcarum millia Regi *Anglorum* reportanda contradere voluit: At illi propter viarum pericula expediti repatriare maluerunt, & tanto velocius quanto & alacrius revertentes, ſuæ liberationis nuncii primi extiterunt. Gaviſus eſt ergo Rex gratias Deo agens; & mores in melius corrigens, ex tunc correctior vixiſſe perhibetur.

Richardus primus Rex,

Obſides Richardi liberati.

CAP. LXXVII.

Reges noſtri convenerunt ad prælium, & Rex Franciæ *declinavit.*

EXpleto tandem induciarum tempore; cum Reges nulla ratione fœdera pacis ſuſciperent (pace in reliquum deſperata) cum ſuis copiis convenire, menſe *Julio*, in valle quæ *Rulli* dicitur, non longe à *Rothomago*. Quam quidem cum ſua munitione, & aliis plurimis, Rex *Franciæ* Regi *Anglorum* abſtulerat, dum captivitate *Alemannica* premeretur. Cumque ibidem uterque exercitus ſub meditatione pugnæ per dies aliquot excubaret in Caſtris, interlabente amne; videnſque Rex *Franciæ* ſe viribus illa vice imparem, cogitavit de fuga. Sed, quia non poterat ſecure fugere, niſi munitione prius diruta, confeſtim arci & mœnibus ſuffodiendis die noctuque inſtabat: adverſæ partis impetum interim calide ſuſpendenss doloſe tractando de pace. Verum Rex *Anglorum* ex repentina ſuffoſſæ arcis ruina dolum intelligens, ingenti animo turmas ſuas ordinabat ad pugnam. Porro *Francorum* exercitus, non expectato belli diſcrimine, abiit. Compoſitis tamen orationibus, ut prudenter cedere non turpiter fugere videretur. Rex vero *Richardus* (amne tranſito) non eſt eos inſecutus, ſed reformandæ munitioni totis ſe viribus contulit. Eodem tempore Rex *Richardus* per ſtipendiariam militiam ſuam, quam

1195

Ruthas

Richardus primus Rex. *Ruthas* vocant (expugnato & capto *Iſſoduno* cum quibuſdam aliis munitionibus) fines ſuos in *Bituricenſi* provincia egregie dilatavit. Comitemque *Alivernenſem*, qui ab eo quidem receſſerat, per eoſdem ſtipendiarios captum cum ſuis munitionibus in ſuam poteſtatem redegit. Interim vero mediantibus viris prudentibus, bimeſtres intervenere induciæ, ut in hoc ſpatio deliberaretur de ipſis induciis: vel in ſolidam pacem, Deo propitio, convertendis, vel ſaltem in annos aliquot protelandis. *Induciæ bimeſtres.*

CAP. LXXVIII.

Quomodo Rex Richardus *excuſatur de morte* Marchionis.

1195 Eodem tempore, ſenex de *Monte*, ſic dictus non pro ætate, ſed pro ſapientia, & gravitate, Princeps gentis Orientalis, quam *Hauſeſiſios* vocant, miſit ad *Europæ* Principes univerſos Epiſtolas ſuas, in ipſis Epiſtolis excuſans illuſtrem Regem *Richardum* de morte *Conradi Marchionis* de *Monte Ferrato*, & in illis ſic dicens.

Vetus de *Monte*, Principibus & omni populo Chriſtianæ Religionis ſalutem, nolumus alicujus innocentiam noſtri operis occaſione laborare, cum nulli immerito & inſonti mali quidpiam irrogemus. Eos vero qui in nos deliquerunt, Deo auctore, non patimur diu de illatis ſimplicitati noſtræ injuriis gratulari, ſignificamus igitur univerſitati veſtræ, ipſum teſtantes, per quem ſalvari ſperamus, quod nulla memorati Regis machinatione *Marchio* ille interfectus ſit. Qui profecto pro eo, quod in nos deliquerat, & admonitus emendare neglexerat, noſtra voluntate & juſſione per ſatellites noſtros juſte interiit. Conſuetudinis quippe noſtræ eſt, eos qui nobis vel amicis noſtris in aliquo injurioſi extiterint, primo ut nobis ſatisfaciant commonere: quod ſi contempſerint, per miniſtros noſtros, qui tanta nobis devotione obtemperant, ut ſe à Deo glorioſe remunerandos non dubitent, ſi mandatum noſtrum exequendo occumbant, ſeveritatis ultionem expetere. Audivimus etiam de prænominato Rege vulgatum, quod nos tanquam minus integros & conſtantes induxerit, ut de noſtris aliquos Regi *Francorum* inſidiaturos emitteremus; quod proculdubio falſum & vaniſſimæ ſuſpicionis commentum eſt; cum nec ipſe Deo teſte, tale aliquid circa nos attentaverit, nec nos hujuſmodi homini immerito malum moliri, reſpectu honeſtatis noſtræ ſineremus, bene valete.

Has denique literas cum coram ſe ſolemniter recitatas Rex *Fraucorum* audiſſet, dixiſſe fertur Regem *Anglorum* de tam infami nota præclare purgatum, ſeque cum ipſo de cætero poſſe fœderari, cum in eum nulla alia cauſa fortius, quam ſuſcepta ſuſpicione de nece amiciſſimi *Marchionis*, exarſerit. Hæc dicens, cauſam ſubſtituit quia à ſuis eodem tempore ad ineundum fedus cum Rege *Anglorum* monebatur. Dicitur tamen quod ad Germanæ ejus, qui *Siculi* Regis compar extiterat, nuptias aſpirabat, quibus tamen potitus non eſt. Tandem idem Rex *Franciæ* ſic frequenter illuſus, abſque divini timoris, vel Eccleſiaſtici vigoris obſtaculo Ducis *Theutonici* filiam duxit uxorem, cujus quidem pellex potius fuiſſe videatur & ſuperducta magis quam ducta.

CAP. LXXIX.

Iterum convenerunt Reges ad prælium.

1195 Finitis igitur induciis, cum corda Regum ad concordiam facile emolliri poſſe crederetur, cauſis rurſum ingraveſcentibus, & eorum (inſtigante Diabolo) redivivus furor excanduit, & omnis ſpes pacis elanguit. Erat autem

tem hiems, & adventus Domini, & fames valida, quæ totam fere premebat *Europam*; nec ista locum habere potuerunt; quin rapinis, cædibus, incendiis, populationibusque insisterent. Rex autem *Franciæ* audito quod Rex *Richardus* alias esset intentus, *Issodunum* oppidum obsedit, petulanti animo jurans se non inde, nisi expugnato oppido, discessurum. Obsessi vero cibis armisque sufficienter muniti clara fiducia super murum stantes, non sunt veriti neque cunctati jurare contrarium. Fuitque per dies aliquot oppugnatio vehemens, sed oppugnantibus damnosa magis. Interea Rex *Anglorum*, accepto nuncio, impiger advolat, oppidumque securus ingreditur, obsessore non saltem attentante prohibere illi ingressum; sed potius adornante discessum. Moxque turmas ad pugnam dispositas ingenti animo inducit in campo, paratus excipere diem ultionis & laudis. Poterat sane dies illa longe certaminis declarare victorem, nisi *Francorum* sibi providentia cautius prospexisset. Cum enim ad dimicandum minus sufficerent, & de fuga cogitantes, ferocem insequentem timerent, Dominum suum Regem salubriori consilio impulerunt, ut vel in arcto positus, certo belli discrimine declinato honestam dignaretur pacem amplecti. Qui exercitus sui facies quasi ad fugam conversas videns, cum ipse in extremo agmine existeret, quod fortius cautiusque instructum fuerat contra faciem insequentis, qui in fronte sui exercitus gradiebatur, colloquium Regis *Richardi* per viros nobiles expetiit: & statim, sicut erant in equis armati, mutuo sibi occurrerunt, inter suos exercitus modico intervallo distantes. Itaque soli absque arbitrio diutule collocuti, in conspectu utriusque exercitus capitibus exarmatis, sese in mutuos amplexus dederunt. Statimque in exercitibus concordiam Principum ingens lætitia sequitur, pacis dulce nomen sonoris vocibus inculcantes. Facta sunt hæc (Deo propitio) *Nonis Decembris*, & primo cum gaudio ad sua redierunt, intentionem bellicam ad pacis studia, & Dominici Natalis celebranda solemnia convertentes. Principes vero formam pacis, quam inter se secreto statuerant, apud se continebant, post expleta Dominici festi gaudia declarandam.

Richardus primus Rex.

Issodunum à Gallis obsessum.

CAP. LXXX.

De pace inter Reges facta, & rupta statim.

ANno autem à partu virginis, millesimo c. nonagesimo sexto, ingresso 1196
mense *Januario* iidem Principes cum magna nobilium frequentia, in terrarum confiniis ad solemne colloquium convenerunt; ubi declaratum est, & consensu publico confirmatum, quod inter se Reges sub clipeo statuerunt. Rex autem *Franciæ* resignavit Regi *Anglorum*, *Archas*, *Angum*, *Albemarlam*, *Castellum Novum*, & cætera quæ de jure ejus, tempore *Alemannicæ* detentionis, occuparat: excepto *Gysortio*, cum quibusdam aliis Castellis, pro quibus remisit Regi *Anglorum* quicquid de jure ejus forte bellica usurparat, scilicet *Burgum Thuronense*, Beati *Martini* corpore insigne, *Issodunum* oppidum, aliasque sive in *Bituricensi*, sive in *Alvernensi* provincia munitiones plurimas. Statuta est etiam pœna in prævaricatorem pactorum, ne aliquod scandalum inter Principes in posterum oriretur, at omnis cautela sufficere non potuit, ad pacis propositum solidandum, uti postmodum claruit. Rex enim *Francorum* cito pœnitentia ductus, & succensus in eos, qui pacis ei consilium dederant, ad rescindendam pacem, potius quam tenendam proclivior fuit. Rex quoque *Anglorum* pro suorum finium vel modica mutilatione, nulla compensatione contentus, irritandi Regem *Francorum*, ut pacem infringeret, ex ipsa præscripta pacis formula occasionem artemque invenit. Rursus ergo bellicæ intentionis inter Principes rabies exarsit. Acuebat autem Regem *Francorum* ad experiendam iterum belli fortunam turbatio *Britonum*, & tumultus, quem contra

 Regem

Richardus primus Rex. Regem *Anglorum* exercebant. Cum enim idem Rex *Richardus* nepotis ſui *Arthuri* tunc decennis, filii fratris ſui *Geofridi* quondam Comitis *Britanniæ*, uſque ad annos legitimos tutelam expoſceret,quidam nobiles & primi *Britonum* id ipſum non ferentes; ſed pro puero & patria fortiter æmulantes, cum eo à facie patrui imminentis ad interiora *Britanniæ* ſeceſſerunt. Eodem autem tempore ſolemne jejunium quadrageſimæ, & quaſi inſtans feſtum Paſchatis; aeriſque inclementia, & fames per provincias ſupra modum deſæviens Regibus obſtiterunt: Ita quod amicis ſuadentibus conceptum furorem pro tempore ſuſpenderent, & tempus, quo ſolent Reges ad bella procedere, mediantibus induciis, expectarent, quod & factum eſt.

CAP. LXXXI.

Duo Soles apparuerunt.

1196 IN octavis Pentecoſtes, hora diei prima, apparuere in Cœlo duo Soles, Sol ſcilicet verus, & alius tanquam æmulus: nec facile diſcerni poterat uter illorum eſſet Sol verus, niſi ex ſolito proceſſu. Quod ſignum ſe vidiſſe teſtatur *Willielmus* de *Novo Burgo* in ſua Chronica. Cumque diutule hoc ſignum cum aliis multis reſpexiſſet, tandem æmulus ille veri ſolis evanuit.

CAP. LXXXII.

Iterum poſt inducias excanduit furor eorum.

1196 NEc multo poſt, induciarum expleto tempore, iterum cruentus furor Principum excanduit: totis in arma viribus ruitur: igne, ferroque florentes provinciæ corrumpuntur: & Rex quidem *Francorum* cum ſuis *Albemarliam* obſedit. Rex vero *Anglorum* obſedit Caſtrum, quod *Nonancurtium* dicitur, olim quidem ſui juris; quo mature potitus, rogabatur à ſuis, ut obſidionem Regis *Francorum* de alio Caſtro ſolveret. Sed diſſimulavit, confidens de virtute ſuorum, qui Caſtellum obſeſſum egregie defendebant. Converſus ergo ad depopulandos fines hoſtiles, ſatagebat ſolicite, abſque mutui ſanguinis diſcrimine avertere obſeſſorem. At vero Rex *Franciæ* pertinaciter cœptis inſiſtens, cum multo tandem ſui exercitus ſudore & ſanguine, Caſtellum deditione obtinuit. Inimicitiis magis magiſque creſcentibus, reformandæ paci à bonis & ſapientibus inaniter ſtudebatur, cum ipſi Principes ad omne conſilium pacis obſurdeſcerent.

CAP. LXXXIII.

De Fame & Peſtilentia in Anglia.

1196 AGgravata eſt etiam ipſo tempore manus Domini ſuper populum Chriſtianum in peſte, & fame, ut illud pœne propheticum completum eſſe videretur, *plaga inimici percuſſi ſunt caſtigatione crudeli*: Et quidem fames valida ex intempeſtivis imbribus proveniens, per annos jam aliquot, *Galliam Angliamque* vehementer attriverat. Cumque vulgus pauperum paſſim inedia deperiret, ſecuta eſt è veſtigio peſtis ſæviſſima; ſcilicet febris acuta, quæ tot & tantos ſingulis diebus corripiens finaliter proſtravit, ut vix invenirentur, qui vel curam languidis, vel ſepulturam mortuis exhiberent. Ceſſabatque

consuetus funeris apparatus, quia quacumque hora diurna quis obisset, mox matri terræ tradebatur; nisi esset quis ditior vel persona nobilior. In plerisque etiam locis fiebant fossæ non modicæ receptui cadaverum, eo quod facultas non esset unumquemque per se juxta morem recondere. Tandem, volente Domino, post sex fere menses hiemali rigore consopita quievit. *Richardus Primus Rex.*

CAP. LXXXIV.

Rex Richardus *recepit obsides suos ab Imperatore, & Terra Sancta turbata est.*

SAne Rex *Anglorum* paulo ante obsides suos apud Imperatorem relictos 1196
absolute receperat, persoluta illi pactæ redemptionis summa, quibus receptis dixisse fertur; à captivitate *Alemannica* nunc scio me vere liberatum. Liberatus itaque ab exactore tam gravi, intentione integra bellicis negotiis insistebat, de reversione in *Syriam*, cui se redire devoverat, nihil vel tepide cogitans. In eventu tamen ibi bene contigerat. Quia mortuo tunc *Saladino*, scissum est ejus Imperium, juxta numerum succedentium filiorum. Ipsisque inter se diffidentibus, orta est rixarum bellorumque materia: & facta est summa confusio in domo ejus, Christianis interim sub *Henrico* principe induciarum expletionem præstolantibus.

CAP. LXXXV.

Imperator proposuit ire versus Terram Sanctam.

POrro Imperator, ut quasi expiaret quod in Christianum Principem ab 1196
oriente revertentem tam fœde commiserat, proposuit *Anglicanis* opibus Orientalis Ecclesiæ reliquias visitare. Unde anno Domini millesimo c. nonagesimo quinto convocatis sui Imperii Ecclesiasticis Laicisque personis, & devotione propria cunctis declarata, ad æmulandum pro Christo multos ex subditis provocavit Apostolicæ etiam sedis legatus, qui ibi præsens erat cum Prælatis & Clericis, qui dignitate & facundia præcellebant, per dies octo continuos in auribus Christianæ multitudinis potenti eloquio declamantes, in tantum animos devotionesque populorum erexerunt, ut fas esset ibi dicere, vere digitus Dei est hic. Magnis ergo præsulibus, & præclaris ducibus, cum multitudine virorum fortium, dominicum characterem certatim sumentibus, ipse quoque Imperator paratus fuit eodem signo cum cæteris insigniri. Sed hoc ab omnibus altiori consilio dissuasum est, allegantibus Christianæ expeditioni conducere, ut Imperio manens progresso exercitui de victualibus & expensis, &, cum necesse fieret, & militia iterato supplenda, provideret. Itaque *Germanicarum* atque *Italicarum* gentium expeditio totis viribus parabatur in *Syriam*: cum Reges nostri nil sanum aut sobrium meditantes, proprio tantum furori cum multorum discrimine indulgerent.

CAP. LXXXVI.

Pacificatis Britonibus *Rex* Richardus *cepit Episcopum* Belvacensem.

HIs diebus *Britones*, qui à Rege *Anglorum* jam pridem desciverant, depo- 1196
pulatione ipsius Regis coerciti, in ejusdem Regis *Richardi* fœdus & gratiam cum suo *Arthuro* rediere. Bellum quoque *Thosolanum*, quod illustri *Anglorum* Regi *Henrico* & filio ejus *Richardo* res summi negotii fuerat, & per an- *Fœdus inter Wallenses & Regem Richardum.*

 nos

Richardus primus Rex. nos XL. vires multorum attriverat populorum, eodem tempore volente Domino sic expiravit. Comes enim sancti *Ægidii* (pactis cum Rege *Anglorum* celebratis) sororem ejus, quæ olim Regi *Siciliæ* nupserat, cum ingenti gloria conjugem duxit; & sic inveteratum illud odium conquievit. Itaque Rex *Anglorum*, qui ad tria bella quasi minus potens divisus fuerat, finitis sic duobus, ad tertium, quod cum Rege *Francorum* gerebat, quasi integre redditus, cœpit robustius agere, & terribilior hostibus apparere. Certabatur ergo utrinque totis viribus: tantusque extitit debacchantium furor, ut nec sacris quadragesimæ diebus deferrent; deprædationibus, atque incendiis loca prius florentia corrumpentes: Nec sacerdotibus Domini, si forte inciderent, secus quam popularibus parcendum ducentes.

Comes S. Ægidii viduam Regis Siciliæ ducit uxorem.

CAP. LXXXVII.

1197 ANno Domini millesimo C. nonagesimo VII. continuato ipsius facinoris jam anno quinto, cœpit Rex *Franciæ* mollius agere. Rex vero *Angliæ* paulatim augebatur viribus & prosperabat magis. Denique vicum insignem, qui dicitur Sancti *Valerici* repente aggressus, potenter effregit, munitionem evertit, & præda demum onustus abiit. Nec multo post in pago *Belvacensi*, Castrum, quod *Milliacum* dicitur, per suos expugnavit. Quod audiens *Belvacensis* Episcopus, homo ferocis animi, & propinquitate Regia inclytus, sumptis propere armis, bellicosus magis Pontifex quam Religiosus apparuit. Sed (fortuna mutata) captus & vinctus, cum quibusdam aliis nobilibus; Regi *Anglorum* gratissimum munus oblatus est. Cumque *Rothomagi* vinctus servaretur, duo ex Clericis ejus supplices ad Regem venerunt, postulantes Regis gratiam, ut Domino suo possent in vinculis ministrare. Quibus Rex: vos (inquit) judicate inter me, & Dominum vestrum, utrum quæ mihi vel intulit vel molitus est mala oblivioni tradantur usque ad unum? Certe ab Oriente rediens, & detentus ad Imperatore *Theutonico*, respectu Regiæ personæ mollius tractabar, & cum decenti honore. Superveniens autem iste Dominus vester, quasi in vespere cum Imperatore secreto tractavit. Et cujus rei gratia venerit, & apud Imperatorem nocte quid egerit, expertus sum mane; aggravata est enim super me manus Imperatoris; tantoque mox oneratus sum ferro, quantum equus vel asinus ferre vix posset. Juste ergo decernite, qualem Dominus vester habere custodiam debeat apud me, qui talem mihi fecit apud detentorem meum. Clerici vero ad hæc non habentes quid dicerent, frustrati abierunt. Bellicosus itaque Pontifex servabatur in vinculis, & tractabatur ab hostibus mitius forte, quam meruerat: sed plane durius quam decebat Episcopum. Interpellavit autem per suos *Romanum* Pontificem, ut Ecclesiastici vigoris instantia liberaretur de manibus detentoris. Et ille summus Pontifex prudenter considerans, quod Rex *Anglorum* Episcopum non prædicantem sed præliantem cepisset, & rigidum magis hostem quam pacificum præsulem teneret in vinculis, ut vinctum relaxaret, illi molestus esse noluit. Sed interpellanti sapienter & discrete respondit; improbrans quod secularem militiam Ecclesiasticæ prætulisset; & pro baculo pastorali lanceam, pro mitra galeam, pro stola alba loricam & clypeum sumpsisset, & gladium ferreum pro gladio spiritus, quod est verbum Dei. Negansque se pro eo vincto imperaturum Regi *Anglorum*: sed oportune supplicaturum pollicens. Vinctus itaque Pontifex relaxationem suam citra Regum concordiam desperabat, atque ideo pacem, quam prius intentor belli oderat, in illo vinculorum tædio jugi desiderio suspirabat.

Episcopus Belvacensis captus.

CAP.

Richardus Primus Rex.

CAP. LXXXIX.

Quomodo Comes Flandrensis *Regem* Franciæ *deserens*, *Regi* Richardo *fœderatus est*.

EOdem tempore defecerunt à Rege *Francorum* quidam Regni sui potentes, illatis à Rege injuriis irritati, & Dominum durum causantes: junctique Regi *Anglorum* vires ejus auxerunt. Ex quibus Comes *Flandrensis*, dolens se à Rege *Francorum* juris sui hæreditarii media fere parte fraudatum, Regis *Anglorum* pecuniis roboratus, nobile oppidum, quod dicitur Douay, obsessum deditione recepit: quasdam etiam munitiones alias occupavit. Quibus successibus confortatus, crescente fiducia, civitatem *Atrebatensem* obsedit. Sane Reges prædicti tunc, tanquam ex industria, mutuum devitantes occursum locis diversis exercebantur. Et Rex quidem *Anglorum* in pago *Bituricensi* munitiones aliquot expugnavit: Rex vero *Francorum* munitionem Dagoun nominatam, quæ ab ipso paulo ante defecerat, castris circumdedit. Qua mature dedita, & eversa, memoratæ urbis obsidionem à Comite *Flandrensi* factam solvere festinavit. Obsessor autem, adventu ejus præcognito, obsidionem deseruit: hostemque superbum ad prosequendum cedendo accendens, dum à tergo incautius progressi, confractis amnium pontibus difficilem vel ibi peditum vel exercitui ejus commeatum facere studuit, arteque plusquam viribus effecit. Cumque amicis mediantibus inter partes de pace tractaretur, oblatam Comes pacem nec respuit nec absolute amplexus est, obtendens se Regi *Angliæ*, sufficientem per obsides idoneos præstitisse, atque ab eo vicissim accepisse cautionem, quod neuter eorum sine altero bellum pace mutaret: pactis tamen inter partes formatis, consensu Regis *Angliæ* pro tempore sanctitudinis expectato Rex *Francorum* ad propria rediit: Comes vero cum festinatione adiit Regem *Anglorum* ut consensum ejus ad pacem alliceret. 1197

Comes Flandrensis Domino suo conciliatur.

CAP. XC.

Treugam unius anni ceperunt Reges.

ITaque Reges tantum jam pacis avidi, quantum bellici laboris pertæsi, anno à partu virginis millesimo c. nonagesimo septimo, mense *Septembri*, cum optimatibus suis, & cum frequentia subditorum, ad solemne colloquium in terminis convenerunt. Ubi quidem de plena pace minus actum est: eo quod animi Principum, à longa inveterati odii passione, difficile sanarentur. Sed treugam unius anni & quatuor mensium, tanquam arram futuræ pacis inter se statui maluerunt: adjicientes in pactis, ut negotiantibus Regiones perviæ, mutuisque Provinciæ gauderent solatiis: & ut captivi utrinque competenti & tolerabili redemptione relaxari mererentur. Soluto igitur conventu, militantibus facultas data est ad propria remeandi. Et fessæ Provinciæ pausam modicam gratanter susceperunt. 1197

Induciæ unius amni inter Philippum & Richardum.

CAP. XCI.

Interim Rex Richardus Gaylard *construxit.*

EOdem tempore illustris Rex *Richardus* apud vicum, qui *Andeliacus* dicitur, (quem locum, & pro tuitione *Normanniæ*, Castro construendo Rex ipse 1197

Richardus primus Rex. ipse notasset aptissimum) Castrum nobile, quod vulgariter dicitur Castellum Gaylard ex opposito manerii sui de Andelle, interposito flumine de Andelle, profusis valde sumptibus ædificavit, natura loci mirabiliter juvante: locus autem ille erat antiquum patrimonium Ecclesiæ *Rothomagensis*. Sed quia timebat Rex *Richardus*, ne forte idem locus ad hoc ipsum hostiliter occuparetur à Rege *Francorum*, eundem duxit præoccupandum. Cujus rei causa orta fuit dissentio inter Regem *Richardum*, & *Walterum Rothomagensem* Archiepiscopum: qui in Regis peregrinatione, & *Alemannica* detentione, *Anglici* Regni procurator fidelis extiterat: appellante Archiepiscopo ad Papam, & appellationem prosequente, sed accepto à Papa responso, quod patienter sustineret, quoadusque pax plena inter Reges esset reformata, reversus est, & sic cum Rege concordatus. Rex enim, pro prædicto vico litigioso, famosum illum vicum maritimum, qui *Deppa* dicitur, *Rothomagensem* donavit, & Archiepiscopum in pristinam specialitatem recepit.

CAP. XCII.

Quomodo ibi pluit sanguinem.

1197 SAne in illo loco, cum magna illa ædificatio fieret, rem prodigiosam contigisse ferunt. Nam mense *Maio*, paulo ante Dominicæ ascensionis solemnia, cum Rex *Richardus* ibi adesset, & opus operariosque de festinatione urgeret, repente imber sanguine mixtus descendit, stupentibus cum ipso Rege cunctis qui aderant; cum & in suis vestibus veri sanguinis guttas conspicerent, & rem tam insolitam malum portendere formidarent. Verum ex hoc idem Rex non est territus, quominus operi promovendo intenderet, in quo sibi (ni fallor) ita complacebat, ut, etiam si *Angelus* de cœlo id omittendum suasisset, anathema illi fuisset.

CAP. XCIII.

De morte Regis Richardi.

1199 ÆDificato itaque Castro, & infra eundem annum plenariè completo, fertur ipsum Regem hujusmodi verba protulisse, circumstantibus magnatibus suis: Ecce quam pulcra filia unius anni (Dilexit enim eundem locum & gloriabatur in hoc facto.) Cumque ad alia divertisset se Rex *Richardus*, & custodes ejusdem Castri in sua custodia negligentes extitissent (egressæ enim erant ex more lotrices per posticum ad lavandum pannos, & alia quæque in lacu subtus Castrum;nec suspicabantur custodes accessum haberi posse ex parte illa) & ecce ingeniosi *Franci*, & sibi multoties à longe providentes, præordinatis Scaphis & allatis, dum quadam die egrederentur lotrices, Lacum cum scaphis transierunt, & apprehensis lotricibus Castrum ingressi sunt: fugientibus ad eorum introitum quibusdam ex custodibus, & aliis comprehensis: confestimque attraxerunt alios, & facti sunt quasi robur immensum. Quod cum audisset Rex *Richardus*, mox omni summa festinatione accurrit, & sic inveniens Castrum præoccupatum iratus est valde, & commota sunt viscera ejus in hoc facto; declinavitque ad manerium suum de Andelle (quod situm est ex opposito ejusdem Castri interjecto flumine, sic nominato Andelle.) Cumque die quadam spatiatum pergeret, Castrumque & loci situm circumspiceret, cognitus est à quodam balistario, & emisso ab eo telo graviter vulneratus est. Vocatique sunt Chirurgi, qui dicunt ei, quod ob gratiam recuperandæ sani-

tatis abstinendum esset ei totaliter ab omni contactu mulierum: locus enim scapulæ, in quo percussus est, periculosus erat, & profundus: propter quod interdixerunt ei omnem uxoris amplexum, visum etiam & tactum. Qui cum esset lubricus valde, & in amore mulierum excandescens, noluit reprimere delicias suas: sed, salubre consilium parvipendens, non curavit de vulnere; eo quod modicum erat; & infestatum est. Crevit enim venenum, & desperatio vitæ secuta est. Cumque vitæ ipsius nulla esset spes, & horrenda mors jam pateret in januis, ingressus est ad eum ille *Walterius Rothomagensis* Archiepiscopus, de quo supra proxime fecimus mentionem: & ait ei, dispone domum tuam ô Rex, quia morieris tu, & non vives. Cui Rex, minæ sunt, Episcope, & quasi trufæ, quas loqueris. Cui Episcopus; non sunt trufæ, Rex, sed infallibilis mors in januis te expectat. Cui Rex, quid ergo vis ut faciam? At ille, cogita de filiabus tuis maritandis, & age pœnitentiam. Et Rex: hoc est quod primo dixi; trufæ sunt, quas loqueris, tu enim nosti me filios aut filias nunquam procreasse. Et Episcopus; imo, O Rex, tres habes filias, & diu est quod eas habuisti, & aluisti. Primogenitam enim tuam habes superbiam; secundam, avaritiam: & tertiam, luxuriam. Has enim habuisti, & supra modum dilexisti à juventute tua. Verum, inquit Rex, istas habui, & eas sic maritare volo. Primogenitam enim meam, scilicet superbiam, concedo Templariis, qui fastu tument, & præ cæteris sunt elati; secundam vero, scilicet avaritiam, do Monachis Griseis, qui omnibus vicinis suis per avaritiam nocent, ut Diaboli effrænati; ultimam autem, scilicet luxuriam, assigno Monachis Nigris, qui assata & fricta comedunt nunquam satiati. Ista enim tria hominum genera odio habuit Rex, & ideo præ cæteris nominatas filias eis maritavit. Ad hæc ille Episcopus: non loquaris ita Rex, quoniam tempus resolutionis tuæ instat jam, & prope est. Et Rex, quid, inquit, mihi faciendum est? At ille, age, inquit, pœnitentiam, & confitere peccata quæ commisisti; confidens in Christo Crucifixo, & in misericordia ejus, quæ est super omnia opera ejus: Cui promptius est peccata dimittere, quam peccatori veniam postulare. Motus itaque Rex in verbis Episcopi, prorupit in lachrymas, & ait, pœniteo valde, & pœnitentiæ signa videbis, Episcope, & testificaberis. Moxque accito confessore suo, peccata sua gravia cum immenso dolore confessus est, & beneficium absolutionis consecutus, præcepitque sibi pedes ligari, & in altum suspendi, nudumque corpus flagellis cædi & lacerari, donec idem ipse præciperet ut silerent. Cumque diu cæderetur, ad modicum ex præcepto siluerunt: & iterum reassumpto spiritu hoc idem secundo & tertio in abundantia sanguinis compleverunt. Tandem in se revertens, præcepit viaticum sibi afferri; & se velut proditorem & hostem contra Dominum suum ligatis pedibus cum fune trahi: acceptoque viatico cum magna cordis reverentia, & tremore adjecit. Misericordia Domini magna est, qui vult omnes homines salvos fieri: justitia tamen ejus recta est, quæ vult omne delictum flagellari & puniri. Verum in misericordia confidens, & de justitia timens, lego me & corpus meum vermibus corrodendum, animam autem meam usque in diem judicii igne Purgatorii cruciandam in spe misericordiæ Dei, in qua credo me posse salvari in illum diem. Et aliis dictis, modico supervixit tempore & mortuus est; sepultusque juxta patrem suum in Monasterio *Fontis Ebraudi*, mense *Aprilis*, anno Domini millesimo c. nonagesimo IX. Sicque Leo ferox, qui vivens in corpore cor & animum Leonis habuisse ferebatur, per industriam discreti Pontificis, ad Christum dirigitur, velut agnus mitissimus, & pœnitens gloriosus. Audito itaque rumore mortis ejus in curia Regis *Franciæ*, gavisi sunt gaudio magno valde, & congratulabantur Regi suo dicentes: Gaudendum est, tibi, O Rex, quia hostis tuus immanis corruit & mortuus est. Quibus Rex, non quidem gaudendum est, sed potius condolendum; quia corruit Princeps nobilis & miles strenuissimus totius Christianitatis. Et licet in jure suo eum ad tempus sensissem adversarium, sperabam tamen eum mihi haberi posse & hominem & amicum. Vobis etiam

Richardus primus Rex.

Superbia, avaritia, luxuria tres filiæ Regis Richardi.

Richardus virgis cæsus

Richardus primus Rex. etiam in morte ipsius doloris materia orta est, quia qui contra eum etiam stipendiis meis jamdudum sumptuosissime militastis, nunc propriis potestis stipendiis militare. Et sic licentiati incidenter doluerunt, qui materiam solatii intexere nitebantur. Interfectori etiam ipsius Regis *Richardi*, dum magna se meruisse crediderat, ait Rex, quia Principem strenuissimum occidisti, non quidem in bello, sed in dolo, mala morte morieris. Præcepitque, & equis tractus dilaceratus est, & ad furcas suspensus.

Interfector Regis Richardi equis distractus.

Johannes Rex.

CAP. XCIV.

De primordiis Regis Johannis, *& quomodo occidit* Arthurum.

1199 MOrtuo Rege *Richardo*, & sepulturæ tradito, *Johannes* frater ejus sciens se non admitti ad Regnum à magnatibus terræ *Anglicanæ*, cum propinquiorem haberent Regni successorem, *Arthurum* scilicet filium fratris sui senioris, *Galfridi* quondam Comitis *Britanniæ*: dum adhuc esset in *Aquitania*, comprehensum puerum dolo tenuit, & occidit per manum armigeri sui *Petri* de *Malo lacu*, cui postea hæredem Baroniæ de Mulgref dedit in uxorem, loco mercedis iniquæ. Reversusque *Johannes* in *Angliam*, à populo terræ susceptus est, & die Ascensionis Domini anno ejusdem millesimo C. XCIX. apud *Westmonasterium* per *Hubertum Cantuariensem* Archiepiscopum solemniter in Regem consecratus, VI. scil. *Kal. Junii.*

CAP. XCV.

Rex Scotiæ *fecit sibi homagium.*

1200 SEcundo anno Regni sui misit Rex *Philippum Dunelmensem* Episcopum & *Rogerum Bigot* cum literis suis patentibus de salvo conductu & reditu ad *Willielmum* Regem *Scotorum*, de cujus fide hæsitabat, statuens ei diem certum & locum apud *Lincolniam*, scilicet in crastino sancti *Edmundi* Regis & martyris, veniendi ad se, & homagium faciendi, absque omni prorogatione, vel cavillatione. Qui accepto hujusmodi mandato, ad diem properavit eundem, & in die Sanctæ *Cæciliæ* virginis, X. scilicet *Kal. Decembris*, quæ fuit eodem anno feria quarta, supra montem arduum extra civitatem *Lincolniæ*, coram optimatibus utriusque Regni, & omni populo, fecit Regi *Johanni* homagium solemniter, fidelitatemque juravit super crucem *Huberti Cantuariensis* Archiepiscopi, & de pace servanda sibi & Regno suo. Quibus pactis, in solemni convivio receperunt se, & lætatus est uterque populus magno gaudio: & post dies aliquot dimissus est in terram suam cum honore immenso. Acta sunt hæc in anno Domini millesimo CC. die quo supra. Rex vero *Johannes* in superbiam erectus, & mentem Regis exuens, animum leonis induit, sectando luxuriam, avaritiam, & omnem animi sui voluptatem.

Rex Scotor. homagium facit Johanni.

CAP.

CAP. XCVI.

Quomodo ejecit Monachos Cantuarienſes, *& cauſa interdicti,*

ANno Domini milleſimo cc. quinto obiit *Hubertus Cantuarienſis* Archiepiſcopus; poſt cujus mortem Monachi *Cantuarienſes* eligendi licentiam à Rege petierunt, & obtinuerunt. Rogavit tamen Rex pro *Norwicenſi* Epiſcopo, ut, ſi poſſibile eſſet, ſaltem ſuis precibus poſtularetur hac vice. Adveniente autem electionis die, quidam ex Monachis preces Regias amplectentes eundem *Norwicenſem* poſtularunt. Alii vero ſecundum Deum procedentes, Suppriorem ejuſdem Domus elegerunt: & diſſentione facta inter fratres, utraque pars pro ſuo electo ad ſedem Apoſtolicam appellarunt. Unde electi ſunt hinc & inde XIV Monachi, qui ad ſedem Apoſtolicam iter arriperent, hoc negotium proſecuturi. Qui ad Regem venientes, ut ex voluntate ipſius proficiſcerentur, promiſerunt ei jurantes, quod modis omnibus procurarent poſtulationem *Norwicenſis* à Domino Papa confirmari: & ab ipſo Rege magna accepta pecunia profecti ſunt. Quibus in curia conſtitutis, quaſſatur electio Supprioris, & datur licentia illis XIV. iterum eligendi in curia: qui ſedentes, iterato poſtularunt *Norwicenſem* Epiſcopum. Et iratus Papa, eo quod concluſionem audierat, poſtulationem eorum & vota non admiſit, & eos ſuſpendit, quantum ad vicem hanc. Qui videntes ſe quaſi deprehenſos, pœnitentia ducti confeſſi ſunt ſe Regi juraſſe de *Norwicenſi* poſtulando, & veniam depoſcentes, arbitrio Domini Papæ humiliter ſe ſubmiſerunt. Papa vero non ſecundum meritum, ſed ſecundum clementiam agens, eos benigne abſolvit, & conſuluit, ut Magiſtrum *Stephanum* de **Langeton** ſibi in patrem eligerent & paſtorem, virum utique literaturæ magnæ & bonitatis immenſæ. Qui ſano adquieſcentes conſilio elegerunt eum, & confeſtim à Papa confirmatus eſt, & cito poſt conſecratus. Quæ cum ad audientiam Regis abſque dilatione deveniſſent, turbatus eſt, & excandeſcens in iram, illos XIV Monachos Regno ſuo perpetuo proſcripſit; ſub pœna capitis interdicens eis reditum in terram ſuam. Monachos etiam cæteros à Clauſtro ejecit, committens curam ejuſdem Domus mercatoribus *Brabantinis*, qui reſponderent ei de exitibus univerſis, cæteroſque Clericos ejuſdem provinciæ male tractavit, & univerſos Dei Miniſtros exoſos habuit, nulla flexus pietate, vel miſericordia. Quibus Domino Papæ nunciatis, ſcripſit ei Papa, filialiter hortans & monens vice trina, ut ab oppreſſionibus hujuſmodi, pœnitentia ductus reſiliret: alioquin durius procederetur in eum. At ille continuando errorem, proceſſit ſemper de malo in pejus: propter quod Dominus Papa ſententiam excommunicationis tulit in eum; & in omnes fautores ejus, & totam terram *Anglicanam* Eccleſiaſtico ſuppoſuit interdicto. Incepitque hoc interdictum generale à prima Dominica paſſionis Domini, anno ejuſdem milleſimo CCVIII. quæ fuit eodem anno, x. *Kalend. Aprilis*; & duravit ſex annis continuis, & uno menſe; nihilque fiebat in Sancta Matre Eccleſia, niſi parvulorum Baptiſma & Confeſſiones morientium: corpora tamen eorum extra cœmiterium ſepulta ſunt. Et memoriale hoc jam durat in ſecula. Hujus autem interdicti executores, *Londonienſem* ſcilicet, *Wigornienſem*, & *Elienſem* Epiſcopos egit ipſe Rex in exilium, & multa alia mala, inſtigante Diabolo perpetravit.

1205

Stephanus de Langton fit Epiſcopus Cantuarienſis, quod Regi diſplicet.

Johannes Rex excommunicatur.

Executores excommunicationis in exilium acti.

CAP. XCVII.

Quomodo subjecit Angliam *Curiæ* Romanæ.

1213 CUm ab iniquo Rege talia agerentur, insurrexerunt in eum Magnates sui, & præcipue illi, quorum uxores violaverat, moventes sibi quæstionem, & dicentes, cur ita male agis, O Rex, cum plebe tua? Quare Legem Dei tui & ipsius mandata transgrederis? Non enim vivimus in lege Dei, sed velut hæretici facti sumus in confusionem nostram, in Sanctæ Matris Ecclesiæ transgressionem magnam. Nunc ergo resipisce, aut certe pœnitebis in posterum: quoniam hujusmodi mala deinceps sustinenda non sunt. Timens vero sibi Rex delinivit eos verbis pacificis; & missis ad Papam nunciis rogavit, ut in statum Ecclesiæ reduci posset & admitti, qui sinum Matris aperiens, eo quod sancta mater Ecclesia gremium non claudit redeunti, misit in *Angliam* duos Legatos Cardinales cum plenitudine potestatis, qui omnimodas Ecclesiæ causas, & Regis molestias ponderarent, & fine debito terminarent. Venientes autem ad Regem, ab eo honorifice suscepti sunt, & induxerunt eum in primis, ut omnes exulantes, & pro jure Ecclesiæ proscriptos ad propria revocaret; & ad omnia restitueret. Quo facto, licet variis varia censentibus, antequam beneficium absolutionis posset promereri, de libero fecit se servum, & de Dominante servientem; terramque *Anglicanam*, quæ esse solebat libera, & ab omni servitute quieta, fecit tributariam & ancillam pedissequam; subjectionemque suam confirmavit per scriptum suum in hæc verba conceptum.

CAP. XCVIII.

Litera subjectionis cum fidelitate facta.

1213 JOhannes Dei gratia Rex *Angliæ*, &c. Universitati vestræ per hanc cartam aurea Bulla nostra munitam, volumus esse notum, quod cum Deum, & Matrem nostram Sanctam Ecclesiam offenderimus in multis, & proinde divina misericordia indigere noscamur, nec quid, quod digne offerre possimus pro satisfactione debita Deo & Ecclesiæ facienda, nisi nos ipsos habeamus & Regna nostra: volentesque nos ipsos humiliare pro illo, qui se pro nobis humiliavit usque ad mortem, gratia Sancti spiritus inspirante, non vi inducti, nec timore coacti: sed nostra bona, & spontanea voluntate, ac communi consilio Baronum nostrorum, offerimus, & libere concedimus Deo & Sanctis Apostolis ejus *Petro* & *Paulo*, & Sanctæ *Romanæ* Ecclesiæ Matri nostræ, ac Domino nostro Papæ *Innocentio* tertio, ejusque catholicis successoribus totum Regnum *Angliæ*, & totum Regnum *Hiberniæ* cum omni jure ac pertinentiis, pro remissione omnium peccatorum nostrorum, & totius generis nostri, tam pro vivis quam pro defunctis. Et à modo illa à Deo vel ab Ecclesia *Romana*, tanquam feodarius recipientes, & tenentes, in præsentia venerabilis patris nostri Domini *Nicolai Tusculani* Episcopi, Apostolicæ Sedis Legati: & *Pandulphi* Domini Papæ subdiaconi & familiaris, fidelitatem prædicto Domino nostro Papæ *Innocentio*, ejusque catholicis successoribus, ac Ecclesiæ *Romanæ*, secundum subscriptam formam fecimus, & juravimus, & homagium etiam ligium fecimus pro prædictis Regnis Domino nostro Papæ *Innocentio* per manus prædicti Legati, loco & vice ipsius Domini Papæ recipientis publice; successores & hæredes nostros de uxore in perpetuum obligantes, ut simili modo summo Pontifici, qui pro tempore fuerat, & Ecclesiæ *Romanæ*, sine contradi-

ctione debeant fidelitatem præstare, & homagium recognoscere. Ad indicium autem hujus rei, & nostræ perpetuæ obligationis & concessionis nostræ, volumus & stabilimus, ut de propriis & specialibus redditibus prædictorum Regnorum nostrorum, pro omni servitio & consuetudine, quod pro ipsis facere debemus, salvo per omnia denario Sancti *Petri*, Ecclesia *Romana* mille marcas sterlingorum percipiat annuatim: scilicet in festo Sancti *Michaelis*, quingentas marcas, & in festo Paschatis quingentas marcas; septingentas scilicet pro Regno *Angliæ*, & trecentas pro Regno *Hiberniæ*: salvis nobis & hæredibus nostris, justitiis, libertatibus, & Regalibus nostris. Quæ omnia sicut prædicta sunt, rata esse volentes, ac perpetuo firma, obligamus nos & successores nostros contra non venire. Et si nos vel aliquis successorum nostrorum hoc attentare præsumpserit, quicunque fuerit ille, nisi commonitus resipuerit, cedat à jure Regni. Et hæc carta obligationis & concessionis nostræ semper firma permaneat, in cujus rei testimonium. *Johannes R.*

CAP. XCIX.

Juramentum fidelitatis suæ.

EGo *Johannes* Dei gratia Rex *Angliæ* &c. ab hac hora in antea fidelis ero 1213
Deo & beato *Petro*, & Ecclesiæ *Romanæ*, ac Domino meo *Innocentio* Papæ tertio, ejusque successoribus catholice intrantibus. Nec ero in facto, dicto, consensu vel consilio ut vitam perdant, vel membra, vel mala captione capiantur: & damnum, si scivero, impediam, & remanere faciam si potero. Alioquin eis quam citius potero intimabo, vel tali personæ dicam, quam eis credo pro certo dicturam. Consilium, quod mihi tradiderint per se, vel per nuntios suos, seu per literas suas, tenebo secreto, & ad eorum damnum nulli pandam me sciente. Patrimonio beati *Petri*, & specialiter Regni *Angliæ*, & Regni *Hiberniæ* adjutor ero, ad tenendum & defendendum contra omnes homines pro posse meo; sic me Deus adjuvet, & sancta Dei Evangelia. Sicque de libero servus effectus est, & beneficium absolutionis consecutus est, & interdicti relaxatio facta est statim, in eodem anno Domini CCXIII. * sexto Nonas *Julii*, ferias scilicet quinta.

CAP. C.

Quomodo perdidit Normanniam.

IN primordiis Regni sui Rex iste *Johannes* appellatus fuit in curia Regis *Franciæ*, super mortem *Arthuri* nepotis sui, filii Comitis *Britanniæ* & fratris sui, per quendam militem strenuissimum parentem proximum ejusdem *Arthuri*. Et quia vocatus non comparuit, seisita fuit in manum Regis *Franciæ* *Normannia* hæreditas sua. Iterumque vocatus cum non compareret, eo quod sciebat judicium sibi fieri in mortem vel confusionem, judicio Curiæ illius perdidit eam. Et totam *Vasconiam* cum Rex *Francorum* per suos occupare vellet, prævenit ille *Johannes*; & ejectis *Francis*, in quantum perdidit recuperavit, non tamen processit ulterius ut *Normanniam* recuperaret.

Hoc contigit secundum Matthæum Par. an. 1204.

* *Al.* XV. die Maii.

CAP. CI.

Quomodo processit in Scotiam *&* Hiberniam.

1210 ANno Regni sui quasi XI. *Willielmus* Rex *Scotiæ* filiam suam Comiti *Flandrensi* dedit in uxorem. Iratusque *Johannes* ob hoc, eo quod cum hostibus suis fœdus iniisset, divertit ibidem cum exercitu copioso, & cepit *Berewicum* super *Twedam*, Castrumque ibidem construxit. Videnſque Rex *Scotiæ* ad resistendum se viribus imparem, (missis ad *Johannem* nuntiis) rogavit ea quæ pacis sunt; & adimpleta per pecuniariam petitione sua, datisque obsidibus, duabus scilicet filiabus, non tamen *Alexandro* filio suo quem petierat, reversus est *Johannes Londoniam*, tenuitque ibidem Parliamentum suum; & multa mala, gravesque molestias intulit Baronibus suis, qui injuriis suis se ad resistendum præparaverant. Anno vero sequenti processit Rex in *Hiberniam* cum plebe maxima, statuitque ibidem Leges *Anglicanas*, & præcepit ut omnia eorum judicia secundum eandem legem, vel *Anglicanam* consuetudinem terminarentur. Reversusque eodem anno in *Angliam*, talliavit Ecclesias: & *Hugonem* de **Lascy**, & *Willielmum* de **Breaus** proscripsit in *Hiberniam*.

CAP. CII.

Quomodo devicit Wallenses *&* Leolynum.

1214 ANno etiam XIII. Regni sui divertit in *Walliam*, & eam quasi pro nihilo subjugavit; cepitque homagium *Leolini* Principis eorum, & quibusdam acceptis obsidibus de pueris magnatum, ibidem reversus est. Anno vero sequenti *Leolinus* Princeps *Walliæ* resiluit à fide sua. Iratusque *Johannes* continuo suspendi fecit omnes pueros obsides apud **Notingham**, & iterum *Leolinum* suæ Dominationi subjecit.

CAP. CIII.

Quomodo Ordines Prædicatorum, & Minorum inceperunt.

1215 TEmporibus istius Regis *Johannis*, inceperunt duo novi ordines Prædicatorum scilicet & Minorum. Ordinem vero fratrum Prædicatorum incepit beatus *Dominicus* in partibus *Tholosanis*, ubi contra hæreticos constanter prædicabat verbo & exemplo. Cumque mansisset ibidem decem annis prædicando & colligendo fratres, usque ad tempus quo *Lateranense* Concilium debuit celebrari, cum *Fulcone Tholosano* Episcopo *Romam* ad Concilium generale adiit, petiitque à Domino Papa *Innocentio* tertio Ordinem, qui Prædicatorum diceretur & esset, confirmari. Qui cum aliquantulum se difficilem ad hoc faciendum exhiberet, nocte quadam idem Papa vidit in somnis, quod *Lateranensis* Ecclesia gravem subito ruinam minaretur. Quod dum tremens aspiceret, ex adverso vir Dei *Dominicus* occurrebat, humeris suppositis, totam illam casuram & fabricam sustentans. Evigilans autem & visionem intelligens, petitionem viri Dei hilariter acceptavit: hortans, ut ad fratres suos rediens, regulam aliquam approbatam sibi eligerent: & sic ad ipsum rediens confirmationem ad libitum repararet. Regressus igitur verbum suum Pontificis Fratribus patefecit: erant autem Fratres numero circiter XVI. qui invocato spiritu sancto Regulam beati *Augustini* Doctoris & prædicatoris egregii,

gregii, ipsi pariter & re & nomine Prædicatores unanimiter elegerunt; cujusdam arctioris vitæ consuetudines, quas sibi per formam constitutionum observandas statuerunt, insuper assumentes. Verum interea *Innocentio* defuncto, & *Honorio* sublimato in summum Pontificem, confirmationem Ordinis anno Domini millesimo CCXVI. à prædicto *Honorio* impetravit. Tandem vero appropinquante peregrinationis suæ termino, apud *Bononiam* gravi corporis infirmitate languescens, convocatis duodecim ex conventu Fratribus, testamentum hujusmodi condidit dicens; hæc sunt quæ vobis tanquam filiis hæreditario jure possidenda relinquo; caritatem habete, humilitatem servate, paupertatem voluntariam possidete. Illud etiam, qua potuit districtione, prohibuit, ne quis unquam in suo Ordine possessiones induceret temporales, maledictionem Dei Omnipotentis, & suam terribiliter imprecans ei, qui Prædicatorum Ordinem terrenarum divitiarum pulvere præsumeret maculare. Proinde ad extremam horam veniens, anno Domini millesimo CCXXI. dormivit in pace, sepultusque est ibibem. Ordinem vero Fratrum Minorum incepit Beatus *Franciscus* in Civitate *Assisii*, ubi & oriundus fuit. Qui, cum audiret die quadam ea, quæ Dominus Discipulis suis ad prædicandum missis locutus est, statim ad universa servanda tota virtute consurgit. Solvit calceamentum de pedibus; tunica una sed vili induitur; & pro corrigia mutavit funiculum, instituitque Fratres juxta eandem Civitatem *Assisium*: apud sanctam *Mariam* de *Portiuncula*, anno Domini millesimo CC. sexto Pontificatus *Innocentii* tertii anno * XIV. à quo & confirmatus erat Ordo ille. Habuit etiam Fratres in *Ricardyna* juxta *Bononiam*, quibus contulerat mansiunculam Dominus *Accursius* Magnus, qui fecit novam glossam in jure civili, super omnia quinque volumina. Istum Beatum *Franciscum* multi nobiles & ignobiles, Clerici & Laici, spreta seculari pompa secuti sunt, ejus vestigiis adhærentes; quos Pater sanctus docuit Evangelicam perfectionem implere, paupertatem apprehendere, & per viam sanctæ simplicitatis incedere. Scripsit præterea Evangelicam Regulam sibi & suis fratribus habitis & habendis, quam Dominus Papa *Innocentius* tertius confirmavit: cumque ad dies jam appropinquasset extremos, longa infirmitate confectus, super nudam humum poni se fecit; & convocatis fratribus; & singulis manus imponens, omnibus simul in fine benedixit: & instar Cœnæ Dominicæ singulis panis buccellam dimisit. Invitabat (ut moris sui erat) omnes creaturas ad laudem Dei. Nam & mortem ipsam cunctis terribilem & exosam hortabatur ad laudem, eique lætus occurrit, & ad suum invitabat hospitium, dicens, bene veniat soror mea mors. Ad extremam igitur horam veniens, dormivit in Domino, anno ejusdem Domini M. CCXXVI. IV. die *Octobris*. Anno vero præcedenti scilicet M. CCXXIV. venerunt primo Fratres Minores in *Angliam* in Festo beati *Bartholomæi* Apostoli. Prædicatores vero venerant prius in *Angliam*, anno scilicet Domini M. CCXVII. Generale Concilium *Romæ* celebratur, quod dicitur *Lateranense*, præsidente eidem Papa *Innocentio* tertio.

Johannes R.

Ordo F. Prædicator. confirmatur ab Honorio Papa an. 1216.

Ordinem Minorum quis instituerit?

S. Franciscus obit

Fratres Minores veniunt in Angliam.

CAP. CIV.

Quomodo Guerra orta est inter Regem & Barones.

REx iste *Johannes*, suam semper continuando tyrannidem, multos Magnatum suorum ad iracundiam provocavit, qui cum specie corporis candorem femineum videretur excedere, carnis tamen munditiam in ipsa carne non tenuit; in libidinem namque pronior, conjugalem modum excessit; & incredibili luxu femineo fretus, Magnatum omnium uxores & Dominas concupivit, deridendo maritos earum post perpetrata flagitia. Quod quidem extitit principium, & origo universalis guerræ, & seditionis magnæ: fuit enim eodem tempore

Regis Johannis luxuria belli civilis causa extitit.

* *Lege* IX.

Johannes R. tempore inter commenfales Regis nominatiffimus Baro, & ftrenuiffimus Miles *Euftachius* de Wefci, habens uxorem pulcherrimam & caftam. Quam cum ipfe Rex ultra modum concupifceret, non poterat ad eam attingere, eo quod per Dominum fuum à confpectu ipfius longius tenebatur, & gratis. Contigit autem, dum quadam die fimul in menfa federent Rex & *Euftachius*, vidit Rex annulum in digito ejus, & apprehendit eum, dicens fe habere confimilem lapidem quem eodem artificio vellet in auro concludi. At ille nihil mali fufpicans accommodavit eum Regi. Rex vero accito confeftim puero, mifit eum cum annulo ad uxorem *Euftachii*, qui diceret ei ex parte ejufdem Domini fui; quod cum feftinatione veniret ad eum *Londoniam*, fi eum unquam videre vellet in vita, eo quod infirmabatur ad mortem. At illa, vifo annulo, confeftim properavit, credens effe vera, quæ dicebantur ei: contigit modo die quadam, dum fpatiatum iret Dominus ejus, ut cafu obviaverit ei, & ea vifa admirans ait; quid agis hic, O Domina mea? At illa rei feriem pandens oftendit ei annulum fuum. Qui Regis fraudem fciens, ait, dolofe, inquit, vocata es, ut illuderet tibi Rex. Nunc ergo ornata in vefte tua lotrice vel meretrice aliqua, quæ ingrediatur ad Regem loco tui, tu abfque ulla dilatione revertere in locum unde venifti. Quo facto, die quadam, dum confabularentur ad invicem Rex & *Euftachius*, & gloriaretur Rex in operibus fuis peffimis, ait Rex, pulcram habes, O *Euftachi*, Dominam, & nocturno filentio bene placentem: cui *Euftachius*, Et quomodo nofti, O Rex? & ille cognovi jam & expertus fum. At ille, non ita Rex, non enim habuifti uxorem meam: fed loco fui horrendam meretricem, vel lotricem. Iratufque Rex addito juramento comminatus eft ei mortem, & cum in eum exurgere vellet, profiluit ab eo; & in recedendo à Rege verfus partes Boreales, domos fuas proprias, una cum maneriis Regiis in via demolivit. Adjunctique funt ei multi Magnatum, & illi præcipue quorum uxores violaverat Rex. Infurrexeruntque unanimiter in Regem, & creverunt in populum magnum: occupaveruntque Caftra & munitiones Regias, & jura Regis demoliti funt. *Londonienfes* etiam favebant eis, & populum populo addiderunt. Rex vero *Johannes* interim congregato exercitu profequebatur eos, & vehementiori impetu fugavit in *Scotiam*. At illi iterum animati, refiftebant Regi, & retrorfum abire fecerunt. Quibufdam enim eis favorem, opemque præftantibus, & quibufdam Regi, completum eft illud Dominicum: *Omne Regnum in fe divifum defolabitur*. Ita enim per difcurfus excurfufque hinc inde hoftiles, rapinis & incendiis paulatim dilaniata, & attenuata eft *Anglia*: ut Regnorum florentiffimum, infeliciffimum videretur, & defolatum. Jam omnis Regii nominis terror, jam omnis difciplinæ publicæ vigor in ventum abierat; & fublato legum metu, libido, & licentia æquis paffibus occurrebant. Malifque quotidie crebrefcentibus, jam verfa erat in luctum Ecclefiæ cithara, & populus gemens fub jactura multiplici ululabat. Cum ergo Rex & Barones jugi difcordia difceptarent, quandoque partes æquabantur, quandoque præftabat altera; fortunæ tamen mobilitatem, quantum ad exitium fingulare, experti non funt quo ad omnia. Tres vero Comites, fcilicet *Ceftriæ*, *Albemarliæ*, & de Warwyk, obfederunt interim *Montem Sorellum* per VII. hebdomadas, & fupervenientibus Baronibus, fecefferunt ufque Nottingham; ubi congregato exercitu perrexerunt inde *Lincolniam*, junctique Regalibus, qui ibidem aderant, Caftrum fortiter machinis ligneis oppugnaverunt. Quod cum Domina *Nicholaa*, quondam Domini *Gerardi* de Canebyle, diu cum fuis validiffime defendiffet, in fine tamen prævaluerunt Regales, & obtenta victoria, quofdam ex Baronibus, qui ibidem aderant, gladio peremerunt, & quofdam abduxere captivos, civitatem ipfam fpoliantes, & cives ipfius in captivitatem redigentes. Vulgus etiam ignobile & filii *Belial* de matrice Ecclefiæ fecerunt ftabulum, introducentes equos & pecudes; & non verentes, fed deturpantes præfepe Domini fui. Quibus ita peractis perrexerunt Regales cum captivis fuis ad *Montem Sorellum*; & Caftrum illud deditione ceperunt. *Wintoniam* etiam cum Caftro, & quafdam alias munitiones in

Barones à Rege deficiunt.

in Patria adepti sunt: in fine acies suas dirigentes *Londoniis*, ut oppugnarent Civitatem; quam tamen ingressi non sunt. *Johannes R.*

CAP. CV.

Barones miserunt pro filio Regis Franciæ.

SAne inter partes, ut dictum est, diu multumque certatum est, alternante fortuna: nam nunc hos, nunc illos, variis successibus eludebat. In quodam enim conflictu apud Castrum *Bernardi* corruit ille nobilis vir *Eustachius* de Weschy. Videntes autem Barones se non proficere ad votum, mutuo loquebantur ad invicem dicentes. Quid faciemus de isto Rege iniquo? si sic dimiserimus eum, delebit nos, & populum nostrum. Expedit ergo ut deleatur à solio Regni sui, nolumus enim de cætero eum Regnare super nos. Unde, communicato consilio, miserunt nuncios ad *Lodowicum* filium Regis *Franciæ*, rogantes ut cum omni festinatione veniret & regnaret super eos, promittentes in primo adventu suo civitatem *Londoniæ* se ei liberare, & homagia & fidelitates facere, & jurare. Qui Coronam *Angliæ* sitiens, & ad tantam dignitatem anhelans cum immenso exercitu Regnum *Angliæ* hostiliter ingressus est. Piratæ tamen Regis multos ex suis, & magnates aliquos in mari peremerunt. Occurreruntque ei multi Barones, sed non omnes, & eum cum immenso gaudio susceperunt, homagia facientes, & fidelitatem jurantes. In primo autem adventu suo velut mitissimus agnus consilio Baronum usus est, sed introducta *Francorum* potentia (de qua confidebat) non tantum consilium, sed & personas *Anglorum* sprevit, & contempsit. Optimates etiam sui deridebant & illudebant Magnatibus terræ: & in tantam superbiam erecti sunt, quod per potentiam propriam omnia vellent opprimere, & habere. Vastaveruntque igne & gladio per dietas modicas, usque dum venirent *Lincolniam*. Indignatique Magnates terræ recesserunt ab eo, nescientes qua parte se diverterent, eo quod personam Regis haberent exosam.

1216

Ludovicus Regis Galliæ filius venit in Angliam.

CAP. CVI.

De Morte Regis Johannis.

INterim justo Dei judicio, qui suis temporibus malitiæ finem imposuit, contigit sic, Dum Rex ipse *Johannes* ad Monasterium de *Swyneshened*, quod à Sancto *Botulpho* distat per quinque milliara, hospitandi causa declinaret, audivit Abbatem ejusdem loci pulcram habere sororem, Priorissam cujusdam loci propinqui. Accensusque ex more libidine, misit Satellites suos ut eam adducerent ad se. Quod cum audisset Abbas frater ejus, tristis admodum effectus est, noluitque à fratribus consolationem recipere. Cui dixit unus ex conversis suis, qui curam hospitii gerebat, & familiaris, & notus Domino Regi. Quid habes Pater? Cur decidit vultus tuus, & tristior solito est facies tua? Cui Abbas: Sororem (inquit) meam, sponsam Christi, quam dilexi, proponit deturpare Rex. At ille; Ignosce mihi Pater, & ora pro me, & auferam vitam iniqui à terra, & timorem ipsius à conversatione hominum. Cui Abbas ille, vellem quidem hoc, fili mi, non tamen licet in personam Regis manum extendere. Processit itaque conversus, & tulit pyra nova quibus ipsum Regem libenter vesci sciebat: apposuitque venenum in singulis præter tria, quæ cum cæteris reposita optime denotabat; dumque Rex sederet in mensa, & confabularetur cum suis in his quæ acciderant, accepto uno pane, non quidem ut Dominicam Cœnam faceret, sed ut in perniciem suam loqueretur & mortem, quæsivit à ministris, quanti esset pretii panis ille, si venditioni trade- 1216

retur?

Johannes R. retur. At illi, valeret (inquiunt) Obolum. Et ille, vere, inquit, fertilitas ista maxima fecit jam Barones meos & populum meum insurgere in me. Nunc autem si per annum integrum comites mihi fuerint vita & salus, faciam valere panem tanti ponderis XII Obolos, Et scandalizati sunt ministri ejus in verbo isto, & retrocedebant quidam eorum, conjurantes cum converso in mortem ipsius. Venit itaque conversus ille, & applausit Regi, sicut & alias facere consueverat, & dixit ei: placetne tibi, O Rex, comedere de fructu meo novo? Placet (inquit) vade, & affer. Tulitque præparata pyra, & statuit ea coram Rege. Moxque lapides pretiosi, qui coram Rege fuerant, in sudorem vertebantur. Et ait Rex: Quid attulisti frater? numquid venenum porrexisti? At ille non venenum, O Rex sed fructum optimum. Et Rex, comede, inquit, de fructu tuo. Moxque apprehenso uno ex pyris cognitis comedit saporose. Et Rex, comede, inquit, & alterum; & comedit. Adde, inquit, & tertium; & fecit sic. Ne ulterius se potuit continere Rex: sed apprehenso uno ex venenatis comedit, & eadem nocte extinctus est. Nec tamen periit conversus, sed inter manus odientium Regem dilapsus est. Liberavitque Deus per mortem Regis iniqui prædictam sanctam Monialem sponsam suam à novo, ut creditur, sponso Diaboli. Mortuo itaque Rege & sic extincto, tandem post modicum sepultus est *Wintoniæ*, die scilicet sancti *Lucæ* Evangelistæ, anno Domini M. CCXVI. & Regni sui anno XVII. sepultus, dico, est, sed non cum honore Regio. Quia terra, quæ in operibus ejus pessimis turbata extitit, nondum ad plenum pacificata quievit.

Johannes Rex veneno sibi à Monacho porrecto extinctus.

CAP. CVII.

Visio cujusdam sacerdotis post mortem Regis Johannis.

1216 SAcerdos quidam, qui Regi *Johanni* familiariter adhæserat in vita sua, post mortem ejus ab amore ipsius non est ex toto separatus. Profusis enim lachrymis, & precibus multiplicatis, Deum frequenter exorabat, ut, si ejus voluntas esset, ostenderetur sibi in signo aliquo utrum cum anima Domini sui judicialiter vel misericorditer ageretur? Cumque diu in hac voluntate permansisset, tandem in visione nocturna apparuit ei quidam vir splendidus in vestibus quasi deauratis, dicens ei, quid fles? quid ploras? Surge, tolle, & lege Psalmum quinquagesimum primum: *Quid gloriaris in malitia?* Et ibi videre poteris quid innuerit Dominus tuus. At ille expergescens à somno rediit in se, & nihil boni inveniens in Psalmo illo cessavit à prece sua.

CAP. CVIII.

De filiis Regis Johannis.

1216 QUatuor habebat filios Rex iste *Johannes*, *Henricum* scilicet primogenitum, qui ei successit in Regnum; *Richardum*, qui processu temporis in Regem *Alemanniæ* electus est, *Willielmum* de *Valentia*, & *Gwydonem* Dylenay, qui trans mare morabantur: quintum etiam habebat Clericum, qui in *Wintoniensem* Episcopum postea promotus est. Tres etiam habebat filias, quarum una, *Isabella* scilicet, *Frederico* Imperatori data est: Altera *Willielmo* Comiti *Marescallo*, & tertia, qui primo castitatem voverat, non tamen susceperat velum castitatis, Comiti *Leicestriæ Symoni* de *Monte Forti* conjuncta est. Unde fertur *Robertum Lincolniæ* Episcopum quasi exprobando dixisse eidem: Nunquam gaudebis de tua progenie, nec in ea lætaberis, quoniam matrimonium Dei contempsisti pro nuptiis hominis. Et sic quidem contigit ut post in sequentibus.

CAP.

CAP. CIX.

Obiit Galfridus Eborum *Archiepiſcopus.*

EOdem tempore obiit *Galfridus Eborum* Epiſcopus. Cui ſucceſſit *Walterus* de Grey, conſecratus in anno Domini M. CCXVI. Eodem etiam tempore, ſcilicet anno domini M. CCXVI. obiit *Innocentius* Papa tertius, cui ſucceſſit *Honorius.* 1216

Ab ordine vero priore non recedentes, ordinavimus ſic: ut ab *Henrico* tertio tertius liber incipiat. Et bene dico, quia liber quartus poſſet nominari reſpectu *Henrici* tertii, qui in vita patris ſui *Henrici* ſecundi coronatus, diadema ad modicum geſſit. Verum, quia ante patrem defunctus eſt, nec patri ſucceſſit in Regnum, ideo nec tertium voco, nec Regale nomen, vel dignitatem ei aſcribo.

Explicit Liber Secundus.

Henricus 3.

Incipit Liber Tertius.

CAP. I.

De Primordiis Regis Henrici *Tertii.*

1216 SUblato de medio Rege, Comes *Marescallus*, vir magnæ auctoritatis & sani consilii, amicabiliter vocavit ad se certo die multos Comites, & quosdam Barones: & apprehenso puero *Henrico* filio Regis *Johannis*, qui nondum ætatis suæ IX. annum compleverat, statuit eum in medio eorum, & dixit, ecce Rex noster: adjecitque, Charissimi mei, etsi patrem istius propter mala ejus opera persecuti sumus, & juste; iste tamen puer parvulus & innocens est ab operibus patris: cumque peccatum & culpa suos ligare debent auctores, & in verbo Domini filius non portabit iniquitatem patris, ignoscendum est parvulo isti, & teneræ compatiendum ætati. Nunc autem quia filius Regis est, & futurus dominus noster, Regnique successor, venite & constituamus eum nobis in Regem, & ejiciamus à terrra nostra *Lodowicum* filium Regis *Franciæ*, & gentem suam, auferamusque opprobrium terræ nostræ, & disrumpamus jugum servitutis iniquæ. Ad hæc Comes *Glouceſtrensis*, & quomodo poterimus hæc facere? Vocavimus enim eum, & fidelitatem ei fecimus. Cui ille, possumus inquit & debemus, quoniam fidelitatibus nostris abusus est. Vocavimus enim eum, & volumus eum præfecisse; sed in superbiam jam erectus sprevit & despexit nos: & si dimiserimus eum sic, subvertet nos & terram nostram, erimusque quasi opprobrium hominum & abjectio plebis suæ. Ad

Henricus tertius coronatur.

hæc quasi divinitus inspirati conclamabant omnes, fiat sic, fiat Rex, fiat Rex: statueruntque diem coronations suæ, diem scilicet Apostolorum *Simonis* & *Judæ*, quo die *Londoniæ* coronatus est, & in Regem consecratus, astante Archiepiscopo *Cantuariensi Stephano*, per manus *Galli* Apostolicæ sedis Legati, cujus consilio & admonitione idem Rex cruce signatus est in Festo omnium Sanctorum, eodem anno, scilicet M. CCXVI.

CAP. II.

Triumphavit apud Lincolniam, *& ejecti sunt* Franci.

1217 MOxque Consiliarii novi Regis congregato ex universis Provinciis exercitu copioso occurrerunt *Lodowico*, & Baronibus qui cum eo erant, apud *Lincolniam*, in anno sequenti, &, commisso ibidem gravi prælio, cæsi sunt multi, & Magnatorum plures captivati, fugientibus cæteris, qui per velocem fugam se salvare poterant: captusque est *Lodowicus* filius Regis *Franciæ*, cum multa fecisset, vastassetque plurima usque *Lincolniam*; & tunc adimpletum est verbum patris sui, quod nunciis ejusdem filii jam dudum dixerat. Cum enim quæsisset à nunciis ubi filius ejus esset in *Anglia*, responderunt apud *Stanfordiam*. Et ille, nunc, inquit, habet Castrum *Doverniæ*. At illi, non. Et intulit Rex, per brachium Sancti *Jacobi* non habet filius meus unum terræ pedem in

Lodovicus redit in Galliam.

Anglia. Et tandem sedato furore, ait idem *Lodowicus*, Domini charissimi, ab initio terram vestram non veni gratis, sed vocastis me: nunc autem si corpore meo abusi fueritis, ut morti tradar, dicetur de vobis quia seduxistis me: sed facite mihi rogo misericordiam vestram, & cum salvo conductu dimittite me ut revertar; faciamque vobis juramentum, quod nunquam terram hanc ingrediar, nec vobis nec alicui vestrum unquam molestus existam. At illi adquieverunt

quieverunt ei, & accepto juramento, uſque ad mare conduxerunt, reverſuſque *Henricus* 3.
eſt in terram ſuam, ſtrenuitatem *Anglicanæ* militiæ ſic expertus. Rex vero novus, qui patri barbaro impubes ſucceſſit, præventus eſt à Deo in benedictionibus dulcedinis. Nam à teneris innocentiæ ſuæ annis ſuperni amoris fervorem concepit. In tota vita ſua titulo humilitatis & innocentiæ, puritate conſcientiæ, morum ſuavitate & gravitate ita excelluit inter prædeceſſores ſuos, quibus ſolo nomine Regio congruebat; & ita quaſi Sanctus inter homines imperabat, ut terrenus quidem Angelus videretur.

CAP. III.

Quomodo Tyrannus occiditur in Mari cum ſuis.

IN Primordiis iſtius novi Regis, erat quidam Tyrannus ex *Hiſpania*, cognomine *Monachi*. Hic cum multas exegiſſet prædas, multaque loca ſuo ſubjugaſſet imperio, tandem anhelavit ad Regnum *Angliæ* conquærendum. Cumque quæſiſſet à ſuis qualis eſſet terra, & quis Rex; reſpondiſſent que ei, Terra quidem optima, & ejus Rex puer parvulus; confeſtim ſubintulit, dignius quidem puerum regi quam regere: quomodo regere poteſt, cui regi neceſſe eſt? eamus ergo & deponamus eum. Statimque magna claſſe congregata, cum immenſo apparatu & exercitu *Angliam* appetiit, & cum eſſet in mari adhuc longe à terra, cognoviſſentque Marinarii de *Portubus* adventum ejus, & timuiſſent eum, eo quod multa mala prædicabantur de hoc homine, dixerunt inter ſe, ſi applicaverit Tyrannus iſte, vaſtabit omnia, eo quod terra præmunita non eſt, & longe diſtat à nobis Rex cum auxilio ſuo; ponamus ergo in manibus noſtris animas noſtras, & aggrediamur eos, dum adhuc in mari ſunt, quoniam virtus eo modo minima, & veniet nobis auxilium de Excelſo. Et intulit unus, cujus edicto cæteri favebant, eſt ne veſtrum aliquis, qui hodie pro *Anglia* mori paratus eſt? Et ait unus, ecce ego. At ille inquit, tolle tecum ſecurim, & cum videris nos cum nave tyranni congredi, ſtatim navis ipſius malum, aſcende, & vexillum quod in altum erigitur deprime, ut ſic diſpergantur & pereant cæteræ naves, dum Ducem non habeant, neque præceſſorem. Feſtinanter itaque conſcenderunt naves ſuas, & laxatis ad ventum velis, cum immenſo impetu irruerunt in hoſtes. Traditque Dominus eos in manus eorum: &, multis ſubmerſis & peremptis, reverſi ſunt cum gaudio & præda magna, & ſalvatus eſt puer & novus Rex per puerum *Jeſum* regnantem in ſecula. Unde fertur ipſum novum Regem, dum die quadam coram altari beatæ Virginis & filii ſui Regis aſſiſteret, tale verbum protuliſſe, Rogo te puerum Regem, ut me Regem puerum de cætero regas & defendas.

1217

CAP. IV.

Quomodo Chriſtiani in Terra Sancta profecerunt, & defecerunt.

ANno Domini milleſimo ccxix. Et Regni Regis *Henrici* quarto, à Chriſtianis noſtris capta eſt *Damiata* civitas validiſſima, & diu obſeſſa, menſe ſcilicet *Novembri*; in qua repertus eſt ingens auri & argenti theſaurus, & armorum copia, & farris abundantia magna: factaque eſt in caſtris *Saracenorum* horror & confuſio, & amara mentium conturbatio. In populo quidem Dei lætitia magna, ſed brevis quidem; nam in ſuperbiam erecti gratia Dei abuſi ſunt, & ideo, peccatis exigentibus, converſa eſt lætitia in luctum, & Organa eorum in voces flentium. Dum enim exirent incaute ad obſidendum civitatem *Thaer*, inundatæ ſunt aquæ fluminis, & creverunt in immenſum, ita, quod reverti non poterant, cum ſibi deficerent neceſſaria. Propter quod in mor-

1219 *Damiata capta.*

Henricus 3. tis articulo positi pacem, qualem poterant, adepti sunt. Inierunt enim cum hostibus treugas septennales, & *Damiatam* reddiderunt, captivis etiam utrinque liberatis, & Sancta Cruce, ut aiunt, Christianis liberata. Eodem anno Beatus *Thomas* translatus est, *Nonas* scilicet *Julii*; & Sanctus *Hugo Lincolniensis* Episcopus canonizatus est.

Damiata Saracenis reddita.

CAP. V.

Wallenses *Rebellarunt* & Leulinus *fecit Homagium.*

1223 ANno Domini M. CCXXIII. & Regni Regis *Henrici* octavo, *Leulinus* Princeps *Walliæ*, quorundam potentum pravo fretus consilio, sperans eorundem auxilium sed frustra valiturum, insurrexit atque levavit manum suam contra *Henricum* Regem, suscitando guerram gravem, & seditionem magnam: nam villas plurimas ipsius Regis rapina & incendio consumpsit, homines plurimos interemit gladio, & Castella fidelium suorum quasi in planiciem redigens solo tenus prostravit. Quibus cognitis Rex congregato exercitu, & consilio fretus *Cantuariensis* Archiepiscopi, qui ei fideliter & efficaciter succurrebat, declinavit ibidem. Cumque sui multas exegissent prædas & *Willielmus* Comes *Marescallus* multas terras ejusdem *Leulini*, & plura Castella invasisset, pœnituit ipse *Leulinus*; cernensque se ipsum potentia imparem, & longe viribus inferiorem, pacem licet invitus postulavit. Quæ quidem donabatur ei, sed conditione, gratia; fecit enim Homagium Regi cum optimatibus suis, & totam terram, quam *Willielmus Marescallus* ab eo invaserat, & jam quasi vi possidere inceperat cum Castellis, & omnibus pertinentiis suis, eidem *Marescallo* pacifice possidendam concessit, & quietam clamavit in perpetuum: damnumque, quod Regalibus intulerat, se restauraturum in omnibus obligavit, datis ad hoc obsidibus multis de nobilioribus terræ suæ, exceptis tamen interfectis, quos vivificare non potuit. Quibus sic peractis natale Domini tenuit apud **Northampton**, ubi consilio & auxilio memorati *Cantuariensis* Archiepiscopi, reddita sunt ei fere omnia Castra sua ad proprium jus Regium pertinentia, & Gratia Dei sic operante per industriam Archipræsulis, factum est hoc subito & in pace, quod vix proficere posset Rex cum armata manu & tempore longo. Sequenti autem anno *Willielmus Marescallus* duxit in uxorem sororem Regis *Henrici*. Eodem anno prædicto obiit Rex *Franciæ*, secundo *Idus Julii*, cui successit *Lodowicus*.

Pax Leulino conceditur.

CAP. VI.

Quomodo Rex Henricus *concessit suis Magnam Cartam.*

1224 ANno Domini M. CCXXIV. & Regni Regis *Henrici* IX. Idem Rex de consilio magnatorum suorum, & cleri, & populi, concessit & confirmavit omnibus fidelibus suis hanc subscriptam Magnam Cartam Libertatum, perpetuis temporibus tenendam & observandam.

Magna Carta Libertatum.

Magna Carta. HEnricus Dei Gratia Rex *Angliæ*, Dominus *Hiberniæ*, Dux *Normanniæ* & *Aquitaniæ*, Comes *Andegaviæ*, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Prioribus, Comitibus, Baronibus, Vicecomitibus, Præpositis, Ministris, & omnibus Ballivis, & Fidelibus suis præsentem Cartam inspecturis vel audituris Salutem. Sciatis quod nos intuitu Dei & pro salute animæ nostræ, & antecessorum

cessorum nostrorum & successorum, ad exaltationem Sanctæ Ecclesiæ, & emendationem Regni nostri, spontanea & bona voluntate nostra, dedimus & concessimus, & hac præsenti Carta nostra confirmavimus, & pro nobis Hæredibus nostris in perpetuum, de consilio venerabilis Patris S. tituli Sancti *Martini*, Præsbyteri, Cardinalis & Apostolicæ sedis Legati, Domini *W. Eborum* Archiepiscopi, & aliorum Episcoporum *Angliæ*, *W. Marescalli* Comitis *Pembrochii* Rectoris nostri & Regni, & aliorum fidelium Comitum, & Baronum nostrorum *Angliæ*, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Prioribus, Comitibus, Baronibus, & omnibus de Regno nostro hominibus, has Libertates subscriptas, habendas & tenendas in Regno nostro *Angliæ* in perpetuum. Quod *Anglicana* Ecclesia libera sit, & habeat jura sua integra, & libertates suas illæsas. Concessimus etiam & dedimus omnibus liberis hominibus Regni nostri, pro nobis & hæredibus nostris in perpetuum, omnes libertates subscriptas, tenendas & habendas sibi & hæredibus suis, de nobis & hæredibus nostris. Si quis Comitum, vel Baronum nostrorum, sive aliorum tenentium de nobis in capite per servitium militare, mortuus fuerit, & cum decesserit, hæres ejus plenæ ætatis fuerit, & relevium nobis debuerit, habeat terram suam per antiquum relevium, scilicet, hæres vel hæredes Comitis, de Comitatu integro, pro Centum Libris. Hæres vel hæredes Baronis de Baronia integra pro Centum marcis. Hæres vel hæredes Militis, de Feodo Militis integro pro centum solidis ad plus, & qui minus debuerit minus det, secundum antiquam consuetudinem Feodorum. Si autem hæres alicujus talium fuerit infra ætatem, Dominus suus non habeat custodiam ejus, nec terræ suæ, antequam homagium receperit. Et postquam talis hæres fuerit in custodia, cum ad ætatem pervenerit, scilicet XXI. annorum, habeat hæreditatem suam sine relevio & sine fine. Ita tamen quod si ipse, dum infra ætatem fuerit, fiat miles, nihilominus terra sua remaneat in custodia Dominorum suorum, usque ad terminum prædictum. Custos terræ hujus hæredis, qui infra ætatem fuerit, non capiat de terra hæredis nisi rationabiles exitus, & rationabiles consuetudines, & rationabilia servitia, & hoc sine destructione & vasto hominum & rerum. Et si commiserimus custodiam terræ alicujus tali vicecomiti, vel alicui alii qui de exitibus nobis debeat respondere, & ille destructionem de custodia fecerit, vel vastum, nos ab eo capiemus emendam, & terra illa committatur duobus legalibus viris & discretis de Feodo illo, qui de exitibus nobis respondeant, vel ei cui eos assignaverimus. Et si dederimus vel vendiderimus alicui custodiam alicujus talis terræ, & ille vastum, vel destructionem inde fecerit, amittat ipsam custodiam, & tradatur duobus legalibus & discretis viris de Feodo illo, qui de exitibus nobis respondeant, sicut prædictum est. Custos autem quamdiu custodiam terræ habuerit sustentet domos, parcos, vivarium, molendina, & cætera ad terram illam pertinentia de exitibus illius terræ, & reddat hæredi, cum ad plenam ætatem pervenerit, terram suam totam instauratam de carrucis, & omnibus aliis rebus, ad minus secundum quod eam receperit. Hæc autem omnia observentur de custodiis Archiepiscopatuum, Episcopatuum, Abbatiarum, Prioratuum, Ecclesiarum, & dignitatum vacantium, quæ ad nos pertinent, excepto quod hujusmodi custodiæ vendi non debent. Hæredes autem maritentur sine disparagatione. Vidua post mortem mariti sui statim, & sine difficultate aliqua, habeat maritagium suum & hæreditatem suam, nec aliquid det pro dote sua, vel maritagio suo, vel hæreditate sua, quam hæreditatem maritus suus & ipsa tenuerunt die obitus ipsius mariti, & maneat in capitali messuagio mariti sui per XL. dies post mortem mariti sui, infra quos assignetur ei Dos sua, nisi prius sit ei assignata, vel nisi Domus illa sit Castrum; & si de Castro recesserit, statim provideatur ei domus competens, in qua possit honeste morari, quousque dos sua ei assignetur, secundum quod prædictum est. Et habeat rationabile interim de communi estoverium, assignetur etiam ei pro dote sua tertia pars totius terræ mariti sui, quæ sua fuit in vita sua, ni de minore dotata fuerit ad Ostium Ecclesiæ. Nulla vidua distringatur ad se maritandum,

Henricus 3.

Henricus 3. ritandum, dum voluerit vivere sine marito: ita tamen quod securitatem faciat, quod se non maritabit sine assensu nostro, si de nobis tenuerit vel sine assensu Domini sui, si de alio tenuerit. Nos vel Ballivi nostri non seisiemus terram aliquam, vel reditum alicujus pro debito aliquo, quamdiu catalla debitorum præsentia sufficiunt ad debitum reddendum, & ipse debitor paratus sit ad inde satisfaciendum. Nec plegii ipsius debitoris distringantur, quamdiu ipse capitalis debitor sufficit ad solutionem debiti. Et si capitalis debitor defecerit in solutione debiti, non habens unde reddat, aut reddere noluerit cum possit, plegii sui respondeant de debito. Et si voluerint, habeant terras & redditus debitoris, quousque sit eis satisfactum de debito, quod ante pro eo solverint, nisi capitalis debitor monstraverit se esse inde quietum versus eosdem plegios. Civitas *Londoniensis* habeat omnes libertates & liberas consuetudines suas antiquas. Præterea volumus & concedimus, quod omnes aliæ civitates, Burgi, Villæ, & Barones de *Quinque Portubus*, & omnes Portus habeant omnes libertates, & liberas consuetudines suas. Nullus distringatur ad faciendum majus servitium de Feodo Militis, nec de alio libero tenemento quam inde debetur. Communia placita non sequantur curiam nostram, sed teneantur in aliquo certo loco: recognitiones de nova disseisina, & de morte antecessoris non capiantur nisi in suis Comitatibus, & hoc modo; nos vero, vel si extra Regnum fuerimus, capitalis justitiarius noster mittet justitiarios nostros per unumquemque Comitatum semel in anno, qui cum Militibus Comitatus capiant in Comitatu assisas prædictas: & ea, quæ in eodem adventu suo in Comitatu per justitiarios prædictos, ad dictas assisas capiendas missos, terminari non possunt, per eosdem terminentur alibi in itinere suo; & ea quæ per eosdem, propter difficultatem aliquorum articulorum, terminari non possunt, referantur ad justitiarios nostros de Banco, & ibi terminentur. Assisæ de ultima præsentatione semper capiantur coram justitiariis nostris de Banco, & ibi terminentur. Liber homo non amercietur pro parvo delicto, nisi secundum modum ipsius delicti; & pro magno delicto, nisi secundum magnitudinem delicti, salvo contenemento suo; & mercator eodem, modo salva merchandisa sua; & villanus alterius quam noster eodem modo amercietur, salvo wainagio suo, si inciderit in nostram misericordiam. Et nulla prædictarum misericordiarum ponatur, nisi per sacramentum proborum & legalium hominum de vicineto. Comites, & Barones non amercientur, nisi per pares suos, & non nisi secundum modum delicti. Nulla Ecclesiastica persona amercietur secundum quantitatem Beneficii sui Ecclesiastici, sed secundum laicum Feodum suum vel tenementum, & secundum quantitatem delicti. Nec Villa nec Liber homo distringatur facere pontes aut ripas, nisi qui ab antiquo & de jure facere debent & solent. Nullæ ripariæ de cætero defendantur, nisi qui fuerunt in defenso, tempore *Henrici* Regis avi nostri, per eadem loca, & per eosdem terminos, sicut esse consueverunt tempore suo. Nullus Vicecomes, Constabularius, Coronator, vel alii Ballivi nostri teneant placita coronæ nostræ. Si aliquis tenens de nobis laicum Feodum moriatur, & Vicecomes vel Ballivus noster ostendat literas nostras patentes de summonitione nostra, de debito quod defunctus nobis debuit, liceat Vicecomiti vel Ballivo nostro attachiare & inbreviare catalla defuncti inventa in laico Feodo suo, ad valentiam illius debiti, & visum legalium hominum, ita tamen quod nihil inde amoveatur, donec persolvatur nobis debitum, quod clarum fuerit, & residuum relinquatur executoribus ad faciendum testamentum defuncti. Et si nihil nobis debeatur ab ipso, omnia catalla cedant defuncto, salvis uxori ejus & pueris suis rationabilibus partibus suis. Et nullus Constabularius vel alius Ballivus noster capiat blada vel alia catalla alicujus, qui non sit de villa ubi Castrum situm est, nisi statim inde reddat denarios, aut respectum inde habere possit de voluntate venditoris, si autem de villa illa fuerit, infra XL dies reddat pretium. Nullus Constabularius, aut ejus Ballivus, distringat aliquem militem ad donandum denarios, pro custodia

Castri,

Caftri, fi ipfe eam facere voluerit in propria perfona fua, vel per alium probum hominem, fi ipfe eam facere non poffit propter rationabilem caufam. Et fi non duxerimus vel miferimus eum in exercitum, quietus erit de cuftodia fecundum quantitatem temporis, quo per nos fuerit in exercitu, de Feodo pro quo nobis fecerit fervitium in exercitu. Nullus Vicecomes, vel alius Ballivus nofter, vel alius capiat equos vel carectas alicujus pro cariagio noftro faciendo, nifi reddat liberationem antiquitus ftatutam; fcilicet pro carecta ad duos equos x. denarios per diem; pro carecta ad tres equos xiv. denarios per diem. Et nulla carecta alicujus perfonæ Ecclefiafticæ, vel Militis, vel alicujus Domini capiatur per Ballivos prædictos, nec nos, nec Ballivus nofter, nec alii capiemus bofcum ad Caftrum feu ad alia agenda noftra, nifi per voluntatem illius cujus fuerit bofcus ille. Nos non tenebimus terras illorum, qui convicti fuerint de felonia, nifi per unum annum & unum diem, & tunc reddantur terræ Dominis Feodorum. Omnes Kidelli de cætero deponantur penitus per *Thamifiam* & *Medewigam* per totam *Angliam*, nifi per coftam maris. Breve, quod vocatur Præcipe in capite, non fiat de cætero alicui de aliquo tenemento, unde liber homo perdat curiam fuam. Una menfura vini fit per totum Regnum noftrum, & una menfura cervifiæ & bladi, fcilicet quarterium *Londonienfe*. Et una latitudo pannorum tinctorum, ruffetorum & habergettorum, id eft, duarum ulnarum inter liftas. De ponderibus vero fit ut de menfuris. Nihil detur de cætero pro Brevi inquifitionis, ab eo qui inquifitionem petit de vita & membris, fed gratis concedatur, & nulli negetur. Si aliquis teneat de nobis per Feodi Firmam, vel Socagium, vel Burgagium, & de alio teneat terram per fervitium militare, nos non habemus cuftodiam hæredis, vel terræ fuæ, quæ eft de Feodo alterius, occafione illius Feodi Firmæ, vel Socagii, vel Burgagii, nifi ipfa Feodi Firma debeat nobis fervitium militare. Nos non habebimus Cuftodiam hæredis vel terræ alicujus quam tenet de alio per fervitium militare occafione alicujus parvæ feriantiæ, quam tenet de nobis per fervitium reddendi nobis cultellos, vel fagittas, vel hujufmodi. Nullus Ballivus de cætero ponat aliquem manifefte ad juramentum fimplici loquela fua, fine teftibus fidelibus ad hoc inductis. Nullus liber homo capiatur, vel imprifonetur, aut diffeifietur de libero tenemento fuo, vel libertatibus, vel liberis confuetudinibus fuis, aut utlagetur, aut exuletur, aut aliquo modo deftruatur: nec fuper eum ibimus, nec fuper eum mittemus nifi per legale judicium parium fuorum, vel per legem terræ. Nulli vendemus, nulli negabimus aut differemus rectum vel juftitiam. Omnes mercatores, nifi antea publice prohibiti fuerint, habeant falvum & fecurum conductum exire de *Anglia*, & venire in *Angliam*, & morari, & ire per *Angliam*, tam per terram, quam per aquam, ad emendum, vel vendendum, fine omnibus tollis malis, per antiquas & rectas confuetudines, præterquam in tempore guerræ. Et fi fint de terra contra nos guerrina, & tales inveniantur in terra noftra in principio guerræ, attachientur fine damno corporum & rerum, donec fciatur à nobis vel à capitali juftitiario noftro, quomodo mercatores terræ noftræ tractentur, qui tunc inveniantur in terra contra nos guerrina. Et fi noftri falvi fint ibi, alii falvi fint in terra noftra. Si aliquis tenuerit de aliqua Efcaeta, ficut de honore **Walingford, Notingham, Bolon. Lanc.** vel de aliis Efcaetis, quæ funt in manu noftra, & fint Baroniæ, & obierit hæres ejus, non det aliquod relevium, nec faciat nobis aliud fervitium quam faceret Baroni, fi Baronia effet in manu Baronis; & nos eodem modo eam tenebimus quo Baro eam tenuit. Nec nos occafione talis Baroniæ, vel Efcaetæ habebimus cuftodiam, vel Efcaetam aliquorum hominum noftrorum, nifi alibi tenuerit de nobis in capite ille, qui tenuit Baroniam vel Efcaetam. Nullus liber homo de cætero det, vel vendat amplius de terra fua, quam ut de refiduo terræ fuæ poffit fufficienter fieri Domino Feodi fervitium ei debitum, quod pertinet ad Feodum illud. Omnes Patroni Abbatiarum, qui habent Cartas Regum *Angliæ* de advocatione per antiquam tenuram vel poffeffionem, habeant

Henricus 3.

Henricus 3. beant earum custodiam, cum vacaverint, ficut habere debent, & ficut fupra declaratum eft. Nullus capiatur vel imprifonetur propter appellum feminæ de morte alterius quam viri fui. Nullus Comitatus teneatur de cætero in Regno noftro nifi de menfe in menfem, & ubi major terminus effe folebat, major fit. Nec aliquis Vicecomes vel Ballivus fuus faciat terminum fuum per hundredum, nifi bis in anno, & hoc non nifi in loco debito & confueto. Et eft confuetudo videlicet femel poft Pafcha, & iterum femel poft Feftum Sancti *Michaelis*, & vifus de franco plegio tunc fiat ad illud terminum Sancti *Michaelis* fine occafione. Ita fcilicet quod quilibet habeat libertates fuas, quas habuit, & habere confuevit tempore *Henrici* Regis avi noftri, vel quas poftea adquifivit. Fiat autem vifus de franco plegio fic; videlicet quod pax noftra teneatur; & quod Trithinga integra fit, ficut effe confuevit; & quod Vicecomes non quærat occafiones; & quod contentus fit de eo, quod Vicecomes confuevit habere de vifu fuo habendo, tempore *Henrici* Regis avi noftri. Non liceat alicui de cætero dare terram fuam alicui Domui Religiofæ, ita quod poftea illam refumat de eadem domo tenendam. Nec liceat alicui Domui Religiofæ terram alicujus fic accipere quod poftea tradat eam illi, à quo eam recepit, tenendam. Et fi quis de cætero terram fuam alicui Domui Religiofæ fic dederit, & fuper hoc convictus fuerit, donum fuum penitus caffetur, & terra illa Domino illius Feodi convertatur. Scutagium de cætero capiatur, ficut capi confuevit tempore *Henrici* Regis avi noftri, falvis Archiepifcopis, Epifcopis, Abbatibus, Prioribus, Templariis, Hofpitalariis, Comitibus, Baronibus, Militibus, & omnibus aliis, tam perfonis Ecclefiafticis, quam fecularibus, libertatibus & liberis confuetudinibus fuis, quas prius habuerunt. Omnes autem confuetudines iftas prædictas & libertates conceffimus in Regno noftro tenendas, quantum ad nos pertinet, & homines noftros, & omnes de Regno noftro, tam Clerici quam Laici obfervent, quantum ad fe pertinet, & erga fuos. Pro hac autem conceffione & donatione libertatum iftarum, & aliarum contentarum, in Carta noftra de Forefta, Archiepifcopi, Epifcopi, Abbates, Priores, Comites, Barones, Milites, libere tenentes, & omnes de Regno noftro dederunt nobis quintam decimam partem omnium bonorum fuorum mobilium. Conceffimus etiam eifdem pro nobis & hæredibus noftris, quod nec nos nec hæredes noftri aliquid perquiremus, per quod libertates in hac Carta contentæ infringantur, vel infirmentur. Et fi ab aliquo contra eas perquifitum fuerit, nihil valeat, & pro nullo habeatur. Datum per manum venerabilis Patris noftri Domini *R. Dunelmenfis* Epifcopi, Cancellarii noftri, apud *Weftlondoniam* XI. die *Februarii*, anno Regni noftri nono. Tefte me ipfo & aliis prænominatis.

Carta de Forefta.

Data eft hæc Carta anno Dom. 1224. Regni vero Henrici 9.

HEnricus Dei gratia, &c. Baronibus, Juftitiariis, Foreftariis, Præpofitis, Miniftris, Ballivis, & omnibus Fidelibus fuis Salutem. Sciatis nos intuitu Dei, & pro falute animæ noftræ, & animarum anteceſſorum, & fucceſſorum noftrorum, & ad exaltationem Sanctæ Ecclefiæ, & emendationem Regni noftri, fpontanea & bona voluntate noftra, dedimus & conceffimus, & præfenti Carta noftra confirmavimus, pro nobis & hæredibus noftris in perpetuum, de confilio Venerabilis Patris Domini *S.* tituli Sancti *Martini*, Presbyteri Cardinalis, & Apoftolicæ Sedis Legati; Domini *W. Eborum* Archiepifcopi; *W. Londonienfis* Epifcopi, & aliorum Epifcoporum *Angliæ*; *Willielmi Marefcalli* Comitis Pembrok Rectoris noftri & Regni noftri, & aliorum Fidelium Comitum & Baronum noftrorum *Angliæ*, has libertates fubfcriptas tenendas in Regno noftro *Angliæ* in perpetuum. In primis omnes Foreftæ, quas Rex *Henricus* avus nofter afforeftavit, videantur per bonos & legales homines, & fi bofcum aliquem alium quam fuum Dominicum afforeftaverit, ad damnum illius,

lius, cujus boſcus ille fuerit, afforeſtetur. Et, ſi boſcum ſuum proprium afforeſtaverit, remaneat Foreſta, ſalva communa de herbagio, & aliis in eadem Foreſta, vel qui eam prius habere conſueverit. Homines, qui manent extra Foreſtam, non veniant de cætero coram juſtitiariis noſtris de Foreſta per communes ſummonitiones, niſi ſint in placito vel plegio alicujus vel aliquorum, qui attachiantur propter Foreſtam noſtram. Omnes autem boſci, qui fuerunt afforeſtati per Regem *Richardum* avunculum noſtrum, vel per Regem patrem noſtrum, uſque ad primam coronationem noſtram, ſtatim deafforeſtentur, niſi fuerit Dominicus boſcus noſter. Archiepiſcopi, Epiſcopi, Abbates, Priores, Comites, Barones, Milites, & libere tenentes, qui boſcos ſuos habent in Foreſtis noſtris, habeant boſcos ſuos, ſicut eos habuerunt tempore coronationis prædicti *Henrici* Regis avi noſtri, ita quod quieti ſint in perpetuum de omnibus purpræſturis, vaſtis, & aſſartis, factis in illis boſcis poſt illud tempus, uſque ad principium ſecundi anni coronationis noſtræ. Et qui de cætero vaſtum, purpræſturam, vel aſſartum, ſine licentia noſtra, in illis fecerint, de vaſtis, purpræſturis, & aſſartis nobis reſpondeant. Rewardores noſtri eant per Foreſtas noſtras, ad faciendum rewardum, ſicut fieri conſuevit tempore primæ coronationis prædicti *Henrici* Regis avi noſtri, & non aliter inquiſitio, vel viſus de expeditatione canum exiſtentium in Foreſta, de cætero fiat, quando fieri debet rewardum, ſcilicet de tertio anno in tertium annum, & tunc fiat per teſtimonium & viſum legalium hominum, & non aliter. Et ille, cujus canis inventus eſt non expeditatus, tunc det pro miſericordia III. Solidos, & de cætero nullus bos capiatur pro expeditatione. Talis ſit expeditatio communiter per aſſiſam, quod tres ortelli abſcindantur ſine pelota de pede anteriori, nec expeditentur canes de cætero, niſi in locis ubi conſueverunt expeditari, tempore primæ coronationis prædicti *Henrici* Regis avi noſtri. Nullus Foreſtarius, vel Ballivus de cætero faciat ſcotale, vel colligat garbas, vel avenam, vel bladum aliquod, vel agnos vel porcellos, nec aliquam collectam faciant, & per viſum & ſacramentum XII. rewardorum, quando faciunt rewardum. Tot Foreſtarii ponantur ad Foreſtas Cuſtodiendas quot ad illas cuſtodiendas rationabiliter viderint ſufficere. Nullum Swanimotum de cætero teneatur in Regno noſtro, niſi ter in anno; videlicet in principio XV. dierum ante Feſtum Sancti *Michaelis*, quando Agiſtatores convenient ad agiſtandum Dominicos boſcos noſtros; & circa Feſtum Sancti *Martini*, quando Agiſtatores noſtri debent recipere pannagium noſtrum: & ad iſta duo Swanimota conveniant Foreſtarii, Viridarii, & Agiſtatores, & nullus alius per diſtrictionem. Et tertium Swainemotum teneatur in initio XV dierum ante Feſtum Sancti *Johannis Baptiſtæ* pro venatione beſtiarum noſtrarum, & ad illud Swanimotum tenendum conveniant Foreſtarii & Viridarii, & non alii per diſtrictionem. Et præterea ſingulis XL. diebus per totum annum conveniant Foreſtarii & Viridarii, ad videndum attachiamenta de Foreſta, tam de viridi quam de venatione per præſentationem ipſorum Foreſtariorum, & coram ipſis attachiatis. Prædicta præterea Swainemota non teneantur, niſi in Comitatu, in quibus teneri conſueverunt. Unuſquiſque liber homo agiſtet boſcum ſuum in Foreſta pro voluntate ſua, & habeat pannagium ſuum. Concedimus etiam quod unuſquiſque liber homo poſſit ducere porcos ſuos per Dominicum boſcum noſtrum, libere & ſine impedimento, ad agiſtandum eos in boſcis ſuis propriis, vel alibi ubi voluerit. Et ſi porci alicujus liberi hominis una nocte pernoctaverint in Foreſta noſtra, non inde occaſionetur ita quod aliquid de ſuo perdat. Nullus de cætero amittat vitam vel membra pro venatione noſtra. Sed, ſi aliquis captus ſit, & convictus de captione venationis, gratuito redimatur, ſi habeat unde redimi poſſit. Et ſi non habeat unde redimi poſſit, jaceat in priſona noſtra per unum annum, & unum diem. Et, ſi poſt unum annum & unum diem plegium invenire poſſit, exeat de priſona. Sin autem abjuret Regnum *Angliæ*. Quicunque Archiepiſcopus, Epiſcopus, Comes, vel Baro, veniens ad nos per mandatum noſtrum tranſeat [per Foreſtam noſtram

Henricus 3.

Henricus 3. ſtram, liceat ei capere unam beſtiam, vel duas, per viſum Foreſtarii, ſi præſens fuerit, ſin autem faciat] cornare, ne videatur hoc furtive facere. Iterum liceat eis redeundo facere ſicut prædictum eſt. Unuſquiſque liber homo de cætero faciat ſine occaſione in boſco ſuo, vel in terra ſua quam habet in Foreſta, molendinum, ſtagnum, vivarium, marleram, foſſatum, vel terram arabilem, extra coopertum in terra arabili, ita quod non ſit ad nocumentum alicujus vicini. Unuſquiſque liber homo habeat in boſcis ſuis aereas accipitrum, eſpervarum, falconum, aquilarum, & hieronum. Et habeat ſimiliter mel, quod inventum fuerit in boſcis ſuis. Nullus Foreſtarius de cætero, qui non eſt Foreſtarius de Feodo, reddens nobis firmam pro balliva ſua, capiat cheminagium aliquod in balliva ſua. Foreſtarius autem de feodo; nobis firmam reddens per balliva ſua, capiat cheminagium, videlicet pro carecta per dimidium annum duos denarios; & per alium dimidium annum II. denarios; & pro equo, qui portat ſummagium ſuper dorſum ſuum per dimidium annum, obolum; & per alium dimidium annum obolum; & non niſi de illis, qui extra ballivam ſuam veniunt tanquam mercatores per licentiam ſuam ad boſcum, maremium, corticem, vel emendum carbonem, & alibi ducendum, ad vendendum, ubi voluerint. Et de nulla alia carecta vel equo portante ſummagium capiatur aliquod chiminagium, niſi in locis ubi antiquitus capi conſuevit. Illi autem, qui portant ſuper dorſum ſuum boſcum, corticem, vel carbonem ad vendendum, quamvis inde vivant, nullum de cætero dent chiminagium. De boſcis autem illorum nullum detur chiminagium Foreſtariis noſtris, præterquam de Dominicis boſcis noſtris. Omnes utlagati pro Foreſta tantum, à tempore *Henrici* Regis avi noſtri uſque ad primam coronationem noſtram, veniant ad pacem noſtram ſine impedimento, & ſalvos plegios inveniant, quod de cætero non foriſfacient nobis de Foreſta noſtra. Nullus Caſtellanus vel alius teneat placita de Foreſta noſtra, de viridi, ſive de venatione; ſed quilibet Foreſtarius de Feodo attachiet placita de Foreſta, tam de viridi quam de venatione, & ea præſentet viridariis Provinciarum, & cum inrotulata fuerint, & ſub ſigillis Viridariorum incluſa, præſententur capitali Juſtitiario, cum in partes illas venerit, ad tenendum placita Foreſtæ, & coram eo terminentur. Has autem libertates de Foreſta conceſſimus omnibus; ſalvis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, Prioribus, Comitibus, Baronibus, Militibus, & aliis, tam perſonis Eccleſiaſticis, quam Secularibus, libertatibus & liberis conſuetudinibus ſuis, in Foreſta, & extra in Warennis, & aliis, quas prius habuerunt. Omnes autem iſtas conſuetudines, & libertates, quas conceſſimus in Regno noſtro, tam Clerici quam Laici obſervent, quantum ad ſe pertinet, erga ſuos. Pro hac autem conceſſione, donatione, & confirmatione libertatum iſtarum, & aliarum contentarum in Carta noſtra de libertatibus, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Abbates, Priores, Comites, Barones, Milites, libere tenentes, & omnes de Regno noſtro dederunt nobis quintam decimam partem omnium bonorum ſuorum Mobilium; conceſſimus etiam eiſdem pro nobis & hæredibus noſtris, quod nec nos nec hæredes noſtri aliquid perquiremus, per quod libertates in hac Carta contentæ infringantur, vel infirmentur. Et ſi quid contra hæc ab aliquo perquiſitum fuerit, non valeat, & pro nullo habeatur. Teſte me ipſo apud *Weſtmonaſterium* decimoſexto die *Februarii*; anno Regni noſtri nono.

Confirmatio Cartarum in ætate plena.

HEnricus Dei gratia, &c. uſque finem Magnæ Cartæ. Nunc autem conceſſimus & præſenti Carta noſtra confirmavimus, omnibus prædictis de Regno noſtro, omnes libertates & liberas conſuetudines contentas in actis noſtris, quas eiſdem fidelibus noſtris fieri fecimus, cum in minore eſſemus ætate, ſcilicet tam in Magna Carta noſtra, quam in Carta noſtra de Foreſta: & volumus pro nobis & hæredibus noſtris, quod præfati fideles noſtri, & ſucceſſores hæredes eorum, habeant & teneant in perpetuum omnes libertates & liberas conſuetudines

etudines predictas, non obstante quod prædicte Cartæ confectæ fuerint cum minoris essemus ætatis, ut prædictum est, his testibus, *Edmundo Cantuariæ* Archiepiscopo, & omnibus aliis in Magna Carta nominatis. Datum per manum Venerabilis Patris *R. Cicestrensis* Episcopi, Cancellarii nostri, XXXVIII. die *Januarii*, anno Regni nostri XXI. & in anno sequenti dabatur Regi Tricesima. *Henricus 3.*

CAP. VII.

Excommunicatio super Violatores Cartarum.

ANno Domini M. CCLIII. *Idibus Maii*, in majori Aula *Westmonasteriensi*, sub præsentia & assensu Domini *Henrici* Regis *Angliæ* illustris, & Domini *Richardi* Comitis *Cornubiæ* fratris sui, *Rogeri* Comitis *Norfolch* Marescalli *Angliæ*, *H.* Comitis Hereford, *H.* Comitis *Exoniensis*, *J.* Comitis Warenn, & aliorum magnatum Regni *Angliæ*. Nos *Bonifacius*, divina miseratione *Cantuariæ* Archiepiscopus, totius *Angliæ* Primas, *R. Londoniensis*, *E. Eliensis*, *R. Lincolniensis*, *W. Wigorniensis*, *W. Norwicensis*, *P.* Hereford, *W.* Sarum, —— *Dunelmensis*, *R. Exoniensis*, *S. Carleolensis*, *W. Bathoniensis*, *R. Roffensis*, *E. Minevensis* Episcopi, Pontificalibus induti, cautela accensi in transgressores libertatum Ecclesiarum, seu liberarum consuetudinum Regni *Angliæ*, & præcipue earum quæ continentur in Carta libertatum Regni, & in Carta de Foresta, Excommunicationis sententiam solemniter tulimus in hac forma: Auctoritate Dei Patris Omnipotentis, & Filii, & spiritus Sancti, & gloriosæ Genitricis Dei Virginis *Mariæ*, & bonorum Apostolorum *Petri* & *Pauli*, omniumque Apostolorum; beati *Thomæ* Archiepiscopi & Martyris, & omnium Martyrum; & beati *Edwardi* Regis *Angliæ*, omniumque Confessorum atque Virginum, omniumque Sanctorum Dei, excommunicamus, anathematizamus, & à luminibus Sanctæ Matris Ecclesiæ sequestramus omnes illos, qui à modo scienter & malitiose Ecclesias privaverint suo jure. Item omnes illos, qui Ecclesiasticas libertates, vel antiquas Regni consuetudines approbatas, & præcipue libertates & liberas consuetudines, quæ in Cartis communibus libertatum & de Foresta continentur, concessas à Domino *Rogero*, Archiepiscopis, Episcopis, & cæteris *Angliæ* Prælatis, Comitibus, Baronibus, Militibus, & libere tenentibus, quæcunque arte vel ingenio violaverint infregerint, diminuerint, seu mutaverint, clam vel palam, facto, verbo, vel consilio, vel auxilio, contra illas, vel earum aliquam, in quocunque articulo temere veniendo. Item omnes illos, qui contra illas, vel illarum aliquam, aliqua statuta ediderint, vel edita servaverint, consuetudines introduxerint, vel servaverint introductas, scriptores statutorum, nec non Consiliariorum & Executorum, & qui secundum ea præsumpserint judicare. Quoniam omnes & singuli superius memorati hanc sententiam incursuros se noverint ipso facto, qui scienter aliquid commiserint de prædictis. Qui vero ignoranter nisi commoniti infra quindenam à tempore commonitionis se correxerint, & arbitrio ordinariorum plene satisfecerint de commissis, ex tunc sint hac sententia involuti. Eadem sententia innodamus omnes illos, qui pacem Domini Regis & Regni præsumpserint perturbare. In cujus memoriam nos sigilla nostra præsentibus duximus apponenda. 1253

CAP. VIII.

Confirmatio Papæ super Cartas prædictas & super Excommunicatione.

INnocentius IV. Episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus Archiepiscopis, Episcopis Regni *Angliæ*, Salutem & Apostolicam Benedictionem. 1254

Henricus 3. onem. Cum à nobis petitur quod justum est & honestum, tam rigor æquitatis, quam ordo exigit rationis, ut id per solicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Cumque itaque, sicut ex parte vestra fuit propositum coram nobis, vos, prout spectat ad officium vestrum libertatem Ecclesiasticam in Regno *Angliæ* illibatam ab omnibus observari; cum voluntate ac beneplacito charissimi filii nostri *Henrici* illustris Regis *Angliæ*, in omnes illos qui malitiose ac scienter Ecclesias illius Regni suo jure privaverint vel spoliaverint, & libertates Ecclesiasticas, & antiquas Regni consuetudines, quæ continentur in Carta communi libertatum & de Foresta, concessas à Domino Rege vobis & aliis ejusdem Regni Prælatis, violaverint, infregerint, diminuerint, seu mutaverint, & qui contra illas statuta ediderint, vel edita observaverint, consuetudines introduxerint, vel servaverint introductas; nec non scriptores, & Executores, Consiliarios Statutorum, ipso facto Excommunicationis sententias duxeritis proferendas, prout in literis super hoc confectis plenius continetur. Nos vestris supplicationibus inclinati, quod à vobis factum est ratum habentes & gratum, illud de fratrum consilio, auctoritate Apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus, tenorem ipsarum literarum præsentibus inseri facientes, quæ est talis, Auctoritate Dei Patris Omnipotent. &c. Sicut superius est usque ad finem. Nulli ergo liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contrariari. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Dei Omnipotentis, & bonorum *Petri* & *Pauli* Apostolorum ejus denoverit incursurum. Datum *Andegaviæ*. II. *Kal. Octobris*, Pontificatus nostri anno XI.

CAP. IX.

Wallenses *Rebellare cœperunt sub* Leulino *Principe*.

1228 ANno Domini M. CCXXVIII. & Regni Regis *Henrici* XIII. *Leulinus* Princeps *Walliæ* iterum rebellare cœpit: propter quod Rex, congregato exercitu, declinavit ibidem festinanter. *Leulinus* vero resistendo cum suis multos ex Regiis, cum particulatim incederent, interemit. Inter quos nobilem virum *Willielmum* de Breaus unicum captum observari jussit. Tandem vero post concursus varios & discrimina multa, per quoddam maritagium cum Rege concordatus est, & in pace dimissus. Anno vero sequenti *Leulinus* eundem *Willielmum* de Breaus Baronem Nobilem, quem ad Festa Paschalia invitaverat post epistolarum copiam, super adulterio & violatione uxoris suæ accusans, & malitiose eum & hostiliter aggressus est, & eum in carcerem trudens morte turpissima, & absque omni judicio finaliter interemit. Eodem tempore *Honorius* Papa obiit, scilicet anno Domini M. CCXXVII. Cui successit *Gregorius* IX. qui in secundo anno missis Legatis in *Angliam* decimas redituum Ecclesiarum constanter exegit, nullo reclamante vel saltem audente contradicere, & quod voluit Papa non ex ratione jubebat, sed tamen invaluit, rapiens quæcunque petebat juxta illud, sic volo sic jubeo sit pro ratione voluntas.

Honorio Papæ mortuo successit Gregorius IX.

CAP. X.

Transfretavit Rex in Britanniam.

1230 ANno Domini M. CCXXX. & anno Regni Regis *Henrici* XV. transfretavit idem Rex in *Britanniam*, in auxilium Comitis *Britanniæ*, qui à Rege *Franciæ* quasdam injurias perpessus est. Recepitque Rex homagia magnatum

tum totius quasi Provinciæ, & modicum quidem ibi moratus est non ægritudine percussus; reversus est in *Angliam* cum fratre suo *Richardo*: reliquit tantum ibi in adjutorium Comitem *Willielmum Marescallum*, & Comitem *Cestriæ*. *Henricus* 3.

CAP. XI.

ANno Domini M. CCXXXIII. *Non. Aprilis*, beatus *Edmundus* consecratus est in Archiepiscopum *Cantuariensem*, & in anno sequenti factus est *Lincolniæ* Episcopus Magister *Robertus* Grossetešte. 1233

B. Edmundus fit Archiepiscopus Cantuariensis.

CAP. XII.

Transfretavit Rex in Hiberniam.

ANno Domini M. CCXXXIV. Et anno Regni Regis *Henrici* XIX. transfretavit idem Rex in *Hiberniam* cum manu armata, eo quod *Richardus Marescallus* prius ibidem transfretaverat, pro posse volens terram illam suo subjugare imperio: sed in secretis naturæ plaga percussus in Paschalis tempore ultimum exhalavit spiritum; unde, pacificata terra, rediit Rex eodem anno; & in anno sequenti, de consilio magnatorum suorum, statuta de Merton ordinavit, in Regno *Angliæ* perpetuis temporibus observanda. 1234

CAP. XIII.

Rex Henricus *duxit Uxorem.*

ANno Domini M. CCXXXVI, & Regni Regis *Henrici* XXI. Idem Rex, de consilio Magnatorum suorum, *Alienoram* filiam Comitis *Provinciæ*, sibi matrimonialiter copulavit, coronataque est in Reginam cum immenso gaudio. Et eodem anno ex ea procreavit duos filios processu temporis, *Edwardum* scilicet Primogenitum, qui sibi successit in Regnum, & *Edmundum* Comitem postea *Leycestriæ*, qui factus adolescens Reginam *Navarræ*, mortuo ipso Rege, solemniter duxit uxorem: duas etiam procreavit filias idem Rex ex uxore sua, *Margaretam* scilicet, quæ Regi *Scotorum* data est, & *Beatricem*, quæ Comiti *Britanniæ* extitit postmodum copulata. Rex autem *Franciæ Lodowicus* Sororem *Alienoræ* Reginæ *Angliæ* filiam, prædicti Comitis *Provinciæ* Primogenitam, prius duxerat in uxorem. 1236

CAP. XIV.

Otho Legatus à Clericis Oxonienfibus *turbatus est.*

ANno Domini M. CCXXXVII. missus est à Latere Papæ *Otho* Legatus in *Angliam*, ad corrigendos excessus Cleri & Populi, cum plenitudine potestatis. Qui cum venisset *Oxoniam* occurrerunt ei Magnates, & Clerici, & eum cum immenso gaudio susceperunt. At ipsi postmodum tamen, [cum] vellent negotium procurare, repulsi sunt à suis, & vehementer indignati sunt; propter quod in unum congregati irruerunt in eum, & multis ex ejus familia vulneratis, tres viros ex suis totaliter peremerunt. Ipse vero fugiens recepit se in * Cloccario de Osenay, & ibi salvavit se, donec ira quiesceret. Sedato- 1237

* *Id est*, in turri.

Henricus 3.

que furore ipſam villam Eccleſiaſtico ſuppoſuit interdicto, & ex præcepto Regis capti ſunt multi, qui tanti ſceleris auctores eſſe dicebantur, & *Londoniam* miſſi. Hic cum eſſet onuſtus pecunia, & quod ſtatuta edidiſſet, reverſus eſt ad locum unde exierat. Eodem anno Rex cepit triceſimam. An. M. CCXXXIX. XIV. *Kal. Julii* natus eſt *Edwardus* filius Regis primogenitus, & à beato *Edmundo* baptizatus. Qui ſcilicet beatus *Edmundus Cantuariæ* Archiepiſcopus in anno ſequenti proximo obiit in terris, & locum electorum ſortitus eſt in cœlis.

Edwardus Henrici Reg. fil. primogenitus naſcitur. Edmundus Arch. Cant. obit.

CAP. XV.

Transfretavit Rex in Vaſconiam.

1242 ANno Domini M. CCXLII. & Regni Regis *Henrici* XXVI. transfretavit idem Rex in *Vaſconiam*, cum optimatibus multis, & exercitu grandi, ut terras, quas pater ejus perdiderat, recuperaret. Occupaverat enim Rex *Franciæ* **Saintes** & **Taillebourg**, & manſit ibidem cum exercitu grandi ex altera parte *Carentonii*. Cumque Rex noſter fixiſſet Caſtra ſua ex oppoſito, manſiſſetque ibi per dies aliquot, ecce die quadam egreſſi ſunt *Franci*, pontem tranſeuntes, ut noſtros ex improviſo aggrederentur ad pugnam; at illi præmuniti occurrerunt eis, quaſi in primo tranſitu pontis, antequam tranſiſſet robur exercitus, & percuſſis quibuſdam in ore gladii, alios retrocedere compulerunt. Interim nunciatum eſt Regi noſtro, qui inveniendo fuit à Caſtris, quod tranſierant *Franci* & prævaluerant, hortabanturque eum ad fugam, & oppido tegebantur: qua inita, reverſi ſunt noſtri, obtenta victoria, & Regem ſuum fugientem inſecuti ſunt. Interim vero videntes *Franci* noſtros ex toto fugientes, tranſierunt ſecundo in magna turba, & Caſtra noſtrorum & ſpolia diripuerunt. At ubi noſtri Regem ſuum fugientem comprehendiſſent, & nunciaſſent ei proſpera, eum continuo cum toto exercitu reduxerunt. Invenienteſque *Francos* in Caſtris, eos hoſtiliter aggreſſi ſunt, & cæſis multis, quibuſdamque à Ponte præcipitatis, cæteriſque ſubmerſis, qui ſe fluctibus potius quam hoſti credebant, reverſi ſunt ad Caſtra cum gaudio & victoria. Mane autem facto miſit Rex *Franciæ* nuncios ſolemnes, qui loquerentur de pace, & hoc cum effectu. Qui Regi pacifico pacifice loquentes ipſius animum ad bonum reduxerunt, & reſtitutis ei omnibus, reverſus eſt in *Angliam* circa Feſtum Sancti *Michaelis*.

Rex Henricus fugit.

Idem pace cum Rege Galliæ facta redit in Angliam.

CAP. XVI.

Fredericus *Imperator depoſitus in concilio* Lugdunenſi.

1243 ANno Domini M. CCXLIII. Poſt obitum *Gregorii* Papæ, factus eſt Papa *Innocentius* IV. & VIII. *Kal. Auguſti* cathedratus, qui deteſtabilem & malitioſam Imperatoris *Frederici* devitare procurans tyrannidem, à ſede Apoſtolica per tempus aliquod exulare decrevit. Unde profectus exinde venit, & commoratus eſt, cum Cardinalibus ſuis & Clericis, in civitate *Lugdunenſi* ſuper *Rodanum*, quæ diſtat à *Roma* duabus dietis. Ubi in tertio anno Papatus ſui generale Concilium celebrare inſtituit. Et convocatis ibidem ad ipſius præſentiam Archiepiſcopis, Epiſcopis, cæteriſque majoribus univerſalis Eccleſiæ Prælatis, exilii ſui cauſam illico exponere curavit, & fecit. Et, ut magna liqueat exilii ſui cauſa, prænotanda ſunt hæc; Imperator *Otho* IV. à Papa *Innocentio* III. fuit coronatus in baſilica beati *Petri*. Hic accepta corona ſtatim pugnavit cum *Romanis*, & contra voluntatem Papæ intravit Regnum *Apuliæ*, auferens illud *Frederico* Regi *Siciliæ*. Motuſque Papa in offendentem excommunicavit eum. Quarto autem anno Imperii ſui Principes *Alemanniæ*, qui

Innocentius Papa Romam relinquit.

Otho 4. Imperator ab Innocentio coronatus ab eodem paulo poſt excommunicatur.

qui ei primo faverant, ab eo recedentes, *Fredericum* fibi Imperatorem elegerunt. Qui veniens navigio ufque *Romam*, à Domino Papa & à populo terræ honorifice fufceptus eft; & inde proficifcens in *Alemanniam* fuper ipfum *Othonem* magnifice triumphavit. Hic autem *Fredericus* vere coronatus fuit in Imperatorem ab *Honorio* Papa in Bafilica Sancti *Petri*, regnavitque XXXIII. annos, fed non ficut Ecclefiæ bonus filius. Ipfe enim, ab infantia, ab ipfa Ecclefia tanquam per Matrem educatus, & ad Imperii faftigium *Othone* damnato promotus, Ecclefiam Dei non fovit tanquam Matrem, fed velut Novercam in quantum potuit laniavit. Propter quod eidem *Honorius*, qui eum coronaverat, fibi rebellem & *Romanæ* Ecclefiæ adverfarium comperiens ipfum anathematizavit, & omnes Principes ejus à fua fidelitate abfolvit. Ipfe tamen inceptum errorem continuans multas Ecclefiæ Dei injurias intulit, & pro poffe gravamen. Inter quos duos Cardinales, qui pro Ecclefiæ fubfidio miffi fuerant ultra montes, cum redirent ad curiam una cum prælatis multis, qui ad concilium properabant, per naves *Pifanorum* captivavit & retinuit. Quibus provocatus injuriis *Innocentius* Papa prædictus, de communi confilio totius Concilii, ipfum *Fredericum* terribili anathemate condemnavit, &, exigentibus culpis fuis, ab imperii dignitate depofuit. Facta funt hæc in Octavis Sancti *Johannis Baptiftæ*. Quæ cum audiffet ille depofitus, contempfit omnia, & excommunicationis, & depofitionis fententiam, pro nullo reputans. Imperatoriæ Majeftatis potentiam, ut prius excercuit, & continuavit, mifitque epiftolas fuas ad univerfos Orbis Principes in hæc verba.

Henricus 3.

Fredericus Imperator excommunicatur in Concilio Lugdunenfi anno 1245.

CAP. XVII.

Conqueritur fuper hoc Fredericus.

1245
Frederici imperatoris epiftola ad univerfos Orbis Principes.

F*Redericus* Dei gratia &c. Omnibus Regibus & Principibus per univerfam Chriftianitatem conftitutis falutem. Illos felices defcribit antiquitas, quibus ex alieno præftatur cautela periculo, ftatus namque fequentis formatur ex principio præcedentis; & ut impreffionem cera recipit ex figillo, fic eadem vice formatur mortalitas exemplo. Hanc utinam felicitatem noftra ferenitas præoptaffet: &, quam cautelæ folertiam, vobis Regibus fcilicet Chriftianis, ex noftræ Majeftatis nimia læfione relinquimus, O utinam prius alii Reges & Principes læfi fimiliter reliquiffent. Porro quoniam Clerici Patrum eleemofinis impinguati filios opprimunt, ipfique noftrorum filii fubditorum paternæ conditionis obliti, nec Imperatorem nec Regem aliqua veneratione venerare dignantur, quoties in Patres Apoftolicos ordinantur, quod in circumlocutionibus invicte ex *Innocentii* Papæ præfumptione probatur, qui vocata Synodo, ut afferit, contra nos generali, nec citatos, nec fuper aliqua fraude vel pravitate convictos, aufus eft fententiam depofitionis ftatuere, quam omnium Regum enorme præjudicium non poterat ftabilire? Quid enim vobis fingulis Regibus fingulorum Regnorum à facie talis Principis facerdotum timendum non fupereft, fi nos & Principum electione folemni, & approbatione totius Ecclefiæ, & Cleri, dum Clerus fide & Religione vigebat, Imperiali Diademate divinitus infignitos, & alia Regna nobilia magnifice gubernantes, ille deponendos aggreditur? Cujus, quo ad temporalium detrimenta, non intereft in nos exercere aliquid rigoris, etiam fi caufæ legitimæ probarentur. Verum quos facerdotalis fic infeftat abufio poteftatis, & à fummo conatur præcipitare deorfum, nec primi fumus nec ultimi, & hoc quidem vos facitis fimulatoribus fanctitatis obedientes, quorum fperat ambitio quod totus *Jordanus* influat in os ejus. O, O, O fi noftræ credulitatis fimplicitas à fcribarum & Pharifæorum fermento, quod eft hypocrifis, juxta fententiam falvatoris fibi curaret accendere, quod illius curiæ turpitudines execrari poffetis, quas honeftas & pudor effari nos prohibet in præfenti! Sane redditus

copiofi

Henricus 3. copiosi quibus ex plurimorum Regnorum pauperatione ditantur, quemadmodum ipsi nostis, ipsos faciunt insanire. Apud vos Christiani mendicant ut apud eos paterni manducent. Ibi vestrorum domos obruitis ut his adversariis oppida confirmetis: sic de vestris eleemosinis tales Christi pauperes sustentati, qua beneficii compensatione, qua saltem gratitudinis exhibitione, vobis se præstent obnoxios? quanto indigentibus manus largiores extenditis, tanto non solum manus, sed etiam pedes avidius apprehendunt, suo vos laqueo detinentes sicut aviculam, quæ quanto ad evasionem fortius innititur, tanto firmius alligatur. Hæc nobis ad præsens scribenda curavimus, insufficienter exprimendo votum nostrum, alia quædam reservans vobis pro tempore sereno intimanda, qualiter scilicet, & in quos usus divitias pauperum expendit prodigalitas avarorum, quantis etiam viribus in hac necessitate omnes illos, qui modo nos opprimunt, opprimere posse speramus, etsi se nobis opponeret totus mundus. Quicquid autem fideles nostri latores præsentium vobis retulerint, credatis ac si dictus *Petrus* jurasset; firmissimum reputetis; nec credatis aliqualiter quod, per latam in nos Papalem sententiam, nostræ magnanimitas Majestatis aliquatenus incurvetur: habemus enim conscientiæ puritatem, & per consequens Deum nobiscum, cujus testimonium invocamus, quia semper fuit nostræ intentio voluntatis, Clericos cujuscunque Religionis ad hoc inducere, & maxime maximos, ut tales perseverarent in fine, quales dudum fuerant in Ecclesia primitiva, Apostolicam scilicet vitam ducentes, humilitatem Dominicam sectantes, & subditos informantes verbo & exemplo. Tales namque Clerici solebant Angelos intueri, miraculis coruscare, ægros curare, mortuos suscitare, & sanctitatem spiritus non carnis amare, sibi Reges & Principes subjugare. At isti seculo dediti, delitiis inebriati, Deum postposuerunt, quorum ex affluentia divitiarum religio suffocatur, Ecclesia perit, & devotio sancta damnatur. Talibus ergo subtrahere nocentes divitias, quibus damnabiliter onerantur, opus est caritatis. Ad hoc vos & omnes Principes terræ, ut cuncta superflua deponentes, mediocribus rebus contenti Deo deserviant, omnes debetis diligentiam adhibere. Valete.

CAP. XVIII.

De morte Frederici *quondam Imperatoris.*

Contigit mors Freder. Imperat. an. Dom. 1250. Die Decemb. 13. Langravius Imperator eligitur.

HIc autem *Fredericus* Imperator dudum Cruce signatus, durante excommunicationis sententia, mare magnum transivit, majorem desolationem, quam consolationem Terræ Sanctæ relinquens: postquam vero ab *Innocentio* Papa sic depositus est ab Imperio, Principes *Alemanniæ* elegerunt contra ipsum *Langravium Thuringiæ*, ut suo regnaret Imperio. Quo tamen post modicum tempus mortuo, *Willielmus* Comes *Holandiæ* denuo contra ipsum eligitur ab eisdem Principibus, & hic paulo post a *Frisonibus* occiditur, & sic uterque electus benedictione caruit Imperiali. *Fredericus* quidem, post suam ab Imperio destitutionem, cum inter cæteras Civitates *Lumbardiæ Parmam*, tanquam magnopere exosam sibi, forti manu obsideret, à Legato Domini Papæ, & à *Parmensibus* est devictus. *Manfredus* autem filius ejus ambiens Regni scilicet Dominium & thesauros ipsius, tandem, cum difficultate tamen, ipsum Regnum obtinuit, retinuitque, quousque *Carolus* frater Regis *Francorum*, tunc Comes *Provinciæ*, à Papa *Urbano* IV. vocatus, & sub Papa *Clemente* quarto veniens, ipsum *Manfredum* vita & Regno privavit. Hic *Fredericus* ab *Augusto* primo nonagesimus quintus fuit Imperator. Et post eum vacavit Imperium usque in præsens. Ipse etiam *Carolus* à Regno *Siciliæ* per Regem *Aragonum* postea dejectus est, & in fugam versus. In supradicto Concilio *Lugdunensi* quidam Episcopi, quorum primus extitit *Robertus* Grosseteste *Lincolniæ* Episcopus,

Episcopi quidam Monachos Ord. Cisterc. suo subjicere Dominio frustra conantur.

pus, suis rationibus & allegationibus multis conati sunt in præsentia Domini Papæ libertatem & Dominium *Cisterciensis* Ordinis sibi vendicare & subjicere, sed exauditi non sunt ad effectum. *Henricus 3.*

CAP. XIX.

Wallenses *Rebellare cœperunt secundo.*

ANno Domini M. CCXLV. *Wallenses* effrænati iterum insurrexerunt in Regem, sub capite novo Principe *David*, qui cum multa fecissent, & igne & gladio multa delevissent, ascendit ibidem Rex cum exercitu copioso, credens in brevi totam sibi *Walliam* subjugare, & in tantum in iram motus est, quod, signo Draconis elevato, suos procedere jussit in mortem eorum. Ipsi autem in arto positi pugnaverunt viriliter pro Patria, & non tantum à proposito Regem resilire fecerunt, imo etiam coegerunt eum abire retrorsum. Magnam tamen occisionem fecit Rex, sed non in bello publico; non enim ausi sunt palam cum eo congredi; sed per viarum discrimina suis semper obviabant. Delusus ergo à proposito, eo quod montana ascendere non potuit, statim in convalli ad pedem de Snawedon Castrum construxit fortissimum, ponens in eo milites strenuos & viros armatorum electos, qui, eo recedente propter Hyemem, Patriam tuerentur & defenderent. Quibus peractis jussum est ex ore Regis exercitum redire ad propria: sed & ipse Rex cum Regina reversus est, ut alias revertendi ad prælium tempus expectaret idoneum. Non tamen reversus est per tempora multa, nam *Wallenses* egressi destruxerunt Castrum illud quod construxerat, & mediantibus postea viris pacificis, cum eo pacificati sunt & concordati. 1245

Pax inter Wallenses & Henricum.

CAP. XX.

ANno Domini M. CCLI. *Alexander* Rex *Scotiæ Margaretam* filiam Regis *Henrici* duxit in uxorem, factaque est ipsa solemnitas in Festo Natalis Dominici, apud *Eborum*; & fecit homagium Regi *Henrico*. Eodem anno, XVII. *Kal. Septembris*, feria IV, fulgur terribile contigit à media nocte usque mane. Item eodem anno VII. *Kal. Novembris*, feria quinta, ventus extitit validus evertens domos, & quassans lapides. 1251

Rex Scotiæ filiam Regis Henrici ducit uxorem.

Ventus validus.

CAP. XXI.

ANno Domini M. CCLIII. & anno Regni Regis *Henrici* XXXVI. transfretavit idem Rex secundo in *Vasconiam*, circa Festum beati *Petri ad vincula* ut quosdam rebelles, qui ab ejus fide desciverant, ad dignitatem pacis revocaret ille pacis tutor; deditque ei Deus pacem, & manum superam. Itaque absque multa sanguinis effusione rebelles sibi pro voto subjugavit. Quorum quosdam obsides præmisit in *Angliam*, ipse cito reversurus; omnibusque in pace agentibus, & prospere ordinatis, reversus est in *Angliam* in anno sequenti, desponsavitque *Edwardus* filius ejus, cum esset annorum XVI. *Alienoram* filiam Regis *Hispaniæ*, & eam in *Angliam* introduxit. Eodem anno LIII. Obiit *Robertus* Grosseteste *Lincolniæ* Episcopus, cui successit *Henricus* de Lexinton. 1253

De transfretatione Regis Henrici in Vasconiam.

Ac de nuptiis Edwardi filii ipsius.

CAP. XXII.

1255 De morte Walteri Eborum Archiepiscopi; & de puero à Judæis crucifixo.

ANno Domini M. CCLV. obiit *Walterus* de Gray *Eborum* Archiepiscopus, *Kal. Maii.* Cui successit *Sewallus*, qui in anno sequenti proxime fuit consecratus apud *Eborum*, x. *Kal. August.* Eodem anno *Judæi* crucifixerunt *Hugonem* puerum novennem *Lincolniæ*, *Kalend. Augusti.*

CAP. XXIII.

Richardus *frater ejus electus est in Regem* Alemanniæ. Sewallus Ebor. *Archiepisc.* & Alexander P. *obiere.*

1257 ANno Domini M. CCLVII. Principes *Alemanniæ* elegerunt sibi in Regem *Richardum* Comitem *Cornubiæ*, fratrem Regis *Henrici*, & missis nunciis accersierunt eum, ac in eodem anno coronaverunt, *Kal. Aprilis.* Dominus etiam Papa misit quemdam Archiepiscopum de Ordine Prædicatorum, cum quibusdam aliis sibi sociatis, in *Angliam*, pro *Edmundo* filio Regis *Henrici*, ut ex dono Papæ adquireret, & regnaret in *Apulia*, *Sicilia* & *Calabria.* Sed tamen ipsa res ad effectum non pervenit.

CAP. XXIV.

1258 Fames valida in Anglia.

ANno M. CCLVIII. obiit *Sewallus Eborum* Archiepiscopus cui succedit *Geofridus.* Eodem anno fames valida oppressit *Angliam*, & præ fame nimia mortui sunt multi, vendebatur enim quarterium frumenti pro XVI Sol.

CAP. XXV.

1259 Alexander P. ob.

ANno Domini M. CCLIX. Obiit *Alexander* Papa. cui successit *Urbanus* anno M. CCLXI.

CAP. XXVI.

Transfretavit Rex in Franciam, & *composuit super* Normanniam.

1259 EOdem anno Rex & Regina transfretavit in *Franciam*, habita enim fuerat prælocutio per Regem *Alemanniæ* *Richardum* fratrem Regis *Henrici*, & per alios solemnes Nuncios, ut cum Rege *Francorum* tractaret, & finaliter componeret de *Normannia.* Ductus consilio malo simplex Rex composuit sic, ut Regi *Francorum* *Normannia* remaneret, reddita sibi & hæredibus suis singulis annis certa summa pecuniæ. Quam tamen pecuniam postea pœnitentia ductus nunquam recepit, nec recipere voluit in vita sua. Immo in literis suis & epistolis, toto tempore suo, se Ducem *Normanniæ* appellavit. Sed eo mortuo *Edwardus* filius ejus, & successor in Regno illa duo verba (Dux *Normanniæ*) in suis epistolis non posuit.

CAP.

CAP. XXVII.

De dessentione inter Regem & Barones, & de provisione Oxoniæ.

EX tunc ingressi sunt curiam Regis innumerabiles *Franci*, sicut & antea fuerant *Provinciales*, & repleta est terra quasi ex omni natione quæ sub Cœlo est, agebanturque negotia Regalia per alienigenas & ignotos, & facta est eis *Anglia* quasi serviens sub tributo: quoniam Wardas & Relevia, & cætera emolumenta terræ, præ cæteris omnibus asportabant. Indignatique sunt Magnates terræ videntes hoc, & mutuo loquentes sibi dicebant, quid faciemus alienigenis istis, qui sic opprimunt nos. Si dimiserimus eos, sic asportabunt omnia, & nos vacui remanebimus. Dirumpamus ergo vincula eorum, & projiciamus à nobis jugum ipsorum: quoniam si tacuerimus peribit *Anglia*, & nos utique erimus opprobrium hominum & abjectio populi. Et sicut *Simon Machabeus* surrexit pro fratre suo *Juda*, ut pro Populo Dei & Lege paterna certaret ad mortem, sic *Simon* de *Monte forti* pro *Anglia* erexit se, ut pro Legibus & Libertatibus ejus usque ad mortis perniciem dimicaret. Inito itaque consilio adierunt Regem Comites & Barones, & dixerunt ei, Domine Rex, inter manus alienigenarum res utique tua male agitur, & diversimode tractatur. Nam consumptis universis multo jam deprimeris ære alieno, & datis pro cibariis tuis talleis, versus es in scandalum in omni populo tuo. Nunc ergo sanis adquiesce consiliis, & domum tuam committe dispositioni fidelium tuorum, solvemusque debita tua infra annum ex nostro proprio, ita tamen ut nostrum levare possimus infra quinquennium. Nec familiam tuam minuemus, sed augmentabimus multis militibus, & tibi & Regno tuo omnem adhibebimus diligentiam, & custodiam utique fidelem. Adquievit eis Rex, & certos diem & locum statuerunt, scilicet *Oxoniæ* à die Paschatis in xv dies, ubi convenirent omnes tractaturi de profectu Regis, & utilitate Regni. Convenientibus igitur ipsis ad eosdem diem & locum, in primis ab ipso Rege & cæteris Magnatibus sacramentum petierunt, ut quæ pro utilitae Regis & Regni providerentur, absque ulla contradictione universaliter tenerentur, præstititque juramentum Rex se servaturum statuenda, quæ ad honorem Dei, & Ecclesiæ suæ profectum & utilitatem Regni sui conderentur. Juraverunt & cæteri Magnates quasi omnes. Novem etiam Episcopi, qui convenerant, excommunicaverunt omnes qui huic facto contradicerent, Rege tenente cereum ignitum. Et prædixerunt palam, si ausu temerario vellet quis contradicere, insurgerent omnes in eum velut accipitres in corvum; venerant enim instructi armis, ut quod in animo conceperant statim executioni mandarent. Fratres autem Regis, qui erant quatuor, nolentes in hac parte consentire, occulte quidem recesserunt, tendentes *Wintoniam*. Itaque Barones insecuti sunt eos uno corde & animo, velut catuli Leonum rugientes, ne forte munirent præsidio civitatem occupatam. Cumque eos comparere compellerent, & cognovissent eos in sua contumacia permanere, statuerunt inprimis quod ad terras suas, quas in partibus transmarinis habebant, transfretarent. Et hoc quidem statutum statim executioni mandabant, Rege pro eis interveniente, & multis precibus supplicante, sed tamen exaudiri non potuit quod ad hoc. Statuerunt etiam quod omnes alienigenæ, cujuscunque conditionis existerent, seu nationis, confestim repatriarent, sub pœna membrorum & vitæ. Statuerunt ad hæc, quod si teneat quis de Rege in parte, & similiter de aliis Dominis pro diversis partibus, si de eo humanitus contigerit, hærede suo infra ætatem legitimam existente, quod Rex hæredem habeat cum terra, quam de Dominio ipsius tenet. Et cæteri Domini habeant terras de feodis eorum, usque ad ætatem hæredis, & escaetas, & relevia, unusquisque eorum secundum

Contigit hoc secundum Matth. Par. an. 1258.

Barones alienigenis invident.

Rex & Barones Oxoniæ conveniunt.

Henricus 3. dum partem tenuræ ſuæ. Statuerunt inſuper, quod lanæ terræ operarentur in *Anglia*, nec alienigenis venderentur, & quod omnes uterentur pannis laneis infra limites terræ operatis, nec nimis pretioſas veſtes quærerent. Item quod expenſas voluptuarias & ſuperfluas omnes pro poſſe devitarent. Alia quædam ſtatuta ſunt, & ordinata, quæ cauſa brevitatis ſcripta non ſunt in libro hoc. Moratique ſunt ibidem per dies xv. & multi veneno perierunt. *Multi veneno pereunt.* Extinctus eſt enim Abbas *Weſtmonaſterienſis*, vir utique nobilis & diſcretus, & *Willielmus* frater Comitis *Gloverniæ*, vir commendabilis & ſtrenuus. Ipſe etiam Comes *Gloverniæ*, in cura medicinali uſque ad Aſſumptionem perſiſtens, cum difficultate maxima mortem evaſit. Ceciderunt enim pili ex capite ejus, & ungues ex manibus, noluit autem Dominus tanto neceſſitatis articulo, & tam evidenti periculo ipſius præſentia *Angliam* viduari: quæ quidem ſeditio impoſita fuit & imputata cuidam Militi *Waltero* de Scotenay, & ad appellum Comitiſſæ de inſula comprehenditur, judicatur, & trahitur. Videntes igitur Magnates pericula multa, nec expedire in præſenti conſilium revelare, clauſerunt ordinata, & ſigillis ſingulorum munierunt, ſtatuentes diem certum à feſto Sancti *Michaelis* in xv dies, ut omnes convenirent London, & eſſent parati cum armis ad perficiendum quod inceperant. Adveniente igitur die convenerunt omnes, & ſingulis diebus, quaſi per menſem integrum, in conſiliis perſiſtebant, & armis. Tandem publicata ſunt omnia & executioni potentialiter demandata.

CAP. XXVIII.

Quomodo pœnituit Rex. Et de arbitrio Regis Franciæ.

1262 PUblicatis ſtatutis, & executioni demandatis, diſplicuerunt multa Regi, & pœnituit eum ſic juraſſe, ſed quia reſiſtere non potuit ex abrupto, diſſimulavit ad tempus. Cumque elapſo anno non videret ſe, ut promiſerant, à debitis relevari, ſed magis onerari, in multum condoluit. Et, miſſis ad Papam nunciis, quo ad Sacramentum præſtitum abſolutionis beneficium conſecutus eſt, & quo ad ſe & ſuos omnes. Abſolvit etiam Papa indifferenter omnes ab eodem juramento, ut citius inter ſe in vinculo pacis unirentur. Statimque abſolutione obtenta reſilivit Rex à promiſſis. Et convocato Parlamento ſuo *Oxoniæ*, quæſtionem movit Magnatibus ſuis, dicens, ſe, quantum ad proviſiones tenendas, callide quidem inductum & ſeductum. Inſuper, quo ad Sacramentum præſtitum, & pro ſe & ſuis & univerſaliter omnibus abſolutionis beneficium generaliter impetraſſe; unde petiit ſe ad omnia reſtitui, ſicut antiquitus eſſe conſuevit. At illi, qui convenerant, Comes ſcilicet *Leyceſtriæ*, *Simon* de *Monteforti*, Comes *Glouceſtriæ*, *Gilbertus* de Clare, *Humfridus* de Bonne juvenis, Comes *Ferrarienſis*, Barones etiam quam plurimi, ſcil. Dominus *Johannes* Filius *Johannis*, Dominus *Henricus* de Haſting, Dominus *Galfridus* de Lucy, *Johannes* de Weſty juvenis, Dominus *Nicolaus* Segrave, *Hugo* le Spenſer, & *Robertus* de Weſponte, pro ſe quidem & ſuis ſequentibus unanimiter reſponderunt, quod Proviſiones, ad quas juramento aſtricti fuerant, uſque in finem vitæ tenere voluerunt, eo quod pro utilitate Regis & Regni communiter editæ fuerant, & confirmatæ. Dumque ſic vota ſua mutaſſent in varia, & impacati recedere voluiſſent, quidam Epiſcopi qui aderant, interpoſuerunt partes ſuas; ita quod ipſis, & aliis amicis communibus ſic cum difficultate mediantibus, compromiſerunt partes utrinque ſe velle ſtare in omnibus arbitrio Regis *Franciæ Lodowici*. Qui quidem Rex, auditis hinc inde propoſitis, & diligenter ponderatis, decrevit in fine, Regi *Angliæ* exhæredationem fieri manifeſtam; unde ſtatuta eorum quaſi omnia reprobavit, & eidem Regi ſtatum priſtinum reſtituit, imponens aliis ſilentium, quantum ad

Rex, obtenta abſolutione à juramento, promiſſis non ſtetit.

jura

jura Regalia ordinanda. Motique magnates & indignantes recesserunt, sta- *Henricus 3.*
re nolentes ejus arbitrio, eo quod pro Rege omnia Rex ipse judicavit.

CAP. XXIX.

Captio quorundam Baronum apud Northampton.

Reversis ergo magnatibus se, in quantum poterant, ad arma præparabant, 1264
quod audiens Rex, ipse etiam se modis omnibus præparabat, adducens cum eo alienigenas & *Francos* multos. Interim vastabantur Regalia jura, & igne & gladio multi decidebant. Cumque cognovisset Rex multos ex Baronibus apud Northampton convenisse, divertit ibidem cum exercitu, adduxitque cum eo Regem *Alemanniæ* fratrem suum, & *Edwardum* filium suum, *Johannem* Compn de *Scotia*, qui multos adduxerat *Scotos*, *Johannem* de Baliol, Dominum *Galwidiæ*, *Robertum* de Brups, Dominum de *Valle* Anand, *Rogerum* de Clyfford, *Phillippum* Marmyon, *Johannem* de Vaus, *Rogerum* de *Layburum*, *Henricum* de Percy & *Philippum* Basset, *Rogerum* de Mortemer, & *Willielmum* de Valence fratrem suum, & multos alios: mandavitque Rex Baronibus qui jam aderant, quod urbem & obsides sibi continuo redderent, vel statim irrueret in mortem eorum. At illi consulentes cum *Simone* de *Monteforti* Juniore, qui ex præcepto Patris cæterôs ibidem ad cosulendum attraxerat (nondum enim advenerat Pater ejus nec Comes *Glouerniæ*) audacter quidem & unanimiter responderunt, quod mandatum Regis non facerent, immo se & urbem defenderent, si esset necesse usque ad mortem. Quod audientes Regales miserunt denuo, quod saltem venirent ad murum Civitatis, ut ex muro loquerentur ad Regem, si quomodo posset via pacis & forma inveniri. At illi nihil doli suspicantes adquieverunt eis, & relictis custodiis suis, murum versus pratum adierunt, ibi enim Rex & robur exercitus imminebat. Interim vero dum inter Regem & Barones varii haberentur tractatus & diversi, Dominus *Philippus* Basset, qui ad hanc seditionem fuerat præordinatus, cum ligonibus & instrumentis ferreis, & viris præparatis, juxta Monasterium Sancti *Andreæ* murum suffodit civitatis, corruitque murus de facili, & facta est planicies magna, ita quod in uno fronte ingredi possent Equestres XL. Imputatus est etiam ipse dolus vel Monachis alienigenis, quod introeuntibus introitum præparabant, dumque à transeuntibus istud cerneretur, & vexilla Regalium ad introeundum essent erecta, factus est utique ululatus multus, & clamor populi ascendit ad Barones, festinaveruntque ibidem resistere, sed incassum, quoniam ab hostibus jam in magna multitudine præventi sunt. *Simon* vero Juvenis cum *Petro* de *Monteforti*, & paucis eum sequentibus, per medium eorum transiliens, cum aliquantisper strenue militasset, & esset ab hostibus circumseptus, adveniente jam filio Regis *Edwardo*, jussu ipsius captus est. Clerici vero Universitatis *Oxoniensis*, quæ quidem universitas jussu Baronum ibidem translata fuerat, ipsis ingredientibus & insultantibus, majora inferebant mala quam cæteri Barones cum fundis, & arcubus, & balistis; habebant enim vexillum per se & in sublime contra Regem erectum; unde iratus Rex juravit in ingressu, quod suspenderentur omnes; quo audito raserunt capita sua multi, & fugam, qui poterant, velocem inierunt. Ingresso itaque Rege in urbem ut *Northamptonia expugnata.* inimicam fugerunt multi, ita sicut erant armati, in Castrum: alii relictis equis & armis in Ecclesiam: pauci tamen corruerunt, & hi quidem de communi populo, nec erat multus sanguis effusus, quoniam quasi subito hæc omnia facta sunt. Pacificata tandem urbe, jussit Rex in Clericis exerceri quod juraverat. Et dixerunt ei, absit hoc à te, O Rex, nam filii Magnatorum tuorum, & cæterorum hominum de Regno tuo, huc cum Universitate convenerunt, quos si suspendi feceris seu detruncari, insurgent in te etiam illi, qui modo

Henricus 3. tecum sunt, non permittentes pro posse sanguinem filiorum suorum, seu proximorum effundi; placatusque est Rex, & contra Clericos quievit ira ejus. In ipso etiam eodem die, post horam, aliquantum insultum fecerunt ad Castrum ipsi Regales: timentesque sibi novi Castrenses, eo quod victualia & cætera resistendi necessaria non haberent, statim missis nunciis dederunt se in gratiam Regis. Captique sunt in die illa Milites subscripti & Barones, Dominus *Willielmus* de *Ferrariis*, Dominus *Petrus* de *Monte forti* socius prædicti *Simonis* Junioris, Dominus *Rawdewynus* de Wake, Dominus *Adam* de Neumarche, Dominus *Rogerus* Bertram, Dominus *Simon* filius *Simonis* Miles strenuus, & qui primo vexillum erexit contra Regem, Dominus *Hengeramus* de Waterville, Dominus *Hugo* Gubyon, Dominus *Thomas* Maunsel, Dominus *Robertus* Untevilayn, Dominus *Nicholaus* de Wake, Dominus *Robertus* de Newton, Dominus *Philippus* de Scriby, & *Grymbaldus* de Pauntevolt; omnes prædictos captivavit Rex, & plures alios, quorum quosdam in eodem Castro bene munito sub custodia Domini *Nicolai* de Pawrecham custodiendos tradidit, quosdam secum adduxit, quosdam etiam ad diversa Castra, & *Simonem* de *Monte forti* ad Castellum de Wyndeshores destinavit: factaque sunt hæc, quo ad captionem *Northamptoniæ*, Sabbato primo in passione Domini, scilicet III. *Non. Aprilis.* Anno Domini M. CCLXIV. Perrexitque Rex usque Notingham, incendens & devastans Maneria Baronum, & cæterorum hostium: ibique recollegit Magnates suos, & numerum suorum vehementius adauxit.

CAP. XXX.

Deinceps usque ad Bellum de Lewes.

1264 Cumque rumor iste sinister Comiti *Simoni*, qui cum exercitu grandi versus Northampton inveniendo erat, à transeuntibus & fugientibus diceretur, infremuit: nec tamen concidit vultus ejus, sed statim *Londoniam* adiens fecit sibi fieri currum quasi falcatum, in quo æquitaret, ac si esset ægrotus. Finxit enim se debilem, & infirmum, cum esset bellator robustus & fortis; congregatique sunt ad eum cæteri Magnates complices sui, Comites & Barones, & singuli singulos adduxerunt cohortes; præparatisque ibidem ligneis machinis profecti sunt ad obsidendum *Roceſtriam.* Comes enim de *Warenna* & Villam tenuit & Castrum ex parte Regis. Cumque primam partem una cum Ponte cepissent, & illinissent in parte, vulnerati sunt multi, & retrocedere compulsi sunt, ibique vulneratus est strenuus ille Miles *Rogerus* de *Layburum*, & male tractatus. Dumque sic obsidionem continuarent ad tempus, nunciatum est eis, quod inveniendo erat Rex versus *Londoniam* cum exercitu

Barones Londoniam revertuntur. copioso: & dixerunt ad invicem, si in adventu suo *Londoniam* occupaverit Rex, erimus hic inclusi quasi in angulo terræ, revertamur ergo *Londoniam*, ut & locum salvemus, & gentem. Positis ergo quibusdam cæteris personis ad tenendam obsidionem, *Londoniam* reversi sunt. Adveniente demum Rege exierunt cum civibus obviam ei, non tamen ad recipiendum cum Palmis, sed ad repellendum cum Lanceis: declinavitque Rex, & capto Castello de Kingeston, quod erat Comitis *Glouceſtriæ*, profectus est *Rouceſtriam*, ubi interfectis quibusdam, obsidionem aliam fregit. Indeque perrexit Rex apud Tunebrige, & reddito ei Castro cum Villa cepit ibidem Comitissam *Glouceſtriæ*, & eam posuit in Abbatia, non custodiendam quidem, sed ut abiret libere quo vellet: reliquitque ad custodiam Castri & Urbis magnam partem sui exercitus, plusquam XX Vexillarios electos, eo quod communiter diceretur, quod Comes *Glouceſtriæ* ad expugnandum eos in proximo adveniret. Quo facto iter inceptum continuavit usque Winchelsee, ubi Marinarios de Portubus recepit ad pacem, & cum eis plene concordatus est. Post triduum autem egressus

egressus à loco illo venit in sequenti sabbato ad villam de Lewes, & receptus est Rex in Abbatia, filius autem ejus in Castro. Interim mittebant literas ad Regem Barones, XII scilicet die *Maii*, excusatorias & comminatorias in parte, dicentes se ei honorem velle, quantum ad personam, & statum proprium, homines tamen quosdam, quos secum tenuerat, impetere velle velut hostes publicos, ubicunque invenirentur in terra. At ille communicato consilio rescripsit eis, & præcipue duobus Comitibus *Leicestriæ*, arguens eos de damnis sibi illatis, incendiis, & rapinis, & quod per eos in terra sua guerra mota est. Adjiciens quod homines, quos gravare voluerant, eos tanquam fideles suos reputans pro posse defenderet, & liberaret, & injurias eis illatas, tanquam proprias emendari faceret, & pro tempore judicaret. Quibus auditis appropinquabant Regi, non enim distabant multum à loco illo, qui dicitur Lewes: cumque Regalibus foragium defecisset, præceptum est in die *Martis*, ut præcederent pro quærendo fœno & paleis. Quibus proficiscentibus præventi sunt plures, & ab hostibus interempti, reliqui vero viderunt hostes venientes in summo diluculo diei *Mercurii*, & exclamantes excitaverunt Regem & suos ad arma capienda: venientes ergo Barones in plena planicie descenderunt ibidem, & equos tingentes arma præparabant. Ubi Comes *Simon* ipsum Comitem *Gloucestriæ* & *Robertum* de Ver una cum multis aliis novos fecit Milites, & armis militaribus eos insignivit. Quo facto omnem exercitum in quatuor acies separatas divisit, & distinxit, statuitque magnates in singulis, qui acies dirigerent & gubernarent. Aciei vero primæ constituti sunt Duces *Henricus* de *Monteforti* Primogenitus Comitis *Simon*, & *Gwydo* Frater ejus, Dominus *Johannes* de Burgh Juvenis, & Dominus *Humfridus* de Bown. Aciei vero secundæ Dominus *Gilbertus* de Clare Comes *Gloucestriæ*, Dominus *Johannes* filius *Johannis*, & Dominus *Willielmus* de Montensy. Aciei autem tertiæ, in qua *Londonienses* erant, ad rogatum eorum Dominus *Nicolaus* de Segrave assignatus est, qui etiam instanter supplicarunt, ut primos belli ictus habere possent, & eventum rei sub dubio recipere. Quartæ vero aciei Dux fuit ipse Comes, cum Domino *Thoma* de Pilvesdon. Interim egressi sunt Regales, ad pugnam se præparantes per tres turmas, quarum primam ducebat filius Regis *Edwardus*, cum Comite de Warenne, & *Willielmo* de Walence fratre Regis. Secundam vero Rex *Alemanniæ* cum filio suo *Henrico*: tertiam autem ipse Rex cum Magnatibus suis: quartam vero aciem non constituit Rex, eoque plures Vexillarios reliquerat post se ad custodiendum villam, & Castrum de Tunebrige contra Comitem *Gloucestriæ*, & erat ibi juvenilis ætas quasi totius militiæ suæ, non enim credebat Rex adventum Baronum tam propinquum. Præparatis itaque hinc & inde aciebus, exhortabantur ad invicem ad strenue militandum: & conserto gravi prælio corruerunt multi pedestres quasi in momento: statimque Regis filius *Edwardus* cum acie sua, ut pote juvenis acer & miles strenuus, irruit in hostes cum tanto impetu, quod eos retrocedere compulit spatio magno, ita quod posteriores quidam, ex retrocessione credentes primos corruisse, fugerunt plures, & aquæ se credentes, ut transibant, submersi sunt milites circiter LX, cæsisque aliquibus fugerunt statim *Londonienses*, qui primos ictus petierant, belli discrimina ignorantes; quos insequebatur *Edwardus* cum turma sua, cædens extremos eorum spatio duorum vel trium milliarium, eos enim habebat exosos, pro eo quod recessserant à Patre, & matrem suam dehonestaverant, cum à *Westmonasterio* usque Regiam turrem per aquam *Thamesim* navigaret, projicientes ex ponte in navem ipsius lutum & lapides, & contumeliosa verba prompserant. Interim vero, dum sic sequeretur fugientes, irruerunt Barones in aciem Regis secundam, periitque ejus pars maxima, & captus est Rex *Alemanniæ* cum *Roberto* de Bruys, & *Johanne* Comyn, qui *Scotos* adduxerant numeros, perforataque est acies ipsius Regis, & dextrarius ejus occisus. Cumque vidissent sui multos corruisse, & quam plures fugam iniisse, reduxerunt Regem in Abbatiam, unde prius exierat, claudentes portas, & custodiam adhibentes cum

Henricus 3. Baronum ad Regem literæ.

Novi milites creantur à Comite Symone.

Londonienses ab Edwardo fugati.

Rex à Baronibus una cum Rege Alemanniæ captus.

Henricus 3. cum multis militibus. Ingreffique funt Barones in urbem obtenta victoria, nec facile difcerni poterat per longum fpatium, præ multitudine vulneratorum, qui dicerentur Regales, & qui Baronales. Dumque fierent hæc, *Edwardus* filius Regis, cum turma fua reverfus, & videntes fui in planicie currum, quem fieri fecerat Comes *Simon* ad equitandum, ftantem cum eis abfque auriga vel Duce itineris, cucurrerunt, & quafi in momento dilaceraverunt eum, duos etiam Burgenfes, quos invenerunt in eo, gladio peremerunt: appropinquantes autem ad locum occiforum, & ftragem intuentes permaximam, expavit cor eorum,& ferocis animi vultus deperiit: confortabat tamen corda eorum Dux ille ftrenuus Regis filius, & ut effent viri robufti modis omnibus animabat; appropinquantibus ipfis ad urbem, exierunt Barones obviam eis, & conferto gravi prælio corruerunt hinc & inde, fugitque Comes de *Warenna* cum duobus Regis filiis *Willielmo* de Walence & *Gwydone* fratre ejus, & fequebantur eos plufquam feptingenti armati electi, qui erant de domo & familia eorum; & eadem die proficientes ufque Pevenfay mare tranfierunt. Fugit etiam *Hugo* Bygot cum multis aliis, & filium Regis ftrenue militantem vecorditer reliquerunt: quod videns ipfe denuo circumduxit Villam ufque Caftrum, & ibi non invento Patre reverfus eft ad eum in Abbatiam. Interim tumultuabat civitas per partes utrafque, vacabant enim fpoliis, & rapinis,& equis occiforum ftabiliendis, nec adhuc fe mutuo recognofcere potuerunt. Cumque poft modicum coadunati Barones infultum feciffent ad Caftrum pro *Johanne* Gyffard, & aliis concaptivis, quos Regales acceperant, defenderunt fe ftrenue, & emiffis telis ignitis magnam partem Villæ incenderunt. Quod videntes Barones retraxerunt fe, & ad Abbatiam diverterunt, & illuminata eft Ecclefia telis eorum, fed tamen poft modicum ignis ille extinctus eft. Videns autem filius Regis eorum audaciam, & recollectis multis ex fuis, cum remanfiffent adhuc plures viri ftrenuiffimi, difpofuit iterato exire ad pugnam. Quo cognito miferunt Barones mediatores pacificos, qui diem differentes in craftinum,promiferunt quod in craftina die loquerentur de pace plena cum effectu. Actaque funt hæc in menfe *Maio*, die Sancti *Dunftani* Epifcopi, anno Domini M. CCLXIV. Sequenti vero die Jovis difcurrebant inter Regem & Barones bini & bini de Ordine Prædicatorum & Minorum, portantes verba pacifica, & fic cum quibufdam aliis interponentes partes, quod fequenti die Veneris tradidit fe filius pro Patre, *Edwardus* fcilicet pro Rege, & pro cæteris commilitonibus fuis. Et *Henricus* filius Regis *Alemanniæ* dedit fe pro Patre fuo, & hoc fub fpe pacis & quietis, ut cum deliberatione tractarent in pofterum, quæ provifionum & ftatutorum effent pro utilitate Regni tenenda,& quæ rationabiliter recufanda,& quod hinc inde captivi libere & abfque ullo dato redderent. Sequenti vero Sabbato licentiavit Rex fuos quafi omnes, & abierunt in pace ad loca fua, tam Caftrenfes quam Familiares, & cæteri, qui fuerant in Ecclefia conftituti. Mifitque Rex, de confilio filii fui & Comitis, litteras fuas ad fideles fuos, quos in munitione de Tunebrige conftituerat, quod de cætero Baronibus quicquam mali non inferrent, fed redirent ad propria, eo quod pax erat in januis, & modis omnibus adimplenda. At illi non credentes perrexerunt, ita ut erant armati, ufque Briftow, & manferunt ibi in præfidio ufque poft evafionem *Edwardi* filii Regis à carcere. Primo tamen cum audiffent apud Tunebrige Regem devictum, & *Londonienfes* per filium Regis in fugam verfos, præfidente *Willielmo* de Say, qui à conflictu fugerat, quod hofpitarentur *Londonienfes*, qui fugerunt, apud Croyden, irruerunt in eos, advefperante die, & captis fpoliis multos peremerunt.

Edwardus Regis filius & Henricus Regis Alemanniæ filius fe dedunt Baronibus.

C A P.

CAP. XXXI.

Quomodo Edwardus *evaſit à Carcere.*

1264

DEcreſcente parte Regis, & roborata parte Comitis, difficiliorem ſe Comes exhibuit; eo quod Rex & omnia ſua à poteſtate Comitis & gratia dependebant; circumduxerunt ergo filium Regis ad fortiora Caſtella, quouſque quaſi omnia Caſtra terræ in poteſtatem Comitis traderentur, & ex tunc arctius ſolito cuſtodiebant eum. Cumque crebreſceret fama, quod filius Regis in vinculis teneretur, excitaverunt eum ut tornearet, ut videretur à populo. At ille præmunitus, & ſeditionem timens, non ſe credebat eis: filii autem Comitis, qui erant quatuor, ſcilicet *Henricus*, *Simon*, *Gwydo*, & *Henricus*, in ſuperbiam erecti, fecerunt multa mala, quæ diſplicuerunt Comiti *Glouceſtriæ*, inter quæ *Henricus* ille primogenitus, cum ipſo Comite *Glouceſtriæ*, torneaſſe debuerat apud *Northamptonam*, ſed defecit, eo quod timebant plures inde poſſe deterius evenire. Motuſque Comes miſit ad patrem eorum Comitem *Simonem*, & petiit ſibi mitti inſignes captivos, quos ipſe ceperat in Bello de Lewes, inter quos Rex *Alemanniæ* nominatur primus. At ille remandans reſpondit ſibi ſufficere debere, quod ei terras ſalvaverat in ipſo die Belli. Noluit ergo mittere, ſed nobiliores ſervavit in Caſtro *Doverniæ*. Inter quos fuit ipſe *Philippus* Baſſet, qui in conflictu Northampton murum confoderat, ut ſupra continetur. Indignatus ergo Comes *Glouceſtriæ* accepto reſponſo, miſit continuo ad Dominum *Rogerum* de Mortemer, qui parti Regis ſemper abſque mutatione adhæſerat, quod mutuo loquerentur ſibi pro utilitate Regis & Regni. At ille timens, ne forte non fidelis eſſet, petiit obſidem, & obtinuit. Convenientibus tandem ipſis dixit ei Comes omnia quæ facta ſunt, & quod pœnituit eum peccaſſe in Regem, & peccati maculam delere velle. Miſerunt ergo ſecreto ad *Robertum* Fratrem ipſius Comitis *Glouceſtriæ*, qui cum *Simone* Comite morabatur. Et inter primos ipſius magnus tenebatur. Quomodo unanimes effecti ſunt, & quod ad liberationem filii Regis cautius inſtaret, cum ad id ſe offerret oportuna facultas. Miſitque prædictus *Rogerus* de Mortemer ad filium Regis equum optimum, & curſorem velociſſimum, in quo confidere poſſet, cum ſibi videret tempus oportunum. Quibus cognitis petiit *Edwardus* de conſilio prædicti *Roberti* à Comite *Simone* licentiam ſpatiandi & probandi dextrarios, ſi forte torneare deberet, ſicut & aliquando voluiſſent. Et erant tunc apud *Herefordiam* & Rex & Comes: ſemper enim Regem ſecum tenuit Comes in honore. Accepta itaque licentia, cum jam curriſſet equos aliquos & eos laſſos reddidiſſet, tandem aſcendit illum equum electum, quem prædictus *Rogerus* de Mortemer ei miſerat. Et ob hanc tamen, præmiſſo interim Puero, qui ei conſenſerat, cum duobus gladiis & in equo optimo, converſuſque ipſe ad cuſtodem ſuum *Robertum* de Ros, cæteroſque ſocios circumſtantes, dixit, Domini Chariſſimi, aliquantiſper manſi in cuſtodia veſtra, & ulterius manere nolens ad Dominum vos commendo: & converſis loris cum feſtinatione abiit. Inſequentes autem eum cæteri comprehendere non poterunt; & demum videntes *Rogerum* de Mortemer à Caſtro ſuo de Wiggemore cum multis armatis venientem ei obviam, ſicut primitus condixerant, reverſi ſunt vacui, & ſic illuſi. Eodem anno ſcilicet M. CCLXIV. obiit *Urbanus* Papa, cui ſucceſſit *Clemens* IV.

Comes Glouceſtriæ cum quibuſdam aliis deficit à Comite Simone, & una cum ipſis de liberando Edwardo conſpirat.

Edwardus è cuſtodia Comitis Simonis evadit.

Urbanus P. obit.

CAP. XXXI.

De Kenylworth, & Bello de Evehame.

1265 AUdita evasione filii Regis à carcere concurrit ad eum multus populus, & cum immenso gaudio susceperunt eum, inter quos qui primus extitit Comes *Glouceſtriæ*, & cæteri Regales, qui apud Bristow, & in confinio ejus diu manserant: crevitque in tempore brevi exercitus ejus in immensum, quo cognito timuit sibi Comes *Leiceſtriæ*, *Simon* de *Monteforti*, & mittens in *Walliam* vocavit inde multos, & robur sui exercitus ex omni qua potuit parte multiplicavit. Misit etiam *Simonem* filium suum ad Magnates Boreales ut eos cum omni festinatione adduceret. Qui coadunatis multis fere xx. Baronettis, & plebe multa, fecit aliquantisper stationem apud Castrum de Kenylworth. Nunciatumque est hoc *Edwardo* filio Regis per exploratorem suum Margoth, qui, cum mulier esset, in veste tum virili velut homo gradiebatur, & per *Rad.* de Arderne, quæ cum esset ex parte altera, consocios tamen prodiit & decepit. Eratque tunc *Edwardus* apud *Wirceſtriam*, quam post *Glouceſtriam* paulo ante devicerat, & accepto nuncio consurgens de nocte abiit, & pervenit ad locum, quem præordinaverat exploratrix illa, ad armandum se: erat videlicet, vallis profunda, & prope locum Castri. Dumque armarent se & equos cingerent, audiebant sonitum à longe venientem, & timebant dicentes, præmuniti sunt hostes nostri, & ecce jam veniunt: statimque ascenderunt equos, & lanceas in manibus adaptabant. Cumque direxissent acies suas ante diluculum, & processissent in itinere, venerunt hostium longæ quadrigæ, ut victualia quærerent, & continuo captæ sunt, & equi distributi in loco lassatorum equorum per exercitum. Procedentes vero irruerunt in hostes summo diluculo, & invenerunt eos dormientes in villa & Abbatia, & erant multi muniti sanguine vineæ. Peremptis ergo multis de communi populo, ceperunt circa quindecim vexillarios electos, & spolia multa: *Simon* vero Juvenis, qui pernoctaverat in Castro, sic cum paucis captionem evasit. Gesta sunt hæc IV *Non. Auguſti* Anno Domini M. CCLXV. Et statim ad *Wirceſtriam* reversi sunt. Cumque audisset *Edwardus* Comitem *Simonem* inveniendo esse versus Kenylworth, ut exercitui filii sui se conjungeret, & fieret fortior, processit obviam ei die tertio apud Evesham, & ordinato exercitu per tres acies, ipse cum suis ex parte una, Comes *Glouceſtriæ* ex altera, & *Rogerus* de Mortemer à tergo veniebat. Venit itaque *Edwardus* filius Regis ex parte Boreali quasi de Kenylworth ad Evesham: & ne cognosceretur à longe præcepit primo erigi vexillum *Simonis* Junioris, & cæterorum, qui captivi ducebantur, festinavitque ut monte *Elyno* ascenso primos belli ictus occupare posset. Cumque vidisset speculator Comitis *Simonis* *Nicholaus* barbitonsor ejus, qui homo expertus erat in cognitione armatorum, armatos sic à longe venientes, dixit ad Comitem, ecce venerunt armati multi à septentrione, nec cognosci possunt à longe, apparent vexilla tuorum. Et ille, filius meus est, ne timeas. Sed vade & circumspice, ne forte præoccupemur circumventi; non enim cognoverat adhuc de his quæ filio acciderant. Perrexit ergo speculator ille in altum in cloccario Abbatiæ, ubi Comes fuerat hospitatus, & de claro cognoscens vexilla filii Regis à latere uno, deposuerunt enim tunc alia vexilla, & vexilla Comitis *Gloceſtriæ* à latere altero, & vexilla similiter *Rogeri* de Mortemer ab occidente, & à tergo clamavit ad Comitem, & dixit, mortui sumus omnes. Non enim venit filius tuus ut credebas, sed filius Regis ex parte una, Comes *Glouceſtriæ* ex altera, & *Rogerus* de Mortemer ex parte tertia, & ait Comes, propitietur Deus animabus nostris, quoniam eorum sunt corpora nostra, præcepitque ut confiterentur omnes, & essent parati in prælium, qui pro legibus

Simon Comitis Simonis filius ab Edwardo inopinato invasus opprimitur.

bus terræ mori vellent, & pro justitia, qui vero per fugam se salvare vellent, & hos quidem liberos abire præcepit. Cumque confortaretur à primogenito suo *Henrico* ne desperaret in eventu dubio, respondit, non despero, fili, sed præsumtio tua & superbia fratrum tuorum me ad hunc finem, quem vides, perduxerunt; veruntamen, ut credo, moriar pro Deo & Justitia. Armantur ergo omnes,& ad præliandum aliquantisper animantur;sed & ipse Rex, qui in Custodia Comitis usque in præsens remanserat, armis, ut dicitur, Comitis armatus est. Processerunt ergo per turmas suas ad pugnandum pro patria, & antequam progressi sunt, fugerunt *Wallenses* à Comite *Simone*, & in transeundo flumen Sere multi submersi sunt, & reliqui denuo baptizati. Conserto itaque gravi prælio corruerunt multi ex parte Comitis, sed & ipse Rex percussus in scapula clamavit fortiter. Ego sum *Henricus* de *Wincestria* Rex vester, non occidatis me. Erat enim vir summopere pacificus non bellicosus: salvavit eum in voce hac Dominus *Adam de monte alto*, accurrit etiam filius ad vocem Patris,& eum custodiendum tradidit certis militibus suis. Interim vero cecidit & occisus est Comes *Simon*, priusquam reverteretur *Edwardus*, & cum staret Pedes pungnans gladio, & occiso dextrario, circumque fecissent Magnates sui cum *Henrico* primogenito suo, prorumpit in hæc verba, dicens ad hostes. Num misericordia aliqua vobiscum est, & respondit unus, quæ misericordia seductori? Et ille misereatur ergo Deus animabus nostris, quoniam corpora nostra in voluntate vestra sunt, & his dictis martyrizaverunt eum, præcisis membris, & amputato capite: corrueruntque cum eo in modico terræ spatio *Henricus* primogenitus ejus, Dominus *Hugo* le Spenser, Dominus *Raderus* Basset., Dominus *Thomas* de Hestelee, Dominus *Willielmus* de Mandevile, Dominus *Johannes* de Beauchamp, Dominus *Grwydo* de Balliof, Dominus *Rogerus* de Roule. Et multi alii nobiles cum plebe copiosa. Gestaque sunt hæc II. *Non. Augusti*, anno Domini M. CCLXV. duravitque bellum hoc ab hora quasi prima, usque fere vesperam. Et reversi sunt cum Rege sic liberato, usque *Wircestriam* portantes secum spolia multa, & caput Comitis *Simonis* mittentes ad uxorem *Rogeri* de Mortemer apud Wiggemore.

Henricus 3.

Edwardus patrem suum liberat.

Simon de Monte forti cum filio suo primogenito, & multis aliis fortiter pugnans occiditur.

CAP. XXXII.

De captione Cesterfield, *& exhæredatione Baronum, & de taxatione* Norwicensi.

POst modicum tempus recolligebant se Barones, qui remanserunt, & cœpit habere nomen Dominus *Johannes* Saybille, homo quidem callidus, & bellator fortis: fecerunt ergo mala quæ poterant, & convenerunt in mense *Maiio* apud Cesterfield, sub ipso *Johanne* Saybille, & Comite *Ferrariensi*, ubi supervenientes Regales milites irruerunt in eos subito, & cœperunt multos iterum, quasi dormientes. Ipse tamen *Johannes* Saybille confestim armatus, dum exiret ut fugeret, percussit Dominum *Gilbertum* Hanusard, & eum cum equo ictu lanceæ dejecit in terram, & aufugit cum paucis, qui eum sequi poterant. Periitque populus multus, & interim nobiliores fugam inierunt, fugitque Comes *Ferrariensis* & in Ecclesia abscondit se, sed tamen,prodente eum quadam muliere, extractus & captivus abductus est. Tenuitque Rex Parliamentum suum Mense *Novembri* apud Northampton, & exhæredati sunt omnes, qui Comiti *Simoni* astiterunt, & uxore ejus cum liberis, tenuitque ibidem consilium *Othobon* Legatus Domini Papæ, & excommunicavit omnes Episcopos, qui eidem Comiti *Simoni* auxilium præstiterant & favorem. Misitque quosdam eorum ad præsentiam Papæ, pro beneficio absolutionis obtinendo; publicavitque quædam statuta, quæ fecerat, & concessionem Domini Papæ

1266

Parliamentum Northamptoniæ habitum.

 Clementis,

Henricus 3. *Clementis*, quam fecerat Regi & Reginæ, & decima *Anglicanæ* Ecclesiæ concessa eisdem per sex annos sequentes, fiebatque cito post taxatio *Norwicensis* per *Walterum Norwicensem* Episcopum, qui ad hoc onus electus est. Factaque sunt hæc in anno Domini M. CCLXVI. Eodem anno obiit *Godefridus Eborum* Archiepiscopus, & electus est *Willielmus* Decanus ejusdem Ecclesiæ. Sed tamen à Papa non admissus. Imo missis ad Papam literis per ipsum *Othobonem* Legatum transtulit ipse propter *Walterum* Gyffard a sede *Bathoniensi*, usque ad sedem *Eborum*, & in sequenti anno in Archiepiscopum *Eborum* consecratur.

Godefridus Archiep. Eborac. obit.

CAP. XXXIII.

De captione apud Ely, & *concordia Baronum cum Rege.*

1267 ANno Domini M. CCLXVII. obsedit Rex *Henricus* Castrum de Kenylworth a V. *Kal. Julii* usque *Idus Decembris*, ubi adveniente *Othobone* Legato, & interveniente, reddidit illud Regi *Henricus* de Hastinges, qui fortiter illud tenuerat, salvis sibi vita & membris, terris & Castellis. Interim recollegerant se Barones cum *Johanne* Davylle in Insulam de Haxailylum; & procedentes inde ceperunt *Lincolniam*, spoliaveruntque *Judæos*, & multos ex eis peremerunt, & introeuntes in Synagogam eorum librum Legis dilaceraverunt, succendentes etiam igni omnes Cartas & obligationes quascunque invenire potuerunt. Quod audiens Rex misit filium suum *Edwardum* ut comprehenderet. At illi fugientes à facie ejus receperunt se in Insulam de Ely munientes introitum ex omni parte. Erat enim mensis *Aprilis*. Cumque filio Regis venienti non pateret in exitus aquarum, quæ ex omni parte ipsam circuiverant Insulam; de consilio incolarum ejusdem provinciæ convocavit operarios multos, & per fossata multa in profundis maris, cis viam quam præostenderunt incolæ, fieri jussit, apponens tabulas & curtes, & sic faciens pontes in plerisque locis: ingrediente tandem eo in Insula per viam quam fecerat, fugerunt Barones quidam *Londoniis*, & à *Londoniensibus* suscepti sunt. Cæteri vero dederunt se, scilicet Dominus de Wake, & *Simon* Juvenis, & Lepeches, salvis vita & membris, & quod ipse filius apud patrem intercederet ad ipsius Regis gratiam plene promerendam. Adveniente tamen Rege cum filio London, qui confugerant illuc una cum ipsis civibus tenuerunt villam contra Regem XL. diebus, & ipsum *Otobonem* Legatum, qui in turrem Regiam præ timore confugerat, ne quidem exiret, diligenter custodiebant. Tandem vero, interveniente Comite *Gloucestriæ*, & multis amicis Comitibus, recepti sunt in gratiam Regis & Barones & Cives: electique sunt quatuor Episcopi & octo Magnates, qui prius fuerant nominati apud *Coventriam*, ut ipse inter Regem & exhæredatos formam pacis & redemptionis in omnibus ordinarent, & facta pronuntiatione in Festo omnium Sanctorum de plena concordia & redemptione singulorum, statuta est pax ipsius Regis, & præconizata per totam Regionem. Tenuitque Rex Parliamentum suum in Octavis Sancti *Martini* apud Marleberg, anno Regni sui LII. & anno Domini supra dicto. Ubi, de consilio discretorum & unanimi voluntate Magnatorum suorum, meliorationem Regni sui & exhibitionem communis justitiæ multa fecit statuta, quæ dicuntur statuta de Marleberg.

Barones Lincolniam expugnant.

Ely insula capta.

CAP.

CAP. XXXIV.

Edwardus *profectus est in Terram Sanctam cum aliis Rebus.*

SUb memorati Regis nostri *Henrici* principatu, suscitavit Dominus spiritus Christianorum contra *Saracenos*, longo jam tempore possidentes sanctuarium Domini, id est loca sancta, in quibus redemptio nostra facta est. Factus est ergo per diligentiam *Romani* Pontificis *Clementis*, & aliorum servorum Dei religiosam operam, magnus populi Christiani cursus, & fortissimi Principes caractere Domini insigniti sunt, & numerosa stipati militia Orientis Regna laboriosissime penetrarunt. Inter quos eandem expeditionem assumpsit *Edwardus* Filius Regis *Henrici*, & iter arripuit in æstate, anno Domini M. CCLXX. Dabaturque tricesima per totam *Angliam* ob hanc piam expeditionem. Veniens autem circa Festum Sancti *Michaelis* apud * **Egermorthe**, quod distat à *Marsilio* XVIII. leucis versus Occidentem, ibidem navem ascendit, & prospero vento vela laxantes, & pro voto proficientes, decimo die applicuit apud **Tunes**, susceptusque est immenso gaudio à Regibus Christianis, quos ibidem invenit, à Rege scilicet *Franciæ Philippo*, qui nomen regium sortitus est post mortem patris sui *Lodowici*, qui paulo ante ibidem defunctus est, à *Carolo* Rege *Siciliæ*, & aliis duobus Regibus, *Naverniæ* scilicet, & *Aragonum*; omnes isti Reges convenerant pro zelo Dei & populo Christi. Ipse etiam *Edwardus* pro se & pro patre, & *Henricus* filius Regis *Alemanniæ* pro patre suo similiter veniebat. Hic etiam *Henricus* filius Regis *Alemanniæ*, in redeundo postea ad patrem, apud **Witerbe**, in ipsa Capella, cum missam audiret, occisus est per *Gwydonem* de *Monteforti* & Comitem *Rufum*, cujus filiam ipse *Gwydo* duxerat, in ultionem mortis patris sui Comitis *Simonis*. Cumque a prædictis Regibus sciscitaret *Edwardus* quid fieret, responderunt ei, Princeps Civitatis istius cum adjacente provincia, tributum reddere consuevit Regi *Siciliæ* annis singulis, & quia multo tempore per septennium & ultra jam in solutione cessavit, idcirco appetivimus eum. Ipse vero sciens tributum juste deberi, jam satisfecit nobis ad votum, etiam pro tempore præterito & futuro. At ille, quid est, Domini charissimi, nonne convenimus huc, & caracterem Domini assumpsimus, ut in inimicos Crucis Christi procedere, & non componere debeamus. Absit à nobis hoc, nam modo post introitus & terra nobis est plana & dura, ut possimus procedere usque ad Sanctam Civitatem *Jerusalem*. At illi dixerunt, jam cum istis composuimus, & pactum præterire non licet, sed revertamur in *Siciliam*, & transacto hieme apud *Acram* applicare poterimus. Displicuitque consilium hoc, nec ipsi compositioni assensum præbuit, non participans quicquam de pecunia scelerata, sed facto eis Regali convivio clausum se tenuit. Permanentes itaque in fixo proposito, demum aura flante conscenderunt naves Reges universi, & remanserunt in littore plusquam CC. viri, non habentes navem in qua veherentur, clamantes & ejulantes præ timore mortis, quam citam oporteret recipere, si remanerent. Motus ergo *Edwardus* in lachrymis eorum, cum non moverentur alii, terram cum scapha adiit, & in naves suas singulas adaptans eos præmisit omnes ante se, & sic demum cum cæteris laxatis velis, & mare sulcans profectus est. Septimo autem die applicuerunt omnes in Regno *Siciliæ* ex opposito Civitatis de **Trapes**, secundoque die ante festum Apostolorum *Simonis*, & *Judæ*, & hora quasi nona, & anchoraverunt in alto mari, plusquam uno milliario a terra; erant enim maximæ naves singulæ, habentes duo vela, & supra modum onustæ, veneruntque obviam eis ex portu civitatis scaphæ multæ, & Reges, &

[Margin: 1270]

[Margin: *Henricus Regis Alemanniæ filius occiditur Viterbii 4. id. Mart. an. 1271.*]

[Margin: *Cruce signati in Siciliam appellunt.*]

* *Aigues mortes, Aquas mortuas.*

Henricus 3. Principes, ac Majores exercitus uſque ad terram perduxerunt bina vice, vel trina, ſed equos valde paucos, & arma quaſi nulla. Adveſperaſcente demum die movit ſe mare, & ſubito orta eſt tempeſtas ſæviſſima, ita quod colliſæ naves & confractæ perierunt, & ſubmerſi ſunt pluſquam circiter xx. cum equis & armis, & animabus multis; periitque theſaurus ille ſceleratus, & in profundum maris demerſus eſt, omnibus autem navibus ipſius *Edwardi*, qui erant xiii. non nocuit illa tempeſtas, nec periit ex eis unus homo, ſalvavitque Dominus omnia ſua, eo quod conſilio ſcelerato non conſenſerat. Mane autem facto, dum egrederentur Reges ad Mare, viderunt in litore homines ſubmerſos, & equos abſque numero viderunt quidem, & doluerunt, nec mirum; cum ex tantis navibus & mille quingentis nautis, abſque communi populo, non remanſerant aliqui, niſi nautæ tantum unius navis, & hi quidem hoc modo: erat in illa navi una bona Matrona & Comitiſſa, quæ periculum videns, & juſte ſibi timens, quæſivit à nautis utrum ſalvari poſſent, ſi litus maris arripere attentaret. At illi reſponderunt, quod ſi fiet ſic ſalvarentur homines, ſed periret ipſa navis. At illa, non ſit vobis cura de navigio ſi ſalventur animæ, duplicabo vobis pretium navis. Statimque duo vela laxantes in altum, cum tanto impetu irruerunt in terram, quod ab aqua maris longe ſeparata fixa manſit in litore. Sed, ut prædixerant nautæ, in duas partes reſoluta eſt, & ſalvæ factæ ſunt omnes animæ, cum contentis univerſis. Mutato ergo propoſito reverſi ſunt omnes Reges in terras ſuas, ſubmerſis, ut dictum eſt, & equis & armis. ſolus autem *Edwardus* hiemavit ibidem cum navibus ſuis, quas Deus Omnipotens ſibi ſalvaverat.

Tempeſtas ſæviſſima.

Reges revertuntur in terram ſuam. Edwardus vero hyemat in Sicilia.

CAP. XXXV.

Quid fecit Edwardus *apud* Acram, *& quomodo vulneratus eſt.*

1271 Circa medium xl^æ. iterato propoſitum revocans navem aſcendit *Edwardus*, & à Paſchate Domini per xv. dies ad *Acram* applicuit cum m. viris electis, manſitque ibidem per menſem integrum, ad refocillandum homines, & equos, & ut interim ſecreta terræ cognoſceret. Poſt menſem vero exierunt cum eo Chriſtiani multi, quaſi vii. mille, & profecti ſunt quaſi xx. leucis ab *Acra*, ceperuntque Nazareth, & quos invenerant peremerunt. In redeundo autem apud *Acram*, ſequebantur eos hoſtes, ſi quo modo ex eis cædere poſſent in loco ſtricto, vel convalle. Quod illi videntes, dederunt ſtatim facies ſuas, & cæſis aliquibus, cæteros in fugam converterunt. Iterato circa Feſtum Natalis Sancti *Johannis Baptiſtæ*, cum audiſſet *Edwardus* conveniſſe *Saracenos* apud Hakehowe, quod diſtat ab *Acra* quaſi xv. Milliaribus exivit ibidem, & irruens in eos ſummo diluculo percuſſit ex eis quaſi mille viros, cæteris in fugam velocem converſis. Tuleruntque ſpolia multa & profecti uſque ad Caſtrum Peregrinorum, quod ſuper Mare ſituatur, manentes ibidem cum cæteris Chriſtianis nocte illa, & in ſequenti die reverſi ſunt ad *Acram*. Interim Rex *Jeruſalem*, qui advenerat, miſit ad Magnates de *Cypro*, ut in auxilium Chriſtianorum cum feſtinatione venirent, at illi venire noluerunt, dicentes ſe nolle terram ſuam exire. Miſitque tunc ad eos *Edwardus*, ut ad rogatum ipſius ſaltem venirent in hac parte: at illi continuo veniebant cum magna militia, dicentes ſe teneri mandatis ipſius, pro eo quod anteceſſores ſui dominabantur olim terræ illorum, & ſe debere Regibus *Anglorum* ſemper eſſe fideles. Animati itaque Chriſtiani tertio exierunt circa feſtum Beati *Petri ad vincula*, uſque ad Sanctum *Georgium*, & peremptis quibuſdam, cum non invenirent qui reſiſterent, reverſi ſunt cum gaudio in locum ſuum. Cumque inter inimicos Crucis Chriſti *Edwardi* fama increbreſceret, timuerunt eum valde, & mutuo loquebantur, ſi forte poſſent eum opprimere caute. Miſit ergo ad eum

Nazareth ab Edwardo capta.

Edwardus Saracenos fundit.

eum literas Princeps ille magnus Admiralius * *Iaſpes*, fingens in dolo ſe velle fieri Chriſtianum, & quod multos attraheret ad ſe, ſi tamen ab ipſo cæteriſque Chriſtianis haberentur cum honore. Placuitque ſermo & excitavit eum *Edwardus* ad hujuſmodi propoſitum perficiendum: iterato vero,& tertio, & quarto, ſemper miſit eundem puerum, ob eandem cauſam. Et erat ille Nuncius de alte nutritis, qui nec mortem timent, nec Deum reverentur. Quinta autem vice, cum veniſſet ad eum idem Nuncius, &, ut moris erat, à Miniſtris *Edwardi* eſſet in brachiis & zona viſus, nec tamen cum cultello vel armis inventus, adduxerunt eum ad Cameram *Edwardi*, & inclinans tradidit ei literas ex parte Domini ſui, ſicut alias facere conſueverat, eratque Dies *Jovis* infra Octavas *Petri*, & hora Veſperarum, & propter calorem nimium ſedit *Edwardus* in tunica ſola ſuper lectum, diſcooperto capite. Dumque legerentur literæ, apparuit in lectura earum, quod ſequenti Sabbato ejuſdem hebdomadæ veniret Dominus ſuus, ad perficiendum quod promiſerat. Placuitque ſermo cunctis audientibus, & confabulabantur a longe in his quæ audierant. Ipſe vero curvatus *Edwardo* plura ſciſcitanti ad interrogata reſpondit. Tandem vero manum apponens ad balteum, quaſi ſecretas literas extracturus, extraxit ſubito cultellum venenatum, ut ventri ſedentis eum infigeret. At ille elevata manu, ut percutienti reſiſteret vulneratus eſt in brachio profunde; & iterato percutere volentem repercuſſit pede cum tanto impetu, quod in terram corruit; apprehenditque manum ipſius, & tam valide cultellum extraxit, quod ſeipſum vulneravit in fronte, & ſtatim infixit in ventrem ejus, & occidit eum. Accurrentes ad hæc Miniſtri ejus, qui a longe ſteterant, invenerunt eum in terra mortuum, & apprehendit unus eorum tripodem, ſcilicet Cithareda ſuus, & percuſſit eum in capite & effundit cerebrum ejus. Increpavitque eum *Edwardus* quod hominem mortuum percuſſiſſet. Deſcendit rumor iſte ſiniſter in Aulam, & ab Aula in populum, & contriſtati ſunt valde. Accurrenſque ſtatim magiſter militiæ Templi, dedit ei pretioſa quæque libere, ne infuſum venenum noceret, & ne in interiora aſcenderet. Et increpando dixit, nonne prædixi tibi ſeditionem populi hujus? Adjecitque ad hæc, confortare tamen, & noli timere, quoniam ex iſto veneno non morieris. Vocantur ergo Chirurgici, & medicamenta imponunt, ſed poſt dies paucos, videntes denigreſcere carnem,muſſitaverunt inter ſe, nec erat ulla lætitia in populo ſuo: quod ille perpendens dixit eis, quid eſt quod muſſitatis, nonne ſanari poſſum? Dicite mihi, nec timeatis. Et ait unus natione *Anglus*, curari potes, ſed oportet te dura pati. Et ille, ſi paſſus ſum quidem ſuero, numquid ſanitatem promittis? Et ait, promitto quidem, & ſub pœna capitis mei; & ait, committo ergo me tibi, & expete quæcunque volueris: & ille, numquid ſunt aliqui ex Magnatibus tuis in quibus confidis. At ille nominavit multos ex circumſtantibus. Circumſteterunt enim eum Magnates plurimi cum uxore ſua. Et ait duobus primo nominatis, Domino ſcilicet *Edmundo*, & Domino *Johanni* de Weſcy, numquid & vos diligitis Dominum veſtrum, & dixerunt utique. Et ait, tollite ergo mulierem hanc, & non videat eam Dominus ejus, quouſque dixero vobis. Tulerunt ergo eam flentem & ejulantem; & dixerunt, ſine Domina, melius eſt quod tu effundas lachrymas, quam quod lachrymetur tota terra *Anglicana*. Mane autem facto incidit denigratam carnem Brachii ſui & projecit ex toto; & ait, confortare, quoniam promitto tibi, quod infra xv. dies manifeſtabis te, & equum aſcendes. Tenuitque quod promiſit, & admirati ſunt univerſi. Cumque diceretur hoc Magno Soldano, *Edwardum* ſcilicet eſſe ſuperſtitem, vix fidem adhibuit; & mittens ex ſuis tres Principes magnos, excuſavit ſe, Deos ſuos atteſtans, quod per ſe vel ipſius ſcientia non eſt factum hoc. Qui ſtantes à longe adoraverunt *Edwardum* proni in terram. Et ait *Edwardus* in *Anglico*, vos quidem adoratis me ſed minime diligitis, nec intellexerunt verba ejus, eo quod per

Henricus 3.

Edwardus ab Aſſaſino quodam vulneratur maximo cum vitæ periculo.

* *Joppenſis.*

Interpretem

Interpretem loquerentur ei. Honorifice autem tractavit eos, & poft bidu-um dimifit in pace. Poft tempus modicum difcurrebant inter partes medi-atores & nuncii pro treugis ineundis, & inierunt inter fe treugas decennales, decem Hebdomadum, & decem dierum: reverfique funt Chriftiani ad loca fua præter inhabitatores urbium, quæ fub Chriftianorum poteftate mane-bant.

CAP. XXXVI.

Reverfus eft Edwardus *de Terra Sancta & Tornavit apud* Chalons.

1271 UNitis itaque treugis, poftquam ipfe *Edwardus* jam in anno & dimidio manfiffet in *Acra*, circa affumptionem Beatæ Virginis navem afcendit, ut reverteretur: fed poft feptem Hebdomadas in Siciliam applicuit apud [a] Trapes, inde viam faciens per [b] Palæftinam & [c] Mechines, & fic per medi-um [d] Poylle ufque Romam; ubi à Papa *Gregorio* honorifice fufceptus eft. Cumque appropinquaret *Franciam*, & fama gloriæ ejus divulgaretur in popu-lo, invidebant gloriæ ejus multi, & præcipue Comes ille ftrenuus de Chalons. Mifitque, & petiit ut torniaret cum eo in terra fua, qui gloriam fuæ laudis imminuere nolens, licet peregrinationis fuæ caufam prætendere poffet, & fe excufare, noluit tamen; fed libenter conceffit, & præconizatum eft voce pub-lica, quod *Edwardus* cum peregrinis fuis partem torniamenti teneret contra omnes advenire volentes. Concurrunt itaque multi ex omni parte Regionis illius, inter quos pedeftres multi, & etiam quidam Equeftres conjurati funt ad invicem in fpoliationem *Anglorum*, præ manibus vendentes & equos & arma, & bibentes vinum libaminum in fpoliationem captivandorum. Mifit etiam *Edwardus* in *Angliam* pro quibufdam Magnatibus fuis, & venerunt ad eum Comites & Barones. Adveniente demum die inventi funt cum *Edwardo* fere mille milites armati, & pedeftres multi, fed ex parte altera duplare eum po-terant & hominibus & equis. Congredientibus ergo partibus cœperunt pe-deftres, qui conjuraverant & fpoliare & perimere, refiftebantque noftri cum fundis & arcubus; & peremptis quam plurimis, cæteros ad portas Civitatis perfecuti funt, multos etiam fugaverunt ad aquam, & fubmerfi funt. Interim dedit fe Comes, cum electis L. Militibus, qui fequebantur eum, ad Cimeum *Edwardi* & conjunxit fe ei, mutuifque gladiorum ictibus longo fpatio decerta-bant. Cumque effent ambo ftrenui, & vidiffet fe Comes non proficere gla-dio, circumduxit brachio collum *Edwardi*, & eum vehementer aftrinxit, & ait *Edwardus*, quid tibi vis? Nunquid meum equum habere credis? Et ille, utique & te, & equum habere volo. Indignatus ad hæc erexit fe, & percuffo dextrario in tantum irruit, quod relicto equo proprio collo ipfius adhæfit alter, excuffitque eum in terram cum diu fic pendere non poterat, attonituf-que *Edwardus* exivit continuo ut ventum reciperet, ad refocillandam animam ejus, videnfque iniquitatem eorum, quomodo multos ex fuis jam peremerant, & non tornamenti, fed modum belli exercerent, ait fuis, jam nemini parcat oculus nofter, fed ficut ipfi nobis faciunt, fic & vos faciatis eifdem. Ingreffi funt ergo in mortem illorum, & ex omni parte gladio fæviebant. Reverfique pedeftres à cæde cæterorum, cum vidiffent ex fuis jam multos corruiffe, in-greffi funt audacter conflictum equeftrinum, & evifceratis quibufdam ex equis, multorum etiam cingulis incifis, afcenfores eorum in terram corruerunt. De-ditque fe *Edwardus* prædicto Comiti, qui tunc manibus fuorum elevatus erat in equum, & diu quoque fuftigatum cum fæpius fedare vellet, non adquievit in primis; fed cum defeciffet tandem virtus ejus, ex præcepto *Edwardi* cui-

a *Drepanum*. b *Platiam*. c *Meffinam*. d *La Pouille, Apuliæ*.

dam

dam militi simplici se tradidit, & fugerunt cæteri multi, & in eodem loco plurimi corruerunt. Reversique nostri obtenta victoria, cum se quiescere posse securius crederent, nunciatum est *Edwardo* quod perimebantur sui, dum transirent de Domo in Domum, à civibus civitatis: statimque vocato Majore & præpositis civitatis præcepit eis ut suos corriperent, & castigarent, alioquin civitatem in crastinum incenderet & complanaret. Illi autem abeuntes posuerunt custodias ex omni parte civitatis, & quievit *Edwardus* in pace. In hastiludio isto multus sanguis effusus est, unde & nomen illius mutatum est, ita quod non torniamentum, sed parvum bellum de Chalons communiter diceretur. Inde perrexit *Edwardus Parisios*, & à Rege *Francorum* honorifice susceptus est, & post dies aliquot profectus est in *Vasconiam*, & moratus est ibi usque post obitum Patris. *Henricus 3.*

CAP. XXXVII.

Tempestas.

ANno Domini M. CCLXXI. XIV. *Kal. Octobris*, tanta fuit apud *Cantuariam* inundatio pluviæ, tonitrui, fulguris, & tempestatis, quanta à diebus antiquis nunquam audita vel visa fuit, durante tonitruo, & horribiliter quasi ex uno ictu tonante tota die & nocte prædicta, & tanta inundatio aquæ secuta est, quod arbores vivas & hayas subvertit, ita quod incedere non possent homines nec equi, & periclitabantur multi impetu aquæ decurrentis per plateas, & in domibus civitatis. Secutaque est fames maxima in tota Regione. 1271

Fames tempestatem sequitur.

CAP. XXXVIII.

ANno Domini M. CCLXXII. Obiit Papa *Clemens*, cui successit *Gregorius* X. Eodem anno obiit *Petrus* de Brus tertius XIV. *Kalend. Octobris*. 1272

Clemens P. ob. Petrus de Brus ob.

CAP. XXXIX.

De morte Regis Henrici *& commendatione.*

ANno Domini M. CCLXXIII. *Kalend. Decembris*, die scilicet Sancti *Edmundi* Archiepiscopi & Confessoris, dormivit Rex *Henricus* cum Patribus suis, & viam universæ carnis ingressus est. Vir quidem gloriosus in seculo, sed non minoris gloriæ in Christo. Extitit enim vir Religiosus & pius, & licet simplex in administratione temporalium, tamen magnæ devotionis in Deum. In piis largitionibus tam profusus, ut præter copiosam distributionem pauperum, eleemosinas etiam ipsius sentirent multæ Ecclesiæ Sanctorum, & præcipue *Westmonasteriensis Londoniæ*. In qua quidem Basilica *Westmonasterii*, quam ipse nobili schemate a fundamento decenter erexit, humaniter reconditus, honorifice jacet, anno scilicet Regni sui LVII. Factæque sunt funeris ipsius exequiæ 1273

Henricus 3. equiæ die Sancti *Edmundi* Regis & Martyris, anno quo ſupra. Eodem anno in Archiepiſcopum *Cantuarienſem* præfectus eſt per Dominum Papam frater *Robertus* de **Kilnerby**, de Ordine Prædicatorum. Qui in anno ſequenti quinto vocatus ad Curiam in Cardinalem *Hoſtienſem* conſtitutus eſt, & ſucceſſit ei in Archiepiſcopatum *Cantuarienſem*, ex collatione Papæ, Frater *Johannes* de **Pecham**, de Ordine Minorum. Eodem anno diſcordia extitit magna *Oxoniæ* inter Clericos Aquilonares & *Hibernicos*, & aliqui occidebantur *Hibernici*.

FINIS.

INDEX
UNIVERSALIS
IN PRÆCEDENTES
ANNALES.

A.

B.

C

Conjuratio

pro

F.

H.

Hubertus

I.

Johannes

K.

L.

M.

Matthæus

N.

Philip.

Q.

R.

Radul-

 Richar-

S.

T.

V.

W.

Y.

Onendus est Lector ; *ab his Verbis pag.* 118. Rex itaque per totum regnum, *Reliqua ad finem usque, non esse* Thomæ Wikes, *sed alterius cujusdam, qui historiam ejus* continuavit. *Id quod satis constat inspicienti Codicem* MS. *Bibliothecæ Cottonianæ sub Tiberio, A.* 9.

E R R A T A,

& variæ Lectiones.

PAG. 1. l. 24. occiderat. 2. ult. forte Christicolarum. 3. ult. exitii. 4. 10. Metrop. 47. Guinedotum Powisorum. 5. 23. est Comes W. 25. Calix. Similiter. 6. 9. R. Yvor à tribus filiis Gestin, Gr. G. Gla. 34. jure Parœchiarum. 8. 21. Kenfeg. 9. 24. Kenefeg jam v. 32. Iltuti. 45. f. permagnam. 10. 28. tractati--circiter. 43. Exon apud Glaston. 11. 25. distracta. 32. coronatur. 13. 10. in Festo. 34. in turre. 44. mali. 14. 13. Viterbii. 15. 8. cast. ut ei permittebatur. 23. Mailgum. 16. 13. suis vel h. 41. Faversh. 17. 36. G. Com. 22. 20. Willielmi. 23. 21. dele Regis. 29. 34. Exigente just. 37. f. inserere. 30. 6. ab se d. 33. 52. Ebraudi. 38. 31. nec tamen. 41. 43. Boscum ar. 53. Trinitatis. 43. 19. Cantalu. 44. 31. Signatis. 45. Farnham. 45. 20. avunculus. 46. 5. Thuringum. 10. f. vilip. 27. Sempringh. 30. Mauclerk. 48. 34. Prior Eton. 48. ad miss. f. inquisitionem. 53. Martino. 49. 24. subarraverat. 52. 20. partes Kernerven. 53. 11. Walterum. 56. 26. Angliæ e pr. sc. 27. Joannes fil. I. G. de L. & Nic. de Segr. 46. Dominus Her. 57. 7. nolentes. 28. notific. mox subnixus. 47. f. viribus subnixus. 56. Devoriæ. 58. 8. ingrediens oc. 59. 10. Islew. 55. tinct. 60. 24. scelesto. 63. 20. per. v. 24. inclitos ob. 66. 10. damnum cesserunt. 70. 16. Eveshamiam. 28. vocatis f. elatis, vel ordinatis, unitis. 73. 16. Joanne Deyvil. Bald. Wake. 74. 10. & loco ejus Rog. 75. 31. filum. 78. 548. Gernm. 54. Vesci. 79. 30. Deyvil. 80. 52. usitato. 81. 25. neutra partium. 84. 27. qui ne cum. 87. 11. feoda *non* haberent. 16. Comitatus Devon. 39. insolita & pror. 89. 28. in pretio f. 47. ut convenientem. 90. 19. præsidio succurreret. 91. 42. Zushe. 92. 3. sub. f. secundum. 93. 32. carnis. 96. 37. non ferent. 54. Berkam. 100. 10. Chyshil. 101. 1. quæ prout. 51. Comit. Devon. & Insulæ. 104. 55. præmissis. 108. 51. forte tum delendum. 52. Valedicens. cel. 109. 17. Lovel. 43. Oliverus. 111. 30. Puntes. 50. Bek. 113. 1. protractoque Parl. 114. 20. fontis Ebraudi. 52. Landaven. 115. 31. Muntch. 56. cayia. 117. 3. Cantuariæ. 118. 58. familiares. 119. 29. Quarrariæ. 38. Escheator. 40. Hengham. 121. 1. quos eleg. 122. 56. puerum adde Gilbertum. 124. 57. præficeret. 125. 6. Rob. Burnel. 126. 12. Tho. de Bek. 127. 37. forte Regi Fran. & resignaturus esset. 47. Pollardos. 138. 47. ventum. 139. 1. Hulme. 5. argenti. 41. ex quo. 50. à Benabur. h erga. 141. 10. totus. 16. Walklinus 26. Dux. 142. 8. feria. 31. victoriose. 54. ultra fest. 143. 16. Christianitatem. 33. Robertus. 36. patriæ. 144. 8. ad Regem. 16. contra. 19. nolebat. 37. perenni. 50. tria. 53. dilatata. 45. 3. Normanni Angliam conquisiverunt. 35. Nordwest. 48. interfuerat itineri. 146. 34. tam. 41. ivit. 147. 31. quædam. 148. 21. ivit. 33. Robertus. 35. Chich. 149. 26. Brien. f. 48. obsideret. 150. 13. qui fuit. 33. fuit. 151. 6. ex qua genuit duos filios Baldewinum & Amauricum. 19. usque hodie. 33. Romæ. 62. modicum. 72. mundo. 152. 13. Apost. 20. Natalis Domini. 43. facta concordia inter eum & R. Franciæ. 153. 8. Regis 13. Luvel. 25. Peverel. 51. ab antiqua serie descendens. 155. 22. prius. 41. est. 46. cartis Aud. etiam. 156. 13. Alienor & 44. fuerat. 157. 23. Hon. Sincerii in. 45. capitulo. 158. 12. præclarus. 31. duxerat. 159. 12. ob. nihilom. 27. fecit & inter hæc duo castra unam domum militibus. templi. 31. Anno sexto Henrici R. ipse. 33. Ludovici. 160. 17. gladio. 161. 27. apud Turonum civitatem ob. Rogerus Ep. Wigorn. filius Roberti Comitis Glouceſtriæ. 40. prius 43. 44. anno Episcopatus. 45. qui nunquam de. 162. 14. Abbas. 163. 3. secundus, Abb. 5. hujus Abbatis. 15. Richardus, 25. Kingsw. ibid. Prior ejusdem loci. 26. * dele. ibid. ejusdem loci. 27. Monachus. 29. operibus. 165. 2. vel. 166. 34. innovatum est. 167. 13. Albino Ep. Fer. 20. insperatus. 25. & causa. 49. nam. 168. 17. sibi associatis. 33. Junii. 47. hoc. 169. 9. ubi. 30. his. 170. 12. pacifice. 13. ei paria. 171. 35. 52. ipsum. 172. 22. ita violenter extorsit. 41. Principibus. 47. à. 50. impetraverat. 173. 3. A. 15. Abbas. ibid. Johannes R. scripsit omnibus Vicecomitibus Angliæ literas. ibid. dele Rex omnibus. V. 30. quos Archiep. 31. Baliva. 34. ubi. 39. & 174. 11. formanda. 18. ex 175. 19. quib. tantum. 34. Archiep. Develine. 46. reformanda. 177. 3. mense igitur Aprili. 9. omnibus. 10. juramentum præstiterunt quod si Rex huic juramento contraire vellet. 12. feudariis. 16. nostram. 18. quid. 35. oblationis. 36. specialibus red. 43. cadat. 45. oblationis. 46. Ego I. D. G. Vid. M. Paris & Dachery Sp. T. V. 178. 6. Clericos. 13. animam. 22. quas. 24. inanes. 26. ablata. 179. 2. turbato. 8. tantum xv. mil. M. 31. properabat. 32. quam hominum. 180. 17. in furorem. 182. 20. civitatis. 183. 25. illis f. 184. 15. Regis filium. 27. Hereford. 31. Hon. tertio, 185. 6. ultionem. 187 2. facere ordinatis. 9. Bradwatre. 189. 30. xi. 39. Spirituum, 190. 21. Novitius Ecc. 28. St. Cant. 36. ultum ire, 191. 5. decem conversi. 48. Stamis. 192. 5. Soldanum. 39. resipuit. 193. 20. Sanctum Geminum. 195. 13. Siward. 196. 4. sumpta. 7. Dominus, 26. ex hac 30. Gerold. 197. 20. legales. 198. 25. Wendene 200. 27. cæteris. 37. expugnandum, 203. 30. civitates 43. & in margine. Dom. W. de Ral. 204 44. Scil. crastina. 205. 42. deserta. 44. VII. 55. qui 206. 7. Radulphus. 209. 10. pro divinis. 210. 12. eo, 48. la. ibid. obseratam 311. 44. quarum dec. & octo de tanto sc. conv. & ore. 47. hoc anno 212. 1. Mcclxiv. 17. hæc quidem. 213. 7. quia. 26. ipsi vero, 49. Aimerum. 214. 16. Domini. 33. cum multis aliis alienigenis, 35 studiose, 215. 44. Cistercii, 45. Rievallus. ult. 111. 216. 9. dicti, 14. etiam, 23. Rad. tunc. 29. quod si siquidem temporibus futuris redditus prætaxatus successive minui forte ceperit, vel in dominicum vertatur ex toto, nihilominus tamen domus tenebitur in solidum secundum omnia tam particulariter quam integraliter ordinata. 217. 19. dictus, 218. 8. publicari. 14. Patres. 33. Martis. 219. 1. sic. 6. Sabrinam. 15. Kal. 21. XVII Kal. ibid. Kenelmi. 23. prædictus. 220. 2. pace. 16. Moricius. 26. prisona, 38. vix. 41. civibus. 221. 17. Axehem. 22. nonnullis. 222. 24. Edwardus. 25. dispersi. 223. 2. primo. 3. super his. 14. G. Cl. 20. prædictorum. 50. Osenye. 52. Batonis. 224. 12. Wintoniam. 25. festum Natalis. 225. 2. sibi. 5. sibi 6. civibus. 10. curia. 13. de Alemannia. 16. scilicet. 43. Lucia. 226. 12. aut nil. 15. S. Mariæ. 44. à. domino. 227. 4. apud Windeshores. 8. tactis. 46. super hæc. 228. 28. in eos latam, 35. O. 48. inthronizatus. 45. muros. 229. 7. tertia. 37. tandem. 48. constitutiones. 230. 43. quindecimum, 231. 8. electus. 9. quintus, 12. utilitatem. 24. Proceribus. 53. Leukenor, ult. consecratus. ibid. Tenternensi. 232. 15. Princeps. ibid. ne 35. relaxabatur. 42. exciterat. 233. 6. alicubi. 25. ibidem. 234. 15. Abbatiæ admissa. 26. Lexinton, 29. moram traxit. 44. filiorum Israelis Amal. 52. Patribus dominis. 236. subjectos. 7. celebraturi. 20. ut ad ip. 44. Eadmundus. 47. patre. 50. Edwardi. 53. Rothland. 237. 11. fines. 13. illis. fin. 16. Basclis. 17. collecta. 36. quasi. 44. qualiter. 50. pro negot. 238. 22. Surriæ. 48. Patre dom. 52. Skamel. 239. 46. frequenti. 240. 21. Drossar. ibid. v. o. dicti. 47. civitate Elenensi. 241. 27. non est versus. 35. Domini. 242. 1. onerosa. 46. creditoribus. 243. 7. Seales. 13. quarundam. 248. 25. Casu. 43. Impiorum. l. ult. dele *Deest edit.* 253. 4. è Lectiorib. 254. 5. in impr. 256. 42. decrep. 257. 6. Mahometi. 258. 40. Thaneos. 41. antiquis & n. t. 259. 8. Westphalia. mox. Styria Rutthenia - Rocantia Anconitana, Pirata. 261. 13. dignissima. 269. 23. Tyrociniis. 270. 42. Marchisio. 288. 28. destinabatur. 312. 36. turbatis 335. 27. insidet. 326. 45. dissipari. 333. 32. &. 339. 33. adhuc. 345. 26. Franciæ. 351. 15. lachrymas. 354. 26. diversi. 355. 24. milliariis 44. magnanimitatis pro. p. 360. l. 356. 360. 2. maximæ. 364. 26. commorari. 383. 11. nimirum. 393. 28. dissipata. 397. 7. laboraveris. 415. 15. leporis. 418. pen. dextræ. 435. 3. Damietæ. 446. 22. multitudo. 447. 13. deprehensum. 451. 26. Periscelides. 451. 45. piscosus. 452. 16. Cocodrillos è vulgari Gallico Cocodrille. 455. 18. deper. 463. 2. Hebdomadas. 473. 36. CXVIII. 489. 29. decreto. 499. 41. Fran---512. 4. accing---522. 7. sive Calabria. 527. 35. princeps. 530. 21. numerus. 540. 5. abj -- 551. 43. meum. 555. 30. feria. 560. 39. Guyd. Lysignay. 567. 3. si nos dux. 15. & per t. 30. aliquem ad legem manifestam, nec ad jur. 570. 50. in chartis nostr. 571. 15. candelis accensis. 23 limin. 28. Rege, Arc. 30. quacunque 572. 23. beatorum Petsi nover. 30. Breaus. 34. epularum. 573. 1. non dele. 575. 49. vestræ. 51. attendere. 576. 3. Paterini. 13. Sanct. Pet. 582. 24. in veniendo. 32. insiliissent. 583. 7. Leicest & Clare. 583. 33. eo quod pl. 584. 15. proficiscentes. 585. 9. & Almericus. 36. hanc rem tamen. 587. 10. Dee. 35. Jo. Dayville. 588.